32
3 G
9

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

IO. FRANCISCI BVDDEI

THEOL. D. ET P.P.

ISAGOGE

HISTORICO-THEOLOGICA

AD

THEOLOGIAM VNIVERSAM

SINGVLASQVE EIVS PARTES,
NOVIS SVPPLEMENTIS
AVCTIOR.



LIPSIAE,
EX OFFICINA B. THOMAE FRITSCHII
HAEREDVM. M. DCC XXX.

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,

DOMINO

FRIDERICO

PRINCIPI HEREDI,

DVCI SAXONIAE,
IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE ET GVESTPHALIAE,
LANDGRAVIO THVRINGIAE,
MARCHIONI MISNIAE,
PRINCIPI COMITI HENNEBERGIAE,
COMITI MARCAE ET RAVENSBERGAE,
DYNASTAE RAVENSTEINII
ET TONNAE,

PRINCIPI AC DOMINO MEO LONGE
CLEMENTISSIMO.

Digitized by Google



SERENISSIME PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME.

Virtutem in illuſtri loco poſitam magis exſplendeſcere, radiosque ſuos ſpargere longius, hinc & plurium admiratione quadam perculſos ſibi conciliare animos, non modo ſapientum ſcitum eſt, ſed res ipſa etiam pariter ac experientia omnes condocet. Dubito autem, an luculentiori vmquam hoc conſtiterit, quam TVO, SERENISSIME PRINCEPS, *exemplo. Natalium, quibus aliorum hominum*

num

num numero TE *exemit prouida Numinis, cuncta ſapienter diſpenſantis, cura, faſtigium ſummum, praeclara indole, rectoque vitae curſu, ita ornaſti, vt, vnde plus* TIBI *decoris atque ornamenti accedat, incertum merito, ambiguumque videatur. Felicem equidem* TE *arbitrari licet, eiusmodi formandae adoleſcentiae* TVAE *quod praefecti fuerint viri, qui, vt pietate non minus, quam litteris artibusque, ad magna quaeuis atque excelſa natos decentibus, tenera aetas* TVA *imbueretur, nihil fecerunt reliqui. Ego vero, hos ipſos, quibus iſtud munus demandatum fuit, feliciores adhuc dicendos, exiſtimo, tam praeclarum quia iis obtigit excolendum perpoliendumue ingenium, quod votis illorum non ſolum reſpondit, ſed quam longiſſime illa ſuperauit. Doctrinae itaque ſacrae, quae viam mortalibus ad ſalutem aeternam monſtrat, cuiusue puritate noſtra nobilitatur eccleſia, notitiam haud vulgarem, ſed inſignem prorſus & exquiſitam, in* TE *admirantur omnes. Quidquid vero etiam reconditi habent hiſtoricorum monumenta, quidquid ſalutare doctrinae moralis, aut iuris eius, quod natura omnes docet, quoue gentes integrae, populiue orbis vniuerſi reguntur, magiſtri propinare ſolent, cognitum* TIBI *exacte, atque exploratum eſſe, fatentur, quibus egregias iſtas animi* TVI *dotes propius introſpicere, atque venerari, datum eſt. Hiſce itaque aliisque eiusdem generis inſtructus praeſidiis cum peregrinas adires gentes, diſcernere non tantum facile poteras, quid amplecti, quidue contra fugere atque euitare deberes; ſed documentum quoque reliquiſti longe pulcherrimum, plura exteros in* TE *inueniſſe, quae & laudarent & imitarentur, quam* TV *in illis, ex quibus commodum atque fructum caperes. Atque vehementer eos omnes errare, nunc demum intelligebant, qui, Italiam aut Galliam tantum dare exempla vitae cultioris, non autem a Germanis accipere poſſe, ſibi perſuaſerunt. Neque etiam quidquid vrbes iſtae,*

Digitized by Google

aut prouinciae, quas perluſtraſti, ſplendidi atque magnifici habent, ita animum TVVM *perſtringere poterat, vt patriae amorem deponeres, quo* TIBI *nihil ſanctius eſſe, abunde conſtat. Domum itaque cum rediiſſes, maximo omnes perfundebantur gaudio, eiusmodi ſibi redditum fuiſſe principem, videntes, qui maiorum ſe ſuperaturum gloriam argumentis haud quaquam dubiis demonſtrauerat, quemue ſuorum iure adpellabant delicias. Immo, vt omnia paucis complectar, ad ſummi principis nihil* TIBI, DOMINE CLEMENTISSIME, *deeſſe laudem vt omnes cognoſcebant; ita non rectius indicare poterant, quam cum dicerent, Sereniſſimi patris* TVI *in* TE *conſpici imaginem. Cum ergo & ego, inter eos, qui de* TE *ita ſentiunt, haud vltimum me eſſe, lubens profitear; non aegre feres,* SERENISSIME PRINCEPS, *quod, dum opportunitatem quaero, meum erga* TE *animum declarandi, hocce qualecunque opus* NOMINI TVO SERENISSIMO *ſacrum eſſe voluerim. Quod ſi benigne, vti confido, acceperis, facies, quod ſumma* TVA *humanitas, quae reliquis virtutibus* TVIS *ornamentum ſingulare addit, me ſperare iubet. Ego vero Deum immortalem, vt iis omnibus, quae* TE *felicem & beatum reddere poſſunt, quibusue iam abundas, perpetuitatem addat, ſupplex veneror, nec venerari vmquam deſinam.*

SERENISSIMO NOMINI TVO,
DOMINE CLEMENTISSIME,

ſubiectiſſimus deuotiſſimusque
IO. FRANCISCVS BVDDEVS.

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO
S.

Iſagogen hancce *hiſtorico-theologicam, ad theologiam vniuerſam, ſingulasque eius partes*, dum luci expono publicae, nihil me facere, arbitror, quod non aut muneris mei, quo fungor, ratio, aut praeſens eccleſiae noſtrae exigat ſtatus. Illius enim vt recte explerem partes, hoc mihi numquam non agendum putaui, vt iuuenibus, qui inſtitutione mea vtuntur, viam ad veram, ſolidamque eruditionem monſtrarem. Haec enim ſi cum mentis puritate, & vitae honeſtae, ſanctaeque ſtudio, quod non minori animi contentione omnibus commendare ſoleo, coniungatur; tum demum iſta veri theologi inde effloreſcet effigies, a quo praeclara quaeuis atque egregia eccleſia ſibi merito pollicetur.

Quantumuis autem nullam hucusque praetermiſerim theologiae partem, quam non in recitationibus meis academicis explicauerim, & pro viribus illuſtrauerim; nondum tamen me ſatis auditorum meorum conſuluiſſe commodis, credidi, niſi & generatim illis rationem oſtenderem, quae ineunda iis ſit, qui felici ad finem, quem omnes ſibi conſtituere debent, peruenire cupiunt curſu. Eiusque me non poenituit conſilii; cum intelligerem, immo ipſa me certiorem redderet experientia, multa eſſe ſalutaria valde, & cognitu non vtilia modo, ſed & neceſſaria, quae non niſi hoc pacto moneri atque inculcari poſſunt. Vberrimos quoque inde ad quam plurimos redundaſſe fructus, perſpectum atque exploratum habeo.

Hinc & haud difficulter me induci paſſus ſum, vt copioſiori adparatu ornata & locupletata typis committerem, quae in illorum, qui ab ore meo pendent, gratiam, litteris conſignaueram. Quae enim huc faciebant, iam dudum haud exiguo temporis ſpatio, nec omnino nullo labore congeſta, ad manus erant. Spes praeterea haud, vt puto, vana me tenet, fore, vt hoc modo illi quoque, quibus facultas ex recitationibus meis proficiendi, conceſſa non eſt, aliquid inde, quod iis prodeſſe queat, capiant. Quamquam & illi, qui me talia tradentem audiuerunt, multa hic lecturi ſint, quae vt tum proponerem, temporis, quo recitationes academicae circumſcribuntur, ratio, aliaeue cauſſae, non permiſerunt.

Non equidem neſcio, haud paucas magnorum in eccleſia noſtra virorum praeſtantiſſimorumque theologorum, ne quid de illis dicam, qui a nobis opinionibus diſſentiunt, exſtare commentationes, quibus de via, rationeque, ad rerum diuinarum exactam perueniendi cognitionem, ſeu de methodo, vt loqui ſolent, ſtudii theologici, praecipitur. Quibus vt ſua laus integra manet, quam & ambabus, quod aiunt, iis tribuo manibus; ita eos

eos me neutiquam impedire potuiſſe, quo minus & ipſe eiusmodi quid ſuſciperem, non diffitebitur, qui cuncta paullo adcuratius ſecum ponderauerit. Ecquis enim eſt, qui ignoret, litterarum ſtudia non vno eodemque conſiſtere loco, ſed quotidie mutari. Certe qui, eamdem illorum hodie eſſe faciem, ſibi perſuaſerit, quae ante viginti, aut omnino triginta annos, fuit, ſe ignarum eorum omnium, quae in orbe erudito geruntur, demonſtrabit. Quod vt in omni eruditionis genere ita ſe habet; ſic nec eam, qua theologum imbutum eſſe decet, mutationis iſtius expertem eſſe, manifeſtum eſt. Immo nulla theologiae pars eſt, quae non nouis in dies, ſi non illuſtretur, certe obruatur libris; &, ſi non clarior, aut magis perſpicua, certe hominum cuncta in maius meliusque prouehere cupientium, diligentia, neſcio an ſemper, aut tempeſtiua ſatis, aut felici, diffuſior reddatur. Quo difficilior itaque hinc ad eruditionem theologicam oritur aditus, quoque maior & rerum & librorum ſe offert iis copia, qui ad eam ſibi comparandam animum adiungunt; eo minus duce quodam carere poſſunt, qui recto eos incedere tramite, & noxia aut inutilia fugere, conſectari contra profutura, & neceſſaria, doceat. Nimirum non librorum modo atque ſcriptorum, quibus viri docti memoriam ſuam transmittere ad poſteros volunt, copia in immenſum excreſcit numerum; ſed nouarum quoque opinionum, ſententiarum, errorum, controuerſiarum, vberior exſurgit quotidie ſeges, & totum theologiae peruadit campum, vt vbique, quod explorandum diligenter, & non ſine circumſpectione admittendum ſit, inueniamus.

Ipſum porro hocce de methodo ſtudii theologici argumentum doctiſſimorum, qui in eo ingenii vires periclitati ſunt, virorum commentationibus, quantumuis numquam ſatis laudandis, nondum ita prorſus exhauſtum eſt, quin excogitari adhuc quaedam, ad viam iſtam faciliorem reddendam, atque inuentis addi poſſint. Etenim, vt alia taceam, tractationem de origine, incrementis, fatis, corruptione, emendatione ſingularum theologiae partium, ab ipſis earum natalibus, ad noſtram vsque aetatem, aut plane praetermitti, aut leuiter admodum in eiusmodi libellis attingi, neminem fugit. Hanc vero non modo vtilem, ſed neceſſariam prorſus eſſe, exiſtimo, vt quis in iſto campo, recto itinere, & inoffenſo progredi queat pede. Luce enim clariſſima haecce pars hiſtoriae litterariae omnia perfundit, caliginemque & tenebras, quae ſine ea vbique regnant, diſpellit atque profligat. Idque adeo poſitum in aprico eſt, vt ſi illud demonſtrare rationibus vellem, in re non dubia argumentis mihi vtendum eſſet non neceſſariis. Atque fatentur hoc etiam viri eruditisſimi, qui in artium ac

ſcien-

ſcientiarum hiſtoria concinnanda ſtudium ſuum diligentiamque collocarunt; vtpote qui probe intellexerunt, quantum lucis hinc rebus ipſis, & adcuratiori earum cognitioni adfundatur. Quare & vitio mihi verti non poſſe, arbitror, quod in iſta ſingularum theologiae partium hiſtoria paullo fuſior, copioſiorque fuerim. Id enim res ipſa mihi poſtulare viſa eſt; ſiquidem hucusque nemo, quantum mihi conſtat, exſtitit, qui totius theologiae, ſingularumque eius partium, ea, qua id a me factum, ratione, fata exhibuerit.

Fuerunt equidem viri longe praeſtantiſſimi, qui aut vnius alteriusque partis hiſtoriam dederunt, aut varia congeſſerunt, quae huic inſtituto meo inſeruiunt; quorum etiam in hoc genere merita tantum abeſt, vt diſſimulauerim, vt ampliſſimis potius condecorauerim laudibus. Vt autem cuncta in vnum coire iuberem corpus, & in ordinem concinnum diſponerem, quaeue, vt plena narrationis iſtius facies adpareret, deerant, ſupplerem; id enimuero mihi relictum putaui. Diuerſus etiam hicce meus labor eſt ab illorum inſtituto, qui librorum, theologiae ſtudio inſeruientium, notitiam ſuppeditant; quod noſtra aetate viros quosdam, ingenio & eruditione florentiſſimos, magna cum laude feciſſe, nemini, niſi qui hoſpitem ex hiſce litteris retulit animum, ignotum eſſe poteſt. Tametſi enim ea hiſtoriae litterariae pars, quae ipſarum artium atque ſcientiarum fata pandit, arctiſſimo vinculo cum illa, quae eruditorum hominum monumenta recenſet, & quae de iis obſeruatu digna ſunt, enarrat, coniuncta ſit; non tamen plane eadem eſt, ſed altera ab altera differt, & vtraque quod proprium ſibi ac peculiare ſit, habet. Plurimum, fateor, poſterior iſta hiſtoriae litterariae pars confert, vt prior recte procedat, ſaepiſſimeque adeo illorum a me facta eſt mentio, quorum indefeſſo ſtudio ac labore eo vsque hodie deducta eſt, vt prope a faſtigio abeſſe videatur, ſi modo faſtigium animo concipere liceat, vbi nouis ſemper locus eſt acceſſionibus; illius interim minor forte eſſet vtilitas, niſi in huius, quae ipſarum artium ac ſcientiarum fata deſcribit, tractatione conſpiceretur. Inſignia vtique atque egregia ſunt, quae ex hac ad rerum ipſarum cognitionem redundant, commoda; vt adeo mirum ſit, pauciores fere exſtitiſſe, qui in ea excolenda, quam qui in librorum tradenda notitia, elaborarunt. Idque etiam eo acriori animum meum incitauit ſtimulo, vt hancce per omnes theologiae partes plene & iuſta ſerie, quantum inſtituti mei aut poſtulauit, aut permiſit ratio, exhiberi adniterer. Ita vero in iſta verſatus ſum commentatione, vt non tantum eundo per omnia ſaecula ad noſtra vsque tempora, quae in hocce doctrinae genere, ſingulisque eius capitibus, contigerunt mutationes, enarrarem, praecipuosque ſimul auctores, eorumque

 ſcripta

ſcripta commemorarem; ſed & quae aut laudanda, aut vituperanda ſint, indicarem, inde vt, quae imitanda, quaeue rurſus euitanda ſint, quilibet condiſcere poſſit. Qua quidem ratione & hiſtorici, vt decet, partes tueor, & ſimul, aliud velut agendo, viam omnibus, qui ſapere cupiunt, calcandam monſtro; & praecipitia, in quae plurimi mortalium ruunt, & a quibus ſummo ſtudio nos remouere debemus, oſtendo.

Neque vt meo ſolum, quo fungor, ſatisfacerem muneri, iſagogen hancce, ea, qua nunc ſe conſpiciendam praebet, facie, in lucem emiſi; ſed &, quod praeſens eccleſiae noſtrae ſtatus eiusmodi quid requirere videretur. Conflictandum nobis eſt cum non vno hoſtium genere, quorum potentia non minus, quam calliditas formidinem nobis incutere poteſt, nec vna nos premit calamitas. Horum non aliud ſupereſt remedium malorum, quam vt vbique coetibus noſtris doctores praeficiantur, quibus nec ad vitae probitatem, integritatemque morum, nec ad prudentiam, nec ad ſolidam atque exquiſitam quidquam deſit eruditionem. Ita enim comparatos eſſe decet, qui non modo paſcere gregem, ſed & inteſtina eccleſiae noſtrae ſanare vulnera, & hoſtium quorumlibet ſtrenue obuiam ire inſultibus valent. Quam exiguus vero illorum ſit numerus, qui eiusmodi inſtructi ſunt dotibus, aut de quibus, tales eos fore, ſperare licet, ipſa, proh! dolor, experientia docet. Ecquid enim diſſimulare morbos noſtros iuuat? Remedia potius, quibus depelli queant, quaerenda. Idque in ſcholis maxime atque academiis, in quibus iuuenum, qui diſpenſandis eccleſiae ac reipublicae fatis deſtinantur, formandi animi ſunt, fieri oportet. Harum autem rationem paullo adcuratius mihi perpendenti, ingens equidem eorum ſe offert multitudo, qui theologiae cultores videri volunt, & ad ſacra in eccleſia noſtra adſpirant munera. Sed cum ingenium, indolem, mores, ſubſidia ad parandam eruditionem, veram quidem ſolidamque, & quae hocce nomen tueri queat, neceſſaria, perluſtro, & quid quisque aut patriae, aut eccleſiae polliceatur, pondero; maximo me perfundi dolore, lubens fateor. Immo obſtupeſco, paucitatem illorum conſiderans, qui ſpei & votis eorum, qui eccleſiae noſtrae conſultum cupiunt commodis, reſpondeant. In cauſſas inquirere non lubet; quamuis eae haud obſcurae ſint, & facili negotio inueniantur. Haud vltimam inter eas eſſe, iam olim profeſſus ſum, & denuo profiteor, quod iuuenibus illis, qui prae reliquis ingenio pollent, & ad litterarum ſtudia apti ſunt, plerumque ſit res anguſta domi, ſuoque comprobent exemplo, paupertatem virtutis eſſe comitem. His itaque, cum multa alia, tum illud maxime obſtat, quod breui admodum tempore in academiis commorari queant; quod quidem maxime neceſſariis addiſcendis, aut fundamentis rite ponendis, vix ſufficit. Ad maiora aut ſublimiora tantum abeſt, vt adſpirare iis liceat, vt vix imaginem quamdam eorum omnium, quibus

totus

totus eruditionis theologicae abſoluitur ambitus, animo concipere poſſint. Ex academiis deinde cum domum reuerſi ſunt, aut ad alia diſceſſerunt loca; haerent circa ea, quae vtcumque didicerunt, neſcientes, quid agendum, quidue omittendum ſit, vt longius procedant, & ſuos progreſſus nouis augeant incrementis: atque ita praeſtantisſima ingenia deprimuntur, ac languescunt, & eccleſia fructibus, quos ex iis percipere potuiſſet, priuatur.

Hiſce itaque, vt & aliis, quibus magiſtrorum, quorum ſequantur ductum, deeſt copia, vt aliqua ratione ſubuenirem; iſagogen hancce ita inſtruere, in animum induxi meum, vt non tantum, quam late theologicae eruditionis pateat campus, demonſtrarem, ſed de ſingulis etiam eius partibus paullo copioſius, quam vulgo fieri ſolet, agerem, cumprimis autem earum hiſtoriam a prima origine per omnia ſecula ad noſtra vsque tempora traderem. Hac enim qui imbutus eſt, haud difficulter ad ſublimiora, excelſioraque, in quolibet ſcientiarum genere progredietur, praeſertim ſi librorum ſimul huc facientium ſuppeditetur notitia, quod & eodem a me factum eſt conſilio. Ita vero etiam me illis profuiſſe, exiſtimo, quibus equidem occaſio, doctores academicos, quamdiu volunt, audiendi, non deeſt; longe tamen promtius proficiunt, ſi iam antea hiſtoriam & fata eius, in qua erudiri cupiunt, ſcientiae cognitam atque exploratam habeant. Certe & breuior, & facilior, ita ad veram ſolidamque eruditionem via redditur; quod qui facere adnituntur, non minori laude digni ſunt, quam qui orbem eruditum nouis locupletant inuentis. Praeſertim vero in earum rerum, quas theologum ſcire decet, hoc nobis agendum eſt cognitione. Infinita enim cum hodie illarum & varietas ſit & multitudo; praeclare omnino, & de theologia ipſa, & de eccleſia mereri cenſendi ſunt, qui euitare ambages, & recto itinere ad arcem ac caput cauſſae contendere docent. Hoc enim niſi fiat, facile contingere poteſt, quod & haud raro contingit, vt, dum, qui huic ſtudiorum generi nomina ſua dederunt, per immenſum iſtum rerum plurimarum, quae iis ſe offerunt, oceanum diffunduntur, immemores eius ſint, quod praecipuum eſſe debebat, ſeu qua ratione per ſcripturae ſacrae tractationem, & vitae ſanctae puraeque ſtudium, ad veram ac diuinam ſapientiam animum erudire debeant. Eam enim, quae huc tendit, curam operamque tantum abeſt, vt litterarum tractatione impediri velim, vt potius omnis hicce labor meus vel maxime eo comparatus ſit, vt, dum breuiorem planioremque viam ad eruditionem monſtro, hanc ita aliquis conſequi poſſit, vt tantum nihiloſecius temporis, quantum ad ſanctiorem animi culturam requiritur, illi relinquatur.

Atque haec quam ſit neceſſaria, ex tribus prioribus libri primi huius operis capitibus intelligere licet, in quibus haud pauca, quae hoc euincant, occurrunt. Cumprimis & eruditionis ac ſapientiae nexum arctiſſimum demonſtraui, atque diligenter inculcaui, illamque, vt quis theolo-

 gus,

gus doctorque eccleſiae audiat, non ſufficere, euici, niſi & haec accedat; quamquam &, qui ſine ſapientia eruditi eſſe cupiunt, plerumque vana quadam & inani ſe decipiant eruditionis ſpecie. Deinde, capite eiusdem libri quarto, de *propaedeumatibus theologicis* verba feci, ſine quibus, quae hodie eſt eccleſiae & rei litterariae conditio, eruditio theologica ſibi non conſtat. Nec tamen ea mens mea fuit, ac ſi omnia iſta, quae *propaedeumatum* nomine complexus ſum, aeque ſint neceſſaria, aut, ac ſi nemo theologi nomen tueri queat, qui non iſtorum omnium cognitione aliis antecellat. Quin potius, quid ingenii vires, quid temporis ratio, quid finis & ſcopus, quem ſibi quis conſtitutum habet, poſtulent aut permittant, vt diſpiciamus, par eſt. Proderit interim, nec iniucundum erit, omnium iſtarum artium ac ſcientiarum hiſtoriam cum obſeruationibus quibusdam de illarum vſu, ſummatim expoſitam, hic legiſſe.

Ad ſingulas porro dum deſcendo theologiae partes, *theticam* ſeu *dogmaticam*, quo nomine & *catecheticam* comprehendo, primo, vt par erat, poſui loco. Cum enim fundamenta, ſeu elementa theologiae exhibeat; non ſine ratione ab illa ſtudii theologici tractatio inchoari ſolet. Ne autem, quae eius origo, progreſſus, & fata per ſingula fere a Chriſto nato ſaecula ad noſtram vsque aetatem fuerint, ignoretur; abunde me effeciſſe arbitror. Nec naeuos & incommoda, a doctoribus ſcholaſticis inuecta, & interdum repudiata, mox iterum recepta, ceteraque, quae, vt caute & circumſpecte hic incedamus, nos admonere poterant, praetermiſi. Eadem ratione, ſequenti capite de theologia, quam vocant, *ſymbolica* expoſui. Ex ſymbolis enim atque confeſſionibus publicis cum genuina & noſtrae & diſſentientium eccleſiarum depromenda ſit ſententia; quin earum notitia maxime neceſſaria ſit, nemo, puto, temere dubitauerit. Cumque etiam nec veteris eccleſiae nos ignorare deceat ſymbola, vt de eius eo rectius ſtatui queat doctrina, de qua & hodie ſubinde diſputatur; non ingratum quibusdam fuerit, quod veterum pariter ac recentiorum ſymbolorum hiſtoriam, eamque variis obſeruationibus illuſtratam, iuſta ſerie hic exhibuerim.

De theologia *patriſtica*, eiusque fatis, ſi ſeorſim agerem, non abs re fore credidi; quod & capite tertio a me factum eſt. Vt enim ad verae doctrinae in eccleſia chriſtiana conſeruationem & propagationem demonſtrandam, monumentorum, quae veteris eccleſiae doctores, quos patres vocamus, reliquerunt, vſus eſt prorſus egregius; ita eorumdem ad ſcripturae ſacrae auctoritatem labefactandam, aut errores quosdam falſa traditionis ſpecie defendendos, non minor hinc inde abuſus conſpicitur. Non tantum itaque hiſtoriam & fata iſtius theologiae partis ordine deſcripſi; ſed & monita haud pauca, de patrum lectione recte inſtituenda, deque iuſto, quod illis ſtatuendum ſit, pretio, ne plus aut minus, quam decet, iis tribuatur,

tur, adiicere, mei duxi eſſe muneris. Id vero etiam noſtri temporis vel maxime requirere ratio videbatur, vbi viri quidam docti, & ingenio praeſtantes, dum alterum extremum, quod illorum eſt, qui patrum vltra, quam par eſt, euehunt auctoritatem, euitare cupiunt, in alterum prolabuntur, & in patrum naeuis & erroribus exaggerandis, aut omnino doctrina illorum, quae vitio caret, perſtringenda, nec finem, nec modum ponunt. Ideoque & in capite quarto, vbi de theologia *morali* praecepi, de patrum doctrina morali ita diſſerui, vt oſtenderem, haud raro hic a recto eos diſceſſiſſe tramite; nonnulla tamen a viris doctis in iis reprehendi, quae, ceu recte dicta, defendi aut excuſari queant. De theologia *myſtica*, & *iurisprudentia diuina*, *prudentia* item *chriſtiana* & *paſtorali*, ibidem verba feci, vt tamen illius cumprimis hiſtoriam & fata paullo copioſius deſcriberem; quippe quae hodie nota omnibus eſſe oportet, vbi in diuerſas, quid de eiusmodi ſcriptoribus ſentiendum ſit, viri eruditi diſcedunt partes.

De *iurisprudentia eccleſiaſtica* capite quinto me tractationem inſtituiſſe, nemo mirabitur, qui cogitauerit, conſultum admodum eſſe, vt theologiae cultores ſaltem primis eius principiis imbuantur. Haec autem cuiusmodi ſint, ex iis, quae docui, intelligere licebit: hiſtoria vero eius illis quoque inſeruiet, qui vlterius progredi cupiunt. Lucem praeterea hinc accipient variae, quae hodie inter viros doctos agitantur, controuerſiae, haud exigui vtique momenti, dignae vero etiam, quarum a theologis habeatur ratio. Ex iſtarum autem, quas hucusque enarrauimus, theologiae partium, praeſertim iurisprudentiae eccleſiaſticae conſideratione, cum abunde pateret, quam eximius in his omnibus, ad fata cumprimis illarum recte cognoſcenda, ſit ipſius *hiſtoriae eccleſiaſticae* vſus; quae de ea obſeruanda, ſtatim ſubiungere, boni ordinis poſtulauit ratio. Nec tamen, ſi quis exiſtimauerit, alium eidem locum adſignandum fuiſſe; cum eo diſceptauero; cum in cuiusuis arbitrio poſitum ſit, quam ſingulis theologiae partibus tribuere ſedem velit. Ad rem ipſam quod attinet, licet forte quaedam adhuc addi hinc inde potuiſſent; tantum tamen me dixiſſe in hocce quoque capite, arbitror, quantum inſtituti, methodique, quam mihi praeſcripſi, ratio requirere videbatur.

Ampliorem ſibi locum capite ſexto vindicauit *theologia polemica*. Certaminum enim & controuerſiarum theologicarum quis modus, quis finis? Maxima itaque rerum obſeruatu dignarum per omnia ſaecula hic effloruit ſeges. Numquam tamen etiam non incommoda ſe obtulerunt, quae hanc theologiae partem comitari ſolent, aut, ſi mauis, naeui, quorum raro admodum immunes ſunt, qui ad eiusmodi praelia deſcendunt. Poſſent, ſi ſaperent mortales, aliorum exempla eos cautiores reddere. In noſtratium ſcriptis polemicis recenſendis maxima mihi ſuborta eſt difficul-

 tas;

tas; ipſaque adeo experientia didici, plurima adhuc iure in hiſtoria litteraria deſiderari. Non vtique deſunt, qui, vt reliqua noſtrorum theologorum, ita & eorumdem ſcripta polemica, recenſent. Sed primum ſatis plerumque hoc fit perfunctorie; deinde ipſa iſtorum hiſtoria, ſiue quaenam illorum fuerit occaſio, an & qua ratione ab aduerſariis, quos ſibi oppugnandos ſumſerunt, fuerint refutata; an, & quid iterum his reſponſum ſit? & quae reliqua ſunt eiusdem generis, maximam partem negligitur. Cumque ſcripta veterum theologorum polemica magno hodie ſupercilio contemnantur, tantum abeſt, vt legantur, aut recudantur, raro admodum obuia ſunt, vt ad ſeriem controuerſiarum recte intelligendam conſuli queant. Subinde tamen lucem quamdam minime contemnendam dederunt viri iſti doctiſſimi, qui eccleſiae cuiusdam particularis, vt Luneburgenſis, Brunſuicenſis, Lubecenſis hiſtoriam condiderunt, & adcuratiorem, quam vulgo fieri ſolet, in ſcriptis theologorum, quorum vitas attingunt, enarrandis, poſuerunt diligentiam.

Supereſt *theologia exegetica*, in qua rite exornanda cum reliquae diuinioris huius ſcientiae partes conſpirent; vltimo eam pertractare viſum eſt loco: quamuis ſi & vtilitatem, & dignitatem ſpectes, primum promereatur. In ea autem ita verſatus ſum, vt primum textus originalis, tum verſionum, tandem commentatorum, quos vocant, veterum pariter ac recentiorum, hiſtoriam traderem; naeuos pariter, ac virtutes illorum, qui in hoc campo ingenii vires periclitati ſunt, itemque viciſſitudines, quae hic ſe offerunt, indicarem; monita denique, iis, qui & hic recta via incedere cupiunt, profutura, hinc inde adſpergerem. Qua quidem ratione nihil me eorum, quae ad finem, qui mihi conſtitutus fuit, faciunt, praetermiſiſſe, arbitror.

Ceterum, cum ab eo tempore, quo opus hocce typis exſcribi coepit, tres circiter aut omnino quatuor anni, elapſi ſint; interea vero non tantum libri noui quam plurimi, aut aliae librorum partes, aut nouae quoque editiones prodierint; nemo, vt puto, mihi vitio vertet, quod iſtorum librorum, aut partium vel editionum, nullam mentionem fecerim. Cogitandum enim, plurima doctorum virorum hocce anno MDCCXXVII proſtare monumenta, quae anno proxime elapſo, aut omnino ante biennium vel triennium, cum ea operis huius pars, vbi illa commemorari debuiſſent, typis iam exſcripta eſſet, lucem nondum adſpexerunt. Librorum autem nondum editorum, aut editionum, quae nondum prodierunt, vt notitiam ſuppeditarem, a me poſtulari non poterat. Incommodo tamen huic in *addendis* & *ſupplendis*, quae in fine huius operis conſpiciuntur, vtcumque conſulere volui. Atque haec ſunt, lector beneuole, quae te ignorare nolui. Vale, & conatibus meis porro faue. Scribebam Ienae die XXV. Ianuarii, anno MDCCXXVII.

(o)

Digitized by Google

ISAGOGES HISTORICO-THEOLOGICAE LIBER PRIOR CONTINENS PARTEM GENERALEM.

Q. D. B. V.

LIBRI PRIORIS CAPVT PRIMVM DE FINE STVDII THEOLOGICI.

Σύνοψις.

Operis partitio; §. I.
Methodi in ſtudio theologico neceſſitas; in quo generatim conſiſtat? §. II.
Finis ſtudii theologici, & quidem proximus; §. III.
Idem ſpeciatim, qua ſingulas partes, explicatur; §. IV.
Refertur ſcilicet ad eum cognitio, ſeu eruditio theologica; §. V.
itemque ſapientia; §. VI.
vt & prudentia; §. VII.
Falluntur, qui, ſolam eruditionem, ſine ſapientia, ad theologiam ſufficere, putant; §. VIII.
Ad finem ſtudii theologici proximum etiam vitae ſanctitas integritasque ſpectat; §. IX.
Finis vltimus ſtudii theologici; §. X.
Intentio, finem iſtum conſequendi, debet eſſe ſeria; §. XI.
Aberrant hic a recto tramite, qui in ipſa rerum diuinarum cognitione ſubſiſtunt; §. XII
aut eruditionis laudem, gloriamque, quaerunt; §. XIII.
aut, vitae huius ſuſtentationi theologiam inſeruire volunt; §. XIV.

§. I.

DVobus introductionem ad theologiam vniuerſam, ſingulasque eius partes, complecti animus eſt libris; quorum prior generatim de methodo ſtudii theologici praecipiet; poſterior ad ſpecialia deſcendet, &, quid in hiſce omnibus obſeruatu dignum ſit, tradet. *

* Vterque itaque liber ad methodum ſtudii theologici quodammodo ſpectat; licet plerique, qui hoc argumentum tractant, ea tantum delibent, quae in priori a nobis traduntur; in poſteriori inſuper talia a nobis adferantur, quae ab aliis aut omittuntur, aut leui tantum brachio attinguntur; quorſum cumprimis ea referenda, quae de origine, progreſſu, fatis, ſingularum theologiae partium ibidem, adiuuante Numine, commemorabimus.

§. II. Et generatim quidem de methodo, diſcendi theologiam, qui rite proficere cupit, debere eſſe ſollicitum, nemo abnuerit, niſi, qui putauerit, poſſe aliquem ignotam ſine duce ingredi viam, & nihilo ſecius eo, quo tendit, peruenire. * In qualibet autem artium omnium atque ſcientiarum methodo cum & ad finem, & ad eius, qui finem conſequi cupit, indolem, viresque, quibus praeditus eſt, denique & ad media, ſine quibus finis obtineri nequit, reſpiciendum ſit; haec quoque in methodo, addiſcendi theologiam, in cenſum venire, nemo non intelligit. **

* Non erit temere, qui hic diſſentiat, vt in reliquis litterarum generibus, ita & in theologia addiſcenda, certa opus eſſe methodo, eosque rebus ſuis non recte conſulere, qui, ea neglecta, amplisſimum huncce ingrediuntur campum; modo non committatur, vt μέθοδος longior ſit, quam ὁδός. Atque teſtantur hoc omnes illi, qui de methodo ſtudii theologici ſcripſerunt; quorum cum haud exiguus ſit numerus, praecipuos indicare haud abs re fuerit. Ex veteris eccleſiae doctoribus AVGVSTINVS *libros IV de doctrina chriſtiana* ſcripſit, cum eiusdem libro, *de fide & ſymbolo*, itemque VINCENTII LERINENSIS *commonitorio*, a GEORGIO CALIXTO an. 1629 Helmſtadii editos, & an. 1655 recuſos; quos quidem nonnulli huc referunt, licet alii compendium potius aliquod theologicum in iis quaerant. At vtrique falluntur. Id enim potius AVGVSTINVS in hocce opere agit, vt veram rationem, interpretandi ſacram ſcripturam, oſtendat; hinc & ſuo loco inter eos commemorabitur, qui de ratione, ſacras litteras explicandi, praeceperunt; quamquam & *libro IV* ea tradat, quae oratorem ſacrum inſtruere poſſunt. Inter graecos patres GREGORIVS Nazianzenus *orationes quatuor, de theologia*, reliquit, quae *tomo I.* operum eius, *p. m. 529. ſeqq.* exſtant; quasue forte aliquis, ex inſcriptione tractationem aeſtimans, hic locum inuenire, cenſere poſſet. Sed conſtitutum eſt GREGORIO, in hiſce orationibus, contra Eunomianos diſputare; licet in *prima*, quae velut introductio quaedam in reliquas eſt, nonnulla, quae ab hoc loco, ſeu doctrina, de methodo ſtudii theologici, non aliena ſunt, moneat. IAC. BILLIVS argumentum orationis huius hunc in modum ediſſerit: *Prima hac oratione, quae in quatuor ſequentes velut praefationis cuiusdam vice eſt, qualem eſſe theologicae rei profeſſorem oporteat, docet, atque & quando, & apud quos, & de quibus rebus, & quousque diſputandum ipſi ſit, oſtendit. Ac deinde grauiſſimam attexit querelam, de perditiſſimo temporis illius ſtatu, quo, neglectis virtutis ſtudiis, omnes eo temeritatis audaciaeque prorumpebant, vt ſibi fas eſſe, putarent, de ſublimiſſimis quibusque, atque obſcuriſſimis pietatis chriſtianae myſteriis diſputare.* Hancce itaque GREGORII orationem *inſtitutionibus theologicis antiquorum patrum* inſeruit IOSEPHVS MARIA TOMMASI, & quidem *tom. I. p. 158. ſeqq.* Nimirum conſtitutum ei eſt, ſcripta quaedam patrum, in quibus ſumma doctrinae chriſtianae breuiter traditur, iunctim edere, quod & *tribus* hactenus *tomis* praeſtitit, vt orbi perſuaderet, veteris eccleſiae doctores eamdem in tractanda theologia tenere methodum, quam hodie eccleſia romana obſeruat. Hinc & in fronte *tomi primi* verba haec leguntur: *complectens ſecundum ordinem temporum opuſcula tum latina tum graeca, quae aditum ianuamque patefaciant ad eccleſiaſtica dogmata.* Verum vt non omnia, ex iis, quae collegit, huc quidquam faciunt patrum ſcripta; ita tantum abeſt, vt romanenſes in iis methodi ſuae

praeſi-

Digitized by Google

praeſidium inueniant, vt iis potius repugnent aperte. Sed dicetur de hocce opere alibi copioſius.

Cum a ſcholaſticorum ſordibus ac barbarie a beato MART. LVTHERO repurgari inciperet theologia; fuerunt deinde haud pauci ex noſtratibus, qui de methodo rationeque, eam tractandi praeciperent. Et nemo ſane id rectius facere poterat, quam ipſe beatus LVTHERVS, qui non minus re ipſa, quam doctrina, ſe verum theologum demonſtrauit. Licet vero ex inſtituto hac de re nihil ſcripſerit, pasſim tamen monita valde ſalutaria ſuppeditat; cunctaque breuiter & neruoſe complexus eſt, quando tria eſſe, quae theologum faciant, pronuntiauit, *orationem*, *meditationem*, *tentationem*, optimamque adeo ſtudii theologici regulam nobis praeſcripſit; quam etiam nonnulli noſtratium, & merito quidem, in ſuis de hocce argumento commentationibus, ſequuti ſunt. Qua de re deinceps quaedam adhuc dicemus. Luthero iungimus, qui, in emendanda eccleſia, ſociam ei ſemper nauauit operam, PHILIP. MELANCHTHONEM, cuius eximia, vt in reliquas litteras, ita cumprimis in theologiam, merita nemo ignorat. Rationem namque, diſcendae docendaeque theologiae, oratione quadam luculenta oſtendit, non vtique ex mole ſua, ſed auctoris ingenio & eruditione aeſtimanda. Exſtat ea *tom. III. operum* eius, *p.35*. Inter diſcipulos MELANCHTHONIS eminet DAVID CHYTRAEVS, cujus profecto praeceptorem pudere non debebat. Hic, cum multis aliis nominibus de re & litteraria & eccleſiaſtica, tum & oratione, de *ſtudio theologiae recte incheoando*, an. 1608 primum edita, ſed deinceps aliquoties recuſa, praeclare meritus eſt. In ea regulas ſtudii theologici, a praeceptoribus, beato Luthero, & Philippo Melanchthone, ſibi monſtratas, ad decem capita refert; quae ſummatim recenſet OTTO FRID. SCHVTZIVS, *comment. de vita Dauidis Chytraei, lib. I. §. XXXV. p.171.* Recte omnino CHYTRAEVS, in *epiſtola dedicatoria* ad M. PETRVM AGRICOLAM, Vlmenſem, amicum ſuum, pronuntiat: *Fiunt autem omnia ſtudia faciliora, certo ordine, & velut via diſcendi monſtrata. Hanc quia multi, in magnarum artium profeſſiones tamen irruentes, & ſine ordine in iis vagantes, negligunt, pauciſſimi ad ſolidam doctrinam, qua eccleſiae & reipublicae magno vſui & ornamento eſſe poſſint, perueniunt.* Idem porro CHYTRAEVS librum elegantisſimum edidit *regulae ſtudiorum, ſiue de ratione & ordine diſcendi in praecipuis artibus recte inſtituendo*, inſcriptum, cui poſt *chronicon Saxoniae* primas inter reliqua eius ſcripta non ſine ratione OTTO FRID. SCHVTZIVS tribuit, qui & *librum vtiliſſimum & πολυιστορίας, quae in auctore refulſit, locupletem teſtem*, adpellitat, ſimul vero & ſummam eius adcurate refert *l. c. §. XLIV. p. 218. ſeqq.* Certe, quas generatim de ſtudiorum ratione ſuppeditat, regulae optimae, ſtudio quoque theologico inſeruiunt; ſed ea, quae ſpeciatim de grammatica, dialectica, rhetorica, graecae linguae ſtudio, itemque hiſtoria, ceteriſque humanae eruditionis partibus, praecipit, ad propaedeumata illa pertinent, quibus theologiae cultorem carere non poſſe, deinde comprobabimus. Addidit deinceps CHYTRAEVS ad regulas haſce ſtudiorum adpendicem, continentem παραλειπόμενα, quem libellum diſcipulus eius LAVRENT. RHODOMANNVS Ienae an. 1595 edidit; de quo plura OTTO FRID. SCHVTZIVS, *l. c. §. XLV. p. 233.* ſuppeditat. Commemoranda vero hic etiam eſt eiusdem CHYTRAEI oratio, de *ſtudio theologiae, exercitiis verae pietatis & virtutis potius, quam contentionibus, & rixis diſputationum colendo*, quae, iudice viro clarisſimo, & iam aliquoties nobis laudato, OTT. FRID. SCHVTZIO, *inter reliquas eius orationes palmam facile tenet.* Idem, cum ſummam

orationis illius indicaſſet, monuiſſetque, au-ctorem in poſteriori eius parte ſententiam ſuam, de ſingulis locis theologicis, ſecundum ſeriem Auguſtanae confesſionis, expoſuiſſe; addit: *Qua tractatione lectoribus ſuis tantum pietatis inſpirauit ardorem, tantae moderationis praebuit exemplar, tam circumſpectum veritatis retinendae ſtudium prodidit, vt non errent, qui, cum celeberrimo D. Spenero, ſtudioſis theologiae, quin doctoribus huius ſcientiae ipſis, orationem hanc quotannis praelegi, atque inculcari, velut egregiam normam docendi, peroptant; lib. II. §. XC. p. 550.* Obſeruat deinde porro, CHYTRAEVM orationem hanc Heidelbergae quidem an. 1577 delineaſſe, numquam tamen ibidem recitaſſe, primum autem an. 1581 Wittebergae editam. Recuſa eſt, tum alias, tum & Lipſiae, an. 1701 cura CONSTANTINI SCHVTZII, theologi Gedanenſis, qui & notulas, & diſſertationem, de *orthodoxia Iudae Iſchariothae*, addidit; immo & Kiliae, an. 1707 ſtudio viri doctisſimi, theologique longe celeberrimi, HENRICI MVHLII, qui & eruditam praefationem, in qua de eadem verba facit, praemiſit. Vt CHYTRAEVS Melanchthonis, ita Lutheri genuinus, gratisſimusque diſcipulus fuit HIERON. WELLERVS, magiſtri quoque candorem referens, non minus ob vitae integritatem, animumque fortem & conſtantem, in variis adflictionum generibus demonſtratum, quam eruditionem, theologi nomine dignisſimus. Huius autem ideo hic facienda mentio, quod itidem *conſilium, de ſtudio theologiae rite inſtituendo, & feliciter continuando, modoque, recte diſponendi & habendi conciones*, reliquit; quod primum ex bibliotheca IOACH. MORSII, Roſtochii an. 1617 a IO. HALLERVORDEO, bibliopola editum; deinde operibus eius, Lipſiae an. 1702 tomis duobus impresſis, inſertum, hinc vero iterum Halae, ſine anni mentione, recuſum eſt. Ab aliis editiones ea longe antiquiores, quae mihi ad manus fuit, & quam ceu primam laudaui, commemorari, video. Scriptum eſt mole exiguum, nec adeo exquiſita eruditione ſuperbiens, monitis tamen ſaluberrimis refertum. Scripturae ſacrae lectionem ſtatim ab initio hunc in modum commendat: *Principio illud iterum, iterumque moneo, vt ſacram ſcripturam longe aliter legas, quam profanas litteras, videlicet, vt cum quadam reuerentia, & ſumma animi intentione legas, non vt hominis aut angeli verba, ſed vt verba diuinae maieſtatis, cuius vnicum verbulum plus ponderis apud nos habeat, quam vniuerſa ſcripta ſapientiſſimorum & doctiſſimorum hominum.* Cumprimis totus fere eſt in commendandis beati LVTHERI ſcriptis. *Poſt ſacra biblia*, inquit, *diligenter ac ſtudioſe diuina monumenta D. Lutheri legas ac relegas. Nemo enim praeclarus theologus, qui conſcientias recte erudiat, & conſoletur, fieri poteſt, niſi Lutheri ſcripta diu multumque legerit, diurna & nocturna manu illa verſans. Scio quosdam eſſe, qui D. Philippi ſcripta longe praeferunt ſcriptis D. Lutheri. Dicunt enim, quod D. Philippus omnes locos doctrinae chriſtianae ἐσωματοποίησε quod negant Lutherum feciſſe, & ob hanc cauſam ſcripta D. Philippi magis putant prodeſſe eccleſiae, quam D. Lutheri. Mea haec eſt ſententia, D. Philippi ſcripta ſtudioſis theologiae diligenter legenda eſſe propter μέθοδον, cuius ipſe mirus artifex fuit, & propter dictionem eius, quae latina, pura, ſuauis, propria & perſpicua eſt, Doctoris Lutheri autem monumenta propter vberiorem explicationem ſacrarum literarum, & praeclaras cogitationes, ſtudioſius euoluenda eſſe, duco. Ipſe enim tanta dexteritate, & perſpicuitate, prophetica & apoſtolica ſcripta interpretatus eſt, quanta nullus vmquam interpretum facere potuit, aut facturus*, cetera; & quibusdam interiectis, ita pergit: *Nec vero te perturbent quorundam ἀσόφων σοφῶν peruerſa iudicia, qui dicunt, Lutherum fudiſſe ſua ſcripta, & non elaboraſſe, & multas in*

illis

illis eſſe ὑπερβολὰς καὶ παράδοξα. Neſcio, quid acuti illi cenſores vocent ὑπερβολὰς καὶ παράδοξα, in ſcriptis Lutheri, niſi forte dulciſſimas illas conſolationes, quibus ipſe ſauciatas animas ignitis telis diaboli erigere conſueuit. Cuiusmodi illa eſt, qua Lutherus multas adflictas conſcientias ſaepe confirmauit: etiamſi tot peccata & ſcelera commiſiſſes, quot decem mundi poſſent committere, minime tamen deſperare debes, ſed certo ſtatuas, illa tibi a Deo remitti, ſi modo, ſerio poenitentiam agens, in Chriſtum credideris. Quia Chriſti meritum longe exſuperat omnia mundi peccata. Atque ex hiſce, cuiusmodi conſilium iſtud Wellerianum ſit, dignum certe, quod ab omnibus legatur, intelligitur. Poſſem nunc iis, quos ex noſtratibus commemoraui, & alios ex ſaeculo decimo ſexto addere; ſed cum antea iam profeſſi ſimus, nobis non conſtitutum eſſe, omnes ſine diſcrimine, qui de ratione ſtudii theologici commentati ſunt, laudare, ſed praecipuos, &, qui prae ceteris digni ſunt, vt eorum fiat mentio; ad ſaeculum decimum ſeptimum progredimur. Hoc vero cum plurimi viri doctiſſimi nobilitarint, quorum etiam in hocce argumento enituit induſtria; cum primis tamen beatus IOAN. GERHARDVS ſe nobis offert, non vno nomine & de eccleſia vniuerſa, & de academia noſtra, praeclare meritus. Inter plurima namque, & praeſtantiſſima ingenii monumenta, *methodum* quoque *ſtudii theologici, publicis praelectionibus in academia Ienenſi an. 1617 expoſitam* reliquit, typis exſcriptam Ienae 1622. Tribus ea abſoluitur partibus; quarum prima *requiſita generalia*, quae non ſolum ad ſtudii theologici auſpicium adferri debent, ſed etiam in toto illius curſu ac continuatione perpetuo obſeruari, ſcilicet *rectae intentionis debitum, ſincerae pietatis ſtudium, deuotae orationis officium*, ediſſerit; altera προπαιδείαν ſtudio theologico praemittendam, explicat; tertia denique curſum iſtius ſtudii dirigit. Plene, perſpicue, ſolide haec omnia pertractat, ceterosque adeo, qui huncce campum ante eum ingreſſi erant, hac ratione vincit; ſubinde & auctores, ex quibus proficere licet, laudat. GERHARDO noſtro iungimus IO. HVLSEMANNVM, cuius itidem exſtat *methodus ſtudii theologici*, concinne & neruoſe conſcripta, in qua & auctores praecipui laudantur, qui in hocce ſtudiorum genere euoluendi ſunt. In quinque eos diſpeſcit claſſes: *lexicographos, commentatores, catechetas, polemicos, & practicos*. Edita eſt haecce *methodus*, cum eiusdem auctoris *methodo concionandi*; cui & adiuncta eſt IO. FOERSTERI *methodus ac formulae concionandi*; itemque LEONH. HVTTERI *conſilium, de ſtudio theologico recte inchoando, feliciterque continuando*; porro IO. FOERSTERI, antea iam laudati, *conſilium theologicum, de ſtudio theologico rite inſtituendo & abſoluendo*; & denique BALTH. MEISNERI *breuis inſtructio, de lectione biblica & locis communibus*. Sexta editio, qua ego vtor, prodiit Wittebergae, an. 1671 in 8. Fuſior his, copioſiorque eſt, ABRAH. CALOVIVS, theologus Wittebergenſis, in *paedia theologica de methodo ſtudii theologici, pie, dextre, feliciter tractandi*, an. 1652 Wittebergae edita. Cum enim generatim de paedia theologica quaedam monuiſſet, in *praecognitis*, de *ſubiecto* & *fine methodologiae ſacrae* diſſerit; tum praecepta, de mediis ſtudii theologici exhibens, primum ſecundum regulam, a B. MART. LVTHERO nobis commendatam, de *oratione, meditatione, & tentatione*, verba facit; hinc praerequiſita ſtudii theologici *philologica, philoſophica, hiſtorica*, commemorat; tandemque ad id, quod caput cauſſae eſt, accedens, de *ſtudio biblico*, porro, *exegetico, didactico, polemico*, diligenter agit, *capite vltimo*, ſeu *decimo*, oſtendens, quae ratio ſit, ſtudium theologicum per tempora rite diſtribuendi. Beati LVTHERI zelum contra ſcholaſticos, *cap. IX. p. 370.* commendat, ſimulque aliorum, de ſcholaſti-

laſticis doctoribus, iudicia refert, & CONR. HORNEIVM, ſcholaſticorum lectioni plus, quam linguae ebraeae ſtudio, tribuentem, refellit; ſcripta contra B. LVTHERI diligenter legenda, ac in ſuccum ſanguinemque conuertenda, inculcat; *p.380. ſeqq.* Immo & *appendicem* addidit, *p. 380. ſeqq.* de *beati Lutheri ſcriptis ad quaelibet ſtudiorum theologicorum genera ſpectantibus*, in qua, poſt *encomia beati Lutheri*, quaenam eius ſcripta ad theologiam *catecheticam, ſyſtematicam, exegeticam, polemicam, & practicam, ſeu moralem*, referenda ſint, indicat. Exſtant eiusdem CALOVII *iſagoges ad ſacram theologiam libri duo, de natura theologiae, & methodo ſtudii theologici, pie, dextre, ac feliciter tractandi, cum examine methodi Calixtinae*, editi Wittebergae, an. 1652 in 8. Sed in ea, qua ego vtor, editione, quae ea ipſa eſt, quae dicto an. 1652 prodiit, prior tantum exſtat liber, de *natura theologiae*. Forte itaque *paedia* iſta *theologica*, antea commemorata, alterum *iſagoges* librum conſtituere debet, quae & eodem anno, quamuis ſeorſim, lucem adſpexit. Ad *examen* vero *methodi Calixtinae* quod attinet, continetur illud in *epiſtola dedicatoria* ad FRIDERICVM METSCH; quippe in qua CALOVIVS methodum GEORG. CALIXTI, & Helmſtadienſium, qui cum eo faciebant, acriter perſtringit. Speciatim in hacce methodo deſiderat, quod lectioni & ſtudiis ſcripturarum nec primum, nec praecipuum adſignent locum; quod adminicula illa, quorum beneficio ſpiritum ſanctum audimus, & fontes ipſos ſcripturae ſacrae deguſtare poſſumus, (ebraeae linguae notitiam) vel ſemoueant, & excludant prorſus, vel minus neceſſaria iudicent; quod a ſtudio linguae ebraeae theologiae cultores auocent, *operae pretium haud eſſe*, cenſentes, *tantum temporis & laboris grammaticae & vocabulis addiſcendis* (eum) *impendere, qui rerum ſcientiam adamet*; quod, verſione Lutheri poſthabita, ſolas latinas, interque has praecipue *vulgatam*, commendent; quod ſcholaſticorum lectioni plus, quam decet, tribuant; quod a methaphyſica, neglectis ſcriptis didacticis, tum publicis, ac ſymbolicis, eccleſiarum noſtrarum, tum priuatorum doctorum, ſeu inſtitutionibus theologicis, theologiae cultores, ad cognitionem eccleſiaſticae antiquitatis, priſcorum patrum, & conciliorum, coniungendam cum lectione & ſtudio ſcripturarum, deducant; & quae alia ſunt eiusdem generis. Nec abnuo profecto, GEORG. CALIXTVM, virum cetera eruditiſſimum, dum ſuo erga patres, quos vocant, doctoresque ſcholaſticos, amori, nimium indulſit, a recto in hiſce quandoque aberraſſe tramite; ſimul tamen fatendum, non omnia, quae hinc inde, de ratione ſtudii theologici, monuit, contemnenda eſſe. Cumprimis laudandus eſt *adparatus eius theologicus*, licet ab eo ad finem non perductus; meminique, non ſemel eum commendatum a beato CASP. ZIEGLERO, iure conſulto Wittebergenſi clariſſimo, quo ego olim in iure canonico vſus ſum praeceptore. Prodiit is primum Helmſtadii, an. 1656; deinde autem a filio, FRID. VLR. CALIXTO, auctior & cum *fragmento hiſtoriae eccleſiae occidentalis*, luci publicae eſt expoſitus. Erudite ſane in eo, de vſo logices, reliquarumque diſciplinarum, in theologia, diſſerit, *p. 15. ſeqq.* Priſcos eccleſiae patres & doctores litteris ac diſciplinis inſtructos fuiſſe, earumque in theologicis agnouiſſe vſum, copioſe euincit, *p. 33. ſeqq.* Philologiae ac philoſophiae ſtudium auxillari theologiae, neutrumque adeo ſpernendum eſſe docet; *p. 45. ſeqq.* vbi &, linguae ebraeae, & graecae, notitiam, propter fontes, neceſſariam eſſe, adſerit. Quae de diuerſis mundi religionibus, ſpeciatim Mohammedanis, eorumque ſectis, *p. 59. ſeqq.* tradit, aliena quodam modo ab eius inſtituto eſſe videntur, lectu tamen digna. Prorſus contra huc faciunt, & hiſtoriae theologiae ipſius lucem haud exiguam adfundunt, quae

Digitized by Google

quae de ſtatu eccleſiae chriſtianae, deque progreſſu ſtudiorum in eccleſia, &, quinam ſingulis aetatibus praecipui fuerint doctores, adfert, *p. 91. ſeqq.* item *p. 112. ſeqq.* DAN. GE. MORHOFIVS de hocce opere ita pronuntiat: *Sed ille*(GE. CALIXTVS)*vaſtius argumentum animo complexus erat, nec tantum, de ſcriptoribus theologicis agere, in animo habuit, ſed de omni adparatu theologico in vniuerſum. Magnam certe fecimus iacturam in huius libri defectu, paucula enim tantum attigit, ſed profecto eruditiſſima, & profundam antiquitatis & hiſtoriae, tam ſacrae, quam ciuilis, cognitionem ſpirantia; polyhiſt. tom. III. lib. V. num. XIII. p. 51. & 52.* Ad reliquos vt nunc progrediar, offert ſe adhuc beati CHRIST. KORTHOLTI, theologi Kilonienſis, quem inter maxima ornamenta ſua eccleſia noſtra numerat, *prodromus ingenui theologiae cultoris academicus, ſeu tractatus, de adparatu ad ſtudium ſacro-ſanctae theologiae,* poſt auctoris obitum an. 1704 in 8. editus. Sed, cum in eo id praecipue auctor agat, vt notitiam librorum theologiae cultoribus ſubminiſtret, rectius in ſequentibus, *cap. III.* ad *§. XXII.* de eo, aliisque eiusdem generis dicemus. Nulla vero ratione hic praetermittendus eſt vir, ſuo merito venerabilis, AVGVST. HERMAN. FRANCKIVS, theologus, de vniuerſa Chriſti eccleſia praeclare meritus, cuius quippe *methodus ſtudii theologici, publicis praelectionibus in academia Halenſi iam olim tradita, nunc demum autem reuiſa & edita,* hoc ipſo, quo haec ſcribo, an. 1723 prodiit. Quidquid vtilium, ſalutariumque conſiliorum excogitari poteſt, hic ſummatim legitur; idque ſermonis genere tam efficaci propoſitum, vt lectores non poſſint non ad virtutis, veraeque ſanctitatis, ſtudium vehementer excitari. Quinque autem haec tractatio abſoluitur capitibus, quorum primum, de natura, & methodo ſtudii theologici; alterum, de eiusdem fine; de mediis, ſeu adiumentis, oratione, meditatione, tentatione, tertium; quartum, de ordine obſeruando, & quintum denique de impedimentis ſtudii theologici, agit. Subiuncta etiam eſt *methodus exercitationum biblicarum,* iam antea ſeorſim excuſa. Non minus vero huius loci ſunt, eiusdem venerandi auctoris *idea ſtudioſi theologiae,* itemque, *monita paſtoralia theologica.* Vterque libellus, lingua primum germanica ſcriptus, poſtea in latinam translatus, eodem hocce an. 1723 prodiit, & obſeruationes prorſus egregias, multumque commodi theologiae cultoribus adlaturas, continet. In praefatione, priori praemiſſa, etiam ſcripta quaedam laudantur, ad eumdem huncce finem facientia, quae adeo a nobis commemoratis addi poſſunt, vt haecce eo plenior euadat tractatio. Haec dum ſcribo, ad manus meas veniunt *inſtitutiones ſtudii theologici litterariae,* theologi itidem Halenſis longe celeberrimi IOACH. LANGII, hoc ipſo quippe an. 1723 editae. In quibus cum *ſect. I.* copioſe & luculenter de *methodo ſtudii theologici* praecipiat, haud vltimum profecto inter huius generis ſcriptores promeretur locum. Ego hoc tantum adhuc moneo, ex OTT. FRIED. SCHVTZII *commentariis, de vita Dauidis Chytraei, lib. I. §. XXXV. p. 173.* me didiciſſe, SEVERINVM LINTRVPIVM, virum doctiſſimum, in eo eſſe, vt, ad imitationem THOMAE CRENII, noſtratium, de methodo ſtudii theologici, commentationes, notis illuſtratas iunctim edat. Quod conſilium, vt ſaluberrimum, laudeque digniſſimum eſt, ita, vt feliciter, & ex voto auctoris, procedat, valde opto.

Quodſi ex illorum, qui a noſtrae eccleſiae ſacris diſſentiunt, ſcholis, nonnulli audiendi ſunt; primum quidem Romanenſes ſeſe offerunt, interque eos primo iterum loco DESIDERIVS ERASMVS Roterodamenſis. Huius enim exſtat *tomo V. operum,* iunctim editorum, *methodus, ad veram perueniendi theologiam,* monitis minime contemnendis theologum inſtruens. Ad vi-

tam

tam quidem, moresque, praecipue reſpicit, cum is demum theologi nomine illi veniat, qui animum diuitiarum contemtorem, & ab omnibus ſaeculi huius illecebris, prauisque cupiditatibus, alienum demonſtrat; nec tamen, quae ad ſtudiorum rationem, librosque legendos, ſpectant, prorſus praetermittit. Inter reliquos, qui vulgo commemorari ſolent, quorumue nonnullos lubens praetereo, eo, quod praeter librorum titulos, nihil mihi de iis innotuerit, ANTON. POSSEVINVS dignus eſt, cuius hic iniiciatur mentio, ob *bibliothecam ſelectam de ratione ſtudiorum, ad diſciplinas, & ad ſalutem omnium gentium procurandam.* Ex variis operis huius editionibus mihi ea ad manus eſt, quae Venetiis, an. 1603 in fol. prodiit. Mirum non eſt, quod, ad *ſalutem omnium gentium procurandam* hoc opus ſpectare, dicat, cum de haereticis omnibus, Iudaeis, gentilibus ceterisque, qui ab eccleſia romana diſſentiunt, conuertendis, vel, vt auctori loqui placet, *iuuandis*, copioſe admodum agat. Ceterum late ſe diffundit, non modo per omnem theologiam, ſed philoſophiam quoque, immo iurisprudentiam, & medicinam. Iudicii imbecillitatem luculenter prodit, cum *lib. VIII. cap. II. ſeqq. p. 385. ſeqq.* de atheismis Lutheri, Melanchthonis, Caluini, aliorumque, non tam diſſerit, quam nugatur. Scilicet, quia Lutherus *Eſ. IX. 6.* vocem אל non per *Deum*, ſed per *Krafft* vertit, ideo non modo Arianus, ſed omnino atheus eſt. Nonnulla ceteroquin, non ſpernenda prorſus, adfert. Speciatim lectu dignus eſt liber primus, in quo de *cultura ingeniorum* copioſe verba facit. Dum *libro II.* de ſtudio diuinae ſcripturae agit, praecipuos etiam commentatores recenſet, *p. 114. ſeqq.* Hiſtoriae theologiae ſcholaſticae inſeruiunt, quae *libro tertio* proponit, vbi THOMAE AQVINATIS *ſummam theologiae* in compendio exhibet; aliosque, qui *ſummas* ſeu *ſyſtemata theologiae ſcholaſticae* dederunt, laudat, *cap. VII. VIII. IX. p. 129. ſeqq.* itemque rationem, *ſummam theologiae* THOMAE interpretandi, monſtrat, *cap. XII. XIII. XIV. p. 135. ſeqq.* Elenchum haud exiguum ſcholaſticorum, eorum praeſertim, qui in PETRVM LOMBARDVM, ſeu magiſtrum ſententiarum, commentati ſunt, ſiſtit, *cap. XV. p. 142. ſeqq.* quemadmodum & *cap. XVI.* eiusdem *libri III. p. 149.* magno numero eos adducit, qui de *variis hominum ſtatibus* ſcripſerunt. Cum *libro XII.* de philoſophia diſſerit, ſpeciatim de Platonica & Ariſtotelica, varia monet, erroresque ARISTOTELIS, & Arabum, qui eum ſequuti ſunt, AVERRHOIS, AVICENNAE, ALGAZELIS, indicat, *cap. XXXIII, ſeqq. tom. II. p. 88. ſeqq.* Ab hiſce enim quantum orbi chriſtiano illatum damnum ſit, neminem fugit. Sed, miſſo POSSEVINO, ad PETRVM ANNATVM accedimus, cuius *methodicus ad theologiam poſitiuam adparatus* Pariſiis prodiit, an. 1700 in 4. Ex eo namque, quaenam illi, qui theologi tueri nomen cupit, ex mente Romanenſium addiſcenda ſint, intelligitur. Primum inter ea locum tenet ipſa theologia, tum poſitiua, tum ſcholaſtica, vnde & auctor de vtriusque diſcrimine, itemque natura & indole, *libro primo* praecipit. Sollemne namque romanenſibus eſt, theologiam *poſitiuam* & *ſcholaſticam* diſtinguere; etſi non ſemper inter ſe conueniant, in quo diſcrimen hoc conſiſtat. Dicemus hac de re ſuo loco ex inſtituto. De ſcriptura ſacra, eiusque interpretatione more romanenſium, *libro ſecundo* agit; & *libro tertio* de traditionibus, quas iidem ſacris litteris adiungere, ſi non praeferre, ſolent. Hinc ad patres accedit *libro quarto*, regulas, in eorum ſcriptis legendis obſeruandas, tradens, eosque enumerans, quos prae ceteris eccleſia celebrare ſoleat. His concilia ſubiungit *libro quinto*, & pontificum Romanorum decreta, *libro ſexto*; *ſeptimo* vero, atque *vltimo* haereſes in eccleſia ſubortas, ex romanenſium mente, recenſet; ſingulisque libris, excepto primo, auctorum

Digitized by Google

ctorum, qui argumentum, in iis propoſitum, fuſius proſequuti ſint, ſubnectit. Tertius, quem hic commemorandum duximus, eſt IO. MABILLONIVS, monachus Benedictinus, & ob praeclara ingenii monumenta nemini temere ignotus. Is enim, vt monachos ad litterarum ſtudia diligentius tractanda excitaret, librum edidit, de *ſtudiis monaſticis*, lingua gallicana ſcriptum, Pariſiis pariter ac Bruxellis an. 1692 impreſſum, ſed in italicam quoque, pariter ac latinam, linguam translatum. Tribus conſtat partibus, quarum prima copioſe & erudite oſtendit, monachis litterarum conuenire ſtudia; nec quidquam obſtare, quo minus illis vacent, immo ad ea tractanda obſtrictos eſſe; altera vero ea litterarum genera, in quae ſe dare debeant, perſequitur, vbi de ſcripturae ſacrae ſtudio, lectione patrum, conciliis, iure canonico & ciuili, theologia poſitiua, & ſcholaſtica, hiſtoria ſacra, & profana, ceteriſque eruditionis partibus, multa praecipit, interque ea & talia, quae nobis prodeſſe poſſunt; vltima vero, ſeu tertia parte, finem, quem monachi in litterarum ſtudiis propoſitum ſibi habere debent, exponit, veritatis cognitionem, prout haec nos ad Dei, aliorumque hominum, amorem ducit; ea quoque, quae obſtant, quo minus finem huncce omnes conſequantur, indicat, &, quo pacto illa remouenda ſint, oſtendit. Negari equidem nequit, ſuis, quae profeſſus eſt, ſacris eum inſeruire, & nonnulla tradere, quae a noſtra abhorrent diſciplina, immo & ſubinde egregie falli, vt cum SIM. EPISCOPII *inſtitutiones theologicas* non tantum monachis ſuis, ceu librum praeſtantiſſimum, commendat; ſed ea ratione de iis verba facit, vt colligere inde liceat, eum huncce librum numquam forte vidiſſe, certe illum ei plane ignotum fuiſſe, quod & PHILIPPO LIMBORCHIO obſeruatum, in *vita Sim. Epiſcopii, p. 323.* id tamen etiam certum eſt, multa lectu digna, &, quae ſcire pigebit neminem, eum adferre. Bibliothecam quoque quamdam ſelectam, ſeu indicem melioris notae auctorum, qui monachis vſui eſſe poſſint, ſubiunxit, ſed vitiis quam plurimis, ſaltem in Bruxellenſi, qua ego vtor, editione, ſcatentem. Adiecit etiam *indicem praecipuarum difficultatum, quae in lectione conciliorum, patrum, hiſtoriaeque eccleſiaſticae, occurrunt per ſingula ſaecula;* in quo ea hiſtoriae eccleſiaſticae, & theologiae patriſticae, capita, ſuper quibus maxime inter viros doctos diſceptatur, ſummatim exhibet. Verſionem latinam huius operis dedere VDALRICVS STAVDIGL, Campoduni 1702. 8. & IOSEPHVS PORTA, Venetiis 1705. 8 De verſione italica, aliiſque obſeruatu dignis, legendus CHRISTOPH. MATTHAEVS PFAFFIVS, in *introduct. ad hiſt. theolog. litterar. notis ampliſſimis illuſtrat. proleg. §. VI. p. 49.* De controuerſia, quae MABILLONIO, cum ARMANDO IO. BOVTHILLIERIO RANCEO, abbate Trappio, ſuper quaeſtione, an monachis litterarum ſtudia conueniant, interceſſit, deinceps, ad §. *V.* huius capitis, dicemus. Agmen claudat LVD. ELLIES DV PIN, vir doctiſſimus, &, ob plurima ingenii monumenta, etiam varia, quae ſubiit, fata, notiſſimus. Namque & hic, praeter alia, *methodum ſtudii theologici* reliquit, quae lingua gallicana, Pariſiis, an. 1717 ſine auctoris nomine, prodiit. Aliunde tamen ſatis conſtat, poſitumque eſt extra controuerſiam, a DVPINIO eam profectam eſſe. Deinde autem liber hicce in linguam latinam a IO. MART. CHRISTELL translatus, Auguſtae Vindelicorum, an. 1722 lucem publicam adſpexit. Inſcribitur: *Ludouici Ellies du Pin methodus ſtudii theologici recte inſtituendi, cum indice quaeſtionum praecipuarum, quae in curſu theologico examinandae atque discutiendae veniunt; adduntur praecipui auctorum libri, in quocumque argumento legendi; ex gallico in latinum ſermonem vertit M. Ioan. Martinus Chriſtell.* Praefationem erudi-

Digitized by Google

eruditam & elegantem huic verſioni praemiſit IOAN. FRICKIVS, theologus Vlmenſis, non minus de re eccleſiaſtica quam litteraria praeclare meritus, in qua de vita, ſcriptis, & fatis DVPINII differit. Et ad huncce quidem, *de methodo*, libellum quod attinet, de eo vir doctiſſimus ita pronuntiat: *Liber enimuero digniſſimus, qui plurium, ac in primis ſtudioſorum manibus teratur, eruditione refertus multifaria, & ad ſtudium antiquitatis eccleſiaſticae, tum notitiam ſcriptorum omnis generis, illuc pertinentium, ante alios prorſus egregie manuducens; nec minus cordate de fugiendis ſcholaſticae theologiae tricis, & immodica cupidine litigandi, item de diſputationibus publicis, iudicans, regulasque praeſcribens; vt & de vſu & abuſu philoſophiae in rebus ſacris; tum de ſtudio politioris litteraturae, eloquentiae, hiſtoriarum, chronologiae &c. in quantum proſunt futuro theologo, praeclare diſſerit; item, quam neceſſaria ſit philologiae, atque criticae peritia, ſacram ſcripturam tractaturo, oſtendit; cuius in fontibus lectionem ac meditationem ſedulam vt vir doctiſſimus vnice commendat, ita libros ad eius expoſitionem egregios e proteſtantium non minus grege, quam Romano-catholicorum, ſedulo commemorat &c.* Nec tamen rurſus diſſimulat idem vir clariſſimus, quae in hocce DVPINII opere vitanda ſint; inter quae praecipuum eſt, quod, dum principia theologiae, e quibus fons omnis ſcientiae hauriri debeat, exponit, more romanenſium, traditionem eccleſiae pari auctoritate cum ſcriptura vbiuis agnoſci, & principem velit obtinere locum; immo vero, nullam dari ſcripturae interpretationem legitimam, contendat, niſi hauſtam e conſenſu eccleſiae, hoc eſt, e conciliorum, patrum, atque doctorum veterum, ſcriptis, ac definitione. *Indicis quaeſtionum praecipuarum, quae in curſu theologico examinandae atque diſcutiendae veniunt*, qui *methodo* huic additus conſpicitur, auctorem non DVPINIVM, ſed CAR. WITASSIVM eſſe, CHRISTOPH. MATTHAEVS PFAFFIVS docet, *in introd. ad hiſtor. theolog. litterar. prolegom. §. VI. p. 50.*

Ad reformatae tandem eccleſiae doctores vt accedamus, cum primis ſeſe nobis offert ANDR. GERHARDVS, a patria HYPERIVS dictus, Hyperis quippe, Flandriae oppido, an. 1511 natus. Huius namque *libros quatuor de theologo, ſeu de ratione ſtudii theologici*, Baſileae an. 1572 editos ſubinde etiam noſtrates & merito quidem commendare ſolent. Diuerſi ab iis ſunt, *methodi theologiae, ſiue praecipuorum chriſtianae religionis locorum communium libri tres*, Baſileae, an. 1568 in 8 editi. In hiſce enim non tam de ratione ſtudii theologici agit, quam potius ſummam quamdam locorum communium, ſiue doctrinae chriſtianae, exhibet, quam *methodi* nomine inſignire illi placuit. Hinc in *praefatione* ſcribit: *Principio igitur multi ſancti patres, multis ab hinc ſaeculis, methodum theologiae, ſeu locos communes doctrinae chriſtianae, ad publicam eccleſiae vtilitatem colligere ſunt conati.* Diuerſi etiam ſunt *de formandis concionibus ſacris libri duo*, quos itidem cum aliis quibusdam, eodem fere collineantibus, paſſim laudari videas. Ad *libros* autem *quatuor, de theologo, ſeu de ratione ſtudii theologici*, quod attinet, ſunt, qui obſeruant, LAVRENTIVM VILLAVICENTIVM, Hiſpanum, monachum Auguſtinianum, qui in Louanienſi academia docebat, in eiusdem argumenti, quem ediderat, librum, pleraque ex hocce HYPERII opere transtuliſſe, mutatis tantum, aut omiſſis, quae romanenſibus diſplicere poterant. Ita poſt ANDR. RIVETVM, *tom. II. oper. p. 1095.* ABR. CALOVIVM, *paed. theol.* & quidem, in *ingreſſu, p. 12.* aliosque THOMAS CRENIVS, *animaduers. philolog. & hiſtoricar. part. I. p. 4.* Suffragatur & GISBERTVS VOETIVS, *diſputat. ſelect. vol. III. p. 687.* ſed ita, vt *de libris tribus methodi theo-*

di theologiae hoc intelligat, quod reliqui *de libris quatuor, de ratione ſtudii theologici*, adiiminuntur. Qua in re haud dubie fallitur, & hoſce libros inter ſe confundit. VALERIVS autem ANDREAE, a patria DESSELIVS dictus, *libris quatuor, de ratione ſtudii theologici*, adiungit etiam *libros duos, de formandis ſacris concionibus. Quidquid*, inquit, *boni habent eiusdem* (Hyperii) *de formandis ſacris concionibus libri duo, deque recte formando ſtudio theologico libri quatuor, id in ſuos ſimilis argumenti libros tranſtulit Laurentius a Villavicentio, ex ordine Auguſtiniano doctor theologiae Louanienſis; biblioth. belgic. p. 49.* Repetit haec NICOLAVS ANTONIVS, *biblioth. ſcriptor. Hiſpaniae, tom. II. p. 9.* ſed vt per errorem pro *Hyperio* dicat *Hiſperium*, & cum VALERIO ANDREAE contendat, eum, priusquam ad proteſtantes accederet, Dominicanorum ordini fuiſſe adſcriptum; qua in re vtrumque falli, obſeruat PETRVS BAELIVS, qui & alia, huc ſpectantia congeſſit, *diction. hiſt. crit. voc. Hyperius, p. 562.* Dubitari etiam poſſet, vt hoc ὡς ἐν παρόδῳ moneam, quo iure HYPERIVS reformatae eccleſiae doctoribus adnumeretur, cum, academiam Marpurgenſem, in qua docuit, eo tempore noſtrae eccleſiae ſacra ſequutam, conſtet. Sed monent alii, Marpurgenſes, iam ea aetate, etſi noſtrae eccleſiae ſe addictos videri voluerint, Caluini tamen adprobaſſe placita, adeoque crypto-Caluinianismi fuiſſe ſuſpectos. Ceterum, cum *libri* iſti *quatuor de theologo*, ſeu de *ratione ſtudii theologici*, non in omnium ſint manibus; non abs re fuerit, eorum ſummam paucis indicare. In *primo* itaque, quae ad theologiae ſtudium acceſſuris cum primis conſideranda, atque ex aliis diſciplinis cognitu ſint neceſſaria, exponit. *Neque enim*, inquit, *quemuis ſublimibus hiſce ſtudiis cenſemus idoneum; neque fas eſſe, ducimus, profanos homines illotis, quod aiunt, manibus pedibusque ad ea accedere; praefat. p. 20.* Recte monet, futurum theologum diuinitus ad caeleſtis doctrinae ſtudium vocari; ſimulque, qua ratione quis, ſe vocatum, deprehendere queat, ediſſerit. Tum porro, quantopere noſtra interſit, animum ad ſacras litteras diſcendas diligenter praeparari, oſtendit; itemque, quo pacto quis confirmari poſſit, vt hoc ſtudiorum genus feliciter ingrediatur, & conſtanter in eodem pergat. Enarraturus hinc artes, quarum ſcientia theologo ſit neceſſaria, de logica, phyſica, matheſi, metaphyſica, aliisque humanae eruditionis partibus, verba facit, multaque, pro iſtius, quo vixit, temporis conditione, recte monet; cum primis autem ebraicae, graecaeque linguae cognitionem, fuſe ac operoſe, nec ſine ratione, commendat, *c. IX. p. 65. ſeqq.* Secundi libri ſummam ipſemet ita indicat: *itaque ſecundo libro conſilium do futuro theologo, vt auſpicetur theologiae ſtudium a ſacrorum librorum quos canonicos adpellant, aſſidua & pertinaci lectione; ad quorum intelligentiam accommodas notationes, ſiue obſeruationes, (niſi quis vocare malit regulas) non paucas congeram. Nonnihil adiiciam, de audiendis ſacrarum litterarum publicis interpretibus, ac rerum maxime memorabilium familiari interpretatione.* Et ſane multa egregie & adcurate de ſcripturae ſacrae lectione ac interpretatione auctor in hocce libro praecipit; qui velut compendium aliquod elegantiſſimum theologiae exegeticae exhibet. Quid in tertio libro contineatur, iterum auctor ipſemet hunc in modum explicat: *Tertius liber deducet ad illa doctiſſimorum quorumque hominum ſolerter excutienda volumina, in quibus dogmata, & doctrinae chriſtianae praecipui loci communes pertractantur. Tum admonebit, quo pacto vnus quisque ſibi priuatim & locos communes, & illuſtrium virorum de ambiguis atque obſcuris quaeſtionibus reſponſa deſcribere debeat. Poſt haec etiam de praeexercitamentis, primum quidem publicis, quae praecipue in diſputa-*

tionibus ac declamationibus conſiſtunt; dehinc vero priuatis, quae ſtilo ex domeſtica ſcriptione contenta ſunt, ſententiam atque ſalubres commonefactiones ſine diſſimulatione proferam, l. c. p. 21. Ad theologiam itaque dogmaticam ſpectant, quae hic praecipit, cuius etiam quamdam hiſtoriam *c. I. p. 428. ſeqq.* ſiſtit, dum patrum praecipua, quae huc comparata eſſe putat, ſcripta recenſet. Quadruplicem etiam formulam ac diſpoſitionem locorum communium, primam ex AVGVSTINO, alteram ex IOANNE DAMASCENO, tertiam ex PETRO LOMBARDO, quartam denique a ſemet ipſo concinnatam exhibet *c. III. p. 447. ſeqq.* De quarto denique, ſeu vltimo libro ipſemet iterum ita verba facit: *Quarto libro eos, qui iam aliquod iudicium de doctrina religionis ſunt adepti, exhortabor, vt lucubrationes illas ſumant in manus, quae complectuntur eccleſiarum inſtitutionem, ſiue πράξεις, atque ad gubernationem eccleſiaſticam animos informant. Quo in numero ſunt hiſtoriae eccleſiaſticae, concilia, ſiue ſynodi, decretum Gratiani, item varia opuſcula de officiis miniſtrorum eccleſiae, de ritibus & caerimoniis, deque ſimilibus. Poſtremo quae opinemur generatim obſeruanda in ſanctorum patrum commentariis, ſiue in iis explanentur libri ſcripturae ſacrae, ſiue dogmata & loci communes, ſiue eccleſiarum inſtitutio ordinatioque enarrentur, ſuccincte indicabimus.* Vnde patet, de inſtructione paſtorali hic auctorem ſollicitum eſſe; vt tamen ſimul de hiſtoria eccleſiaſtica, ritibus ac caerimoniis, iure canonico, lectione patrum, multa prorſus egregie moneat. Iam ad reliquos quod attinet, qui ex reformatae eccleſiae doctoribus in hocce argumento verſati ſunt, HENR. BVLLINGERI, IO. HENR. ALSTEDII, AMANDI POLANI A POLANSDORFF, FRANCISCI IVNII, LVCAE TRELCATII, HENR. A DIEST, ANDR. PERIZONII, aliorumque huc ſpectantia ſcripta paſſim commendari, videas. LVDOV. CROCII *inſtructio de ratione ſtudii theologici*, cum GERH. IOAN. VOSSII, aliorumque de *ſtudiorum ratione*, opuſculis, edita eſt an. 1651. GISBERTI VOETII *exercitia & bibliotheca ſtudioſi theologiae* olim quidem celebrabantur; ſed, poſtquam hinc inde viri docti oſtenderunt, quid in illis deſiderandum ſit, pretium ſuum amiſerunt. Legenda prae reliquis, quae IO. ANDREAS BOSIVS noſter de hocce libello cenſet, *introduct. in notit. ſcriptor. eccleſiaſt. c. II. §. XIV. p. 42. ſeqq.* &, quae in editione Walchiana ad *huncce* BOSI *locum* copioſe adducuntur. Inter melioris commatis libros haud immerito referuntur IO. HENR. HEIDEGGERI, de *ratione ſtudii theologici*, & STEPH. GAVSSENII, Salmurienſis theologi, *de natura theologiae, de ratione ſtudii theologici, & concionandi arte.* De reliquis, quorum iniicere mentionem non placuit, conferre licebit CHRISTOPH. MATTHAEI PFAFFII *introduct. ad hiſtor. theolog. litterar. notis ampliſſimis illuſtratam, prolegom. §. VI. p. 44. ſeqq.* IOAN. CHRISTOPH DORNII *bibliothecam theologico-criticam, l. II. c. III. p. 215. ſeqq.*

Tantus ergo cum ſit illorum numerus, qui de methodo ſtudii theologici commentati ſunt, Iliada poſt Homerum ſcribere, aut rem plane ſuperuacaneam ſuſcipere, videri poterat, qui ſimilem hodie ſuſcipere laborem vellet. Sed, vti non vna eſt ſemper eccleſiae facies, ita non vna ſemper obtinet theologiam tractandi ratio. Noua indies ſtudii theologici a viris doctis ſuppeditantur adiumenta, ſed noua quoque indies oriuntur impedimenta. Et quanta, quaeſo, indies nouorum librorum prodit copia, malorum, bonorumque? Quinam itaque legendi, quinam fugiendi, non ſane ex libello methodico, qui ante triginta, aut viginti, immo nec ante decem annos prodiit, condiſcere licet. Res litteraria in hacce inſtitutione magnam ſibi vindicat partem. Huius vero longe aliam hodie eſſe conditionem,

tionem, quam ante decem, aut omnino viginti annos fuit, ecquis neſcit? Multa ſane, qui ante nos hancce viam ingreſſi ſunt, praeclare & egregie monuerunt, quae cum & nobis vſui eſſe queant, grato agnoſcimus animo. Vt autem, quis eccleſiae, quis rei litterariae, quis hiſtoriae, hinc & ipſius theologiae, qua modum, methodumque tractandi, noſtra aetate ſtatus futurus eſſet, proſpicere animo non potuerunt; ita nobis id quoque agendum eſſe, quod illi ſuo tempore egerunt, nemo non intelligit.

** Ad tria haecce capita cuncta in omni methodo, immo in omni negotio, quod prudenter ſuſcipere volumus, redire, ratio omnes quam luculentiſſime docet; conf. quae dixi *inſtitut. theol. moral. part. III. c. I.* §. *I. ſeqq.* Addere nonnulli ſolent quartam partem, impedimentorum remotionem; quam nos ſub mediorum vſu comprehendimus. Nec tamen quidquam obſtat, quo minus ſeorſim de ea agatur, quod & quidam fecerunt. Nonnulla huc ſpectantia attingit IO. GE. DORSCHAEVS, in *oratione, ſeu diſſertatione, de recta ſtudii theologici conformatione, quoad* σωματοποίησιν & μεθοδείαν, ipſius *ſynopſi theologiae Zacharianae,* & quidem *parti primae*, praemiſſa. Plenius vero, copioſiusque, immo ex inſtituto, hoc argumentum tractauit beatus PHILIP. IAC. SPENERVS, in *praefatione tabular. hodoſophicar. Danhaueri;* qui & in *conſiliis*, ſiue *reſponſis* ſuis *theologicis*, ſubinde quaedam egregie, quae huc ſpectant, monet. Iungendus his AVG. HERM. FRANCKIVS, qui *in methodo ſtudii theologici cap. V.* de impedimentis, tum internis, tum externis, diſtincte differit.

§. III. Finis, & quidem proximus, ſtudii theologici eſt, vt quis ad ea, quae requiruntur, vt doctoris munere in eccleſia fungi queat, aptus reddatur; vel, vt Paulus apoſtolus hoc exprimit, vt ἄνθρωπος θεοῦ, ſeu, qui ſtudio theologico ſe conſecrauit, ἄρτιος ſit, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος, 2 Tim. III, 17. *

* Loquimur de *fine ſtudii theologici*, & quidem proximo, qui cum fine, quem vocant, *interno* theologiae conuenit. Remotior enim eſt fidei productio, ſalusque aeterna, tum intuitu eius, qui theologiae operam nauat, tum intuitu aliorum hominum; 1 Tim. IV, 16. Et hicce cum fine externo ipſius theologiae conſpirat. Quo pacto recte etiam dicitur, theologiae, & ſtudii theologici, vnum eundemque finem eſſe. Proximum itaque ſtudii theologici finem Paulus eo, quo indicauimus, modo eleganter exprimit. Per ἄνθρωπον enim θεοῦ, hominem, Deo deditum, ſeu, qui ſpecialiori quadam ratione Deo ſe conſecrauit, & addixit, intelligit, quales theologiae cultores eſſe oportet; conf. *2 Petr. I, 21.* Eiusmodi itaque *Dei hominem* vult eſſe ἄρτιον, *aptum, adaptatum, idoneum*, hoc eſt, non quibuslibet, ſed iis ſpeciatim donis inſtructum, quae neceſſaria ſunt, vt finem, ſibi conſtitutum, conſequi queat. Immo ἐξηρτισμένον, qui aptior indies reddatur, ita, vt, quae adhuc deſunt, addantur, & defectus ſuppleantur, ex ſignificatione verbi καταρτίζειν, *Matth. IV, 21.* Dum enim theologiae cultores in rerum diuinarum cognitione pariter, ac ſanctitatis ſtudio, quotidie proficiunt, &, quae ſibi adhaerent, vitia emendant, ſimul aptiores fiunt πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν, *ad omne opus bonum*, ſeu ad omnia ea, quae ad aedificationem faciunt, & eccleſiae proſunt, adminiſtranda; vt adeo tum ea, quae omnium chriſtianorum, tum vel maxime, quae miniſtrorum eccleſiae propria ſunt, officia, hacce voce indicentur.

§. IV. Docendis autem munere in eccleſia is demum recte fungetur, qui & ſufficienti veritatis cognitione, ſeu eruditione ſolida, inſtructus, & ſapientia, prudentiaque diuina, praeditus eſt, vt alios erudire ad ſalutem queat, & ea denique vitae integritate eminet, vt, quae alios docet, ſuomet ipſe exemplo comprobet. Quare paullo diſtinctius dici poteſt, finem proximum ſtudii theologici eſſe *cognitionem*, ſeu *eruditionem ſolidam*, *ſapientiam*, *prudentiamque diuinam*, & eam *vitae integritatem*, qua eccleſiae doctorem ornatum eſſe decet. *

* Non repugnant nobis, qui, vnico verbo cuncta complectentes, dicunt, finem ſtudii theologici eſſe *Chriſtum.* Ita enim hoc intelligunt, quod vera fide Chriſtum adprehendere, & cum eo indies arctius vniri debeamus. Fides autem cum ſine ſufficiente veritatis cognitione eſſe nequeat, hanc ſimul includunt; quemadmodum & incrementum cognitionis ad fidei incrementum aliquid confert. Porro, vbi quis Chriſtum vera adprehendit fide, ibi etiam vera eſt *ſapientia*; ſiquidem *Chriſtus nobis a Deo factus eſt ſapientia*; *1. Cor. I, 30.* Fides denique vera per *charitatem* eſt *efficax*; *Gal. V, 6.* variisque fructibus ſe demonſtrat; *ib. v. 22.* Vnde, qui vera fide gaudet, non poteſt non in ſtudio ſanctitatis proficere, vitaeque conſectari integritatem. Legenda, quae ἐμφατικῶς hac de re diſſerit AVG. HERM. FRANCKIVS, in *methodo ſtudii theologici*, *c. I. §. 3.* vbi ex inſtituto demonſtrat, Chriſtum recte ſtudii theologici finem dici, quod & §. *IV.* exemplo Pauli apoſtoli declarat. Ceterum, dum hic de cognitione, ſapientia, & vitae ſanctitate loquimur, adeoque & de fide, quacum haec coniuncta ſunt, aut ex ea fluunt; de incremento potius, quam primo initio, hoc intelligimus; ſiquidem, illos demum ad ſtudium theologicum accedere debere, exiſtimamus, qui iam regeniti, ſeu vera fide praediti ſunt. Qua de re plura ad *c. II. §. XVI.* dicemus.

§. V. De cognitione, ſeu eruditione, res manifeſta eſt, cum doctoris munere nemo fungi queat, niſi ipſe, quae alios docere debet, didicerit; & eccleſiaſtici doctoris, ſeu epiſcopi, ſit *paſcere gregem*: 1 Pet. V, 2. quod aliter fieri nequit, quam, vt rerum omnium, ad ſalutem conſequendam neceſſariarum, cognitione auditores ſuos imbuat; qua adeo, eminentiori quodam modo, ipſum inſtructum eſſe, oportet; idque eſt, quod nos *eruditionem* vocamus. *

* Si quis exiſtimauerit, erudire aliquem alios, ac doctoris munere fungi poſſe, qui ipſemet ſufficienti veritatis cognitione imbutus non eſt; is neſcire ipſemet videtur, quid adſerat, quidue ſtatuat. Non vna tamen eademque cognitionis iſtius eſt ratio; quod haud perſunctorie eſt obſeruandum, vt nebulas, quas nonnulli hic obiiciunt, diſpellere queamus. Alia enim cognitio eſt *naturalis*, quae viribus naturalibus, labore, & diligentia, adquiritur; alia *ſupernaturalis*, quae ex diuini ſpiritus illuminatione originem ducit. Atque haec quidem hic praecipue in cenſum venit, vt tamen nec illa excludatur. Vtraque cum iterum diuerſos habeat gradus; res ipſa euincit, non quamlibet, ſed talem cognitionem hic intelligi, per quam aliquis aptus fiat, vt alios iterum docere & erudire queat. Naturalis cognitionis excellentior gradus *eruditio* vocatur,

quam

Digitized by Google

quam alias ita deſcripſi, quod ſit vera ſolidaque rerum humanarum, diuinarumque, ad hominum felicitatem promouendam ſcitu neceſſariarum, ac vtilium cognitio. Veritatis enim cum primis nos habere decet rationem, cum errorum, figmentorum, mendaciorum cognitionem nemo eruditionis nomine dignam iudicauerit. Solidam quoque eam cognitionem eſſe oportet, hoc eſt, quae ex veris & genuinis principijs cuncta rite deriuet, & in intimos rerum receſſus penetret. Qualiſcumque enim, & ſuperficiaria, cognitio itidem perperam hocce nomen ſibi vindicat. Nec denique quarumcumque rerum, ſed diuinarum, & humanarum, earumque ſcitu ad ſalutem neceſſariarum, vtiliumque, cognitio hic in cenſum venit; proculque adeo omnem rerum inutilium, vanarumque, cognitionem, quantumuis ſub *curioſitatis* nomine nobis adblandiatur, hic remotam cupimus. Et talis quidem cum veri theologi ſit cognitio; nemo, puto, dubitat, quod & eruditus ſit, & eſſe debeat. Poteſt tamen, cum de eruditione theologica ſermo eſt, vox *eruditionis* dupliciter accipi, vel vt tantum eam cognitionem rerum diuinarum, quae ex ſcriptura ſacra hauritur, in excellentiori gradu ſpectatam, vel vt ſimul artes & ſcientias, quae viam ad hanc cognitionem faciliorem reddunt, & propaedeumatum nomine veniunt, denotet. Vtraque tamen merito coniungitur ſignificatio; cum ſine propaedeumatum iſtorum ſubſidio vix aliquis ad adcuratiorem ſolidioremque rerum diuinarum cognitionem, ſeu eruditionem theologicam, peruenerit.

Atque haec quamuis poſita ſint in aprico, inueniuntur tamen, qui de eruditione theologica paullo aliter ſentiunt. Qui enim ab interno quodam lumine, ſeu reuelatione diuina, omnia exſpectant, eam eruditionem, quae ſtudio, & labore, diligentique ſcripturarum perſcrutatione, adquiritur, non tantum ſuperfluam, aut minus neceſſariam, ſed noxiam omnino iudicant. Hinc fanaticorum, quos vocant, hominum turba eruditionem omnem, litterarumque ſtudia magno ſupercilio reiicit atque contemnit. Exemplum his praeiuit ANDR. CAROLOSTADIVS, cuius intempeſtiuum aduerſus litterarum ſtudia zelum paſſim notant noſtrates. Quod vero romanenſes quidam, interque eos LVDOV. MAIMBVRGIVS & de PHIL. MELANCHTHONE ſimile quid referunt, mera eſt calumnia, inde orta, quod alius quidam PHILIPPVS, rhetoricam Wittebergae docens, eo veſaniae venerit. Quae, & alia huc ſpectantia, dum VITVS LVDOV. SECKENDORFIVS commemorat, ſapienter tandem addit: *Sed neſcio, an de progreſſu litteraturae gratulari magis chriſtiano orbi, an de nimio eius amore & abuſu, verae, & ſimplici pietati chriſtianae noxio, conqueri debeamus. Adeo difficile eſt, auream mediocritatem tueri, & vitare extrema*; in *hiſtoria Lutheraniſmi, lib. I. §. CXXI. addit. II. p. 198.* Sequuti deinceps CAROLOSTADIVM & alii ſunt, qui iniquum ſubinde erga litterarum ſtudia prodiderunt animum, eruditionemque in theologis damnarunt. Nihil nunc de anabaptiſtis dicam, cum neminem, quae olim hac de re eorum fuerint placita, fugiat. Inter reliquos eiuſdem generis homines VALENT. WEIGELIVS cum primis male hoc nomine audit. Et exſtant ſane duriora quaedam eius, minimeque probanda, in rem litterariam & ſcholaſticam effata, quorum nonnulla exhibet FRIDER. BOLTZIVS, in *exercitat. academica, de cauſſis iacturae rei litterariae*, ſub praeſidio viri clariſſimi IO. GVIL. BERGERI in academia Wittebergenſi habita, *ſect. II. §. VIII. p. 51. ſeqq.* Quakerorum quae de litterarum ſtudiis, intuitu theologiae, ſit ſententia, hunc in modum exponit GERARD. CROESIVS: *Agnoſcunt, notitiam linguarum, cum primis ebraeae, graecae, ac latinae, olim perutilem fuiſſe, & etiam*

etiam nunc eſſe, ad intelligendam & interpretandam ſacram ſcripturam, ſed non ideo ſcientias iſtas putant neceſſarias ad opus miniſterii, vt quod vnice peragi volunt ſpiritu, neque adeo proficuas, vt, ſi quis eas linguas non calleat, idcirco merito clueat idiota & illitteratus, & minus auctoritate valeat. Philoſophiam autem vt doceretur in ſcholis, &, quae hinc exorta, theologiam ſcholaſticam, non modo vt inutilem habent, at vt pernicioſam, & contra ſanam doctrinam plagam exiſtimant, introductam a ſatana, vt pſeudothyrum mendaciorum, ac repagulum genuinae Dei diuinarumque rerum cognitionis, & vitae probitatis; hiſt. Quack. lib. II. p. 307. 308. Ipſemet autem ROBERT. BARCLAIVS ſuam ita hac de re explicauit ſententiam: *Licet igitur humanam litteraturam neceſſariam non iudicemus, non tamen veram eruditionem excludimus, illam ſcilicet eruditionem, quae ab internis ſpiritus inſtructionibus & operationibus prouenit, quibus diſcit anima ſecretas vias domini, & internos animi labores, & exercitationes nouit, & viuaci experientia diſcit, quomodo peccatum & tentationes mali ſuperet, etiam dominum diſcit ſequi, & in lumine eius ambulare, ibique ſapientiam & ſcientiam, ab illo immediate per reuelationem eius exſpectare, & tunc caeleſtem hanc ſcientiam, & bonam eruditionem bono animi theſauro abscondere, ſicut beata Maria repoſuit dicta, quae audiebat, & facta, quae obſeruabat &c. theolog. vere chriſtian. apologia, theſi X. §. XVIII. p. 196.* Nimirum eam demum cognitionem, quae ab illuminatione, immediate a Deo profecta, originem trahit, eruditionis nomine dignam cenſet; minime autem eam, quae induſtria & exercitatione, adhibitis adminiculis, ad hoc neceſſariis, adquiritur. Non procul, niſi me omnia fallunt, hinc diſcedit PETR. POIRETVS. Veram namque *eruditionis* notionem a vocis etymologia repetendam, cenſet. *Scilicet,* inquit, *omnia ea, quae operibus nonnullis conſtruendis deſtinata ſunt, puta, lapis ad aedificium, vel marmor ad ſtatuam effigiandam, cum ob inaequalitates, ruditatem, ſcabriciem, inconcinnam figuram, ad ſcopum ſuum adhuc inepta ſunt, adeo vt bene cohaerere, ſuisque adaptari finibus recuſent, dicenda forent proprie erudiri, quando ſuperfluis ramentis ſuis, atque inaequalibus prominentiis, per malleum, aliaque inſtrumenta, liberantur, ſicque complanantur & laeuigantur, vt ſine ruditate poſſint poſtea ſuis polite & congrue deſtinatis adaptari locis. At iſthaec, quae in ſenſu hocce proprio non ſolet vſurpari, nomenclatura, eadem metaphorica ſignificatione ad mentes translata eſt, quae erudiri dicuntur, quando ea deponunt, quae ſcopo, ad quem conditae ſunt, & exſiſtunt, easdem faciebant ineptas; & cum quaſi poliuntur, ſiue formas aut habitus adquirunt faciles, quibus ad finem ſuum prompte & decenter adcommodentur.* Hoc pacto omnium optime eruditionem *ſolidam a ſuperficiaria* & *falſa* diſcerni poſſe, exiſtimat. Solidae vero eruditionis *eſſentiam* deinceps fundari adſerit, in *relatione ad Deum, vt mens ei euadat ſimilis, tum depoſitione contrariorum, tum adiuuantium adquiſitione; erudit. ſolida, ſuperficiaria, & falſa, lib. I. part. I. §. I. II. p. 4. 5.* Ad ſuperficiariam porro ea omnia refert, quae rationis vſu & exercitatione adquiruntur; *lib. II. p. 109. ſeqq.* Verum ſunt haec, quae iſti hunc in modum de eruditione, ſimulque litterarum ſtudiis, diſſerunt, ita comparata, vt non prorſus admitti queant. Non id iam memorabimus, quod genuina *eruditionis* notio rectius ex vſu vocis, quam eius origine, petatur, cum non magni id ſit momenti. Vſum ſi ſpectes, *eruditus* vocabitur, qui artem quamcumque edoctus, & in ea rite inſtitutus eſt. Conferenda, quae de hacce voce collegit THOM. CRENIVS, *animaduerſion. philologicar. & hiſtoric. part. XIII. p. 209.* Ad rem ipſam quod attinet, non equidem nego, ſi de eruditione theologica

fermo

ſermo ſit, eam cognitionem, quae ex illuminatione diuina oritur, praecipue hoc nomine dignam eſſe. At non alia illuminatio admittenda, quam quae ex ſcriptura ſacra originem ducit; quemadmodum rurſus artes illae ac ſcientiae, quae ad ſcripturam ſacram recte intelligendam nobis viam muniunt, hic non ſunt remouendae. Deinde nullam rationem video, cur non & generatim quaelibet vera ſolidaque rerum diuinarum & humanarum, ad ſalutem hominum neceſſariarum aut vtilium, cognitio, eruditionis nomine venire queat. Certe vſus vocis, apud melioris notae ſcriptores Latinos, ſuffragatur. Magnus, fateor, eruditionis litterarumque omnium, apud homines, pietate omni deſtitutos, eſt abuſus; eoque ſubinde res deuenit, vt quo quis doctior, eo deterior, & ab omni virtute remotior, cenſeatur. Eamque inter alias cauſam eſſe, arbitror, cur nonnulli ipſas litteras ſpernant, & tam iniquo in eas ſint animo, immo ſibi perſuadeant, eruditionem cum vera illuminatione & pietate conſiſtere non poſſe. Sed hominum vitia non erant ipſis litteris, aut eruditioni, imputanda; cumque de eius neceſſitate pariter, ac vtilitate, in ſtudio theologico, dubitari nequeat; abuſui aliter occurri poterat. Nimirum, cum eruditio, in ſe ſpectata, & bona & mala fieri queat; diligenter inculcandum, eam homini non prodeſſe, ſed nocere potius, niſi ſapientia directrix acceſſerit; quae rurſus ſine vera ac diuina illuminatione non eſt, vt in ſequentibus oſtendemus.

Interim abuſus eruditionis, variaque, quae inde quotidie in miſeros mortales redundant, incommoda, alios quoque in eam induxerunt ſententiam, eruditioni cum pietate, eiusque exercitiis, non bene conuenire. Certe haec etiam cauſſa fuiſſe videtur, cur ARMAND. IOAN. BOVTHILLIERIVS RANGEVS, abbas Trappius, ſiue Trappenſis (de la Trappe) edito an. 1683 libro, de *ſanctitate & officiis vitae monaſticae, (de la ſainteté & des devoirs de la vie monaſtique)* a fratribus ſuis exegerit, vt non tam litteris, quam vitae ſanctitati, ſtuderent. Cumque IOAN. MABILLONIVS aliam animo foueret ſententiam, libroque de *ſtudiis monaſticis* an. 1691 luci publicae expoſito, nobisque ſupra iam laudato, contenderet, litterarum ſtudia, vtpote vitae ſanctitati neutiquam repugnantia, monachis omnino conuenire, immo, hos ad illa tractanda obſtrictos eſſe; abbas ille Trappenſis iterum cauſſam ſuam egit, in *reſponſione ad tractatum de ſtudiis monaſticis (reponſe au traité d' etudes monaſtiques)* an. 1692 edito; MABILLONIO eodem anno denuo & ſuam ſententiam propugnante, in *conſiderationibus ſuper reſponſione abbatis Trappenſis (reflexions ſur la reponſe de Ms. l' abbé de la Trappe.)* Acceſſerunt huic certamini & alii, in quo variis ſcriptis acriter hac de re pugnatum fuit; de quibus conferre iuuabit *compendium vitae Mabillonii (abregé de la vie de Mabillon) p. 149. ſeqq.* Commemorandi vero & illi hic eſſent, qui de vanitate artium & ſcientiarum commentati ſunt; non alia ad hoc inducti cauſſa, quam, quod abuſum eruditionis, ab eius vſu, non diſtinguerent, & eruditorum vitia ab ipſa eruditione deriuarent. Cuius generis HENR. CORN. AGRIPPAE liber eſt de *incertitudine & vanitate omnium ſcientiarum ac artium;* in quo multa quidem occurrunt, quae profanam & impuram viri mentem produnt, nonnulla tamen etiam rectiſſime veriſſimeque dicta. Documento eſſe poſſunt, quae *c. XCVII. ſeqq.* de *theologia ſcholaſtica, interpretatiua, prophetica,* deque *verbo Dei* diſſerit. Nec procul hinc abit HIERON. HIRNHAIM, romanae eccleſiae ſacris addictus, in *tractatu,* quem vocat, *breui de typho generis humani, ſiue ſcientiarum humanarum inani ac ventoſo tumore, difficultate, labilitate, falſitate,*

iactantia, praeſumtione, incommodis, & periculis; Pragae, an. 1676 edito. Multa in eo contra ſcientiam, humanam ſcilicet, ſeu philoſophicam, diſputat, vt fere in ſcepticorum transire caſtra videatur, dum *c. III. non dari ſcientiam,* probare ſatagit, & *c. IV.* de *ſcientiarum & difficultate & falſitate,*rurſus *c. V.* de *earundem incertitudine,* verba facit. Non tamen omnem prorſus ſcientiam reiicit, ſed quamdam, theologicam praecipue, admittit, vt ex *c. XXX. p. 315. ſeqq.* liquet. *Multa,* inquit, *huc vsque contra ſcientiae ſtudium attulimus; ne porro quis arbitretur, me omnem ſcientiam velle perſequi, & contra rudem & ſtupidam ſimplicitatem indifferenter commendare; adferam hoc capite nonnulla in laudem ſcientiae, ex quibus conſtare poterit, quam non vtilis tantum ſit homini, totique chriſtianae rei publicae, ſcientia, verum etiam neceſſaria.* Idque ita efficit, vt ſuo more multa ex ſcriptura ſacra, & patribus, congerat; ſpeciatim vero, quam neceſſaria doctoribus eccleſiae ſcientia ſit, hac ratione demonſtrat. Hoc tamen ita intelligit, vt eam, quae ex gentilium ſcriptorum lectione hauritur, eruditionem procul hinc remotam cupiat. Hinc *c. XXXI. p. 327.* gentilium ſcriptorum lectionem, ſeu, vt ipſe loquitur, *ſaecularis ſcientiae ſtudium,* multis patrum teſtimoniis profligare adnititur. Quantumuis autem auctor in hiſce modum quandoque excedat, & vltra limites prouehatur; multa nihilominus recte quoque de eruditionis abuſu, doctorumque hominum hinc fluentibus vitiis & miſeria, monet; *c. XX. XXI. ſeqq. p. 209. ſeqq.* Recte etiam idem IO. BAPTISTAM HELMONTIVM, ac THEOPHRASTVM PARACELSVM, notat, quod, faſtu quodam intolerabili abrepti, omnem eruditionem academicam reiecerint, ſeque ſolos, & ſupra omnes, ſapere, ſibi perſuaſerint *c. XV. p. 165. ſeqq.* Variae nimirum, cauſſae ſunt, quibus adducti homines litterarum ſtudia reiiciunt, ſpeciatim & in theologis ferre nequeunt; faſtum tamen, & inanem, de ſapientia quadam ſibi ſolis conceſſa, perſuaſionem, haud vltimum inter eas tenere locum, ipſa nos condocet experientia. Sed, ſi iis, quos antea conſtituimus, circumſcribantur limitibus; vanos eſſe iſtorum hominum conatus, eruditionemque, ſed veram, & ſolidam, theologo & vtilem, & neceſſariam eſſe, quilibet facile mecum fatebitur.

§. VI. Ab eruditione differt *ſapientia,* quippe quae eam animi diſpoſitionem denotat, qua quis bona a malis ita diſcernere poteſt, vt illa conſectetur, haec fugiat, atque euitet. Spiritualem autem, ſeu diuinam, hic intelligimus ſapientiam, quae circa res, ad ſalutem aeternam ſpectantes, verſatur. Qua quidem, vt omnia litterarum ſtudia, ſi eorum recte ſibi conſtare debet ratio, ita vel maxime cognitio, ſeu eruditio theologica, dirigi debet, niſi pro Iunone nubem, vmbram pro corpore, amplecti velimus. *

* Vt ſapientiam rite aeſtimare diſcamus, & ad eam amplectendam excitemur, neceſſe eſt, vt veram eius & genuinam adcurate ediſſeramus notionem. Atque graecos quidem ſi conſulamus auctores, generatim homines, arte quadam aut ſcientia inſtructos, σοφὸς dictos, deprehendimus. Huc illud HESYCHII ſpectat; σοφία πᾶσα τέχνη καὶ ἐπιστήμη. Ita ſaepe hac voce vtuntur HOMERVS, HESIODVS, aliique poëtae, & ex ipſis philoſophis ARISTOTELES, *lib. I. eth. c. VII.* Immo & in ſcriptura ſacra quandoque ita vſurpatur, vt *Exod. XXVIII, 3.* conf. & *c. XXXV, 10.* Hinc ſpeciatim, qui artem ſapiendi, vt ita dicam, exercebant, σοφοὶ, *ſapientes* adpellati

lati ſunt; quippe quae Stoicis erat ἐπιτηδείου τέχνη, *illius ars, quod eſt conueniens;* quam TVLLIVS *artem vitae* dixit. Huius nimirum erat, emendare mores, & componere vitam ad iuſti rectique normam. Nemo ergo cenſebatur *ſapiens,* qui non iuſtus ſimul eſſet, virtutique deditus. Hanc ſapientiae notionem in ſcriptis Salomonis, praeſertim *prouerbiis,* paſſim deprehendere licet. Eademque *ſeptem* illi Graeciae *ſapientes* celebrantur, non vtique ob exquiſitam quamdam eruditionem, quam fruſtra in iis quaeſiueris, ſed virtutis & integritatis ſtudium. Socrates itidem eamdem ob cauſſam Graecorum vocatus eſt ſapientiſſimus; ex cuius contra qui prodierunt ſchola, tum in aliis, tum in hoc quoque, a magiſtri diſceſſerunt diſciplina & exemplo, quod in contemplatione potius, quam in virtutis ſtudio, potiorem ſapientiae partem conſtituerent. Hinc & contigit, vt ipſa cognitio rerum, & ſcientia, immo & doctrina, *ſapientiae* nomine quandoque veniret. ARISTOTELES namque ſcientiam illam, quae Deum contemplatur, quaeue alias *metaphyſica* dicitur, etiam *ſapientiam* vocauit, *lib. I. metaphyſ. c. I.* Sane, ſi ſcientia quaedam ſapientiae nomen meretur, ea, quae circa Deum, resque diuinas, verſatur, prae reliquis omnibus digna eſt, quae ita adpellitetur. Quo iure vero deinceps ſcholaſtici ad abſtractam entis, eiusque attributorum, conſiderationem, quam itidem metaphyſicam vocarunt, ſplendidum hocce *ſapientiae* nomen retulerint, alii iudicent. Sed hoc ὡς ἐν παρόδῳ. In ſcriptura ſacra hancce quandoque occurrere ſignificationem, negari nequit, & vel ex *1. Cor. II, 6.* patet, vbi, cum apoſtolus dicit: σοφίαν λαλοῦμεν ἐν τοῖς τελείοις. *ſapientiam loquimur inter perfectos,* haud dubie doctrinam euangelii intelligit. Apud veteris eccleſiae doctores eamdem haud infrequentem eſſe, CLEMENTIS Alexandrini, ORIGENIS, atque LACTANTII teſtimoniis iam comprobaui, *inſtit. theol. mor. part. I. c. I. ſect. II. ad §. LXVI.* Inter haſce ſignificationes ea maxime genuina eſt, atque hic in cenſum venit, qua *ſapientes* dicebantur, qui de moribus emendandis, & ad virtutis regulam componendis, erant ſolliciti.

Iam ad caput cauſſae quod attinet, res ipſa docet, de hominum, non autem Dei, ſapientia hic ſermonem eſſe. In Deo autem ſapientia primo quidem vt attributum aliquod ſpectatur, & non poteſt non ſumma & infinita in eo eſſe, tum ob ſummam perfectiſſimamque ſcientiam, tum & ob ſanctitatem voluntatis, omnis labis expertem. Hinc enim ſapientiam oriri, ex dicendis conſtabit. Quare & Deus σοφὸς audit, *1. Tim. I, 17.* conf. & *Rom. XVI, 27. XI, 33. Eph. III, 10.* Deinde & filius Dei κατ' ἐξοχὴν ſapientia vocatur; eamque ob cauſſam ſubinde ſapientia ὑποστατικῶς in ſcriptura ſacra deſcribitur; cum per eum ſapientia diuina ſe quam luculentiſſime manifeſtauerit, is etiam ſpecialiori quadam ratione fons & ſcaturigo ſit omnis ſapientiae; *Prou. VIII, 12. ſeqq. Sap. VII, 25. 26.* coll. cum *Ebr. I, 3. Matth. XI, 19. Luc. XI, 49. 1. Cor. I, 24. 30.* Obſeruandum id hoc loco ideo fuit, quia eorum, qui ad veram ſapientiam contendunt, magnopere intereſt, verum & genuinum ſapientiae habitualis fontem, qui eſt Chriſtus, cognitum atque perſpectum habere. Idque ſcriptura innuit, quando ad arctiſſimum ſapientiae habitualis hominum, & hypoſtaticae diuinae nexum indicandum, ita quandoque loquitur, vt, num hanc, an illam, intelligat, dubitari queat. Loquuntur & patres, ſeu veteris eccleſiae doctores, ſubinde de ſapientia quadam, quorum, vt & ſcripturae ſacrae effata, qui ita capiunt, vt hypoſtaſin quamdam diuinam, a filio Dei pariter, ac ſpiritu ſancto, diſtinctam, intelligant; eos non ſatis ſcire, puto, quid ipſimet ſibi velint. Doleo GOTFR. ARNOLDO talia

 excidiſſe

excidiſſe, in *arcanis ſophiae*. De hominum itaque cum hic ſimus ſolliciti ſapientia, per eam eiusmodi animi virtutem intelligimus, qua quis bona a malis rite & adcurate diſcernere nouit, vt illa amplectatur, haec fugiat. Genuinam hanc, veriſſimamque eſſe ſapientiae notionem, vel inde liquet, quod prorſus in eos omnes, qui tum ſcripturae ſacrae, tum hominum, ſana mente praeditorum, iudicio, vere ſapientes ſunt, quadret. Patet id etiam inde, quod illi, qui bona a malis diſcernere nequeunt, aut, ſi queant, haec tamen illis praeferunt, omnium mortalium iudicio ſint ſtulti. Idque etiam perſpexit gentilium philoſophorum ſapientiſſimus, SOCRATES, de quo SENECA: *Socrates, qui totam philoſophiam reuocauit ad mores, & hanc ſummam dixit eſſe ſapientiam, bona malaque diſtinguere, epiſt. LXXI. p. m. 263.* Recte vtique dixit, ſummam eſſe hanc ſapientiam, *bona malaque diſtinguere*, tantum addendum, vt *bona amplectamur, mala fugiamus.* Saepe enim contingit, vt homines bona a malis diſtinguere ſciant, & nihilo ſecius, bona dimittentes, mala autem conſectantes, ſtultitiam ſuam prodant. Atque haec cum ita ſe habeant; manifeſtum eſt, ſapientiae ſedem praecipue quidem in intellectu quaerendam, ſed ſimul tamen in voluntate. Bona a malis diſcernere, intellectus, ſed a praeiudicatis opinionibus, aliisque vitiis liberi, opus eſt. Vt autem quis bona, vera quidem, non adparentia, ſerio amplectatur, mala contra fugiat, a ſe numquam impetrabit, niſi a vitiorum ſordibus purgatam habeat voluntatem, & prauorum adfectuum compeſcere ac coërcere didicerit impetus. Eſt porro haec ipſa, quam ita deſcripſimus, ſapientia, vel *humana*, ſeu *naturalis*, vel *diuina*, ſeu *ſpiritualis*, quae Iacobo ἡ ἄνωθεν σοφία audit, *c. III, 17.* Nimirum quidam homines, per naturae conditionem, accedente inſtitutione & exercitatione, ea iudicii vi pollent, vt in rebus, ad huius vitae felicitatem ſpectantibus, facile bona a malis diſcernant; eo vsque etiam prauos adfectus compeſcere didicerunt, vt in eiusmodi rebus bona reuera amplectantur, mala fugiant. Hi ergo cum magnam prae ſe ferant virtutis ſpeciem, pro ſapientibus habentur, & haud raro ad res magnas gerendas apti ſunt, inde & magnam conſequuntur gloriam. Iidem tamen plerumque, ambitione quippe excaecati, in iis, quae ad ſalutem aeternam ſpectant, ſunt mortalium ſtolidiſſimi; eo, quod in ſpiritualibus bona a malis diſcernere nequeant; immo, quae bona ſunt, pro malis habent, &, quo ſibi ſapientiores videntur, eo maiori odio ea omnia, quae ſunt ſpiritus Dei, proſequuntur. Quod & ſcriptura ſacra confirmat variis effatis, quae hinc ſimul lucem accipiunt, *Matth. XI, 25. 1 Cor. I, 19. ſeqq. item. v. 26. ſeqq. c. III, 19. 20.* Diuina contra, ſeu ſpiritualis ſapientia, eſt eiusmodi animi virtus, qua homo regenitus, adeoque a ſpiritu ſancto illuminatus, in rebus ſpiritualibus, & ad aeternam mortalium ſalutem ſpectantibus, bona a malis ita diſcernere poteſt, vt illa amplectatur, haec fugiat. In intellectu itaque etiam praecipua eius ſedes eſt, ſed illuminato; quippe qui ſolus τὰ πνευματικὰ poteſt diiudicare; *1 Cor. II, 13. 14. 15.* adeoque in ſpiritualibus bona a malis diſcernere. Vnde ſimul illuminationis & ſapientiae nexus arctiſſimus intelligitur. Sed voluntatis quoque ſanctitas, legitimaque diſpoſitio, accedat, neceſſe eſt; per quam homo regenitus eiusmodi viribus pollet, vt bona reuera amplecti, & mala euitare queat; quod profecto in hominis irregeniti viribus poſitum non eſt. Atque haec eſt illa *ſuperne oriens ſapientia* (ἡ ἄνωθεν σοφία) cuius characteres hunc in modum tradit Iacobus: *At ſuperne oriens ſapientia primum caſta eſt, deinde pacifica, aequa, obſequioſa, pietate, bonisque referta fructibus, ſincera, & minime ſimulatrix; c. III, 17.* Qui characteres eleganter illuſtrari

illuſtrari poſſent, ex comparatione ſapientiae carnalis gentilium philoſophorum, Epicureorum, Stoicorum, Ariſtotelicorum, in qua haec omnia contrario ſeſe modo habent, ſi inſtituti noſtri hoc pateretur ratio. Atque haec eſt illa ſapientia, quae, vt precibus praecipue a Deo impetratur, *Iac. I, 5.* ita theologiae cultoribus commendari ſatis nequit; quippe ſine qua nemo doctoris in eccleſia munere rite fungi poteſt. Immo nec ſtudii theologici ſine ea ſibi conſtat ratio; ſiquidem, qui diuina hacce praeditus eſt ſapientia, is demum in omni litterarum genere, quid vtile, quid noxium ſit, quid ad finem, quem nobis conſtitutum habemus, faciat, quid eidem repugnet, perſpicit, atque diiudicat, ita quidem, vt vtilia & profutura, ceu vere bona, amplectatur, & conſectetur, reliqua reiiciat & aſpernetur.

Diuina haecce, de qua loquimur, ſapientia, vocari etiam poteſt *theoſophia;* cuius vocis cum variae ſint ſignificationes, de ea aliquid addere iuuabit. Veteris eccleſiae doctoribus ipſam theologiam quandoque θεοσοφίαν dictam, obſeruat FRANC. IVNIVS, *lib. de theol. c. I. 18.* Et ita ſane etiam vocari poteſt, cum σοφία, vti antea obſeruatum, & de cognitione, & de doctrina vſurpetur. Quare & ſiue de doctrina, ſiue de habitu, vocem *theologia* accipias, vtroque modo recte θεοσοφία adpellabitur. Ex noſtratibus mihi non ſuccurrit, qui voce hac θεοσοφία pro theologia vſus ſit, niſi quod KILIANI RVDRAVFFII, theologi quondam Gieſſenſis clariſſimi, *collegii philo-theoſophici volumina duo* celebrentur. Commemoratur quoque a nonnullis HERM. RATHMANNI, cuius notum ſatis inter theologos nomen eſt, *theoſophia priſcorum patrum ex Tertulliano & Cypriano*, Wittebergae an. 1619 edita. At prodiit deinceps, ſine auctoris nomine, Wittebergae an. 1636, inſcripta: *Theologia ſpeculatiua & practica ex patribus (Tertulliano & Cypriano) ab inſigni quodam theologo collecta, & publici iuris facta;* quam editionem ipſemet poſſideo. Nec enim, huncce librum a priori diuerſum eſſe, exiſtimo. Poteſt tamen theoſophia a theologia ea ratione diſtingui, vt per hanc aut cognitio ipſa rerum diuinarum, quae & alias ita vocatur, aut doctrina de iisdem, deſignetur; per illam autem facultas, ſiue virtus, bona a malis diſcernendi, & illa amplectendi, haec fugiendi, quam antea *ſapientiam diuinam & ſpiritualem* vocauimus, & cui ſpeciatim theologia moralis inſeruit. Sunt vero etiam, qui neſcio quae arcana & abſcondita, tum theologica, tum philoſophica venditantes, *theoſophorum* ſibi nomen ſpeciatim vindicant. DAN. GEORG. MORHOFIVS, vir doctiſſimus, *polyhiſtor. lib. I. c. X.* de *libris myſticis & ſecretis* agens, eorum tres conſtituit claſſes, *theoſophicos*, *propheticos*, & *magicos*. *Theoſophicos*, inquit, *nunc eos vocant, qui de rebus diuinis abſtruſiora quaedam docent, quales apud gentiles theurgici dicebantur, quibus doctrina de Deo, daemonibus, geniis, deque caerimoniis, quibus illi colendi, tradebatur.* Commemorat hinc IAMBLICHI libros, de *myſteriis Aegyptiorum*, ſcriptaque HERMETIS, ſiue MERCVRII, ZOROASTRIS, ORPHEI, BEROSI, Sibyllina oracula & ſcripta, Ebraeorum libros kabbaliſticos, chriſtianorum myſticos, ex recentioribus vero THEOPHRASTI PARACELSI, & IAC. BOEHMII ſcripta, cuius poſterioris cumprimis *theoſophica* ſalutari ſolent, & multa de hiſce omnibus, obſeruatu digna, adfert. Ego vero lubens fateor, me nihil in hiſce ſcriptis deprehendiſſe, cur auctores eorum, ſpecialiori quadam ratione, *theoſophi* vocari debeant. Si quid enim habent, quod cum veritate conuenit, nec ex ſola ratione cognoſcitur, id ex ſacra ſcriptura hauſerunt, & apud alios, qui theologi vocantur, itidem reperitur. Sin aliquid proferant, quod veritati conſentaneum non eſt, non tam ſapientiam ſuam, quam vanitatem, produnt,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

produnt, & ne φιλόσοφοι quidem dicendi, multo minus θεόσοφοι. Qui neſcio quae arcana, ſecreta, abſcondita crepant, haud raro fumum venditant, vulgaribus & protritis ſpeciem quamdam ac pretium conciliaturi. Orphei ſane iſtos ritus, ac caerimonias ſacras, quae tanto ſtudio apud Graecos occultabantur, eo tandem abiiſſe, conſtat, vt illis, quos ad myſteria capienda, & rite propaganda, idoneos iudicabant, impium & monſtroſum dogma, naturam ipſam Deum eſſe, committerent. Dictum hac de re copioſius in *hiſt. eccl. ſ. vet. teſtam. tom. I. per. II. ſect. II.* ad *§. XVIII. p. 1007.* De MERCVRIO, eiusque libris, itemque ZOROASTRE, itidem fuſe egi *ibidem; per. I. ſect. III.* ad *§. XXII. p. 429. ſqq.* itemque *tom. II. per. II. ſect. VI.* ad *§. XIII. p. 1049. ſeqq.* De THEOPHRASTO PARACELSO, IAC. BOEHMIO, aliisque, qui vulgo pro theoſophis venditantur, alibi dicetur. Atque haec ideo monere viſum fuit, vt veram theoſophiam a pſeudotheoſophia eo rectius diſcernere queamus.

§. VII. Sapientia cum circa generalia praecipue verſetur, ad ſpecialia contra, ſingulasque adeo actiones hominum deſcendit *prudentia*, finem legitimum in iis, mediaque apta eligere & impedimenta remouere, docens. Quod adeo & de *ſpirituali prudentia* intelligendum, qua non magis, quam ipſa ſapientia, qua cum & arctiſſimo vinculo coniuncta eſt, carebit, qui ſacro in eccleſia rite fungi munere cupit; conf. *Luc. XII, 42.* *

* Differt itaque prudentia a ſapientia in eo, quod haec circa generalia magis, illa circa ſpecialia, ſingulasque actiones verſetur, & tum ad finem, tum ad media reſpiciat, quibus finis obtineri queat; quorſum & conſideratio pertinet, an quis iis viribus inſtructus ſit, vt finem conſequi poſſit; ſecundum monitum ipſius ſeruatoris, *Luc. XIV, 28. ſeqq.* Id namque & in rebus ſpiritualibus, & ad ſalutem hominum ſpectantibus, ita ſe habet; in quibus, quod ad finem attinet, ea, quae optima, ſeu maxime conducibilia ſunt, eligenda eſſe, nos condocet apoſtolus, *1. Cor. XII, 31.* Ceteroquin & ſapientia, & prudentia ſpiritualis, in eo conueniunt, quod vtraque circa bonum & malum verſetur, ſed diuerſa, vt diximus, ratione; vtraque etiam ad intellectum praecipue pertineat, vt voluntatis ſimul concurrat diſpoſitio. Intellectus nimirum opus eſt, diſpicere, quisnam finis nobis conſtituendus ſit, & media inuenire & diiudicare, quibus is obtineri queat. Quod in ſpiritualibus tum demum recte procedet, ſi diuina luce fuerit colluſtratus. Voluntatis porro accedat diſpoſitio, neceſſe eſt, cum ad media, quibus bona ſpiritualia obtineri poſſunt, vſurpanda, nemo aptus ſit, qui vitiorum adhuc obnoxius eſt dominio. Vnde, prudentiam ſpiritualem non magis, quam ſapientiam, in homines irregenitos cadere, manifeſtum eſt. In iis ſane, quae ad res huius vitae ſpectant, prudentia quandoque non deſtituuntur; ſed, vti haec a ſpirituali toto caelo differt, ita haud raro aut in *calliditatem* & *aſtutiam* degenerat, quando quis mediis aptis & idoneis, ad finem quemcumque, etiam peſſimum, conſequendum, vti nouit; aut in *imprudentiam;* quando quis & circa finem, & circa media, aberrat; quod tum praecipue contingit, cum vis prauorum adfectuum omnem rationis vſum adimit. Prudentiam vero ſpiritualem neceſſariam eſſe, vt quis tum ſuis, tum eccleſiae rebus, eo rectius conſulere queat, tam manifeſtum eſt, vt, pluribus hoc demonſtrare velle, ſuperuacaneum foret. Conferenda, quae generatim de *prudentia ſpirituali*, ſpeciatim autem de *paſtorali & eccleſiaſtica*, dixi *inſtit. theol. mor. part. III. c. I. & II.*

§. VIII.

§. VIII. Maximopere itaque falluntur, qui, ſolam eruditionem, immo interdum vanam eius ſpeciem, ſufficere, putant, vt quis theologus, aut eccleſiae doctor, iure audiat. Falluntur hinc etiam, qui in ſcholis & academiis eo tantum conſilia ſua, atque labores, dirigunt, vt variam multiplicemque rerum cognitionem conſequantur, de ſapientia, ſcilicet ſpirituali, parum ſolliciti, cum haec pretio illam vincat, & non minus quoque, ad res eccleſiae recte adminiſtrandas, quam illa, ſit neceſſaria. *

* Error illorum, qui ad eruditionem tantum ſtudia ſua dirigunt, inde oritur, quod, eam ſolam ad theologum ſufficere, arbitrantur, ſimulque haud raro vanam quamdam & inanem ſpeciem pro vera eruditione amplectuntur; aut eruditionem pro ipſa ſapientia habent. Vtrumque perperam fieri, patet. Maximum enim inter eruditionem & ſapientiam intercedere diſcrimen, nemo dubitabit, qui, quae huc vſque diximus, ſecum expenderit. Magnifica quoque iſta elogia ſapientiae, quae paſſim in *prouerbiis Salomonis*, & *ſap. VII.* exſtant, non in eruditionem, ſed in ſapientiam, prout eam deſcripſimus, quadrant. Rectiſſime porro de ſapientia iſta intelligitur, quod *initium eius ſit timor domini*, *prouerb. IX, 10. pſ. CXI, 10.* quod de eruditione humana, ſeu, quae ſolis naturae viribus adquiritur, adſerere non licet, quippe quae etiam in homines improbos cadit. De cognitione diuina, ſeu, quae ex ſpiritus ſancti illuminatione procedit, ſi hoc capere velis; ea quidem minus adcurate vocabitur ſapientia; interim numquam ſine ea eſt. Dum autem ita a ſapientia ſedulo diſtinguenda eſt eruditio; hanc ſolam ad theologum non ſufficere, manifeſtum eſt. Qui enim ipſemet bona a malis diſcernere nequit, vt illa amplectatur, haec fugiat, quomodo is aliis veram ad ſalutem viam rite demonſtrabit? Immo nec in litterarum ſtudiis, multo minus ſacri muneris adminiſtratione, ſine ſapientia directrice, ita, vt decet, ſe ſe geret. Quaeſitum fuit, quaenam cauſſa ſit, vt, inter tot theologiae cultores, tam pauci reperiantur, a quibus eccleſia eximii quid ſibi polliceri queat? ad quod reſpondere non dubito, praecipuam, certe non poſtremam, eius rei cauſſam eſſe, quod plerique a vero theologiae fine, in primo ſtatim limine, aberrent, ad humanam quamdam, ſaepiſſime vanam, eruditionem adſpirantes, de illuminatione, & ſapientia diuina, quae ſine vitae ſanctitate ſibi non conſtat, parum ſolliciti. Conferenda, quae de eadem hacce quaeſtione AVG. HERMANNVS FRANCKIVS diſſerit, in *methodo ſtudii theologici*, *c. I. §. VI. ſeq. p. 17. ſeqq.*

§. IX. Sapientia cum ita ad intellectum ſpectet, vt ſine voluntatis emendatione eſſe nequeat; *vitae, morumque ſanctitatem*, *integritatemque*, ad finem proximum ſtudii theologici recte referri, manifeſtum eſt. Accedit vero, quod eccleſiae doctor vita non minus, quam voce docere, ſuisque exemplum praebere debeat, quod imitentur, *1. Cor. XI, 1.* vt adeo *τύπος* fiat *τῦ ποιμνίυ*, *1. Petr. V, 3.* *

* Non tam, qua initium, quam qua incrementum, vitae ſanctitas ad finem proximum ſtudii theologici refertur; ſiquidem, eum, qui ad hocce ſtudiorum genus accedit, iam regenitum, ſeu vera fide praeditum eſſe debere, exiſtimamus; conferantur, quae ad §. IV. diximus. Recte beatus IO. GERHARDVS noſter: *Quamuis ſtudium*

Digitized by Google

dium pietatis ab omnibus omnino chriſtianis requiratur; cum primis tamen, & ſpeciali quadam ratione, in illis, qui theologiae ſuam addixerunt operam, ac vel ad miniſterium eccleſiaſticum adſpirant, vel eo iamdum funguntur, vigere debet morum honeſtas, vitae integritas, ſeria ac ſincera pietas. Variis hoc probat rationibus, inter quas prima ea eſt, quam & nos hic vrgemus, quia ſine vitae ſanctitate nulla vera eſt ſapientia. Hinc, cum verba *Pſ. CXI, 10. initium ſapientiae timor domini*, attuliſſet, addit: *ergo, vbi non eſt verus Dei timor, ſincerae pietatis fundamentum, ibi vera ac coeleſtis ſapientia non habet locum; in methodo ſtud. theolog. c. II. p. 18.* Non minoris momenti eſt altera ratio, quod verbi diuini miniſtrum non minus vita, quam voce docere oporteat. Quanta vis ſit exemplorum, & imitationis, neminem fugit. Sunt enim omnes natura ad imitationem proni; & exemplum paſtoris doctrinae ejus maximum pondus addit, maximumque robur. Quodſi autem cum Paulo dicere vult: *eſtote imitatores mei*; cum eodem etiam dicere debet: *ſicut ego Chriſti*, *2. Cor. XI, 1.* Sin vita doctrinae non reſpondeat, non impediet, quo minus plurimi exiſtiment, eum rem ſerio non agere, adeoque verbis eius fidem non habeant. Eorum vero omnium, qui ita pereunt, ratio coram tribunali diuino ab illo exigetur. Hinc ſeruator optimus ad apoſtolos, eorumque ſucceſſores, *vos*, inquit, *eſtis ſal terrae*, vt, qui corrupti ſunt, reſtituantur, &, qui reſtituti, a putredine conſeruentur, *ſi ſal* μωρανθῇ, *fatuus fiat*, vim omnem ac ſaporem, ſeu acrimoniam, amittat, adeoque & vos, per praua dogmata, & per improbos mores, qui verbi diuini miniſtros omnium contemtui exponunt, ad miniſterium ſacrum inepti fiatis, *per quidnam ſalietur? Ad nihil amplius valet, niſi vt abiiciatur foras, & conculcetur ab hominibus*; & ſic eiusmodi quoque doctores, qui aliorum ſalutem impediunt potius, quam promouent, peribunt. Pergit: *vos eſtis lux mundi*; doctrina itaque non minus, quam exemplo, vt mundum colluſtretis, veſtrarum erit partium; *vrbs in monte ſita abſcondi nequit*, adeoque & vos omnium in vos conuertetis oculos; *neque, qui candelam accendunt, eam ſub modio ponunt, ſed potius in candelabro, vt luceat omnibus, qui in domo verſantur*; ideo nimirum doctores publici conſtituuntur, variisque, & egregiis, a Deo condecorantur donis, vt omnes inde commodum aliquod percipiant; *ſic itaque luceat lux veſtra*; vitae ſcilicet ſanctae integraeque non minus, quam doctrinae purae, *coram hominibus, quo videant opera veſtra bona*, de fide vitaeque integritate teſtantia, *& patrem veſtrum, qui eſt in caelis, glorificent; Matth. V, 13. ſeqq.* Poſſem his & alias rationes addere; ſed quid pluribus in re non dubia opus eſt? Cum enim theologi, verbique diuini miniſtri id quotidie agere debeant, vt alios erudiant, quo pacto in Chriſto nihil aliud valeat, quam *fides, quae eſt per charitatem efficax, Gal. V, 6.* &, quod Chriſtus nos *redemerit ab omni iniquitate*, vt *purgaret ſibi* λαὸν περιούσιον, *populum peculiarem*, ζηλωτὴν καλῶν ἔργων, *ingentem zelum in bonis operibus demonſtrantem, Tit. II, 14.* qua, quaeſo, hoc facient conſcientia, ſi ipſimet in virtutis ſtudio langueant, aut omnino vitiorum impuritatisque vinculis conſtricti teneantur? Atque haec cum ita ſe habeant, quilibet ſibi dictum putet, quod Paulus Timotheo ſuo inculcat: γύμναζε δὲ σεαυτὸν πρὸς εὐσέβειαν, *1. Tim. IV, 7.*

§. X. Finem vltimum ſtudii theologici, intuitu hominum, eorum eſſe ſalutem, intuitu Dei, ipſius gloriam, nemo forte erit, qui negauerit. Nimirum

rum ad aliorum ſalutem theologiae cultori ita reſpiciendum, ne ſuae ipſius ſit immemor, ſecundum monitum Pauli, *1. Tim. IV, 16.* * Gloria vero Dei cum in omnibus actionibus noſtris vltimus finis eſſe debeat; *1. Cor. X, 31.* quis dubitet, & in theologiae tractatione ad eam omnia referenda eſſe? **

* Ridiculum enim fere eſt, ſi quis alios ad ſalutem aeternam perducere cupit, quam ipſemet negligit. Qua in re humani ingenii ſtultitia eminentiſſima quadam ratione conſpicitur; quamuis nihil ſit frequentius. Nec tamen temere quis ſibi perſuadebit, ſerio eiusmodi homines id agere, vt aliorum ſaluti conſulant, qui ſuismet ipſi conſulere rebus nolunt. Hinc vel inuiti hypocriſin ſuam, cum ſumma ſtultitia coniunctam, produnt.

** Certe huc tota ſalutis noſtrae oeconomia tendit; quod angeli ipſimet in natiuitate ſeruatoris indicant, *Luc. II, 14.* Eo ergo quod & ipſa theologia, eiusque adeo tractatio, comparata eſſe debeat, res ipſa docet. Etſi enim finis proximus theologiae a ſtudii theologici fine differt; in fine tamen vltimo conſentiunt, quippe ad quem omnia tandem referre decet.

§. XI. Serio vero is, quem res ipſa poſtulat, nobis conſtitutus eſſe debet finis, ne alium verbis profiteamur, alium in pectore teneamus clauſum. Intentio enim noſtra ſi recte ſe non habeat, reliqua omnia peruerſe gerentur, nec quidquam ſuſcipietur recte, vt Deo placere queat. Hoc eſt, quod ſeruator dicit: ***Si oculus tuus fuerit malus, totum corpus erit tenebroſum***, *Matth. VI, 23.* *

* Eleganter GREGORIVS magnus: *Quid enim per oculum exprimitur, niſi opus ſuum praeueniens cordis intentio? quae priusquam ſe in actione exerceat, hoc iam quod adpetit, contemplatur. Et quid adpellatione corporis deſignatur, niſi vtraque actio, quae intentionem ſuam, quaſi intuentem oculum, ſequitur? Lucerna itaque corporis eſt oculus; quia per bonae intentionis radium, merita illuſtrantur actionis. Et ſi oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit; quia, ſi recte intendimus per ſimplicitatem cogitationis, bonum opus efficitur, etiamſi minus bonum eſſe videatur. Et ſi oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit, quia cum peruerſa intentione quid vel rectum agitur, etſi ſplendere coram hominibus cernitur, apud examen tamen interni iudicis obſcuratur. Vnde & recte ſubiungitur: vide ergo, ne lumen, quod in te eſt, tenebrae ſint. Si lumen, quod in te eſt, tenebrae ſint, ipſae tenebrae quantae erunt? quia ſi hoc, quod bene nos agere credimus, ex mala intentione fuſcamus, quanta ipſa mala ſunt, quae mala eſſe, etiam cum agimus, non ignoramus? Vigilanti igitur cura per cuncta opera intentio nobis noſtra penſanda eſt, vt nihil temporale in his, quae agit, adpetat, totam ſe in ſoliditate aeternitatis figat* &c. *lib. XXVIII. moral. c. XIII.* aut, ſecundum recentiorem diſpoſitionem, *cap. XI, tom. I. operum, p. m. 907.* edit. quae Pariſiis an. 1705 prodiit. Lectu etiam digna ſunt, quae *capite ſequenti XII.* hac de re diſſerit, vbi, *baſes animae intentiones eſſe*, docet. *Baſes*, inquit, *vniuscuiusque ſunt animae, intentiones ſuae. Nam ſicut fabrica columnis, columnae autem baſibus innituntur: ita vita noſtra in virtutibus; virtutes vero in intima intentione ſubſiſtunt. Et quia ſcriptum eſt, fundamentum aliud nemo poteſt ponere, praeter*

ter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus, tunc baſes in fundamento ſunt, cum intentiones noſtrae in Chriſto roborantur.

§. XII. A recto autem tramite, in fine ſtudii theologici conſtituendo, primum aberrant, qui in ipſa cognitione rerum diuinarum ſubſiſtunt, & quo pacto eam ad vitam recte inſtituendam transferant, parum ſunt ſolliciti; ſiue vano errore ducti, eam ſufficere, arbitrentur, ſiue in ipſa iſta cognitione delectationem quamdam quaerant; cum tamen non ἀκροαταὶ tantum, ſed ποιηταὶ λόγου eſſe debeamus, *Iac. I, 22.* & ob prudentiam is demum a ſeruatore laudetur, qui *non tantum verba eius audit, ſed & ea facit, Matth. VII, 24. ſeqq.* *

* Qui in nuda rerum diuinarum cognitione ſubſiſtunt, ideo, quod, vana perſuaſione ducti, hanc ſufficere, arbitrantur; non tantum per adlata ſcripturae ſacrae effata, aliaque eiusdem generis, erroris conuincuntur, ſed hoc ipſo teſtantur, ſe indolem ac naturam theologiae prorſus ignorare. Hanc enim, quanta quanta eſt, totam, ratione finis ſpectatam, practicam eſſe, ſeu ad praxin vitae ac miniſterii tendere, omnes vno ore fatentur. Accedit, quod ipſa quoque ratio dictitet, hominem non eſſe animal θεωρητικὸν, ſed πρακτικὸν, hoc eſt, a natura intellectu & ratione inſtructum, non, vt inanibus ſpeculationibus tempus fallat, aut cogitationibus ſuis animum paſcat, ſed, vt facultate iſta cognoſcendi, & eruditione, ſi qua pollet, ad ſua & aliorum commoda promouenda, vtatur. Conferre iuuabit, quae dixi *inſtit. theol. moral. part. I. proleg.* §. *II. III.* Non minus vero peccant, ſeque ipſi decipiunt turpiter, qui in iſta rerum diuinarum cognitione delectationem quamdam quaerunt, ideoque in ea ſubſiſtunt, nec ulterius progrediuntur, aut, vt clarius loquar, qui ſuae tantum conſulere cupiunt *curioſitati.* Iſta enim *curioſitas* ex voluptate quadam, ut alibi demonſtratur, orta, quantumuis honeſtatis quadam ſpecie ſe aliis commendet, recte tamen in vitio ponitur; cumque nec in aliis litterarum generibus laudanda ſit, multo magis vituperanda eſt in eo, quod vnice ad hominum ſalutem promouendam comparatum eſſe debet. ROLANDVS equidem MARESIVS *cauſam legitimam* eſſe, putat, ſi qui non aliam ob cauſſam ad ſcientiae cupiditatem trahantur, quam, vt animos ſuos varia rerum cognitione paſcant, *lib. II. ep. XVI. p. 315.* At fallitur magnopere. Voluptas enim illa, quam ex litteris capimus, niſi ad vſum transferantur, non magis laudanda aut excuſanda, quam ea, quam nonnulli in ſenſuum externorum delectatione confectantur, ac ſi huc vnice eſſent comparati. Nimirum ſenſus non ideo a ſapientiſſimo rerum omnium conditore hominibus dati ſunt, vt ex iis tantum voluptatem capiant; ſed vt iis ad corporis conſeruationem, certo quoque modo ad mentis inſtructionem informationemque vtantur. Pari ratione & cognoſcendi facultate mens inſtructa, immo deſiderium aliquod ſciendi omnibus inſitum & innatum eſt, non, vt delectationem tantum inde quandam quaeramus, ſed, ut ad noſtram aliorumque felicitatem promouendam eodem vtamur. Copioſius hoc ediſſerui in *diſſertat. de cultura ingenii, c. III. §. II.* in *ſelectis juris natur. & gentium, p. 401. ſeqq.* Quemadmodum autem, qui in rerum diuinarum tractatione ea tantum, quae delectationem pariunt, aut ad explendam curioſitatem faciunt, conſectantur, a ſcopo rectoque fine aberrant, dum in nuda cognitione ſubſiſtunt, de fidei & vitae praxi parum ſolliciti; ita nec

veram

veram ſolidamque vnquam conſequuntur cognitionem, dum plerumque, neceſſariis, maximeque ſalutaribus, praetermiſſis, ea ſolum, quae delectant, quaerunt; nec rebus, quae momentum trahunt, conſtanter inhaerent, ſed, hinc inde transcurrentes, quaedam decerpunt, & quidem tantum, quae placent, non, quae proſunt. Quo ipſo vt nec ad eam, quae induſtria ſtudioque adquiritur, eruditionem, ſaltem quae hoc nomine digna ſit, perueniunt; ita multo minus illuminationis diuinae participes fieri poſſunt; finemque adeo verum ſtudii theologici non tantum non conſequuntur, ſed ſimul, ſe ad eum conſequendum parum idoneos, oſtendunt.

§. XIII. Grauius adhuc illi peccant, qui theologiae ideo operam nauant, vt eruditionis inde laudem referant, gloriamque & honorem apud alios conſequantur. Quae ſane turpis eſt diuini nominis profanatio, dum miſeri mortales ad prauas ſuas cupiditates iis abutuntur, quae ad hominum ſalutem promouendam Deus conſtituit. Numquam vero theologi hac ratione euadent, cum ex effato ſeruatoris ne *fidem quidem habeant*, qui *gloriam a ſe inuicem accipiunt*, *Joann. V, 44.* & ex ſententia Pauli, *cognitione inflatus nullo modo cognoſcat, quo pacto cognoſcere debeat; 1. Cor. VIII, 2.* *

* Peccant vtique, qui in reliquis etiam litterarum generibus laudem tantum & gloriam quaerunt, aut ideo iis operam nauant, vt honores conſequantur, & aliquando prae aliis eminere queant. Scio equidem, eſſe nonnullos, qui hoc ſibi adeo perſuadere nequeunt, vt laudis potius & honorum cupiditate ad diligentiam iuuenum excitare animos velint. Hinc numquam non illud VIRGILII illis occinunt:

Tentanda via eſt, qua me quoque poſſim
Tollere humo, victorque virum volitare per ora,

lib. I. georg. v. 8. ſq. Certe IOACH. FORTIVS RINGELBERGIVS ex inſtituto hoc ſibi probandum ſumſit: *adfectandas eſſe ſtudioſo laudes;* de *ratione ſtudii, c. V. p. 20.* Similia & GABR. NAVDEVS habet, *ſyntagm. de ſtudio liberali, c. X. p. 545.* Verum iſti omnes, ſe minus, quam ipſos ethnicos, ſapere, demonſtrant; quippe qui de vanitate laudis, gloriae, honorum, ſubinde praeclare admodum loquuntur, hominemque ſapiente ad talia adſpirare indignum eſſe, cenſent. Id iam a me obſeruatum in *diſſertatione de cultura ingenii, c. III.* Quanto ergo grauiori crimine ſe obſtringunt, qui in rerum diuinarum tractatione nihil aliud, quam laudem, gloriamque, aut honorem quaerunt? Non tantum autem & hi oſtendunt, ſe verum ſtudii theologici finem ignorare; ſed, ad eundem conſequendum ſe neutiquam aptos eſſe, demonſtrant. *Superbis* enim, adeoque & laudem, gloriam, honorem adpetentibus, *aduerſatur Deus, ſed humilibus dat gratiam, 1. Pet. V, 5.* Quid itaque eſt donorum ſpiritualium, quod eiusmodi homines a Deo ſibi polliceri queant? Horum vero ſi ſint expertes, qualis demum erit eorum theologia? Certe, qui nec fidem habet, nec illuminatus eſt, nec Deum cognoſcit, prout cognoſcere debebat, veri quoque theologi nomen non promeretur, nec hocce vnquam recte fungetur munere. Eruditionem equidem, prout naturae viribus adquiritur, minime contemnendam, haud raro ſibi comparant, cum laboribus non parcant, ac ſubinde ingenio valeant; praeterquam vero, quod haec ſola verum theologiae finem non abſoluat, eadem mi-

nime, vt decet, vtuntur, dumque ad ſuam omnia gloriam referunt, ſimulque ad rixas & contentiones proni ſunt, omnia turbant, ſumma imis miſcent, eccleſiaeque hinc plus nocent, quam proſunt.

§. XIV. Non minus tamen & illi rebus ſuis non recte conſulunt, & in primo ſtatim limine a vera via aberrant, qui theologiam vitae huius ſuſtentationi inſeruire volunt, aut ea omnino ad opes ac diuitias congerendas abutuntur, exiſtimantes, *πορισμὸν εἶναι τὴν εὐσέβειαν*, *1. Tim. VI, 5.* Quos quidem homines, vt, iubente apoſtolo, prorſus euitare decet, vt nihil nobis cum iis ſit commercii; ita ipſimet ſatis demonſtrant, ex Simonis magi ſchola ſe prodiiſſe; hinc & ſententia Petri, in hunc pronuntiata, illos quoque ferit; *act. VIII, 20.* *

* Damnant viri docti merito eos, qui aliis etiam litteris operam nauant, vt rem ſuam familiarem conſtituant, &, quae vitae ſunt neceſſaria, inde comparent. ROLANDVS MARESIVS tale propoſitum *humile* vocat, *& illiberale, nec ſatis litterarum nobilitate dignum; lib. II. ep. XVI. p. 315.* Immo foedum & ſordidum id vocare potuiſſet, ipſisque litteris noxium. Per eiusmodi enim homines ſi ſtaret, errori ſaepius & mendacio maius ſtatuendum eſſet pretium, quam veritati; cum per illud haud raro promtior ad opes diuitiasque pateat via. Eo magis itaque illorum deteſtandum eſt inſtitutum, qui omnino ad ipſam theologiam animum, opibus tantum inhiantem, adferunt. Certe cum fine theologici ſtudii nihil magis pugnat, quam auaritia, qua mentem ſuam infectam iſti homines aperte produnt, quaeue *radix omnis mali* rectiſſime ab apoſtolo adpellitatur, *1. Tim. VI, 10.* Quam ergo vitae integritatem, ſanctitatemque, quam ſapientiam ab iis exſpectes? Dona porro ſpiritualia cum in iis fruſtra requiras; ſi quid in iis eruditionis eſt, minime eos aptos reddet, vt ſacro quodam in eccleſia rite fungi queant munere. Procul namque ab iſta epiſcopi imagine, quam Paulus *1. Tim. III.* exhibet, abſunt; quippe in qua inter alia epiſcopum eſſe iubet *μὴ αἰσχροκερδῆ*, & *ἀφιλάργυρον v. 3.*

LIBRI PRIORIS
CAPVT SECVNDVM
DE
THEOLOGIAE CVLTORE EIVSQVE INDOLE AC VIRTVTIBVS:

Σύνοψις.

Fine rite conſtituto, quisque de viribus ſuis diſpicere debet; §. I.
In hiſce explorandis tum naturalia, tum ſpiritualia dona in cenſum veniunt; §. II.
Dona naturalia ratione intellectus quaenam ſint? §. III.
Iudicii in ſtudio theologico neceſſitas; §. IV.
itemque ingenii, ſpeciatim ſic dicti; §. V.
vt

vt & memoriae; §. *VI.*
Diuerſi in hiſce omnibus obſeruandi ſunt gradus; §. *VII.*
Quid factu opus, ſi defectus in iis deprehendatur? §. *VIII.*
Defectus quandoque corrigi poſſunt, praecipue exercitatione; §. *IX.*
Characteres ingenii ad theologiam apti; §. *X.*
Dona naturalia a ratione voluntatis; §. *XI.*
Corporis atque externorum quousque hic habenda ratio? §. *XII.*
Ad naturalia dona accedere debent ſpiritualia; §. *XIII.*
Ea ſcilicet, quae theologiae cultoribus cum omnibus Chriſtianis ſunt communia, ſimul tamen, ad finem ſtudii theologici conſequendum, eos aptos reddunt; §. *XIV.*
Quaenam ea ſint, tum intuitu intellectus, tum intuitu voluntatis? §. *XV.*
Male ſibi conſulunt, qui iis deſtituti, in propoſito, theologiae operam nauandi, pergunt; §. *XVI.*

§. I.

Fine recte conſtituto, proximum eſt, vt quis diſpiciat, an iis animi corporiſque dotibus viribuſque praeditus ſit, vt finem iſtum conſequi queat. Generalis haec eſt prudentiae regula, in omnibus vitae humanae actibus obſeruanda, & a ſeruatore ipſo commendata, *Luc. XIV, 28. ſeqq.* *

* Eamdem hunc in modum inculcat SENECA: *Inſpicere autem debemus primum noſmet ipſos, deinde quae adgredimur negotia, deinde eos quorum cauſſa, aut cum quibus agendum eſt. Ante omnia neceſſe eſt ſe ipſum aeſtimare; quia fere plus nobis videmur poſſe, quam poſſumus. Alius eloquentiae fiducia prolabitur, alius patrimonio ſuo plus imperauit, quam ferre poſſit; alius infirmum corpus laborioſo oppreſſit officio. Quorumdam parum idonea eſt verecundia rebus ciuilibus, quae primam (firmam) frontem deſiderant, quorumdam contumacia non facit ad aulam* &c. de *tranquillit. animi, cap. IV. p. m. 354.*

§. II. In animi viribus explorandis tum ad ea, quae naturae munere nobis obtingunt, tum ad ea, quae diuini ſpiritus gratia hominibus piis largitur, attendendum eſt. Hinc enim conſequitur, quod alia dona ſint *naturalia*, alia *ſpiritualia* *

* Per *dona naturalia* itaque omnia ea intelligimus, quae per naturam hominibus inſunt, aut ſtudio etiam atque induſtria magis excoluntur & perficiuntur. Ipſi autem habitus, ſtudio & exercitatione comparati, etſi itidem quandoque *donorum naturalium* nomine comprehendantur; nunc tamen in cenſum non veniunt; quia partim ad finem theologiae, partim ad propaedeumata, de quibus in ſequentibus, a nobis referuntur. Per *ſpiritualia*, praeter ea, quae ſpeciatim ita vocantur, naturalia quoque, ſed ſanctificata, indicare, patebit ex iis, quae §. *XIII.* dicentur.

§. III. Ad dona naturalia pertinet facultas, promte & adcurate cuncta diſcernendi, & vera a falſis, bona a malis diſtinguendi, principia recte conſtituendi, & concluſiones inde deriuandi, aut, an recte deriuatae ſint, perſpiciendi, quam *iudicium* adpellitamus; * tum vero & facultas, ideas imagineſque rerum apte & concinne componendi, eaſdemque non minus ele-

eleganti ordine proponendi, ab aliis autem propoſitas facili negotio percipiendi, quae *ingenii*, ſpeciatim ſic dicti, nomine venit; ** & denique facultas, ideas imaginesque rerum, quas percepimus conſiderauimusque, poſt aliquod temporis interuallum, quoties lubet, & quoties iterum iis opus eſt, prompte reuocandi, & iterum velut praeſentes in mente noſtra ſiſtendi, quam *memoriam* vocare moris eſt. ***

* Non vna equidem eademque ratione in philoſophorum ſcholis *iudicii* vox accipitur. Interdum enim ſecundam, quam vocamus, intellectus operationem denotat, qua duas inter ſe ideas comparamus; interdum vero pro ipſa ratiocinatione ſumitur. At nobis hic δύναμιν κριτικὴν, ſeu facultatem, obiecta quaeuis rite diſcernendi, vt, quid verum, quid falſum, quid bonum, quid malum ſit, cognoſcamus, & ex ſolidis principiis concluſiones rite deducendi &c. deſignat. Iudicii autem hujus quod magna hinc inde conſpiciatur diuerſitas, nec vna eademque ratione apud omnes, qui eo praediti ſunt, ſe exſerat; id ex objectorum, graduumque, qui in eo dantur, diuerſitate, voluntatis porro diſpoſitione, conſuetudine, educatione, aliisque cauſſis, prouenit; vt deinceps oſtendemus.

** Quando dixi, de *ingenio*, quod ſpeciatim ita adpellatur, hic nobis ſermonem eſſe; indicaui, & aliam huius vocis ſignificationem eſſe; eam ſcilicet, qua generatim eas intellectus virtutes denotat, quibus ad litterarum ſtudia, aut artes quascumque, vel grauioris momenti negotia, quis aptus cenſetur. Qua quidem ratione & iudicium, & ingenium, ſpeciatim ſic dictum, & memoriam complectitur. Eoque modo vox haecce accipitur, quando quaeritur, ſitne aliquis ingenio, ad litterarum ſtudia apto, praeditus? Qua de re deinceps. Hic autem addendum, in haccе, ſimilibusque quaeſtionibus, non tam de ipſis facultatibus, quae omnibus quodam modo per naturam, licet gradu diuerſiſſimo, inſunt, & quibus nemo temere prorſus deſtituitur; niſi ipſo intellectu deſtituatur, ſermonem eſſe, quam de illarum praeſtantia, & virtutibus, quibus nonnulli prae reliquis eminent, & ad certas quasdam artes, negotia, vitaeque & ſtudiorum genera, apti redduntur. Quo ſenſu & aliorum definitiones, a me in *diſſertat.* de *cultura ingenii, c. I. §. VIII.* & *inſtitut. theol. mor. part. I. c. I. ſect. V.* ad *§. XIII.* adlatae, accipiendae ſunt. In ingenio, ſpeciatim ſic dicto, vis eminens & viuida imaginationis maxime ſe exſerit; vnde & hocce nomine quandoque inſigniri ſolet.

*** Repetenda hic, quae de memoria dixi, *inſtitution. theol. mor. part. I. c. I. ſect. V. §. XV.*

§. IV. Hiſce facultatibus, ſeu donis, omnes quidem eos, qui literarum ſtudiis ſe conſecrant, inſtructos eſſe decet; * cum primis tamen eos, qui in theologia proficere cupiunt. Primum inter eas locum tenet *iudicium*, quo theologiae cultorem vel maxime pollere oportet, cum praecipuum eius opus ſit, in rebus maximi momenti, ad ſalutem quippe hominum ſpectantibus, vera a falſis, bona a malis, diſcernere, viamque adeo rectam, quam ingredi debeant, iis oſtendere. **

* Magnam eſſe ingeniorum varietatem, conſtat; idque ex inſtituto demonſtrarunt ANTON. ZARA, Aquileienſis, epiſcopus Petinenſis, in *anatomia ingeniorum & ſcientiarum*, Venetiis, an. 1615 edita, *ſect. I. membr. I.* itemque IO. CHRIST. LANGIVS, in *protheoria eruditionis humanae vniuerſae, c. IV. quaeſt. XL. p. 104. ſeqq.*

ſeqq. aliique. Quamquam nonnulli varietatem hanc ſine neceſſitate augere videantur. Cauſſae huius diuerſitatis varietatisque iterum variae eſſe poſſunt. Præter diuerſam enim facultatum, ex quibus ingenium, generatim ſic dictum, conſlatur, combinationem, ſingularumque gradus, horumque ad ſe inuicem proportionem; ipſa voluntatis diſpoſitio, hinc & ingenii vſus, & ad certa ſtudiorum genera adplicatio, corporis porro conſtitutio, educatio, conſuetudo, & alia, plurimum ad eam conferunt. Immo luculenter hinc intelligitur, cur non poſſit non infinita fere eſſe ingeniorum varietas. Legenda, quae hac de re diſſerit IO. GEORG. WALCHIVS, vir clariſſimus, in ſchediaſmate, de *ingenio philoſophico, (vom philoſophiſchen naturell) c. I. §. VI. p. 11. ſeqq.* In tanta ergo ingeniorum varietate, primum diſpiciendum, quaenam generatim ad litterarum ſtudia apta ſint? Quaedam enim prorſus inepta eſſe; & quaedam rurſus aptiora eſſe aliis, negari nequit. Hinc IANVS HVARTVS certas ingeniorum habilium & inhabilium claſſes conſtituit; in *ſcrutinio ingeniorum, c. II.* quod & deinceps EDMVND. RICHERIVS fecit, in *obſtetrice animorum c. IV. §. VII.* itemque EVDO NEVHVSIVS, in *theatro ingenii humani, l. I. c. I.* vt & DAN. GEORG. MORHOFIVS, *polyhiſtor. litterar. l. II. c. I.* Paullo diſtinctius, & certis innixus principiis, hac de re & ego diſſerui in *diſſertat. de cultura ingenii, c. II. §. VIII. ſeqq.* quae, cum ab omnibus legi queant, ea vt hic repetam, neceſſe non eſt. Generatim dici poteſt, ſi eiuſmodi, qua omnes, aut ſingulas facultates, quae ingenium conſtituunt, defectus adſint, qui nulla ratione corrigi aut emendari poſſunt, ad quiduis potius aliud, quam ad litterarum ſtudia, eiuſmodi homines aptos eſſe; ſecus ſi res ſe habeat, tanto aptiores, quanto excellentior ingenii vis aut in omnibus, aut in ſingulis ſe demonſtrat facultatibus. Iam, ſi quis ad litterarum aptus ſit ſtudia, diſpiciendum vlterius, ad quodnam prae ceteris aptus ſit. Vti enim non vnum eſt ſtudiorum genus: ita quodlibet ingenium quoddam proprium, eique prorſus adcommodatum, requirit. M. Scauro, & P. Rutilio, oratoribus, non quidem omnino ingenium, ſed oratorium ingenium defuiſſe, M. T. CICERO ait, in *Bruto, num. CX. p. m. 309.* Idem & de aliis ſcientiis, artibuſque, cumprimis & de theologia, dici poteſt, non nullis non quidem ingenium, ſed theologicum ingenium deeſſe. Hoc vero cuiuſmodi eſſe debeat, id vero ex dicendis conſtabit.

** Eundo per omnes muneris theologici partes, demonſtrare, ſi opus eſſet, poſſem, nec didaſcalicum, nec elenchticum, nec epanorthoticum, nec reliqua recte adminiſtraturum quemquam, niſi facultatem iſtam, cuncta diſcernendi, diiudicandiue ſecum adferat. Deus quoque ipſe hoc ſignificauit, dum ſacerdotum eſſe dixit, *diſcernere, quid ſanctum, quid profanum, quid purum, quidue impurum ſit? Leuit. X, 10.* Intelligendum autem hoc eſt de iudicio ſano, ſobrio, minimeque corrupto. Contingere enim poteſt, ſaepiusque ſolet, vt quis per naturam quidem iudicio polleat, ſed vt aut per adfectuum prauitatem, aut praeiudicatas opiniones, aut per conſuetudinem, & ad alia ſtudiorum genera nimiam adplicationem, ita obtundatur & deprauetur, vt in rebus theologicis plane caecutiat, & pro luce tenebras, pro veritate errorem potius amplectatur, tantum abeſt, vt cuncta rite diſcernere valeat. Cuiuſmodi homines magno cum ſuo & aliorum malo ad ſacrum hocce ſtudiorum genus accedunt, rectius facturi, ſi ab eo ſe abſtinerent. Non itaque ſine exceptione quadam admittendum, quod dicitur, iudicio inſigni pollentes ad ſtudium theologicum aptos eſſe. Diſpiciendum enim, cuiuſmodi illud iudicium ſit? Nec mirabitur nunc quiſquam, quod quis in aliquo littera-

rum

rum genere, praeſtanti ſe pollere iudicio, oſtendat, in alio autem non; quippe quod ex cauſſis antea commemoratis prouenit. Cum primis obſeruandum, ſi quis, a natura iudicio praeditus, in rebus criticis, aliiſque minutiis, tantum illud exerceat, hisque totum ſe tradat, eum parum feliciter deinceps in ſtudio theologico verſari, immo iudicii imbecillitatem palam documentisque certiſſimis prodere; eo quod, minutiis inanibusque ſubtilitatibus adſuetus, has quoque ibi conſectetur, miſſis grauioribus, in quibus vel maxime vim iudicii demonſtrare debebat. Arbitrari hinc aliquis poſſet; ejusmodi homines, cum ad grauiora ſtudia & negotia accedunt, nullo prorſus gaudere iudicio; cum tamen reuera eo praediti ſint, ſed per conſuetudinem & nimiam minutiarum conſectationem, illud corruperint. Diiudicari hinc etiam licet, quid de *ſubtilibus*, quae vocantur, ingeniis, & magno acumine praeditis, ſit cenſendum, num prae reliquis ad theologiae ſtudium apta ſint? Qua de re ut eo rectius pronuntietur; obſeruandum, *ſubtilitatis* vocem a filis tenuioribus traxiſſe originem, quae in tela bene texta oculorum aciem pene fallunt. Ita IVL. CAES. SCALIGER; qui &, cum addidiſſet, a TVLLIO, tum orationi, tum ingenio ſubtilitatem tribui; eam porro, quae in oratione conſpicitur, non eſſe vnius generis; de illa, quae ſingulare aliquod acumen prodit, ſubiicit: *Haec ſubtilitas, ab ea, quae in ingenio ſita eſt, proficiſcitur, cuius facultatem acutam & agnoſcimus, & adpellamus, propterea quod inter cauſſam penetrat, & effectum;* de *ſubtilitate ad Hieronymum Cardanum, exercit. I. p. 1. 2.* Ad iudicium itaque, ſeu ἰδίωμα κριτικὸν, merito refertur ſubtilitas; cuius quippe eſt, in intimos rerum penetrare receſſus, & ea detegere, quae aliorum oculos mentis fugiunt. In ſe itaque ſpectata ſubtilitas in omnibus quidem ſcientiis, præſertim & in theologia, vſum inſignem praebet, ſique nullo vitio ſit infecta, ac ſapientia moderatrix accedat, laudanda maximopere, & inter praeſtantiſſima naturae munera referenda. Sed non ſemper ita eſt comparata. Saepiſſime enim, qui vel maxime ingenii ſubtilitate praediti ſunt, ad res inanes, minutas, friuolas prolabuntur, ſummamque gloriam ex eo captant, ſi quid in iis ſe detexiſſe, putant, quod aliorum perſpicaciam fugit; ſimilique ratione cum in rebus theologicis ſe gerant, non poſſunt non ipſimet plus damni inde referre, quam vtilitatis; quemadmodum & viciſſim theologorum ordini dedecus potius, quam ornamentum adferunt. Documento eſſe poſſunt ſcholaſtici doctores, quorum ſubtilitatem nemo non miratur, ineptias vero nemo non ridet & deteſtatur. Atque horum ſane exemplo patet, quod & ratio euincit, & experientia docet, ſummam ſubtilitatem ſaepe ſummam eſſe ſtultitiam, ſubtilitatemque, niſi ſapientiam modeſtiamque comitem habeat, in ſtudio theologico ſaepius plus nocere, quam prodeſſe.

§. V. *Ingenii* vſus in ſcripturae ſacrae interpretatione (ad quam tamen & iudicium vel maxime concurrit) ſeſe oſtendit, cum apta & rerum, de quibus agitur, & perſonarum, qui verba faciunt, & adfectuum, qui ad loquendum aut ſcribendum eos impulerunt, circumſtantiarum denique omnium repraeſentatio, vtramque in ea faciat paginam. Plurimum etiam ingenium confert, ad animi notiones perſpicue, diſtincte, ordinate proferendas; ipſamque adeo eloquentiam, quae inſignem vſum praebet, ſiue ſermones ad populum habendi, ſiue ex cathedra alii erudiendi, ſiue alia doctoris in eccleſia munera adminiſtranda ſint. *

* In ingenio, ſpeciatim ſic dicto, imaginationis vim maxime ſeſe exſerere, ſupra obſeruauimus. Hinc & poëtis quandoque κατ' ἐξοχὴν ingenium tribuitur, quod hi ſint εὐφαντασιώτατοι, id eſt, imaginandi vi prae ceteris polleant. Vnde & patet, ad quaenam litterarum ſtudia eiusmodi vis ingenii requiratur. Quod diximus, in interpretatione ſcripturae ſacrae, immo & quorumlibet aliorum auctorum, eam admodum neceſſariam eſſe, nemo, niſi harum rerum plane rudis, negauerit. In mentem ſcilicet auctoris is demum quam rectiſſime penetrabit, qui eum, qua adfectus, qua circumſtantias omnes ita ſibi repraeſentauerit, vt velut eius loco verba faciat, ipſeque mentem eius exprimat. Quod tum in aliis, tum maxime eiusmodi ſcriptis, quae ex certo quodam adfectu fluxerunt, ita ſe habere, res, puto, ipſa docet. Hoc vero citra controuerſiam imaginationis opus eſt. In eloquentia porro, aeque ac poeſi, imaginandi vim vtramque facere paginam, nemo neſcit. Eloquentiae autem vſus non modo in ſermonibus ſacris, qui ad populum ſunt habendi, ſed in aliis quoque paſtoralis muneris functionibus, quotidie conſpicitur. Intelligenda haec omnia ſunt de ingenio & imaginatione, per iudicium temperata, & cui nec ſapientia directrix ac moderatrix deeſt. Ceteroquin enim, qui viua nimis imaginatione pollent, facile extra limites feruntur, rectiusque a ſtudio theologico arcentur. Etenim, ſi aliae quaedam cauſſae accedant, ad enthuſiaſmum, & fanaticiſmum, proni ſunt, & in varia παράδοξα praecipites ruunt; turbantque adeo magis, quam iuuant, eccleſiam. Quod ſi etiam hoc non contingat, eloquentia tamen ſubinde quadam turgida, pluſque vanitatis, & oſtentationis, quam ſolidae eruditionis habente, & ſe ipſos, & doctrinam, munusque ſacrum, omnium ludibrio, ſaltem prudentiorum contemtui, exponunt; ſeque theatro, quam ſuggeſtui, aptiores, demonſtrant. Quo autem maiori ſaepe homines plebeii, qui eiusmodi eloquentiae vmbra, vanaque ſpecie, facile capiuntur, perque eam in omnem verſantur partem, iſtos oratores proſequuntur admiratione & veneratione; eo grauiora & eccleſiae, & rei publicae inferunt damna, auctoritate iſta, quam ita ſibi compararunt, & imperio demagogico, ad omnia, quae ambitio, aut alia quaedam male ſana cupiditas ſuadet, turpiter abutentes. Optandum itaque omnino, vt procul ab hiſce ſacris abſint, qui ingenio ſuo nimis indulgent, nec imaginationi iniicere frenum, eamque intra iuſtos coërcere didicerunt terminos.

§. VI. *Memoriae* vero neceſſitas inde patet, quod ſine linguarum, latinae, graecae, ebraeae, aliarumque, itemque hiſtoriarum, ciuilis, eccleſiaſticae, litterariae, notitia, proficere in theologia non liceat. Quae, vt & alia quam plurima, quae theologum ſcire decet, cum memoriae vſu maximam partem abſoluantur, quantum ea praeſidium adferat, palam eſt. *

* *Memoriae*, inquit DAN. GEORG. MORHOFIVS, *quanta in diſciplinarum apprehenſione vis ſit, quantus in omni vitae genere vſus, nemo ignorat. Illa enim promiconda omnis ſcientiae eſt, ac niſi illa bene conſtituta ſit, materiamque iudicio ſubminiſtret, quam ſubigat, diſpenſet, ordinet, ſterilia omnia erunt, & inania, ceteraeque animi dotes claudicabunt. Qui ciuilibus ac diuinis ſtudiis, qui etiam naturalibus animum adplicauere, memoria opus habent, vt totum illud diſciplinarum vaſtiſſimarum latifundium animo comprehendant; polyhiſt. litter. l. II. c. VI. p. 399.* Recte quidem. Sed niſi iudicium & ingenium cum memoria coniunctum fuerit, & ſapientiae di-

rectio quaedam acceſſerit, haec parum proderit. Sunt enim eiusmodi homines, qui memoria praeſtant, ſed reliquis facultatibus ingenii deſtituuntur, illis ſimiles, qui diuitias poſſident, quibus vti neſciunt. Apud homines imperitos eruditionis laudem quandoque conſequuntur, ſed non apud veros harum rerum exiſtimatores. Ad theologiam quod attinet, cum nulla eius pars ſit, quae non inſigne iudicium poſtulet, ad omnes aeque inepti erunt. Non equidem eccleſiae valde nocent, nec tamen etiam multum proſunt. Iungenda, & expendenda, quae de memoria diſſerit DIODOR. TVLDENVS, de *cognitione ſui, l. III. c. V. p. 283. ſeqq.*

§. VII. Cum in hiſce omnibus diuerſi dentur gradus, non quidem neceſſe eſt, vt ſummus excellentiſſimusque ſemper adſit. Namque &, qui mediocri iudicio, & ingenio, & memoria praeditus eſt, eo usque proficere poteſt, vt munere quodam cum aliorum fructu fungatur. Immo, cum ipſorum munerum eccleſiaſticorum magna ſit varietas, ipſa donorum, quae hinc oritur, diuerſitas opportune quandoque accidit; ne deſint, qui ſingulis, prout eccleſiae vtilitas poſtulat, praefici queant. *

* Qui in minoribus, ſeu tenuioribus officiis conſtituti ſunt, ſi modo iis recte fungantur, non minus eccleſiae commoda promouere poſſunt, quam, qui magnis dignitatibus, titulisque honorum fulgent. Immo illorum vt vtilior eccleſiae, ita Deo quoque gratior, quam horum, eſt opera. Interim, qui ingenio & doctrina aliis praeſtant, minora eiusmodi, & tenuiora munera, vtpote longe infra merita ſua poſita, aſpernantur. Multis itaque, iisque maxime neceſſariis, miniſtris eccleſiae carendum eſſet, ſi, quae medii ordinis ſunt, aut ab infimo etiam non multum diſtant, ingenia a ſtudio theologico prorſus arcerentur. Accedit, quod ſubinde eiusmodi homines probitate, fidelitate, diligentia, aliisque virtutibus, ingenii defectum compenſent. Miranda hinc in tanta donorum naturalium & ſpiritualium diuerſitate, prouida Numinis cura & benignitas conſpicitur, quae omnibus eccleſiae neceſſitatibus hac ratione ſapientiſſime conſulit; conf. *Eph. IV, 12. 16. Col. II, 19.* Poſſunt huc etiam quodammodo referri verba Pauli: *in magna domo non tantum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed etiam lignea, ac teſtacea; & alia quidem ad decus, alia ad dedecus. Si quis igitur ſeſe ab his expurgauerit, erit vas ad decus, ſanctificatum, & adcommodatum vſibus domini, & ad omne opus bonum comparatum, 2. Tim. II, 20. 21.* Eccleſiam namque cum magna domo confert, in qua varia ad uſum oeconomicum ſint vaſa. Vaſa autem haec tum ratione materiae conſiderari poſſunt, tum ratione vſus. Ratione vſus ſi ſpectentur, quaedam ad decus, quaedam ad dedecus comparata ſunt. Per ea itaque, quae ad decus comparata ſunt, homines probos intelligit, verosque chriſtianos; vti per ea quae ad dedecus ſunt comparata, improbos, & hypocritas, qui veris chriſtianis interdum ſunt immixti. Iam, licet etiam ratione materiae vaſa differant; nihil tamen obſtat, quo minus omnia ſint comparata ad decus; adeoque & ratione donorum, & munerum, & actionum, diſcrimen aliquod inter veros chriſtianos intercedere poteſt, vt nihiloſecius omnes Deo aeque grati ſint. Verum quidem eſt, quod unus idemque homo certo reſpectu ad vaſa aurea, argentea, ceteraque referri queat; poteſt tamen etiam de diuerſis hominibus idem intelligi, & quin intelligendum ſit, nullus fere dubito. Rurſus, licet apoſtolus generatim de omnibus chriſtianis loquatur; ſpeciatim tamen hoc de variis miniſtro-

miniſtrorum verbi diuini ordinibus, muneribus atque donis accipi poteſt. Ita certe CLAVD. ESPENCAEVS: *Ex eadem quoque diuerſitate materiae graduum in eccleſia diuerſitas attenditur ſuperiorum & inferiorum; comment. in 2. Tim. II, 20. p. 55.* vbi & fuſiſſime, adductis cum primis veterum diuerſis explicationibus, de hocce loco diſſerit. Sit itaque diſcrimen inter vaſa intuitu materiae, ſint diuerſa hominum ingenia, modo omnia ad decus eccleſiae ſint comparata, Deoque adeo, ceu ſupremo domino, placeant; quod quidem fieri poteſt, ſi quis ſe ab omnibus, quae Deo diſplicent, purgauerit, vt idem apoſtolus monet. Eodem modo in eccleſia ſe res habet, vt hoc adhuc addam, ac in re publica, in qua mediocrium non minus, quam praeſtantiſſimorum ingeniorum, vſus eſt; quod praeclare PLATO docet, eadem fere, qua Paulus, ſimilitudine iſtud illuſtrans: Ἐστὲ μὲν γὰρ δὴ πάντες οἱ ἐν τῇ πόλει ἀδελφοί· ἀλλ᾽ ὁ θεὸς πλάττων, ὅσοι μὲν ὑμῶν ἱκανοὶ ἄρχειν, χρυσὸν ἐν τῇ γενέσει συνέμιξεν αὐτοῖς, διὸ τιμιώτατοί εἰσιν· ὅσοι δ᾽ ἐπίκουροι, ἄργυρον· σίδηρον δὲ καὶ χαλκὸν τοῖς τε γεωργοῖς καὶ τοῖς ἄλλοις δημιουργοῖς· Quae IOAN. SERRANVS ita transfert: *Eſtis nimirum omnes, qui in ciuitate verſamini, tamquam fratres; ſed cum Deus formaret eos veſtrum, qui ad imperandum idonei ſunt, aurum in eorum generatione ipſis admiſcuit, idcirco pretioſiſſimi ſunt: iis autem qui ad auxilium imperantibus ferendum idonei eſſent futuri, argentum; & agricolis & ceteris opificibus ferrum & aes; lib. III. de republ. p. m. 415.* add. GVIL. BVDAEVS, *de ſtudio inſtituendo, c. XXI. p. 28.*

§. VIII. Prudentiae itaque ratio poſtulat, vt quis ſe ipſum diligenter exploret, aut ab aliis explorari non detrectet, quid valeant humeri, quid ferre recuſent. * Eiusmodi enim defectu ſi quis laboret, qui eum ad litterarum ſtudia plane ineptum reddat; hoc demum ſupereſt, vt alias rerum ſuarum ineat rationes. ** Contingere vero etiam poteſt, vt, licet quis ad theologiam non ſit aptus, nihil tamen obſtet, quo minus aliud litterarum ſtudiorumque genus eligat; quod ſi faciat, recte rebus ſuis conſulet. ***

* De explorationis neceſſitate dubitari nequit. Multa autem cum ſaepius obſtent, quo minus quis ſe ipſe explorare queat; aliorum omnino adhibenda opera, expetendumque conſilium, modo & ipſi ad hoc ſint idonei. Recte DAN. GEORG. MORHOFIVS: *Felices vocabant eos Stoici, qui noſſent, quo genio vterentur, ac* εὐδαίμονας *dicebantur, quibus bonus obtigerat genius. Verum cum ea ſolertia pauci ſint, vt ſuum deprehendere ipſi ingenium poſſint; nam certe aliquid vulgari ingenio maius eſt illi, quo pauci fruuntur, qui ſe ipſum ſatis explorare poſſit, ac plerumque comparatione ad alios inſtituta, bonique praeceptoris ope, id addiſcitur. Nobis enim obſiſtit* φιλαυτία, *& inſita quaedam de rebus noſtris opinio, quae mentis illud lumen in nobis non raro extinguit. Aliorum ergo conſilia & iudicia incorrupta ſequi oportet &c. polyhiſt. litter. l. II. c. I. p. 350.* Optandum itaque eſſet, vt, quemadmodum PLATO in republica proxenetas inquirendis & probandis ingeniis neceſſarios eſſe duxit, in *Theaeteto, p. 542.* ita in publicis litterarum domiciliis conſtituerentur, qui iuuenum ingenia adcurate explorarent, illosque, quodnam quisque ſtudiorum debeat ingredi iter, edocerent. Athenienſium morem, adoleſcentium patientiam percontandi, huc comparatum fuiſſe, nonnulli exiſtimant; vnde forte conſuetudo, in plerisque Europae academiis recepta, iuuenes initiandi, turpiſſimo abuſu foedata, profluxit. Quid-

quid eius ſit, philoſophos quosdam neminem olim in diſciplinam ſuam, niſi explorata prius eius indole, recepiſſe, conſtat; quod de Pythagora diſerte A. GELLIVS docet, *noct. Atticar. l. I. c. IX.* Pluribus haec ipſemet perſequutus ſum in *diſſert. de cultura ingenii, c. II. §. XII.* Quaeri vero etiam poſſet, quo pacto exploratio ingenii inſtituenda? Hoc enim vel maxime eos ſcire decet, qui ſua aut aliorum explorare ingenia cupiunt. Sed & hac de re, quantum ſatis, a me dictum *diſſert. cit. cap. III. §. XIII.* Hoc certum, non quemlibet ad hanc explorationem inſtituendam aptum eſſe. Vnde, ſi vel maxime ſummi imperantes lege ſanciant, vt talis exploratio inſtituatur, quod noſtra aetate factum nouimus; res tamen feliciter non procedet, niſi viri harum rerum peritiſſimi ad hancce explorationem admittantur.

** Quaedam enim ingenia ad litterarum ſtudia prorſus inepta eſſe, ſupra obſeruauimus, ad §. *IV.* quae adeo merito ab iis remouentur.

*** Quemadmodum rurſus ingenia, ſi non ad hoc, attamen ad aliud genus ſtudiorum apta eſſe, itidem ad §. *IV.* huius capitis docuimus. Quaeri adhuc poſſet, ſi quis iam ſtudio theologico ſe conſecrauerit, & tum demum eiusmodi ingenii defectum deprehendat, an aliud eligere aut vitae, aut ſtudiorum genus, fas ſit? Ego, fas eſſe, non dubito, ſi defectus eiusmodi ſit, qui obſtet, quo minus finis ſtudii theologici obtineri queat. Ceteroquin vero, ſi quis ſemel ſtudium theologicum amplexus ſit, non temere id iterum deſerendum eſſe, lubens fateor; quod & pluribus euincit ANDR. GERH. HYPERIVS, quem ſupra iam laudauimus, in libro, *de ſacrarum litterarum ſtudiis non deſerendis,* cui iungatur diſſertatio: *vtrum ſtudioſus theologiae ſalua conſcientia theologiae ſtudium deſerere, & iuris prudentiae aut medicinae ſe conſecrare poſſit?* quae exſtat in IO. FRIDER. MAYERI *muſeo miniſtri eccleſiae, part. I. c. I. p. 15. ſeqq.*

§. IX. Nec tamen illud praetermittendum, quod defectus omnium harum facultatum corrigi quandoque & emendari queant. Non ergo ſtatim abiiciendus eſt animus, ſed tentandum prius, an, quod natura denegauit, reddere vtcumq; diligentia valeat. Exercitatio autem vtramque hic facit paginam, qua, ſi continua ſit, ea effici poſſunt, quae ſpem opinionemq; mortalium multum ſuperant.*

* Varia equidem viri docti excogitarunt, vt defectibus ingenii medelam adferrent; eſtque ingens librorum, huc ſpectantium, numerus, quos operoſe recenſet DAN. GEORG. MORHOFIVS, *polyhiſt. litterar. l. II. c. III.* vbi de *facultatum animi ſubſidiis* generatim agit, & *c. IV.* vbi de *ſubſidiis dirigendi iudicii* diſſerit, denique & *c. VI.* vbi de *memoriae ſubſidiis* verba facit. Sed, ſi dicendum, quod res eſt, multa in his vana, inepta, ad oſtentationem potius, quam vſum, comparata. Mea ſententia, exercitatio vtramque hic facit paginam, quae interdum ad miranda & ſtupenda efficit. Nihil ſane tam difficile eſt, quod non exercitatione obtineri queat. *Nihil eſt tam difficile & arduum,* inquit SENECA, *quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducat adſidua meditatio; nullique ſunt tam feri & ſui iuris adfectus, vt non diſciplina perdomentur. Quodcumque ſibi imperauit animus, obtinuit. Quidam, ne vnquam riderent, conſecuti ſunt, vino quidam, alii venere, quidam omni humore interdixere corporibus. Alius contentus breui ſomno, vigiliam indefatigabilem extendit; didicerunt tenuiſſimis & aduerſis funibus currere, & ingentia, vixque humanis toleranda viribus onera portare, & in immenſam altitudinem mergi, & ſine vlla reſpirandi vice perpeti maria; l. II. de ira, c. XII. p. m. 57.*

m. 57. Ipſe quoque hoc agnoſcit MORHOFIVS, quando, *in his mediis*, inquit, *exercitatio recte ordinata praecipuum ſibi locum vindicat. Ex ea enim habitus formatur.* Recte idem addit: *Eſt vero & in illa prudentia quaedam obſeruanda, vt attemperetur ingeniis & finibus, ac recto ordine inſtituatur &c. loc. cit. c. III. p. 368.* Si quaeras, quaenam iſtae exercitationes ſint? iudicium quidem emendari atque corrigi poteſt per diligentem, ſaepiusque repetitam, analyſin eiusmodi librorum, qui argumentum tractant, ad quod recte percipiendum & digerendum iudicii vis requiritur. Nec abs re fuerit, ſaepe ad quaeſtiones, huc comparatas, reſpondere, quod tum demum rite procedet, ſi utamur magiſtro vel praeceptore, qui eiusmodi quaeſtiones proponat, & deinceps, vbi rem acu tetigimus, aut forte aberrauimus, oſtendat. Diſputationes quoque academicas, ſi recte inſtituantur, plurimum huc conferre, nemo dubitauerit. Ingenium, ſpeciatim ſic dictum, excitabitur, perficieturue, diligenti librorum, in quibus viuidae imaginationis vis ſe prodit, vti oratorum, & poëtarum, ſunt monumenta, lectione, tum vero imitatione, & ſaepius iterata compoſitione. Memoriae denique ſuccurremus recitationibus frequentibus eorum, quae eidem mandauimus; quamquam ipſe ordo, methodusque, in quorumlibet argumentorum pertractatione, eam plurimum iuuet. Haec ſi quis obſeruet, quod operae ſit pretium, ſe feciſſe, deprehendet.

§. X. Characteres ingenii ad theologiam apti, ſunt; * ſi quis, ſpretis minutiis, magna, ſublimia, excelſa conſectetur; ** ingenti porro deſiderio, veritatem vbique pernoſcendi, flagret; *** cognitam denique ſerio amplectatur, eamque reliquis omnibus huius vitae bonis praeferat. * Qui tamen intellectui ita vindicandi ſunt, vt ex voluntatis diſpoſitione præcipue originem trahant. **

* Si ſcilicet reliqua, quae ad litterarum ſtudia rite tractanda requiruntur, iam adſint, & haec inſuper, de quibus hic loquimur, & quae, vt diximus, maximam partem a voluntatis diſpoſitione pendent, accedant; tum quis prae reliquis, qua dona haecce naturalia, ad theologiam aptus cenſetur.

** Contingere poſſe, vt quis per naturam iudicio polleat, ſed, vt per conſuetudinem, aliasque cauſſas, rebus friuolis, minutis, & inanibus, ita adhaereſcat, vt ad grauiora, &, quae momentum aliquod trahunt, plane ineptus euadat, ſupra iam ad §. *IV.* obſeruauimus. Ab his itaque longe diuerſi ſunt, qui, ſano, ſobrioque iudicio prædıti, duce inſuper ſapientia, magna, ſublimia, excelſa, qualia diuina omnia, in ſe ſpectata, ſunt, conſectantur. Et tales quidem oportere eſſe, qui theologiae operam nauant, nemo dubitauerit, niſi qui, quid theologia ſit, &, quod circa res, ad hominum ſalutem aeternam ſpectantes, verſetur, ignorauerit. Et recte ſane inter praeſtantis ingenii (quale & ad theologiae ſtudium requiritur) ſigna DIODOR. TVLDENVS *iuſtum ad res ſublimes inſtinctum* refert, immo primo loco collocat, idque hunc in modum explicat: *Sic in philoſophia videbis paucas ſelectasque mentes collineare ad Dei ac naturae contemplationem, ad rei publicae morumque compoſitionem; degeneres vero & plures cauillatiunculis, inenodabilibusque quaeſtionibus, quae magis ad verborum certamen, quam examen rerum ſpectant, ſcabere curioſitatem ſuam. In Hiſtoria vero cernere eſt, generoſa ingenia perſequi dictorum factorumque illuſtria documenta, & conſiliorum aſtus; vbi viliores mentes ad otioſos modo* anti-

antiquitatis ritus, aut aptas mulcendis auribus fabulas adhaereſcunt. Ex iurisprudentia quoque eximia indoles ea potiſſimum haurit, quae perpetuae aequitatis, & ſalutaris prudentiae plurimum habent; at ſcaeuae mentes ea inprimis excerpunt, quae opportuna calumniis; otioſae leuesque, ea, quae philologiam redolent; curioſae & ambitioſae, ea, quae maximis ambiguitatibus in omnes diſtrahuntur ſententias. Maximum quodque ingenium

Odit difficiles habere nugas;
Nam ſtultus labor eſt ineptiarum.

Nam apud illos aeui conſenſu iam comprobatos, quorum monimentis propagata ad nos eruditio eſt, vix exempla inueneris operoſarum de nihili rebus quaeſtionum &c. de *cognitione ſui, l. III. c. III. p. m. 273.* Atque haec cum generatim de litterarum ſtudiis veriſſima ſint; multo magis in theologia ita ſe habent, ſublimia, magna, excelſa, hoc eſt, ad noſtram aliorumque ſalutem ſpectantia, in ea conſectanda eſſe; eosque, qui eiusmodi ingenio praediti ſunt, vt talia tantum quaerant, prae omnibus aliis verum, ad quem hocce ſtudiorum genus ducit, finem conſequi poſſe.

*** Si GALENVS in adoleſcente, rite in litterarum ſtudiis profecturo, cumprimis veritatis requirit amorem; de *conſtit. art. c. VI.* quanto rectius idem a theologiae cultore exigitur? Si quis in grammaticis, criticis, phyſicis, aliisque humanae eruditionis partibus, errorem pro veritate amplectatur; non aliud fere inde refert incommodum, quam, vt aliorum experiatur cenſuras, exiſtimationique eius forte inde labes quaedam adſpergatur. Maioris equidem momenti eſt, ſi quis in iis erret, quae, de vita componenda, aut re publica adminiſtranda, recta ratio praecipit. Sed, ſi quis in iis, de quibus doctrina chriſtiana, ſeu theologia nos erudit, a recto diſcedat tramite, & errore in transverſum agatur; periculo is, aeternam amittendi ſalutem, quae pluris, quam totius mundi poſſeſſio, nobis eſſe debet, ſe exponit. Inter homines interim, intuitu ingenii quotidie hocce diſcrimen deprehenditur, quod quidam magno niſu impetuque ad veritatem, vbique pernoſcendam, ferantur; eo, quod eam ſuo recte metiri pretio didicerunt; cum alii contra nulla de re minus, quam de veritate, ſint ſolliciti, animi leuitatem hoc ipſo prodentes, ſed &, quam parum ad grauiora apti ſint ſtudia, demonſtrantes.

* Hoc inde rurſus prouenit, ſi veritatis, præſertim in diuinis, pretium rite aeſtimare ſciamus. Inde enim amor quidam in nobis excitatur, atque adfectus, quo, quae ſemel recte agnouimus, amplectimur, & retinere ſtudemus. Hinc & quandoque zelus quidam oritur, ad propugnandam ac defendendam veritatem acriter nos impellens. Qui quidem amor veritatis, indeque ortus zelus, vt in theologiae cumprimis ſtudio & neceſſarius eſt, & magnam laudem promeretur; ita cautione tamen ſimul & circumſpectione opus eſt, ne vana veritatis hic nos decipiat ſpecies, neue limites, quos prudentia conſtituit, tranſiliamus. Tum enim plus damni, quam emolumenti, eccleſia hinc percipiet. Quod autem pauci ita comparati ſint, tum a leuitate quadam itidem, tum & ab ignorantia, ſubinde vero & ab ignauia, ſimilibusque cauſſis, deriuandum eſt.

** Ex iis, quae huc vsque diximus, hoc abunde intelligitur. Confirmatur ſimul inde, quod ſupra monuimus, in varietate ingeniorum diiudicanda, ad voluntatis diſpoſitionem, & hinc ortum adfectuum moderamen, vel maxime attendendum eſſe.

§ XI.

§. XI. Nimirum & in voluntate dona quaedam naturalia, ſeu virtutes, conſpiciuntur, quae ad litterarum, theologiae cum primis, tractationem, ex voto inſtituendam, plurimum conferunt; *conſtantia* ſcilicet, *laborum patientia, fortitudo*, & quae aliae ſunt eiusdem generis. * Hiſce enim, quae vtique per naturam nonnullis inſunt, concurrente cumprimis corporis conſtitutione, ſeu temperamento, litterarum ſtudia egregie promoueri, conſtat; ſique, per gratiam Numinis, quae noxia in iis ſunt, remoueantur, multum eas prodeſſe, negari nequit. ** Referre huc etiam licet *inſtinctum* quemdam, ſeu impulſum ſingularem ad certum ſtudiorum genus; in quo prouida Numinis cura, res mortalium ſapientiſſime diſpenſans, vel maxime ſeſe exſerere ſolet ***

* Immo ipſe ille veritatis amor, quem antea, ceu characterem ingenii ad theologiam apti, commendauimus, huc vel maxime ſpectat. Generatim enim conſideratus in quibusdam per naturae conditionem, aut per cauſſas certe naturales, conſpicitur; etſi longe eminentiori modo in illis ſit, qui a ſpiritu ſancto luce diuina ſunt colluſtrati. Pertinet huc etiam qualecumque iſtud adfectuum regimen, ad quod naturae vires interdum eo vsque ſufficiunt, ne prorſus exorbitent, modumque excedant; ſine quo neminem in quocumque litterarum genere rite proficere poſſe, recte viris doctis, harumque rerum peritis, obſeruatum eſt. Mox enim attentionem, quam litterarum tractatio requirit, impediunt; mox nebulis intellectum replent, quo minus, quid verum, quid falſum, quid vtile, quid noxium ſit, perſpicere valeat; mox animum frangunt, & ad labores tolerandos ineptum reddunt; mox alia ratione a recto tramite miſeros mortales abducunt. Recte IO. FVNGERVS: *Si hanc commotionem & impetum a ciuibus abeſſe voluit philoſophus Plato; quanto magis aberit a chriſtianis, & humanioribus ſtudiis dedicatis hominibus? Nec enim illi turbidis motibus agitari debent, verum ab omni feruore longiſſime ſequeſtratam rationem habere*; de *pueror. diſciplina & recta inſtitut. c. XVI.* Longe autem rectius vtique hocce moderamen adfectuum procedit, ſi vires gratiae acceſſerint; qua de re alibi.

** Virtutum iſtarum naturalium vt egregius plane in litterarum ſtudiis vſus eſt; ita & iisdem homines nondum regeniti, vitiisque dediti, grauiſſime, ad ſuam, aliorumque, perniciem, abutuntur. Omnia enim iſta naturae munera ita comparata ſunt, vt, pro diuerſa iis vtentium indole ac ſtatu, aut noxia, aut ſalutaria euadere queant. Salutaria autem tum demum erunt, ſi in regenitis, per Numinis gratiam, a vitiorum, quae cum iis coniuncta ſunt, ſordibus, purgentur, & rite ex ſapientiae diuinae praeſcripto dirigantur, & hac ratione velut ſanctificentur. Quo ipſo tamen ſpiritualia potius, quam naturalia, dicenda erunt; vt deinceps §. XIII. oſtendemus.

*** Inſtinctus iſte eſt motus quidam ac inclinatio voluntatis, & ex variis quidem cauſſis oriri poteſt; vt tamen diuina hic neutiquam prorſus remouenda ſit prouidentia. Haec enim cum in iis, quae ad eccleſiam & rem publicam ſpectant, quam luculentiſſime conſpiciatur; ad vtriusque autem fata diſpenſanda viri, ingenio & doctrina praeſtantes, plurimum conferant; dubitare non licet, quin Deus eos, quibus in hiſce, ad opera ſua peragenda, ceu inſtrumentis, vti decreuit, ad eiusmodi vitae & ſtudiorum genus amplectendum excitet,

Digitized by Google

citet, quod ſcopo & fini, quem ſibi, in eccleſiae ac rei publicae rebus dirigendis, propoſuit, eſt conueniens. Sed cum omnium ac ſingulorum quoque hominum curam Deus gerat, & a vitae, ſtudiorumque, quod quisque ſectatur, genere, eorum praecipue pendeant fata; Deum hic ſemper, ſingulari quadam ratione, partes ſuas agere, manifeſtum eſt. Obſeruant autem nonnulli, in ipſa ſubinde pueritia inſtinctum illum, & inclinationem, ad certum vitae & ſtudiorum genus, ſignis quibusdam ac indiciis ſeſe prodere. Eoque pertinet, quod GREGORIVS Nazianzenus, de Athenienſium more, adoleſcentum ad certum vitae genus propenſionem explorandi, hunc in modum refert: Νόμος ἦν Ἀθήνησι παλαιὸς, ὡς δ' ἐγώ φημι, καὶ κάλλιστα ἔχων· ἐπειδὰν φθάσωσιν εἰς ἥβην οἱ νέοι, πρὸς τέχνας ἄγεσθαι· ἄγεσθαι δὲ τὸν τρόπον τοῦτον· προτίθεσθαι δημοσίᾳ ἑκάστης τέχνης ὄργανα, καὶ προσάγεσθαι τούτοις τοὺς νέους· ὅτῳ δὲ τύχῃ χαίρων ἕκαστος, καὶ προστρέχων τούτῳ· καὶ τὴν τέχνην διδάσκεσθαι· ὡς τοὺς μὲν κατὰ φύσιν ἐπιτυγχάνοντας, ὡς τὰ πολλὰ. τοὺς δὲ παρὰ φύσιν διαμαρτάνοντας· *Athenis vetus lex erat, eaque, meo quidem iudicio, praeclariſſime conſtituta, vt adoleſcentes, cum pubertatis annos attigiſſent, ad artes deducerentur; ducerentur autem ad hunc modum. Cuiuslibet artis inſtrumenta publice proponebantur, atque adoleſcentes ad ea adducebantur. Quocumque autem delectari quemquam contigiſſet, ad idque accurreret, huius quoque artem edocebatur; quod videlicet ea vt plurimum recte ſuccedant, quae natura duce adgredimur, ac contra ea, quae inuita natura ſuſcipiuntur, ſpem fruſtrari ſoleant; epiſt. LXIII. (LVII) ad Eudoxium rhetorem, tom. I. oper. p. m. 819.* Scribit hoc GREGORIVS ad Eudoxium rhetorem, vt illi perſuadeat, ne philoſophiae, ſed chriſtianae, ſtudium deſerat, quippe ad quam velut a natura ipſa factus ſit. Recteque hac occaſione oſtendit, naturae ductum, in eligendo vitae ſtudiorumque certo genere, minime contemnendum, ſed ſtudioſe potius ſequendum eſſe. Hinc ita pergit: τί βούλεταί μοι τὸ διήγημα; καὶ σέ φημι χρῆναι πρὸς φιλοσοφίαν γὰρ ἔχεις ἐπιτηδείως ταύτης μὴ ἀμελεῖν· μηδὲ πρὸς ἄλλο τι μᾶλλον ἐθίζεσθαι τῶν οὐκ δικαίων, ἢ ταύτης περιέχεσθαι πρὸς ἣν νένευκας· οὐχ ὅτι κρείττων μόνον ἐστὶν, ἀλλ' ὅτι καὶ προσφυεστέρα· τὸ δὲ μὴ βιάζεσθαι ῥοῦν ποταμοῦ, καὶ ἡ παροιμία παιδεύει· καὶ ἱπποσύνην δεδαῶτα μὴ ᾄδειν ἐθέλει ἡ ποίησις κ. τ. λ. *Quorſum autem ſpectat haec narratio? Nimirum hoc aio tibi prouidendum eſſe, ne philoſophiam, ad quam natura optime comparatus es, negligas, aut cuiquam alii arti, quae tibi non ſatis apta ſit, potius adſueſcas, quam hanc complectaris, ad quam natura propendes; non modo quia praeſtantiſſima eſt, ſed etiam, quia ad naturam tuam adcommodatior. Porro non eſſe vi cohibendum fluminis curſum paroemia quoque ipſa docet, ac poëſis etiam ei, qui equitandi artem didicerit, cantandi ſtudio interdicit.* Quae quidem rectiſſime ſe habent, cum experientia doceat, atque confirmet, quae contra animi propenſionem, & inuita, quod aiunt, Minerua ſuſcipimus, raro admodum feliciter procedere. Quod vero antea innuimus, & GREGORIVS, de Athenienſium more verba faciens, ſignificat, in pueris atque adoleſcentibus inſtinctum illum, atque inclinationem, ad certum ſtudiorum & vitae genus, ſignis quibusdam atque indiciis manifeſtari, idque ſaepius in illis deprehenſum, qui velut ipſa natura, aut potius Deo ipſo, cuncta ita ſapienter dirigente, duce, ad ſtudium theologicum animum adpulerunt ſuum; id exemplis quam plurimis comprobari poſſet, niſi ea iam diligenter collecta exhibuiſſet, & rem omnem eleganter ediſſeruiſſet, ANDR. GERH. HYPERIVS, de *ratione ſtudii theologici, c. I. p. 27. ſqq.* cuius, quae huc ſpectant, verba exhibentur in diſſertatione: *vtrum ſtudioſus theologiae ſalua conſcientia theologiae ſtudium deſerere, & iurisprudentiae aut medicinae ſe conſecrare poſſit?* in IO. FRID. MAYERI *muſeo miniſtri*

noſtri eccleſiae. p. 29. ſeqq. vbi & inſtinctus ille, ſeu inclinatio ad ſtudium theologicum, inter ſigna internae vocationis refertur.

§. XII. Corporis denique non ſeponenda prorſus eſt conſideratio. Eius enim ſi laboribus, quos litterarum ſtudia requirunt, non ſufficiant vires; ſique cum aduerſa valetudine nunquam non ſit conflictandum; non feliciter, quae nobis propoſuimus, procedent. * Externa illa, quae ingens ſaepe inter homines conſtituere diſcrimen videntur, diuitiae, paupertas, nobilitas, ſtatus plebeius, magna quidem interdum, longeque grauiſſima impedimenta adferunt, quo minus finis ſtudii theologici rite obtineatur; ſubinde tamen etiam, ſi prudens directio accedat, ad eumdem conſequendum, adiumentum aliquod, atque praeſidium, adferunt. **

* Vt ergo pro ingenti Numinis beneficio reputandum, ſi corporis ea ſit conditio, quae laboribus, in litterarum ſtudiis, exantlandis ſufficiat; ita, ne intemperantia, aut adfectibus, modum excedentibus, aliaque ratione, corporis vires perdamus, ſanitateque profligata, variisque morborum generibus acceleratis, eccleſiam, & rem publicam, commodis, quae ad vtramque a nobis redundare poterant, priuemus, omni ſtudio a nobis eſt elaborandum. Quae vero ratio ſit, ſanitatem corporis conſeruandi, aut amiſſam recuperandi, a medicae artis magiſtris, de *diaeta litteratorum* praecipientibus, diſcendum eſt. Corporis interim ita gerenda eſt cura, ne inde anima damnum aliquod accipiat, monente Paulo, *Rom. XIII, 14.*

** Sunt, qui pauperes omnino a litterarum ſtudiis arcent; eo, quod ſumtibus, qui iis impendendi ſunt, pares non ſint. Librorum infinitam multitudinem obiiciunt, ſine quibus ad eruditionem ſolidam hodie nemini aditus pateat, quiue haud exiguo plerumque comparentur pretio. Nec datum iis eſſe, diu in ſcholis, aut academiis, ab ore praeceptorum pendere, aut exteras adire gentes, & quae alia ſunt eiusdem generis. At, ſi dicendum, quod res eſt, longe plura diuitibus obſtant, quo minus ad veram eruditionem, quae ſpiritus ſancti opus eſt, perueniant, quam pauperibus. Opes enim animum plerumque corrumpunt, & ad ignauiam, luxuriam, voluptatem inuitant; quibus laqueis qui ſemel irretiti ſunt, difficulter inde ſe expediunt. *Multis*, inquit SENECA, *ad philoſophandum obſtitere diuitiae; paupertas expedita eſt, ſecura eſt; epiſt. XVII, p. 62.* Paupertas acrioribus ſtimulis animum concitat, vt labori non parcat, ſed indefeſſo ſtudio quaeuis ſubeat. Paupertas excitat artes, ſecundum illud THEOCRITI:

Ἁ πενία, Διόφαντε, μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει *idyll. XXII. v. 8.* Et ISIDORVS paupertatem vocat πάσης ἐπιστήμης καὶ τέχνης μητέρα, *omnis ſcientiae & artis matrem, lib. II. ep. CXVIII.* paupertas vel inuitum ſobrium & frugalem eſſe iubet, viamque ad voluptates intercludens, animum ad litterarum tractanda ſtudia aptum reddit. Hinc eleganter iterum SENECA: *Si vis vacare animo, aut pauper ſis, oportet, aut pauperi ſimilis. Non poteſt ſtudium ſalutare fieri, ſine frugalitatis cura; frugalitas autem paupertas voluntaria eſt; l. c.* Cum ergo generatim pauperes, in litterarum ſtudiis tractandis, paucioribus leuioribusque circumſepti ſint impedimentis, quam diuites; quid de theologia dicemus? Nimirum ſententiam ipſe iam pronuntiauit ſeruator, δυσκόλως *difficulter diuitem in regnum caelorum intraturum*, adſerens; immo addens: *facilius eſt, camelum per foramen acus*

tranſire; quam diuitem in regnum Dei intrare; Matth. XIX, 23. 24. Qui autem ipſemet in regnum caelorum non intrat, quomodo aliis viam ad illud monſtrabit? quod theologi eſſe, conſtat. Quod ſi tamen diuites omnia iſta, quae a recto tramite eos retrahunt, perrumpant vincula, vt ſpretis caducis, diuina & aeterna ſerio amplectantur, adeoque, vt cum SENECA loquar, *pauperibus ſimiles* fiant; opes ſane, quas poſſident, plurima illis adferre commoda poſſunt, nec vllum eſt dubium, quin felicius in litterarum ſtudiis progredi, & ſublimius eruditionis faſtigium, ſi cetera quoque, quae ad hoc requiruntur, adſint, attingere queant, quam pauperes. Quod de diuitibus diximus, id etiam de illis, qui generis antiquitate, nobilitateque aliis praeſtant, obſeruandum. Sunt vtique ex illis haud pauci, qui ſe ordini addixerunt ſacro, immo qui &, ſcriptis editis, ſui memoriam ad poſteros propagarunt; quos REINH. HENR. ROLLIVS, in *bibliotheca nobilium theologorum hiſtorico-theologica ſelecta,* recenſet. Longe maiorem tamen illorum in romana, quam noſtra eccleſia, eſſe numerum, non mirabitur, qui cogitauerit, in illa diuitias, honores, potentiam, &, quidquid prauis hominum cupiditatibus placere poteſt, ſe illis offerre, qui ſacro eccleſiaſticoue ordini ſua non dubitant dare nomina; cum apud nos haec omnia longe aliter ſe habeant. Quodſi inſuper ea ſpectentur, quae vero, diuinitusque illuminato theologo propria ſunt, vt vita quoque, moribusque, ſe genuinum Chriſti ſeruatoris diſcipulum demonſtret; paucos ex nobilium ordine, qui hocce nomine digni ſint, inueniemus. Eiusque rei cauſſam in ipſa haud raro deprehendemus generis nobilitate & praeſtantia, quae plurimos impedit, quo minus, ex ſublimi iſto, quem ſe tenere putant, dignitatis gradu, ad ταπεινότητα illam, ſine qua chriſtianae vitae ratio ſibi non conſtat, deſcendant. Idque & Paulus apoſtolus confirmat, quando, οὐ πολλοὶ δυνατοί, οὐ πολλοὶ εὐγενεῖς vocationem, diuinitus ſibi oblatam, acceptaſſe, pronuntiat *1. Cor. I, 26.* Nec tamen de omnibus hoc dici poteſt, vti nec apoſtolus hoc adſerit, quod diuinam iſtam adſpernentur vocationem. Si qui ergo ita comparati ſunt, vt Chriſti doctrinam ſerio amplectantur; tum generis nobilitas non tantum non obſtabit, quo minus doctorum in eccleſia fungantur munere, ſed interdum etiam praeſidium aliquod adferet, vt eo rectius eccleſiae promouere commoda queant.

§. XIII. Ad dona haecce *naturalia,* de quibus hactenus dictum, accedere debent *ſpiritualia,* quae vtramque hic paginam faciunt; per quae etiam naturalia ſanctificanda, & ad legitimum ſalutaremque vſum dirigenda ſunt. *

* Sunt nimirum ſpiritualia bona duplicis generis. Quaedam κατ' ἐξοχὴν ita dicuntur, quoniam a ſpiritus ſancti operatione proficiſcuntur; vti omnia ea, quae cum illuminatione ex conuerſione hominis fluunt, vel exinde originem trahunt. Alia vero, in ſe ſpectata, ſunt naturalia, ſed, prout in hominibus regenitis, per ſpiritus ſancti gratiam, ab adhaerentibus vitiis purgantur, ad ſapientiae diuinae praeſcriptum diriguntur, & ita ſanctificantur, itidem ſpiritualia vocari poſſunt. Naturalia autem dona quaeuis eiusmodi purificatione, & ſanctificatione, opus habere, ſi iis rite vti velimus, ſique Deo placere debeant, ſupra iam ad §. *XI.* obſeruauimus.

§ XIV. Enimuero, cum chriſtianus quis prius eſſe debeat, quam theologus euadere queat; eorum quoque donorum, quae omnibus vera fide prae-

praeditis communia ſunt, qui ad theologiam accedit, particeps eſſe merito creditur. * In quibus augendis & amplificandis dum induſtriam omnem ſtudiumque collocat, aptior inde indies redditur, ad media ea rite vſurpanda, quibus finem ſtudii theologici conſequi licet. *

* Recte & praeclare LVD. ELLIES DV PIN, quamuis eccleſiae romanae ſacris addictus, *prima*, inquit, *regula, quam in educatione puerorum, ſtudio theologico deſtinatorum, praeſcribere ſibi debent, haec eſt, vt pectora eorum ad bonum emolliantur, mores formentur & emendentur, verique chriſtiani efficiantur; hoc eſt fundamentum, cui theologicum aedificium ſuperſtruendum eſt; ita nempe inſtitui debent, vt bonos prius chriſtianos, quam theologos ſeſe exhibeant;* in *methodo ſtudii theol. recte inſtituendi, c. V. p. 91.* Sed ex noſtratibus potius audire iuuat AVGVST. HERM. FRANCKIVM, optimum peritiſſimumque in hiſce magiſtrum & doctorem. De *chriſtianiſmo* enim *ſtudioſi theologiae* verba faciens; *primum*, inquit, *hoc & praecipuum in ſtudioſo theologiae requiritur, vt animus eius ſit rectus in conſpectu Dei.* Hoc porro ita explicat: *Cumque nondum anima cuiusque in eo ſit ſtatu, vt alte iam fodiſſe dici queat, & fundamenta ſupra petram ſtatuiſſe; hoc tamen ab vnoquoque requiritur, vt eorum in numero vere ſit, qui Deum recto ac ſincero animo quaerunt, & in Chriſto alte radicari, ſuperſtrui atque confirmari, ſeria mentis contentione ſtudent;* in *idea ſtudioſi theologiae, p. 31. 32.* Atque ita profecto res ſe habet. Si chriſtianus nondum ſit, hoc eſt, ea mentis indole praeditus, quae verum chriſtianum demonſtrat, aut id ſibi datum non credit, vt talis fiat; nullos omnino in theologia ſibi promittere poteſt progreſſus. Theologiae enim ſtudium cum ad incrementum cognitionis ſpiritualis, ſeu illuminationis, ſapientiae, aliorumque donorum ſpiritualium comparatum ſit; ipſum iam principium, ſeu radix, quae florem emittat, adeſſe debet. De eo quippe quod nondum exſiſtit, dicere nequeo, quod creſcat, aut augeatur, vel omnino, quod creſcere atque augeri queat. Ipſa, praeterea natura indolesque theologiae hoc requirit. Verſatur namque circa τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ *quae ſunt ſpiritus Dei*, de quibus Paulus adſerit, quod homo ψυχικὸς *animalis*, quales omnes ſunt, qui chriſtiani non ſunt, quantumuis ingenio & humana eruditione praeſtantes, ea non *recipiat*, immo, quod *ſtultitia ei ſint, & non poſſit ea cognoſcere*, ea quidem ratione, qua cognoſci debebant, *2. Cor. II, 14.* Veritatis porro cognitio in theologia vtramque facit paginam, eius ſcilicet, quam Deus in ſcriptura ſacra reuelauit, &, quae vim omnem humanae rationis multis modis ſuperat, quaeue multo adhuc minus ab homine ſolis naturae viribus inſtructo, ad vſum transferri poteſt. *At ſpiritum veritatis mundus* (adeoque omnes, qui adhuc mundo ſunt addicti, quiue regeniti, veriue chriſtiani non ſunt, *1. Io. II, 15. 16.*) *accipere nequit, quippe quem nec videt, nec cognoſcit*, ſententiam hancce pronuntiante ipſomet ſeruatore, *Io. XIV, 17.* Si quis *voluntatem Dei patris faciat*, eum demum cogniturum, num a Deo ſint, quae docuerit, iterum ſeruator optimus diſerte profitetur, *Io. VII, 17.* De eo autem, qui nondum chriſtianus, adeoque nec viribus gratiae inſtructus eſt, adſeri nequit, quod ſerio voluntatem Dei adſequi velit, multo minus, quod adſequatur. Hinc nec ad veritatem eorum, quae Chriſtus docuit, & per ſcripturam hodie adhuc docet, percipiendam, aptus eſt. Proficere theologiae cultor non tantum in iis debet, quae intellectum inſtruunt, maiorique indies luce perfundunt; ſed in iis etiam, quae ad

 vitae

vitae morumque integritatem ſanctitatemque ſpectant, vt omnium virtutum exemplum auditoribus ſuis praeire queat. Hoc enim ad eccleſiae doctorem requiri, & ſupra oſtendimus, & res ipſa quoque docet; conf. *1. Cor. XI, 1. 1. Petr. V, 2.* At, qui proficere poteſt, ſi gratiae viribus deſtitutus, vitiorum & prauarum cupiditatum grauiſſimo adhuc premitur iugo? Denique nec media, quae, ad finem ſtudii theologici obtinendum, commendari ſolent, rite vſurpare poteſt, qui verus chriſtianus non eſt. Inter haec enim primum praecipuumque locum tenet oratio, vt deinceps oſtendemus. Oratio Deo non placet, niſi ex vera fide proficiſcatur. Chriſtianus autem, qui re ipſa, vitaeque ſanctae ſtudio, ſe non demonſtrat, nec vera fide praeditus eſſe, dici poteſt. Recte beatus ABR. CALOVIVS: *cum precibus piis coniunctum eſſe oportet verae pietatis ſtudium*; additque: *ſanctae enim ad Deum tollendae ſunt manus, 1. Tim. II, 8. Quomodo ſanctificationem nominis domini, & voluntatis Dei adimpletionem, expetere precibus poſſumus, ſi nomen domini ipſimet non ſanctificare, ſed profanare, voluntatem Dei non adimplere, ſed violare pergimus? paed. theol. c. II. p. 56.* Mitto reliqua, quae addi poſſent; cum haec ſufficiant.

** Patet itaque, ea hic in cenſum venire dona ſpiritualia, quae ad finem ſtudii theologici, qui eſt, vt *homo Dei* ἄρτιος ſit, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος, obtinendum, faciunt; a quibus adeo diſtinguenda ſunt, quae ipſum finem, ſcilicet proximum ſtudii theologici, conſtituunt, ſeu quibus, qua intellectum, qua voluntatem in eo perfectionis gradu, illos condecoratos decet, qui theologorum tueri nomen, munereque publico in eccleſia fungi cupiunt, de quibus *c. I.* dictum.

§. XV. Diſpoſitio itaque quaedam ſpiritualis ad ſtudium theologicum hinc oritur; quae tum intuitu *intellectus*, donorumque ad eum ſpectantium, tum intuitu *voluntatis* conſiderari poteſt. Intuitu quidem *intellectus*, dum ita comparatus eſt, ut in vera Dei, rerumque diuinarum, cognitione, ſapientiaque diuina, proficere indies poſſit; conf. *Luc. II, 52. 2. Pet. III, 18.* * intuitu autem *voluntatis*, dum in ſanctitatis, omniumque virtutum, earum maxime, quae iuuenes decent, ſimulque progreſſus eorum, in rerum ſacrarum genuina & ſalutari tractatione, promouent, ſtudio, theologiae cultor creſcere adnititur, ſumma contra diligentia fugit, quae incrementum iſtud impediunt, aut a fine ſtudii theologici eum longius remouent. **

* Dona itaque iſta naturalia, de quibus ſupra egimus, ingenii foecunditas, iudicii acumen, memoriae felicitas, non ſufficiunt, niſi lux quaedam diuina, tenebras, omnibus connatas, expellens, & ſapientia directrix, in litterarum cumprimis ſtudiis prorſus neceſſaria, ſed vtraque nouis indies augenda incrementis, accedat. Dum vero ita ad utriusque incrementum tendimus, vtraque ſtatim vim ſuam exſerit, dona naturalia rite temperans, dirigensque, & viam quodammodo monſtrans, quam ingredi debeamus, ne ſperato excidamus fine.

** Voluntatis etiam rationem in iis, qui ſtudio theologico ſe addixerunt, habendam, & res iterum docet, & omnes, qui hac de re praecipiunt, magno conſenſu agnoſcunt. LVD. ELLIES DVPIN, quem antea iam laudauimus, de *diſpoſitionibus, ad ſtudium theologicum, neceſſariis,* verba faciens, eas primum quidem in *ipſa indole & ingenio*, tum vero & *in corde*, ſiue *intimo mentis*, quaerendas, recte pronuntiat.

tiat. Et hinc porro, *cor*, inquit, *quale? ſi requiras, theologiae ſtudioſus religionem atque veritatem ſuper omnia diligat, vt nihil eum dimoueat, vt paratus ſit, pro eius defenſione, quidquid poſſidet, amittere, omnia perferre, nulla proprii, aut alterius cuiusque, quod intereſt, ſequior intentio, nullus animi adfectus a ſententia, pro bona cauſſa ſuſcepta, eum deiiciat, illecebris & deliciis mundanis vltimum omnino vale dicat, nulli praeter Deum placere cupiat, praeter praecepta eius nihil quaerat, & perfecto eum cultu honorare omni contentione nitatur. Contra, remiſſi atque timidi animi, vbi veritas erat defendenda; homines, inquam, illi, quos aut ambitio caeca, aut inſanum priuati commodi ſtudium rapit, ad partem potentiorem in ſentiendo ſequendam proni, tum faciles ad ſequenda principia regulasque, quae ſunt de tempore, ad defendendas propoſitiones theologiae commodioris; illi denique quorum animus corruptus, vitiisque imbutus & mancipatus eſt, ad graecas demum calendas boni theologi officium adimplebunt. Quamcumque ſpeculatiuam ſibi comparauerint ſcientiam, eorum tamen corruptio cordis violento & incitato paſſu transuerſum eos agit, mentemque in grauiſſimos nouosque indies errores inducit;* in *methodo ſtudii theolog. recte inſtituendi, c. V. p. 90.* Non modo ad veritatem ita, vt decet, defendendam & propugnandam, ſed & ad reliqua omnia, quae theologi officium poſtulat, inepti ſunt, qui recta cordis diſpoſitione non gaudent. Ea nimirum, quam in vere credentibus ſpiritus ſanctus efficit. Etſi enim quidam per naturam ita comparati ſint, vt veritatem magni faciant, eamque quaerant, vti ſupra ad §. *X.* obſeruauimus; hicce tamen veritatis amor, qui ex altiori origine proficiſcitur, longe purior, longeque ſincerior eſt, quam, quem naturae in quibusdam conditio progignit; ne dicam, quod in ſpiritualibus homo, ſolis naturae viribus inſtructus, ne recte quidem veritatem agnoſcere, multo minus ſerio amplecti queat. Voluntatis porro iſta diſpoſitio, quam diuina in nobis efficit gratia, filialem etiam in nobis producit Numinis timorem, quem *ſapientiae initium eſſe*, ſupra docuimus, & ſcriptura ſacra teſtatur; *Prov. I, 7. IX, 10. Pſ. CXI, 10.* Dumque voluntas a variis vitiis purgatur, ſimul a praeiudicatis, quae hinc originem trahunt, liberatur opinionibus, quae veritatis cognitioni vel maxime obſtant. Modeſtia tum hinc oritur, ad impetum illorum, qui τὰ ὑψηλὰ φρονοῦντες, *Rom. XII, 16.* refrenandum, maximopere neceſſaria. Nec enim quidquam temere noxium magis theologiae cultoribus eſt, quam inconſultus iſte, & ambitionem prodens, ad ſublimia & excelſa, quibus aliis ſe praeferre queant, ardor. Modeſtia quoque haecce efficit, vt aliorum lubentes audiamus monita, iisque, ſi ſalutaria ſint, obſequamur; cum iſti contra, qui ſoli ſapere ſibi videntur, *monitoribus*, vt HORATIVS ait, ſint *aſperi*, dumque, ſaluberrimis aliorum ſpretis conſiliis, ſibi ipſi nimis fidunt, non vna ratione in praecipitia feruntur. Nec id praetermittendum, quod, qui cordis recta diſpoſitione gaudent, ea omnia, quae in eo, quem ſemel ingreſſi ſunt, curſu, impedimentum aliquod adferre poſſunt, ſummo ſtudio euitant. Temperantiam itaque, & caſtitatem, quam diligentiſſime ſectantur, voluptates contra quasuis ſerio fugiunt. *Sapientiam* enim *non intrare in animam malignam, nec in corpore peccatis obnoxio habitare*, probe didicerunt; *Sap. I, 4.* Semper hinc illis ante oculos verſatur illud Pauli: τὰς δὲ νεωτερικὰς ἐπιθυμίας φεῦγε, *iuueniles autem cupiditates fuge, ſectare contra iuſtitiam, fidem, dilectionem, pacem cum omnibus inuocantibus dominum ex puro corde; 2. Tim. II, 22.* Denique & adfectuum omnium, qui non vna ratione a recto nos abducere tramite poſſunt, huc

ſpectat regimen; cum illud, quod ſolis naturae viribus nititur, de quo antea ad §. *XI.* dictum, nimis infirmum ſit. Quod enim ſupra hominis, ſibi relicti, vires poſitum eſt, id demum Numinis gratia, in credentibus vim ſuam exſerens, efficere poteſt. *Qui* namque (per veram fidem) *Chriſti ſunt, cruci adfixerunt carnem ſuam* σὺν τοῖς παθήμασι, *cum adfectibus & cupiditatibus, Gal. V, 24.* Recte hoc inculcat beatus ABR. CALOVIVS, cum itidem de dotibus ingenii, quibus theologiae cultores ornatos eſſe decet, verba facit. *Voluntas*, inquit, *habeatur perpurgata ab adfectibus. Nam qui adfectibus ducuntur & reguntur carnalibus, quanto doctiores euadunt, tanto maiori damno ſunt eccleſiae.* Addit porro, ea, quae de cordis ſeu voluntatis recta diſpoſitione diximus, confirmantia & illuſtrantia. *Renuntietur propriae voluntati, Matth. XVI, 24. abſint a ſtudio theologiae ingenia* ἐριστικὰ, *rixoſa & contentioſa, 1. Tim. VI, 5. 4. 2. Tim. II, 24. Iac. III, 5. abſint* χλιαρὰ *vel tepida, nullo veritatis zelo flagrantia, Apoc. III, 16. ad* πολυπραγμοσύνῃ *nata, Syr. XXXIX, 25. 1. Tim. II, 4. vel etiam ſocordia, & prorſus* ἄεργα, *itemque voluptuaria, lucrum, propriumque honorem quaerentia &c. Qui vero ad eiusmodi vitia propenſos ſe animaduertunt, non minus in his animi morbis curandis, quam in rebus ſacris cognoſcendis, laborent, ſi vſui eſſe velint eccleſiae &c. paed. theolog. praecogn. p. 27.* Iungenda his omnino, quibus theologiae cultorem diligenter inſtruit AVG. HERM. FRANCKIVS, in *idea ſtudioſi theologiae, p. 37. ſeqq.*

§. XVI. Qui autem ita comparati non ſunt, cum verum ſtudii theologici finem conſequi nequeant, ſi in propoſito ſuo nihilo ſecius perſeuerent, nec tamen animum mutent; magno cum ſuo & eccleſiae malo hoc ſe feciſſe, ſero nimis experientur. Caeci quippe cum ipſimet ſint, & caecorum ductores; non poſſunt non & ſemet ipſos, &, quibus viam ad ſalutem monſtrare voluerunt, perdere, *Matth. XV, 14. Luc. VI, 39. Rom. II, 19.* eo ſeuerius puniendi, quo plures ſuam illis perniciem, aeternamque imputabunt damnationem. *

* Commendanda hic omnibus AVG. HERM. FRANCKII *paraeneſis* grauiſſima *ad ſtudioſos theologiae*, praemiſſa eiusdem *ideae ſtudioſi theologiae, p. 5. ſeqq.* Iungenda &, quae de muneris eccleſiaſtici grauitate diſſerit IO. LVD. HARTMANNVS, in *paſtorali euangelico, lib. I. c. I. §. IX. & X. p. 10. 11.*

LIBRI PRIORIS
CAPVT TERTIVM
DE
MEDIIS, QVIBVS THEOLOGIAE HABITVS COMPARATVR.

Σύνοψις.

Media, quibus finis ſtudii theologici obtineri poteſt, ſummatim indicantur; §. *I. Primum inter ea locum merito tenet oratio; cur orandum? II.*

Quae-

Quaenam obſeruanda, vt recte oremus? §. *III.*
Quis recte orare poſſit? §. *IV.*
Quid a Deo petendum? §. *V.*
Quomodo orandum? §. *VI.*
Orationi iungenda meditatio; quid hocce nomine intelligatur? §. *VII.*
Verſatur circa res diuinas; §. *VIII.*
praecipue prout ex ſcriptura ſacra nobis innoteſcunt; §. *IX.*
Conſiſtit in attenta conſideratione; §. *X.*
& cum inquiſitione ac diiudicatione rerum ſpiritualium coniuncta eſt; §. *XI.*
Finis, ſimulque fructus meditationis; §. *XII.*
Neceſſitas eiusdem; §. *XIII.*
Adminicula, ſcilicet auditio & lectio; §. *XIV.*
Auditionis non temere negligenda occaſio; §. *XV.*
ſed idoneus tamen quaerendus eſt magiſter; §. *XVI.*
Quaenam eius ſint virtutes? XVII.
Officia eorum, qui ex auditione rite proficere cupiunt; §. *XVIII.*
Auditioni iungenda eſt lectio; libri quotuplices; naturae, ſcripturae, humani; §. *XIX.*
Liber ſcripturae cumprimis in cenſum venit; §. *XX.*
De libris humanis quaenam generatim obſeruanda? §. *XXI.*
Librorum, theologiae ſtudio inſeruientium, quo pacto comparanda ſit notitia? §. *XXII.*
Characteres boni libri; §. *XXIII.*
Regulae, circa librorum lectionem obſeruandae; §. *XXIV.*
Propaedeumata theologica, meditationi, rite inſtituendae, itidem inſeruiunt; §. *XXV.*
Ad orationem & meditationem accedere debet tentatio; §. *XXVI.*
Quo nomine quid intelligatur? §. *XXVII.*
Quinam tentationibus ſint obnoxii? §. *XXVIII.*
Earundem varietas; §. *XXIX.*
Per ſe ad hominum perniciem tendunt; magna tamen, ſi ſuperentur, inde ad eos redundare poteſt vtilitas; §. *XXX.*
Quo pacto, cum oratione & meditatione coniunctae, theologum faciant? §. *XXXI.*

§. I.

ACcedimus tandem ad media, quibus finem, qui theologiae operam dare decreuerunt, conſequi poſſunt. Atque haec quidem rectiſſime ad tria reuocari ſolent capita, *orationem, meditationem, tentationem.* *

* Ita quidem B. MART. LVTHERVS noſter ſummam eorum, quae theologum efficiunt, ex pſalmo CXIX breuiter & neruoſe complexus eſt. Verba eius, huc ſpectantia, quibus ſimul haecce ſtudii theologici regula illuſtratur, recitat CONR. PORTA, in *paſtorali Lutheri, num. III. p. 28. ſeqq.* Commendant idem effatum paſſim noſtrates, & ad eius ductum, de ratione ſtudii theologici praecipiunt, vt beatus IO. GERHARDVS noſter, in *methodo ſtudii theologici*, qui & ipſa LVTHERI verba affert, *part. I. p. 13.* ABR. CALOVIVS, in *paedia theologica*, qui itidem verba LVTHERI recitat in *ingreſſu p. 5.* IO. LVD. HARTMANNVS, in *paſtorali euangelico, lib. II. cap. II. & III. p. 237. ſeqq.* AVG. HERM. FRANCKIVS, in *methodo ſtudii theologici, c. III. p. 53. ſeqq.* conf. IOACH. IVSTI BREITHAVPTII *programma, de ſtudii theologici neceſſariis tribus adminiculis*, quod in *programmatibus* eius *ſelectis* exſtat, *num. I. p. 1. ſeqq.* Idem ergo & nos faciemus, eamdemque ſequemur regulam, cum rationem, cur ab ea recedere debeamus, videam nullam.

§. II·

§. II. Oratio primo merito loco collocatur, cum dona iſta ſpiritualia, quae finem proximum conſtituunt, aut, ſi mauis, eorum incrementum, diuinae benignitatis munus ſint, & non niſi precibus a Deo impetrentur, *Iac. I*, 5. * Qui porro naturalem mentis caecitatem, imbecillitatemque, ** immo ad errores varioſque lapſus pronitatem; *** pericula porro grauiſſima, quibus omnes quidem homines, illi tamen maxime, qui doctorum in eccleſia officio fungi volunt, expoſiti ſunt; * vtilitatem, denique, dignitatem, & efficaciam precum conſiderauerit, hac de re non dubitabit. **

* Cum generatim πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, & πᾶν δώρημα τέλειον *ſuperne a patre luminum deſcendat*, *Iac. I*, 17. adeoque & precibus ab eo impetrari debeat; de donis quoque ſpiritualibus, eorumque incremento, hoc intelligendum; nemo dubitabit. Non magis enim incrementum, quam primum illorum initium, in noſtris poſitum eſt viribus. Hinc &, quemadmodum *ſapientiam* caeleſtem, ſcilicet illam, quae ἄνωθεν eſt, a Deo nos petere Iacobus iubet, *ep. c. I*, 5. ita & apoſtoli incrementum fidei a ſeruatore efflagitant: πρόσθες ἡμῖν πίστιν, *adauge nobis fidem*; *Luc. XVII*, 5. De fide autem, eiusque incremento, quod dicitur; de omnibus quoque donis ſpiritualibus recte adſeritur, quae cum fide coniuncta ſunt, aut ex ea fluunt.

** Intellectum omnium omnino hominum, per naturae conditionem, tenebris obſcuratum, & experientia docet, & Paulus teſtatur, *Eph. IV*, 18. Vnde & *tenebrae* dicuntur, *Io. I*, 5. *Eph. V*, 8. *act. XXVI*, 18. Ad lucem equidem a tenebris tranſeunt, quando ad Deum conuertuntur; ſed, vt reliquiae quaedam tenebrarum, & ſtultitiae ſpiritualis, remaneant, quibus exuendis, & emendandis omnis impendenda opera, vt magis magisque illuminentur & ſapientiores fiant; conf. *Eph. I*, 16. 17. 18. Quemadmodum vero, qui nondum conuerſi ſunt, difficulter admodum ad caecitatem ſuam agnoſcendam perducuntur, dum plerique, ſe omnia iam recte videre, ſibi perſuadent, vt Phariſaeorum exemplo patet, *Io. IX*, 40. 41. ita &, qui iam regeniti ſunt, reliquias iſtas caecitatis non aeque omnes agnoſcunt; vt autem agnoſcamus, ſummopere elaborandum. Haec ipſa enim miſeriae noſtrae agnitio omnium efficaciſſime ad preces nos concitabit; documentum praebente caeco illo, quem Chriſtus ſanauit, *Luc. XVIII*, 35. *ſeqq.* Hinc vero cum illuminationis, ac ſanctificationis neceſſitas pateat; vt vtriusque incrementum obtineamus, omni ope nobis eſt adnitendum. Idque eo magis, quod ſine diuino lumine myſteria, & τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ θεοῦ, cognoſcere nequeamus; *Matth. XI*, 25. 1. *Cor. II*, 14. quemadmodum & *nemo ſine ſpiritu ſancto Chriſtum dominum vocare*, aut in eum credere, vel in vera fide & pietate proficere poteſt, 1. *Cor. XII*, 3. 2. *Tim. II*, 7. *Eph. III*, 16. Hinc illud Dauidis, *in tuo lumine videbimus lumen*; *Pſ. XXXVI*, 10. Nimirum vt ſolem nemo videt ſine ſole; ſic Deum nemo cognoſcit, ſine Deo, ſeu illuminatione diuina. Illuminationem autem diuinam, aeque ac ipſum ſpiritum ſanctum, nemo obtinet ſine precibus. Spiritum ſanctum ſeruator promittit, ſed illis, qui eum a Deo patre precibus efflagitant, *Luc. XI*, 13 conf. & *Eph. I*, 16. 17. *III*, 14. 16. Ex ipſa indole & natura theologiae, ſecundum definitionem, a Paulo *Tit. I*, 1. traditam, vlterius haec deduci & illuſtrari poſſent, ſi in re manifeſta pluribus opus eſſet verbis.

*** *In multis*, inquit Iacobus, *labimur omnes*, *Ep. III*, 2. Ex imbecillitate ſcil-

Digitized by Google

ſcilicet, ac infirmitate humana, cuius nec homines regeniti immunes ſunt. Non tantum autem de voluntatis, ſed & de intellectus vitiis loquitur, ſiquidem in vtrisque humana ſe prodit imbecillitas. Turpiterque falluntur, qui, ad voluntatis vitia, etiam grauiora, excuſanda, tam proni ſunt; intellectus tantam perfectionem eſſe, putant, vt omnium quis errorum expers eſſe queat; hinc nec alios, in rebus quantumuis minimis errantes, ferre poſſunt, hoc ipſo, erroribus ſe obnoxios, demonſtrantes. Longe rectius ſapiunt, qui vtriusque, & intellectus & voluntatis, ad lapſus varios & errores pronitatem agnoſcentes, eo magis ad preces ſe recipiunt, quibus a Deo ſpiritum ſanctum, ceu *ſpiritum veritatis*, *impetrent, qui eos ducat* εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, *in omnem veritatem*, *Ioan. XVI*, 13.

* Quod, qui doctorum aliquando in eccleſia fungi cupiunt munere, grauiſſimis, prae reliquis, obnoxii ſint periculis, tum ex *naturalibus* cauſſis prouenit, tum ex *ſpiritualibus*. Ad *naturales* refero ipſam aetatem iuuenilem, in qua plerumque conſtituti ſunt, qui ad ſtudium theologicum animum adiungunt, & ad munus ſacrum praeparantur. Ea vero quam flexa, quam lubrica, quam ad varias voluptates prona ſit aetas, quis neſcit? Sique apoſtolus ipſum Timotheum ſuum admonere neceſſe habuit: τὰς δὲ νεωτερικὰς ἐπιθυμίας φεῦγε *iuueniles cupiditates fuge*, *2. Tim. II*, 22. quid de illis dicemus, qui nulla ratione cum Timotheo ſunt comparandi? Calet adhuc in iuuentute ſanguis in venis, vnde motus atque affectus vehementiores, quibus facile in deuia abripiuntur mortales, niſi fortiter iis reſiſtant, naturaeque impetum, iniecto freno, cohibeant, coërceantque, oriuntur. Accedit, alterumque inter cauſſas naturales locum tenet, magna, quae vbique fere regnat, ſcholarum & academiarum corruptio. Nullibi fere, quam in his, ſolutior viuendi ratio, nullibi plures voluptatum illecebrae, nullibi plura ad peccandum irritamenta, immo nullibi maior peccatorum impunitas. Cum officinae virtutum, & domicilia ſapientiae, academiae eſſe debeant; vitiorum omnium nullibi, quam in iis, laetior efflorescit ſeges. Nec aliorum modo, qui eiusdem ſunt aetatis, ſed, quod dolendum maxime, qui ipſimet virtutis & ſapientiae exemplum iuuenibus praeire debebant, dictis, factis, dogmatibus aguntur in transuorſum tenerae mentes, & ad turpia quaeuis abducuntur. Iam, cum plerique, qui ad academias accedunt, iam antea eam animo conceperint opinionem, in iis quiduis ſibi fas eſſe, libertatisque, quam iactitant, academicae hanc eſſe indolem, vt impune peccare liceat; quid mirum, ſi augeantur potius, quam emendentur aut corrigantur, iuuenum vitia. Et quis non beatum felicemque cenſeat, qui iſto malorum torrente non vna abripitur? aut, ſi quis ſaluus incolumisque ex tot periculis euaſit, quis non ei gratuletur? *Ad ſpirituales* cauſſas quod attinet, nemo eſt, qui non intelligat, infernalem genium tum illis, qui doctorum munere in eccleſia funguntur, tum, qui eodem aliquando fungi cupiunt, maxime inſidiari. Hos enim ſi, variis peccatorum laqueis irretitos, ſuos fecerit, per eosdem integros deinde hominum greges ad aeternam trahere perniciem, ei haud difficile erit. Exemplo paſtorum, aut eorum, qui muneribus eccleſiaſticis praeſunt, plurimi magis mouentur, quam doctrina; quamquam & haud raro doctrina ab iis corrumpatur, aut non recte proponatur, qui a recto virtutis diſceſſerunt tramite. Immo in eo cauſſae, tum naturales, tum ſpirituales, haud raro conſpirant, vt, per praua impiaque dogmata, erroribus intellectus repleatur, & voluntas, ad vetita

tita quaeuis, atque illicita, adpetenda, ita flectatur, vt ſuis non amplius reſiſtere queat cupiditatibus. Tot ergo tamque grauibus cum circumſepti ſint periculis, qui theologiae operantur; quis, precibus iis opus eſſe, neget? Immo, quod ſeruator optimus diſcipulis ſuis dixit: γρηγορεῖτε καὶ προσεύχεσθε, ἵνα μὴ εἰσέλθητε εἰς πειρασμόν· *vigilate, & orate, ne intretis in tentationem, Matth. XXVI, 41.* id quilibet ſibi uoque dictum putet.

** Vtilitas precum inde conſtat, quod per eas omnia, quae ſalutaria ſunt, modo rite, & vt decet, eas faciamus, a Deo impetrare poſſimus. Immo per eas non tam ingentes theſauros, quam, quod omnibus mundi huius theſauris longe eſt pretioſius, ſpiritum ſanctum, adipiſcimur; *Luc. XI, 13.* Dignitas inde elucet, quod n precibus cum Deo loquamur; vti Deus per verbum ſuum nobiſcum loquitur. Quae conſideratio ſummam quoque animi venerationem, & modeſtiae ſtudium, in nobis excitare, leuitatem contra & teporem excutere debet. Exemplum elegantiſſimum Abrahamus praebet, *Gen. XVIII, 27. 30. 31.* De efficacia precum teſtatur Iacobus: *multum valet precatio iuſti* ἐνεργουμένη, *efficax,* hoc eſt, ita comparata, vt efficax fieri poſſit, *attenta, aſſidua, ſeria*, vt recte ERAS. SCHMIDIVS ad *h. l.* obſeruat; *ep. c. V, 16.* quod & deinceps Eliae vatis exemplo declarat. Hiſce mandatum diuinum addere poſſem, de bonis quibusuis, cum primis & ſpiritualibus, a Deo per preces impetrandis, *Matth. VII, 7. Luc. XI, 9. 13. Ioan. XVI, 24. Eph. I, 16. ſeq. VI, 18. Phil. IV, 6. &c.* ſed non erit, puto, qui hac de re dubitet. Exemplis ſi quis moueatur, regem ſanctiſſimum Dauidem ſibi proponat; qui *Pſ. CXIX.* ſummo animi ardore illuminationem expetit: *Domine, in toto corde meo exquiſiui te, ne errare me ſinas a mandatis tuis, v. 10. doce me iuſtificationes tuas, v. 12. reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua, v. 18. peregrinus ego ſum in terra, non abſcondas a me mandata tua, v. 19. &c.* Formulas quasdam veterum eccleſiae doctorum HILARII, EPHRAEMI ſyri, GREGORII Nazianzeni, AVGVSTINI, FVLGENTII, refert B. IO. GERHARDVS noſter, in *methodo ſtudii theologici part. I. cap. III. p. 30. ſeqq.* Ex dictis autem facile intelligitur, non tantum circa initium ſtudii theologici, ſed in eius etiam progreſſu, & continuatione, ſemper precibus nobis opus eſſe. Cauſſae enim, quae eas poſtulant, ſemper manent, cum, in illuminatione & ſanctificatione ſemper nobis proficiendum ſit; cum ſemper adhuc aliquid caecitatis nobis adhaereat, pronitas ad errores & lapſus varios ſemper remaneat, periculaque, per quae a recto abduci queamus tramite, numquam penitus ceſſent. Quod ergo omnium hominum officium eſt, vt ἀδιαλείπτως, *indeſinenter orent; 1. Theſſ. V, 17. Luc. XVIII, 1.* id praecipua quadam ratione a ſe poſtulari, credant, qui in ſtudio theologico rite proficere, aut ſacro aliquando recte praeeſſe muneri cupiunt.

§. III. Ne quis autem hic ſe decipiat, quod ſaepiſſime fieri ſolet; & ad ſe ipſum, & ad id, quod a Deo petit, & ad modum denique, ſeu rationem, qua preces ad Deum fundit, diligenter attendat, neceſſe eſt. *

* Ad tria enim haecce capita commode reuocari poſſunt, quae de precibus, prout ad ſtudium theologicum ſunt neceſſariae, nobis dicenda ſunt. Solent quidem alibi, vbi ex inſtituto de oratione agitur, fuſius copioſiusque haec ediſſeri; ſed ea tamen, quae ad iſtum, quem nobis nunc conſtituimus, ſcopum faciunt, paucis repetere iuuat.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV. Ad ſe ipſum quidem, an ſerio a peccatis, quae cum fide vitaque ſpirituali conſiſtere nequeunt, mentem ſuam purgauerit. Hoc enim ſi nondum fecerit, ſibi quoque dictum putet: *nouimus autem, Deum peccatores*, qui de vera mentis emendatione ſolliciti non ſunt, quin potius in peccatis ſtrenue pergunt, *non audire*, *Ioan. IX, 31.* Immo tantum abeſt, ut eiusmodi hominum preces Deo placeant, vt eas potius deteſtetur, *Eſa. I, 15.* *

* Poterat equidem haec admonitio ſuperuacanea videri; cum neminem ad ſtudium theologicum accedere velimus, niſi qui verus chriſtianus, hoc eſt, reuera ad Deum conuerſus ſit. Id namque ſupra ſiſe docuimus. Verum, quoniam ſaepiſſime contingit, vt moniti huius parum ſint memores, qui ad hoc litterarum genus animum adpellunt ſuum; multi etiam tales ſibi eſſe videantur, quales non ſunt; nulla nobis denuo hoc inculcandi praetermittenda eſt occaſio. Opportune autem id hoc loco repetitur; cum fieri nequeat, quin aliquis de miſeria ſua & periculo conuincatur, ſi intelligat, omnes ſuas preces irritas eſſe, easque nec placere Deo, nec ab eo exaudiri, ſique hac ratione vanum illud, quod in precibus hypocriticis quaeri ſolet, illi eripiatur ſolatium. Excitabitur enim forte hac ratione, vt paullo adcuratius mentem ſuam exploret, ſique adeo hactenus a Deo alienus fuit, per veram, & non ſimulatam, conuerſionem propius ad eum accedere adnitatur. Res ipſa, quod preces illorum, qui nondum reuera conuerſi ſunt, Deo non placeant, poſita eſt extra controuerſiam. Nec eſt, quod regeras, ita nec illorum preces, qui ſe conuertere volunt, & a Deo ſpiritus ſancti gratiam, ad hoc neceſſariam, expetunt, exauditum iri. Qui namque ſerio id agunt, vt ſe conuertant, inter *peccatores* illos contumaces, *quos Deus non audit*, minime ſunt referendi. Ceterum, quo pacto ex loco *Ioan. IX, 31.* id, quod dixi, recte concludatur, oſtenſum in *inſtitut. theol. mor. part. I. cap. V.* ad §. *XXVIII.*

§. V. Non minus vero & ad id, quod a Deo petit, attendat, neceſſe eſt. Si enim omnino ea petat, quae optare nefas, aut ad vitia ſolum hominum fouenda alendaque faciunt, quantumuis honeſtatis aut virtutis prae ſe ferant ſpeciem; poenam pro munere referet. Numinis ſaltem interpretari gratiam debet, ſi preces eius non audiat. Alia porro ratione, quae ad ſalutem conſequendam ſunt neceſſaria, petenda ſunt, alia ea, quae neceſſaria non ſunt; etſi ceteroquin, in ſe ſpectata, bona & ſalutaria, & ita comparata ſint, vt iis noſtra aliorumque promouere commoda queamus. *

* Quid non petendum ſit, quiuis facile intelligit. Quae nec concupiſcere licet, ea multo minus a Deo petere licet. Hoc ipſimet agnouerunt ethnici. Praeclare SENECA: *Nihil Deum roges, niſi quod rogare poſſis palam; ep. X.* Quae a Deo peti poſſunt, vel temporalia ſunt, vel ſpiritualia. Illa nunc in cenſum non veniunt. In his diſcrimen illud, quod indicauimus, obſeruandum. Quaedam enim ad ſalutem ſunt prorſus neceſſaria; quedam equidem ſalutaria nobis aliisque, at non aeque neceſſaria. Illa abſolute, ſecundum promiſſiones diuinas; haec

non, niſi cum conditione, petenda. Petere itaque licebit quaeuis bona ſpiritualia, primum prout iis nobis ipſis, ad ſalutem aeternam conſequendam, opus eſt, tum &, prout iiſdem, vt aliorum quoque promouere commoda queamus, indigemus, ſiquidem Deo noſtra hac in re vti opera placeat. Praeterea ſpeciatim licet illuminationis pariter, ac ſanctificationis, incrementum, ceteraque, quae, ad finem nobis propoſitum conſequendum, ſunt neceſſaria, petere. Animi hinc etiam a Deo petenda eſt a prauis adſectibus cupiditatibusque purgatio; cumprimis vero diuini ſpiritus, contra propenſiones & vitia, quibus per naturae conditionem obnoxii ſumus, implorandum eſt auxilium, itemque contra tentationes quasuis, a quibus ſpecialiori quadam ratione periculum nobis imminet, ne iis ſuccumbamus. Haec ita quidem generatim dici poſſunt; ſed ſi modo diligenter ad ſe quisque ipſe reſpiciat, ex ſe omnium optime condiſcet, quibus laboret morbis, quibus indigeat bonis, &, quae adeo a Deo, ceu medico omnium praeſtantiſſimo, patreque benigniſſimo, qui & melius cognoſcit, quae nobis neceſſaria ſunt, quam nosmet ipſi, ſint expetenda.

§. VI. Ad modum denique rationemque, qua preces ad Deum fundendae ſunt, quod attinet; ita has faciendas, nemo non videt, vt non tantum probe intelligamus, quod petimus, ſed ſerio quoque velimus. Bonorum enim ſpiritualium, quae praecipue a Deo expetenda ſunt, ea eſt conditio, vt, cum carni parum grata ſint, mortales verbis ea ſaepius petant, quae tamen reuera nolunt. * Tum vero & illud Iacobi obſeruandum: *petat autem in fide*, μηδὲν διακρινόμενος, *cap. I, 6.* Ex fide namque quae non proficiſcuntur preces, Deo non probantur, nec exaudiuntur. ** Atque haec quidem ad omnes omnino homines ita ſpectant, vt ſpecialiori quadam ratione theologiae cultoribus ſint inculcanda.

* Eos non ita, vt decet, orare, qui ne quidem ſciunt, quid orent, ſiue verba non intelligant, quae proferunt, ſiue animum non aduertant, dumque ore loquuntur, aliud cogitant; omnes facile concedunt ac largiuntur. Sed id pauciores obſeruant, ſaepiſſime homines a Deo petere, quae tamen reuera non cupiunt. Ecquis enim eſt, qui orationem dominicam recitans, non oret: *ſanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua;* ſed quotusquisque eſt, qui ſerio cupit, vt nomen Dei ſanctificetur, cum ipſimet vita factisque id facere nolint; aut, qui ſerio cupit, vt regnum Dei adueniat, cum nulla ratione illi locum relinquere velint; aut, qui ſerio cupit, vt fiat voluntas Dei, cum quotidie non voluntati Dei, ſed carnis ſuae, obediant? Quae cum ita ſe habeant, recte quidem monent, qui, in oratione non verborum tantum, ſed & cogitationum, habendam rationem, inculcant; ſed addendum erat, cumprimis cordis, ſeu voluntatis. Quod enim ſubinde homines conqueruntur, cogitationes ſuas ſe, cum precantur, in officio continere non poſſe; inde provenit, quod ſerio ea, quae petunt a Deo, non concupiſcunt. Fieri equidem rurſus poteſt, vt aliquis tandem, quod petit, obtinere cupiat; ſed nihilo ſecius languidus tepidusque ſit in oratione, & *deuotionis*, quam vocant, defectu laboret. At id ex eo oritur, quod miſeriam ſuam, & hinc enatam neceſſitatem, bonis iſtis potiundi, non ſentiat. Nihil namque efficacius ad preces nos excitare

tate poteſt, nihil vehementius inflammare mentem, quam, ſi noſtrae miſeriae & calamitatis non tantum conſcii nobis ſimus, ſed & cum intimo cordis dolore ſentiamus. Idem eſt, quod alii dicunt, paupertatem ſpiritus optimum eſſe ad orationem ſtimulum. Intellectus itaque non tantum, ſed vel maxime voluntatis, ſeu cordis eleuatio, ad orationem requiritur; idque ipſum ſeruatorem velle, cum, Deum in *ſpiritu & veritate* adorandum, dicit, docui *inſtitut. theol. mor. part. I. c. V.* ad §. *XXVI.* Atque hinc, quid ſibi faciendum ſit, ſi rite orare velint, qui theologiae ſe conſecrarunt, perſpicere poſſunt.

** Nimirum fides illa, qua quilibet, qui reuera ad Deum conuerſus eſt, gaudet, & ſine qua neminem Deo placere, riteque, & cum fructu orare poſſe, ex iis, quae §. *IV.* diximus, ſponte ſua conſequitur, in eo maxime vim ſuam & efficaciam exſerit, quod in precibus de diuinis certi promiſſionibus, nulli plane dubitamus, quin accepturi a Deo ſimus, quod, ſecundum ordinem praeſcriptum, ab eo petimus. Idque ſibi vult illud Iacobi: μηδὲν διακρινόμενος *l. c.* Addit: *Qui enim dubitat, ſimilis eſt fluctui maris, ventis acto & excito. Neque vero ſe putet is homo quidquam a domino impetraturum.* Plura de oratione, prout hic in cenſum venit, monita, eaque ſaluberrima, ſuppeditabit AVG. HERM. FRANCKIVS,, *in methodo ſtudii theologici*, *c. III. p. 35. ſeqq.* quae legiſſe poenitebit neminem.

§. VII. Orationi iungenda eſt *meditatio*, quo nomine rerum diuinarum, in ſcriptura praecipue ſacra nobis reuelatarum, attenta intelligitur conſideratio, cum inquiſitione & diiudicatione ſpirituali coniuncta; vt veritas diuina recte cognoſcatur, cognita magis confirmetur, & ad vſum ſalutarem transferatur. *

* In ſacro codice diuerſae voces occurrunt, quibus meditatio exprimitur. In veteri teſtamento ſe offert verbum ebraeum שוח *meditari.* Sic de Iſaaco dicitur, quod circa tempus veſpertinum in campum progreſſus fuerit לשוח ad *meditandum*, *Gen. XXIV, 63.* Vbi quidem chaldaeus habet לצלאה *ad orandum*, quem & alii ſequuntur. Sed propria tamen & genuina vocis ſignificatio eſt, *cogitare*, *ſecum loqui*, *meditari.* Interim, cum credibile non ſit, Iſaacum de rebus friuolis cogitaſſe, immo, res diuinas cum agitaſſe animo, a ſanctitate viri non abhorreat, plurimumque cum tali meditatione oratio coniungatur; non errant, qui meditandi, ſimulque orandi cauſſa, eum in agrum exiuiſſe, putant. Conferenda, quae hac de re dixi *in hiſt. eccleſ. vet. teſtam. tom. I.* ad *per. I. ſect. III. §. XVIII.* Eadem vox & *Pſ. CXIX, 78. & 148. Pſ. CXLV, 5.* alibique occurrit. Non minus tamen & verbo הגה idem exprimitur. Cumque alias *proferre*, *efferre*, ſignificet; ad meditationem denotandam, iudice IO. COCCEIO, adhibetur, *ſiue, quia meditatio eſt cogitationum ex cogitatione eductio*, *ſiue*, *quia in meditatione eſt amotio aliarum curarum*, *vt animus poſſit* σχολάζειν, *& vacare rei*, *quam tractat*; in *lexico hac voc. p. 171.* Exſtat tum alibi, tum & *Pſ. I, 2.* vbi dicitur: *& in lege eius* יהגה *meditabitur noctu atque interdiu.* Hinc & הגיון *meditatio*, *Pſ. IX, 17.* Graecorum μελέτην reſpondere Latinorum *meditationi*, notum ſatis eſt. Verbo μελετάω Paulus vtitur, cum Timotheum adhortatur: ταῦτα μελέτα, ἐν τούτοις ἴσθι *haec meditare*, *in hiſce eſto*, *1. Tim. IV, 15.* Sed longe elegantiſſimum eſt verbum συμβάλλειν, apud Lucam, cum de Maria verba facit: συμβάλλουσα ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς, *conferens in corde ſuo*; *c. II, 19.* Συμβάλλειν namque eſt *conferre*, *comparare*,

hinc

hinc inde velut aliquid in mente ſua agitare. Id namque Maria faciebat, verba paſtorum mox cum facto ipſo, eiusque circumſtantiis, mox cum verbis angeli, qui natiuitatem ſeruatoris adnuntiauerat, mox cum vaticiniis prophetarum, comparans atque contendens. Quo ipſo, quod in meditatione haud vltimum eſt, apte ſatis exprimitur. Referre huc etiam licet verbum ἐρευνᾶν, a ſeruatore ipſo vſurpatum: ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς· *ſcrutamini ſcripturas, Ioan. V, 39.* Certe, ſcrutatio ſcripturae ſine meditatione inſtitui nequit. Atque hinc, quid ex ſcripturae vſu *meditationis* vox denotet, patet. Res ipſa ex dicendis clarior fiet.

§. VIII. De meditatione non qualicumque, ſed theologica, cum nobis ſermo ſit; ratio patet, cur *rerum diuinarum* facta ſit mentio. Latiſſimus autem hac ratione meditationi aperitur campus, cum hoc nomine, quidquid de Deo, eiusque eſſentia & attributis, operibus itidem, tum in regno naturae, tum in regno gratiae, ipſa denique voluntate diuina, tam in lege, quam in euangelio nobis reuelata, cognoſci poteſt, deſignetur. *

* Ampliſſimus itaque theologiae cultoribus ſe offert rerum pulcherrimarum campus, in quo ingenii vim exerceant, & ex quo materiam meditationis ſeligant. Ea enim, quae de Deo, eiusque eſſentia, voluntate, operibus, in regno naturae & gratiae, inueſtiganda ſunt, nemo mortalium exhaurier, quantumuis ingenio polleat, quantumuis diligentiſſimus ſit, quantumuis omne tempus in id impendat. Quid porro pulchrius, quid praeſtantius, quid nobilius cogitari poteſt? cum non niſi circa diuina hic meditatio noſtra verſetur. Recteque inde ipſius theologiae præſtantia colligitur. Legenda ROB. BOYLEI diſſertatio de *excellentia theologiae cum naturali philoſophia comparatae*, quae, inter *opuſcula* ejus *ſelecta*, lingua germanica, an. 1709. Halae Saxonum edita, exſtat. Iungere licet noſtram commentationem *de eo, quod in theologia pulchrum eſt.* Atque talia cum vbique in theologia ſe nobis offerant, & non offerre nequeant; reprehenſionem incurrunt merito, qui, relictis rebus pulcherrimis, praeſtantiſſimisque, quae mentes nobiliſſimas ſumma ſuauitate perfundunt, ad minutias, immo ineptias, prolabuntur. Scholaſticorum, quos vocant, exemplo hoc patet, qui in quaeſtiones infinitas, friuolasque, & ex quibus nihil ad nos vtilitatis redundat, immo tales, quae cum reuerentia, & veneratione, quam ſummae Numinis maieſtati debemus, pugnant, deuoluuntur, iisque ita ſe implicant, vt expedire neſciant. Sed, de horum ſtultitia in ſequentibus commodior erit dicendi locus. Nec multo in his meliores ſunt, qui ad terminos quosdam, vocesque ſollemnes, ex metaphyſicorum ſcholis in theologiam translatas, ceu ad ſcopulos quosdam, ita adhaereſcunt, vt immemores ſint eorum, quae vel maxime ſollicitos eos tenere debebant. Idem & de illis adſerendum, qui, dum ſcripturam ſacram interpretari volunt, in rebus criticis, philologicis, chronologicis, ſimilibusque ſubſiſtunt, nec vmquam ipſum nucleum conſequuntur. Hi omnes, dum earum rerum, quarum cognitio theologum decet, praeſtantiam ignorant, aut non vident, aut non curant; nihil aliud agunt, quam, vt iudicii imbecillitatem prodant; vt ſupra quoque iam obſeruauimus. Ceterum, vt ordine procedamus, primum hiſtoricam quamdam rerum omnium, praeſertim diuinarum, nobis adquirere debemus notitiam. Et haec illa eſt, de qua hic loquimur, quamue ceu materiam meditationis conſideramus. Hac enim ſi mens noſtra deſtituatur,

tuatur, nihil habebit, in quo vim ſuam exſerat, adeoque & vana irritaque erit meditatio. Quo adcuratior autem & exquiſitior, immo &, quo amplior eſt iſta notitia hiſtorica; eo facilius feliciusque deinceps procedet meditatio. Ipſam quoque ſcripturam ſacram hic non excludimus, prout in ea occurrunt, quae adcuratiori meditatione ſunt inueſtiganda. Diuerſa enim ratione hic ſcripturam ſacram conſiderari poſſe, deinceps dicemus. Poſſet, pro obiecti diuerſitate, duplex meditatio conſtitui, quarum alteram *realem*, quod circa res ipſas occupetur, alteram *hermeneuticam*, quod circa ſcripturae ſacrae ſenſum eruendum verſetur, adpellare licebit.

§. IX. Tametſi vero ex lumine quoque rationis nonulla de Deo, rebusque diuinis, cognoſci queant, quae nobis itidem pulcherrimum meditationis argumentum praebent; * quia tamen theologia, quae lumine reuelationis nititur, hic praecipue in cenſum venit; ideo *ſcripturam ſacram*, ceu perennem & vberrimum rerum pulcherrimarum, quae menti noſtrae ſe offerunt, fontem, indicauimus. ** Quod ſi ea omnia, quae theologiae cultori ſcitu ſunt neceſſaria, complecti velimus, ad propaedeumata etiam meditatio ſe extendet, quae tamen rectius inter praerequiſita meditationis theologicae, ſtricte ſic dictae, referuntur. ***

* Theologia naturalis hoc nos condocet, quae ex phyſica, metaphyſica, aliisque humanae eruditionis partibus, ea colligit, quae non tantum ad exſiſtentiam Numinis, ſed & ad eiusdem potentiam, bonitatem, ſapientiam cognoſcendam faciunt. Exempla quam plurima in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtitione* legere licet.

** Scriptura ſacra non tantum vt fons vberrimus rerum diuinarum, immo & quodammodo vt obiectum meditationis noſtrae, ſicuti iam antea monuimus; ſed & cumprimis vt regula & norma, meditationem noſtram dirigens, conſiderari poteſt. Enimuero, niſi eam ſemper ſequamur, facile in praecipitia ruimus Qui meditationibus ſuis ita frenum laxant, vt de rebus diuinis cuncta ad lumen rationis, ſeu vnicam cynoſuram, exigant; facile eo vsque progrediuntur, vt, dum nihil, quod capere nequeant, admittere volunt, myſteria tandem quaeuis explodant, & hinc ad *rationaliſmum* prolabantur. Qui contra adfectibus ſuis, inſtinctibusque, & impulſibus, plus, quam decet, indulgent, & hinc imaginationem, vehementius excitatam, ceu ducem, amplectuntur; non poſſunt non in *fanaticorum*, & *enthuſiaſtarum* tandem tranſire caſtra. Caute itaque & circumſpecte hic incedendum, & diligenter nauanda opera, ne nobis ipſis plus, quam ſcripturae ſacrae, tribuamus.

*** Propaedeumata, quae vocantur, omnino etiam meditationem requirunt, & ſine ea feliciter non procedent. Sed haecce meditatio, aeque ac ipſa propaedeumata, eo tantum comparata eſt, certe eſſe debet, vt eo rectius in ipſo ſtudio theologico proficiamus. Dicemus de propaedeumatibus ex inſtituto, *c. IV.*

§. X. Ipſe meditationis actus in *attenta* conſiſtit *conſideratione*, * hoc eſt, idearum, ſi compoſitae fuerint, euolutione, ſi confuſae, diſtinctione; in earumdem comparatione, vt, vtrum inter ſe conueniant, an minus? diſpiciamus;

ciamus; porro, ſi opus fuerit, in ratiocinatione; & denique in adcurata principiorum conſtitutione, concluſionumque, quae inde fluunt, deductione. * *

* Dum, meditationem *in attenta conſideratione* conſiſtere, diximus; attentionis cum primis innuere volumus neceſſitatem. De qua etiam nemo dubitauerit; cum ſine attentione nihil recte in ſtudiorum tractatione procedat. Ideoque & philoſophi de ratione, excitandi, & fouendi, conſeruandique attentionem, paſſim praecipere ſolent. Nec vero nobis nunc de eo ſermo eſt, quo pacto docens auditorum ſuorum excitare attentionem queat; qua de re multa IO. CLAVBERGIVS monet, in *logica veteri & noua, part. II. c. III. p. 158. ſeqq.* ſed, qua ratione quisque in ſe ipſo, dum ad meditandum accedit, excitare attentionem poſſit. Vbi quidem impedimentorum, ſeu eorum omnium, quae animum ad alia auertunt, ſiue intra noſmet ipſos, ſiue extra nos ſint, remotionem, plurimum huc facere, lubens fateor; ſed tamen, ſi dicendum, quod res eſt, adfectus, qui nos impellit ad meditationem ſuſcipiendam, vtramque hic facit paginam. Sine adfectu ſi quis ſit, aut ad meditationem omnino non accedet, aut ſi accedet, languebit frigebitque meditatio, & tandem poſt multas ambages nihil aget. Sed ſumma hic iterum opus eſt cautione, ne adfectus prauos, aut impuros, intelligamus, qui, vt animum polluunt & turbant, ita meditationem impediunt potius quam promoueant. Sanctus potius purusque ſit adfectus, ex ſincero Numinis amore fluens, & obiecti nobilitate, praeſtantia, & ad noſtram aliorumque hominum ſalutem comparata vtilitate, excitatus. Cuiusmodi adfectus cum raro aut numquam modum excedere ſoleat; vt moneam, ne nimius ſit, neceſſe non eſt. Exceſſum enim quorumlibet adfectuum mentem turbare, & ad meditationem ineptam reddere, nemo neſcit. Puro itaque ſanctoque adfectu excitandus equidem animus, & languor omnis excutiendus; minime autem eiusmodi adfectus pro regula & norma ſequendus, vt antea iam monuimus, & ſatis inculcari nequit. Facere nequeo, dum in eo ſum, quin paucis ſub examen reuocem, quae vir doctiſſimus IO. CLERICVS hac de re diſſerit. Ex inſtituto is de *attentionis neceſſitate, & ſubſidiis, quibus comparari poſſit,* agit *logic. part. III. c. II. p. 152.* Cumque multa, quorum, vt puto, exigua vis eſt ad attentionem excitandum, adduxiſſet, de adfectu ita loquitur: *Quin adfectus noceant paſſim veritatis cognitioni, nemo inficias iuerit, & nos ſuperius oſtendimus; at multi, an aliquando proſint, multum forte dubitent. Attamen cum adfectus ſint inter ea, quae natura ſua mala non ſunt; poſſunt, ſi quis eis probe moderetur, multum ad augendam attentionem prodeſſe; immo forte ſſ. numquam eſt, ſine adfectu aliquo, acrior attentio.* Recte quidem, modo de adfectu puro ſanctoque, vti diximus, hoc intelligatur; ceteroquin enim opus damni, quam emolumenti, inde referemus. Sed pergit: *Certiſſimum eſt, gloriae cupiditatem multis vnicam cauſſam fuiſſe, ob quam veritatis inueſtigationi operam darent; at, nec minus verum, eos dum inueniſſe videri volebant, quod nondum inuenerant, multa quaſi comperta, quae tamen exploratа non erant, protuliſſe. Nihilominus gloriae ſtudio vti feliciter poſſumus, ſi ei, vt par eſt, moderemur. Vtilis eſt honor & exiſtimatio, vt commodius ipſi viuamus, & aliis prodeſſe queamus; ſed non eſt fama captanda, quaſi aliquid ſit, quod propter ſe concupiſci debeat. Itaque eo contendendum eſt, quatenus licet per veritatem & virtutem, quae propter ſe amandae*

Digitized by Google

dae ſunt. Si quis ergo gloriae ſtudio teneatur, quod ſit cum veritatis & virtutis amore vehementiſſimo coniunctum; dubium non eſt, quin ea honoris cupiditate multum adiuuari, in inueſtigatione veri, poſſit. Tunc ſibi honorem proponere licet, quaſi praemium veritatis inuentae, vt opifici licet operae ſuſceptae ſibi mercedem proponere. Quemadmodum etiam artifex non debet mercedem vllam poſcere, quam opera non commeruerit; ita nec gloriam ſibi non debitam aequus veritatis indagator tribui poſtulabit. Verum, cum gloriae cupiditas, illorum iudicio, qui ſcripturae ſacrae ductum ſequuntur, inter eiusmodi adfectus merito referatur, qui numquam vitio carent, adeoque ſemper noxii ſunt; perperam omnino ad excitandam attentionem aduocatur. Nec moderari tantum gloriae cupiditati debemus, ſed eidem, quantum poſſumus, reſiſtere; ſiquidem cum humilitate, omnibus tantopere a Chriſto commendata, conſiſtere nequit. Nec eſt, quod dicas, tum ſolum gloriae cupiditati locum concedi, quando cum veritatis & virtutis amore eſt coniunctiſſima. Gloriae enim laudiſque cupiditate qui ducitur, eaque impulſus ad litteras accedit, nec veritatem, nec virtutem ſerio amat, ſed ſuam tantum gloriam. Atque hinc patet, quid de iis cenſendum, quae idem vir doctus porro ſubiicit: *Semper eſt recordandum, eum adfectum, ſi ſolus ſit, noxium eſſe; itaque in nobis excitandi ſunt alii adfectus, qui ne nos gloriae ſtudium ſolum transuerſos agat, impediant. Eiusmodi eſt cupiditas ipſa veri cognoſcendi &c.* Si adfectus iſte, in ſe ſpectatus, noxius eſt, quod auctor fatetur; reprimendus potius, quam excitandus, aut ſaltem vtcumque refrenandus, per aliorum adfectuum excitationem. Haec enim excitatio aliorum adfectuum nihil aliud efficit, quam vt gloriae cupiditatem vtcumque coerceat; quod non ſatis eſſe, ex dictis liquet. Sed mitto reliquia.

** Spectant haec praecipue ad eam meditationem, quae circa rerum conſiderationem verſatur, quamue ſupra §. *VIII.* ideo *realem* vocauimus. In *hermeneutica* enim meditatione paulo aliter rem ſe habere, conſtat; ſiquidem in ea id agimus, vt ſecundum certas regulas, earumdemque adplicationem legitimam, in verum & genuinum auctoris cuiusdam inquiramus ſenſum. Subinde tamen *realis* pariter, ac *hermeneutica* meditatio, coniungenda eſt; vti, cum ex ſcriptura ſacra, rite primum explicata, dogma aliquod eruimus, quod deinceps vlterius conſideramus. Idem & in theologia polemica vſu venit, quando de auctoris, quem refellendum nobis ſumimus, genuina mente ſententiaque prius ſolliciti ſumus, tum vero cuncta expendimus, quae ad veritatem defendendam, aut luculentius explicandam, errores autem refutandos, pertinent.

§. XI. Quod meditatio iſta, ſeu attenta rerum diuinarum conſideratio, cum *inquiſitione, & diiudicatione ſpirituali*, debeat eſſe coniuncta, res ipſa docet. *Inquiſitio* namque, veritatis indicat amorem, qui, ſi vmquam, tum ſane vt adſit neceſſe eſt, cum de rebus maximi momenti, aeterna hominum ſalute, agitur. * *Diiudicatio* vero *ſpiritualis* ideo requiritur, quod, vel ipſo apoſtolo iudice, homo ψυχικὸς *non poſſit cognoſcere, quae ſunt ſpiritus, eo, quod* πνευματικῶς *ſpiritualiter diiudicanda ſint, 1. Cor. II, 14*

* Simulque ad certum nos ducit finem, qui nobis in meditatione debet eſſe conſtitutus, quiue eſt, vt veritatem cognoſcamus, aut in cognita confirmemur, vt §. *ſequenti* oſtendemus.

** Hinc experientia docet, viros doctiſſimos, ingenioque praeſtantiſſimos, quantumuis omnes animi vires in medi-

tatione intendant, a veritate quam longiſſime recedere, in luce meridiana ſaepe caecutire, haerere circa corticem, ad nucleum non peruenire, immo quandoque errores plane pueriles admittere. Iam olim id ſuo exemplo oſtendebant Phariſaei, Iudaeorumque magiſtri, circa ſenſum legis diuinae tam turpiter aberrantes, ideoque ab ipſo ſeruatore reprehenſi, *Matth. V, 20. ſeqq.* Ignorabant namque, τὸν νόμον eſſe πνευματικὸν, *Rom. VII, 14.* hinc & ἀνακρίσει πνευματικῇ in eius interpretatione opus eſſe. Idem & hodie omnibus illis contingit, qui, Pelagianis erroribus imbuti, quae ſcriptura ſacra de intima hominis per peccatum corruptione, de gratia diuina, eiusque neceſſitate, & variis, qua intellectum, qua voluntatem, operationibus ſimilibusque, ſupra hominis, ſolis naturae viribus inſtructi, captum poſitis, docet, non intelligunt, aut intelligere nequeunt. Pertinent enim haec, & alia eiusdem generis, ad τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ θεοῦ, praeſertim ſi & in adplicatione ſpectentur; adeoque ab illis tantum recte cognoſcuntur, qui τὰ πνευματικὰ πνευματικῶς diiudicare didicerunt.

§. XII. Finis, ſimulque fructus, meditationis in eo conſiſtit, vt veritas recte cognoſcatur, ſiquidem nondum cognita fuerit; ſin fuerit, magis confirmetur. * Vt autem veritatis cognitio non adeo facilis eſt, vt multi exiſtimant; ita non minus illorum euitandus error eſt, qui in alterum extremum procurrentes, eam plane cognoſci non poſſe, ſibi perſuadent. ** Nec tamen in cognitione iſta ſubſiſtendum, ſed cuncta ad fidei & vitae praxin transferenda ſunt, quippe quod genuina theologiae vel maxime poſtulat ratio. **

* Veritatis autem iſta cognitio ad donorum ſpiritualium, quibus eccleſiae doctorem atque theologum inſtructum eſſe decet, incrementum eſt comparata, in quo finem ſtudii theologici ſupra conſtituimus, ad quem adeo & meditatio, cum reliquis mediis, de quibus hic verba facimus, nos ducit.

** Falluntur haud dubie, qui, veritatem omnibus ita obuiam, putant, vt ad eam cognoſcendam nullo labore, nulla opus ſit meditatione. Conſiderandus tamen hic omnino ipſe cognitionis ambitus, diuerſique eius gradus. Vt homines plebeii ea cognoſcant, quae ad ſalutem conſequendam ſunt neceſſaria, non multo, fateor, labore, nec adeo profunda opus eſt meditatione. Sed aliter de iis cenſendum, qui in veritatis cognitione, ſeu eruditione, eo vsque proficere volunt, vt alios iterum docere, iisque viam ad ſalutem monſtrare queant. Hi, ſi cuncta ita plana ac facilia ſibi eſſe perſuadeant, vt nullae vſpiam ſe offerant difficultates, nulla obſtacula; nondum ſatis, quid veritas ſit, ſecum expendiſſe, aut in eius inquiſitione periculum aliquod feciſſe, videntur. Rurſus tamen & illi falluntur, aut mentis imbecillitatem produnt, qui veritatem ita abſconditam, aut tot difficultatibus circumſeptam, contendunt, vt omnino cognoſci nequeat. Notum eſt illud DEMOCRITI: ἐν βυθῷ ἡ ἀλήθεια, *veritas in profundo eſt*, apud DIOGENEM LAERTIVM, *Lib. IX. ſect. LXXII. p. m. 586.* Quod & hodie nonnulli amplectuntur, non tantum in philoſophicis, ſed theologicis etiam, ita abſconditam & impeditam, contendentes, vt in ea eruenda omnis fruſtra inſumatur labor. Ita quidem PETR. BAELIVS, in *comment. philoſoph. ſuper haec verba: compelle eos intrare*, id agens, vt inde conficiat, perinde tandem eſſe, quam quis in rebus, ad religionem chriſtianam ſpectantibus

tibus, foueat ſententiam. Qui iſtorum hominum error, ab illis, qui ſcepticorum & indifferentiſtarum ſomnia profligarunt, ſatis refutatus eſt. Miror vero, etiam virum, cetera doctiſſimum, PETR. DAN. HVETIVM, haud obſcure in ſcepticorum tranſiiſſe caſtra, in *tractatu philoſophico, de infirmitate intellectus humani (de la foibleſſe de l' Eſprit humain)* haud ita pridem edito. Enimuero, etſi auctor iſte, *Lib. II. c. II. p. 182.* contendat, defectus rationis ſuppleri per fidem, per quam omnia certa reddantur, quae incerta erant ex lumine rationis; valde tamen dubito, an veritati chriſtianae religionis ita ſatis proſpectum ſit; ſiquidem omnia argumenta, quae pro ea adducuntur, & in quibus vſus aliquis rationis eſt, corruere, neceſſe eſt, ſi ratio nihil omnino, in quo tuto pedem figere liceat, ſuppeditet. Sed hac de re alibi. Ad Democriti illud, quod antea attulimus, effatum quod attinet, illud LACTANTIVS hunc in modum refellit: *Anaxagoras pronuntiat, circumfuſa eſſe tenebris omnia. Empedocles, anguſtas eſſe ſenſuum ſemitas, queritur, tamquam illi ad cogitandum rheda & quadriga opus eſſet. Democritus quaſi in puteo quodam ſic alto, vt fundus ſit nullus, veritatem iacere demerſam; nimirum ſtulte, vt cetera. Non enim tamquam in puteo demerſa eſt veritas, quo vel deſcendere, vel etiam cadere illi licebat, ſed tamquam in ſummo montis excelſi vertice vel potius in caelo, quod eſt veriſſimum. Quid enim eſt, cur eam potius in imum depreſſam diceret, quam in ſummum leuatam? niſi forte mentem quoque in pedibus aut in imis calcibus conſtituere malebat potius, quam in pectore, aut in capite &c. diuinar. inſtit. lib. III. c. XXVIII. p. m. 383.*

* Conſtat hoc abunde ex iis, quae *c. I.* de fine ſtudii theologici, diſſeruimus. Conferenda cum primis, quae *§. XII.* diximus.

§. XIII. Atque hinc neceſſitas quoque meditationis intelligitur; ſiquidem ſine ea nemo ad veram ſolidamque rerum aut humanarum aut diuinarum cognitionem peruenire poteſt; ita quidem, vt vera a falſis, a malis bona diſcernere queat; quod tamen praecipuum doctoris in eccleſia munus eſt. Nec ſane vera cognitione praediti, aut ad ſacrum munus apti, cenſendi ſunt, qui ea tantum, quae legerunt aut audiuerunt, memoria complectuntur, & iterum, oblata occaſione, recitare poſſunt, quippe qui a pſittacis non multum differunt. *

* Meditationis neceſſitatem ad inquirendam veritatem veteres pariter ac recentiores agnoſcunt philoſophi. Hinc illud PERIANDRI: μελέτη τὸ πᾶν, vel, vt alii efferunt, μελέτη πάντα δύναται. Eſt tamen obſeruandum, apud latinos ſcriptores *meditationis* vocem interdum idem ſignificare, ac *exercitationem*. Ita illud CICERONIS capiendum: *multi naturae vitium meditatione ſuſtulerunt.* Statim enim addit: *vt Demoſthenem ſcribit Phalereus, cum* RHO *dicere nequiret, exercitatione feciſſe, vt planiſſime diceret*; de *diuinat. lib. II. c. XLVI. p. m. 1272.* Sic &, cum *libr. II. quaeſt. Tuſculan. c. XVII. p. m. 1162.* copioſe de exercitatione differit, tandem concludit: *tantum exercitatio, meditatio, conſuetudo, valet.* Eodem modo & SENECA hanc vocem ſumit: *Nihil eſt tam difficile & arduum, quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducat adſidua meditatio &c.* Quae verba ex *libro II. de ira, c. XII.* ſupra iam recitauimus, *c. II. §. IX.* Hoc ideo monuimus, ne quis putet, haec aliaque veterum loca ad noſtrum quidquam inſtitutum facere. Eius, de qua nos loquimur, meditationis neceſſitatem, praeter alios agnoſcit EDMVND. RICHERIVS, & de ea eleganter hunc in modum loquitur: *Vti ergo figuli, celerrima rotae & ma-*

manus concitatione, in diſſimiles, & prope infinitas imagines, mollioris argillae maſſam tranſmutant; ſimili modo vniuerſa, quae ex quotidianae auditionis, conſuetudinis, & lectionis tritura cumulamus, in varios & differentes vſus, acriter ratiocinando, commutare oportet; paria paribus, contraria contrariis, praeterita praeſentibus opponendo; rerumque omnium cauſſas & varios euentus adcurate explorando; quoniam neque ad corporis robur, & firmam valetudinem, multos cibos mandiſſe, neque ad magnam eruditionem, multa legiſſe, audiuiſſe, vidiſſe, quidquam confert, ſi haec cruda, informia, vtque accepta ſunt, egerantur; non autem multa cogitatione, velut calore naturali, in ſuccum, ſanguinem, vſumque peculiarem & elegantem, conuertantur. Struthiocameli ac teſtudines, ſolo & continuo adſpectu oua ſua fouere creduntur; quidni homines, acri iudicio & meditatione ſingulari animorum ſuorum foetus efformant? obſtetr. anim. c. IX. p. 248. Iungenda his, quae de meditationis neceſſitate diſſerit IO. ANDR. BOSIVS noſter, *diſſert. iſagog. de comparanda eloquentia ciuili, §. XLV. p. m. 435.*

§. XIV. Adminicula meditationis ſunt *auditio* & *lectio*, ſiquidem per vtramque & materia meditationi ſubminiſtratur, & ſubinde exempla praebentur, quo pacto recte inſtituenda. *

* Praecipua ſaltem haec ſunt meditationis adiumenta. Ceteroquin enim, in quotidiano cum aliis commercio, & conuerſatione, ſi rite & prudenter inſtituatur, multa quandoque ſe offerre, quae meditationi inſeruiant, eidemque materiam ſubminiſtrent, negari nequit. Quod cum generatim de eruditione viri docti paſſim tradant, ſpeciatim & de theologia adſerendum venit. Conuerſatio namque cum viris, pietate & doctrina praeſtantibus, non tantum occaſionem ſubinde peropportunam, in vitae ſanctitate proficiendi, nobis praebet; ſed & varia ex illorum colloquiis condiſcere licet, quae meditationem promoueant, mirificeque, ad finem ſtudii theologici eo rectius faciliusque obtinendum, nobis proſint. Ad eruditionem plurimum facere conuerſationem cum viris doctis, ex inſtituto demonſtrat DAN. GEORG. MORHOFIVS, *polyhiſt. litt. part. I. lib. I. c. XV.* Inter arcana ſtudiorum eam refert, ALEX. FICHETVS, in *arcana ſtudiorum methodo, lib. I. c. X. p. m. 20.* ex edit. ALB. FABRICII. Hinc & de ea, prout litterarum ſtudiis inſeruit, copioſe & ex inſtituto diſſerit IO. GEORG. WALCHIVS, in dem *Entwurff der allgemeinen Gelehrſamkeit &c. lib. I. c. III. ſect. II. p. 36. ſeqq.*

§. XV. *Auditio* eo ſpectat, vt virorum doctorum, viua voce alios erudientium, inſtitutione recte vtamur. Quae quidem inſtitutio cum plurima prae lectione habeat commoda; rebus ſuis non recte conſulunt, qui eam negligunt, & inter αὐτοδιδάκτυς numerari cupiunt. * Vnde & ſimul intelligitur, quanta ſcholae & academiae nobis adferant commoda, &, quod earum conſtitutionem pro maximo Numinis reputare debeamus beneficio. **

* Inſignis prorſus & multiplex eſt inſtitutionis, quae viua magiſtri aut praeceptoris voce peragitur, fructus, praeſertim ſi indolis, qua diſcentes praediti ſunt, in ea habeatur ratio. Longe rectius ingenium noſtrum explorabit, quidue agendum aut omittendum ſit, ſuadebit prudens doctor, quam noſmet ipſi, qui numquam fere non, in iis, quae ad nos ſpectant, caecutimus. Deinde &, quo incedere debeamus ordine; quid primo, quid ſecundo loco adgrediendum, cum neſciant, qui ſibi ipſi

ipſi relicti ſunt, incauti iuuenes, oſtendet, facemque in hiſce omnibus praeferet, diligentia periti magiſtri. Accedit, quod, qui ſine magiſtro ſapere cupiunt, haud raro vitia quaedam imbibant, quae dediſcere difficile admodum illis eſt, etiam, cum ea deteſtantur. Solitudini namque & vmbrae adſueti in lucem fere non ſine puerili quadam trepidatione prodeunt, pertinaces quoque & arrogantes vt plurimum euadunt, dum omnia ſibi ſolis tribuunt, quod aliis acceptum ferant, ſe non habere, ſibi perſuadentes. Sed magis etiam viua vox animum mouet, quam littera ſcripta, hinc & attentionem magis excitat; altiusque in animum deſcendit, efficitque adeo, vt longe rectius, faciliusque, quae eadem proponuntur, capiantur. Iam olim hoc perſpexit PLINIVS: *Dices, habeo hic, quos legam, non minus diſertos. Etiam: ſed legendi ſemper occaſio eſt, audiendi non ſemper. Praeterea multo magis, vt vulgo dicitur, viua vox adficit. Nam licet acriora ſint, quae legas, altius tamen in animo ſedent, quae pronuntiatio, vultus, habitus, geſtus etiam dicentis, adfigit, &c. lib. II. ep. III.* Notum quoque eſt illud HIERONYMI, paſſimque celebratur: *Habet neſcio quid latentis energiae viua vox; & in aures diſcipuli de auctoris ore transfuſa fortius ſonat. Vnde & Aeſchines, quum Rhodi exularet, & legeretur illa Demoſthenis oratio, quam aduerſus eum habuerat, mirantibus cunctis atque laudantibus, ſuſpirans ait: Quid ſi ipſam audiſſetis beſtiam, ſua verba reſonantem? epiſt. L.* quae *ſecunda* eſt ad *Paulinum, tom. IV. oper. part. II. p. 569.* edit. IO. MARTIANAEI. Habet denique inſtitutio, quae viua voce peragitur, hocce commodum, quod, qui docent, *vno momento temporis in ſinum noſtrum effundunt, quod longiſſimo plurimorum annorum labore coaceruarunt, atque hoc nullo noſtro labore, magnaque cum animi noſtri voluptate, contingit;* vt ALEX. FICHETVS loquitur, qui & alia eiusdem generis addit, in *arcana ſtudiorum methodo, lib. I. c. X. p. 20.* Nec eſt, quod αὐτοδιδάκτους quosdam opponas, qui ſine magiſtro, ſua ita profecerunt induſtria, vt magnam eruditionis laudem conſequerentur. Quod enim quibusdam, ingenio prorſus ſingulari praeditis, feliciter ceſſit, id qui ſibi quoque ſtatim, iisdem ingenii viribus minime praedito, imitandum cenſeret, magnam haud dubie iudicii proderet imbecillitatem. Facere nequeo, quin GABR. NAVDAEI hac de re repetam verba, etſi alibi iam a me recitata: *Licet, multos olim αὐτοδιδάκτους repertos fuiſſe, non ignorem, qui ſua induſtria, nullius adiuti miniſterio, illud etiam dicere poſſint, de quo ſe iactabat citharoedus quidam apud Homerum: ex me ipſo edoctus ſum, neque alius mihi, niſi Deus, menti animoque tot numeroſas indidit cantilenas; quemadmodum Heraclitus Epheſius, quem narrat Plutarchus nullo commonitore & commonſtratore philoſophiam omnem percepiſſe; & Manlius eques factus (ſi Plinio credendum) nullo praeeunte, doctiſſimus, & Apuleius, qui hoc de ſe prodit primo fabularum, Epicurusque adnuente Tullio, & Virgilius referente Petrarcha, & demum diuus Auguſtinus, qui lib. confeſſionum gloriatur, ſemet ipſum legiſſe liberalium artium libros, & intellexiſſe; noſtrisque ſimiliter temporibus, multis emergere abſque praeceptorum opera, contigerit, vt Petro Ramo in philoſophiae ſtudiis, Mureto in arte oratoria, Guilielmo Poſtello in linguarum pene omnium, ebraicae praeſertim, cognitione, Cuiacio in iurisprudentiae notitia, Philelpho denique ac Budaeo in omnibus humanioribus litteris; licet, inquam, plures alii ſua ſponte & natura, bonas & multas artes potuerint adđiſcere; breuius tamen hoc iter illis fore & compendioſius, ſemper exiſtimaui, quibus praeceptores aliqui, ſaltem praemonſtratores ſtudiorum & comites adiunguntur &c.*

 in

in *ſyntagmate de ſtudio liberali*, (quod in THO. CRENII *methodis*, an. 1692 editis, exſtat) *c. V. p. 586.* Plura de αὐτοδιδάκτοις dabunt DAN. GEORG. MORHOFIVS, *polyhiſt. litter. lib. I. c. I.* DOROTHEVS SICVRVS, h. e. THO. CRENIVS, in *prudentia theologica*, *c. XXIV. p. 33.* aliique laudati IO. GE. WALCHIO, in dem *Entvvurff der allgemeinen Gelehrſamkeit, lib. I. c. III. ſect. I. p. 35. 36.*

** Cum de vtilitate & neceſſitate ſcholarum & academiarum non idem omnes ſentiant, & ſubinde noſtra quoque aetate fuerit diſceptatum; non abs re fuerit de ea aliquid monere. Quod vt eo rectius fiat, de origine quoque ſcholarum pauca quaedam delibanda ſunt. Vbi illos quidem, qui in ipſo paradiſo ſcholarum natales ſibi inueniſſe viſi ſunt, non moror; cum diſcrimen illud, quod inter ſtatum integritatis, & eum qui poſt hominum lapſum eſt, non ſatis perpendiſſe videantur, meritoque adeo eos refellit GOTHOFR. VOCKERODT, in *conſultationibus de ſtudiis litterarum recte inſtituendis*, *conſultat. XVI*, quae agit *de ſcholarum publicarum pretio*, *§. II. p. 338.* itemque auctor *obſeruationis XIX. tom. I. obſeruat. Hallenſ.* §. *II. p. 280.* Nec felicius apud patriarchas, tum ante, tum poſt diluuium, ſcholae & academiae quaeruntur. Etſi enim dubium non eſt, quin patriarchae liberos ſuos, atque domeſticos, in iis, quae ad pietatem, verumque Numinis cultum ſpectant, inſtituerint, erudiuerintque, quod & ex *Gen. XVIII, 19.* recte colligitur; inde tamen minime ſequitur, eos eiusmodi ſcholas & academias, quales hodie apud nos florent, habuiſſe. Certe, quae a nonnullis, vt hoc euincant, adducuntur; lubrica plane ſunt & friuola, omniq; deſtituuntur fundamento. Cuiusmodi illud eſt, quod ex eo, quod Abrahamus, cum Charris commoraretur, *animas feciſſe*, dicitur, *Gen. XII, 5.* paraphraſtem chaldaeum ſequuti, colligunt, eum alios homines inſtituiſſe, doctorisque functum munere; cum tamen de ſeruorum ac iumentorum adquiſitione ibi ſermo ſit; itemque quando per חנכיו, *Gen. XIV, 14.* catechumenos Abrahami intelligunt, cum potius iuuenes bello idonei denotentur. Et hac quidem ratione Ebraeorum doctores hinc inde in ſcriptura ſacra ſcholas & academias exſculpunt, vbi nullae exſtant, quos incaute ſequitur IAC. ALTINGIVS, in *re publica Ebraeorum ſcholaſtica*, *quatuor orationibus* delineata, quae cum eiusdem *diſſertationibus theologicis & philologicis* iunctim prodierunt; a me ideo notatus in *hiſtor. eccl. vet. teſtam. tom. I. per. I. ſect. III.* ad §. *XXI. p. 414. ſeqq.* alibique. Apud Aegyptios equidem, itemque Chaldaeos, antiquiſſimis temporibus collegia ſacerdotum exſtitiſſe, in quibus litterae excultae, & cum aliis communicatae fuerint, ex DIODORO SICVLO, *lib. I. cap. LXXIII.* & *lib. II. c. XXIX.* itemque STRABONE, *geograph. lib. XVI.* & *XVII.* conſtat. Praeterquam vero, quod, quae de antiquiſſimis iſtarum gentium inſtitutis dicuntur, nondum extra omnem poſita ſunt controuerſiam; magna iſtarum ſocietatum, noſtrarumque ſcholarum & academiarum, eſt diſſimilitudo. Conferenda, quae de illis HERM. CONRINGIVS tradit, *antiquit. acad. diſſ. I. p. 5. & 6.* Apud Cananaeos, priusquam terra illorum ab Iſraëlitis occuparetur, litterarum ſtudia floruiſſe, hinc & ſcholas fuiſſe, ſeu litterarum domicilia, vel inde nonnulli colligunt, quod apud eos vrbs quaedam fuerit *Kiriath-Sepher* dicta, poſtea *Debir* adpellata, *Ioſ. XIV, 15.* Vocem enim *Kiriath-Sepher, vrbem librorum*, ſeu *librariam* interpretantur. Quam operoſi nonnulli ſint, vt hic litterarum ſedem, ſeu ſcholam inueniant, vel ex NIC. SERARIO ad *Ioſ. l. c.* patet. Cum vero in vocis iſtius expoſitione plane inter ſe non conueniant; vel inde, quam incerta omnia ſint, patet. Sane

ne cum vox ספר non tantum *librum*, ſed & *recenſionem*, *numerationem*, ſignificet; nihil inde concludi poſſe, manifeſtum eſt. HVGO GROTIVS exiſtimat, Kiriath-Sepher eam vrbem eſſe, quae XENOPHONTI *Phoenicum gymnaſium* vocatur, ad *Ioſ. l. c.* At recte HERM. CONRINGIVS obſeruat, γυμνάσιον XENOPHONTIS non ſcholam litterariam ſignificaſſe, ſed locum, exercitiis corporis deſtinatum; XENOPHONTIS praeterea aeuo non amplius in vſu fuiſſe adpellationem priſcam vrbis *Kiriath-Sepher*, ſed nomen recentius Debir, tandemque concludit: *Nihilproinde & de illa Cananaeorum ſchola dici poteſt, etſi indubio fuerit inſigni olim fama, vt, quae toti orbi dederit a libris ſuam adpellationem; ant. acad. ſupplem. III. p. 211.* Verum, nec id ſatis euictum, quod omnino ſchola ibi fuerit, aut, quod a libris vrbs illa denominationem ſuam acceperit, vt ex antea dictis conſtat, & pluribus a me oſtenſum, in *hiſt. eccleſ. veter. teſtam. tom. I. per. II. ſect. II.* ad §. *XVI. p. 942.* Tempore Samuelis ſocietates quasdam, ſeu collegia, exſtitiſſe, in quibus nonnulli ad ſapientiam & pietatem fuerint eruditi, vel ſe inuicem ſub ductu magiſtri cuiusdam excitauerint, inde colligitur, quod *1. Sam. X, 5.* & *XIX. 18. ſeqq. chori* ſeu *coetus* prophetarum commemorantur. Sequenti etiam aetate Bethele, Ierichunte, Gilgale, filios, prophetarum commoratos, *2. Reg. II, 3. & 5.* it. *IV, 38.* legimus. Vnde nonnulli non dubitant, quin ſaltem a tempore Samuelis, & ſequenti aetate, ſcholae fuerint in gente ebraea. Quod tamen tum demum nobis perſuaderent, ſi iam euiciſſent, collegia iſta, ſeu ſocietates, in quibus filii prophetarum vixerunt, noſtris prorſus ſimiles fuiſſe ſcholis. Legenda, quae copioſius de hiſce omnibus diſputaui, in *hiſt. eccleſ. vet. teſtam. tom. II. per. II. ſect. III.* ad §. *XXVI. p. 276. ſeqq. & ſect. IV.* ad §. *XXXIII. p. 635. ſeqq.* Certiora ſcholarum, & quidem, prout a ſynagogis diſtinguuntur, veſtigia apud Ebraeos poſt captiuitatem babylonicam occurrere, notum eſt, & a me itidem obſeruatum, *l. c. ſect. VII.* ad §. *XVII. p. 1191.* Ad Graecos quod attinet, apud quos litterarum ſtudia ita floruere, vt earum gloria reliquas gentes vincerent; ante Platonis tempora nullas eos habuiſſe ſcholas publicas, ex hiſtoriarum euidenter demonſtrari poteſt monumentis. Etſi enim iam antea complures inter eos exſtiterint, qui omne genus doctrinae traderent; priuatorum tamen ea potius cura fuit, quam rei publicae. Scholae etiam quaedam ante haec tempora commemorantur; ſed pueriles, vbi more Graecorum pueri legere & ſcribere docebantur. Luculenter haec ediſſerit atque euincit HERM. CONRINGIVS, qui & addit: *Primum igitur, quod quidem conſtet, Platoni ciui ſuo, forte quo crimen in philoſophiam, Socratis damnatione commiſſum, eluerent, locum nemoroſum ſuburbanum, cui ab ſtructore Hecademo ſiue Academo nomen erat academiae, in publicam ſcholam conceſſerunt, elegantiſſimi Graecorum Athenienſes. Hoc initium eſt ſcholarum in Graecis publicarum &c.* de *antiquitat. academicis diſſ. I. p. 9.* Quo pacto Athenienſes deinde & Ariſtoteli aliisque philoſophis, loca publica ad docendum conceſſerint, quo pacto a Graecis cum litterarum ſtudiis ſcholae ad Romanos, hinc & ad Gallos, Britannos, Germanos, tranſierint, quo pacto denique academiae, quae ſpeciatim hodie ita dicuntur, ſaeculo demum decimo tertio, exortae ſint, Pariſienſi inter omnes antiquitate excellente; idem HERM. CONRINGIVS copioſe non minus, quam eleganter, oſtendit *l. c. diſſ. I. II. III.* Germanicarum autem ſcholarum hiſtoria vt eo rectius intelligatur, euoluere iuuabit IO. LAVNOII, *de ſcholis celebribus a Carolo magno in occidente inſtauratis, librum*, quem laudabili inſtituto, cum IO. MABILLONII *itinere germanico*, recudi curauit IO. ALB.

FABRI-

FABRICIVS. De academiis ſpeciatim praeter CONRINGIVM conferre iuuabit IAC. MIDDENDORPIVM, *de academiis*, & THO. LANSII *conſultat. de academiis*.

Iam vt ad eos accedam, qui ſcholarum neceſſitatem aut vtilitatem in dubium vocarunt; primum ſe nobis loco offert THO. HOBBESIVS, qui ex inſtituto id agere videtur; *Leuiath. c. XLVI. p. 314. ſeqq.* Eo tamen praecipue, quae ibi diſputat, ſpectant, vt oſtendat, per philoſophiam Ariſtotelicam ſcholas ita corruptas ac deprauatas, vt ad veritatis cognitionem parum, aut nihil, ex iis commodi ſperari poſſit. Hinc & caput iſtud quadrageſimum ſextum ab eo inſcribitur: de *tenebris ex inani philoſophia*. Nec omnia, quae HOBBESIVS ibi differit, contemnenda ſunt, aut reiicienda, cum veriſſimum ſit, per philoſophiam Ariſtotelicam plurimos olim ita excaecatos, vt veritatem perſpicere non poſſent; immo ſcholas & academias, quod itidem recte monet, ſub papatu eo comparatas fuiſſe, vt tyrannidem Romanorum praeſulum ſtabilirent, ceterosque mortales in caeco aduerſus eos obſequio continerent. Sed, dum in primitiua ſtatim eccleſia per Ariſtotelicam philoſophiam, doctrinam orthodoxam corruptam fuiſſe, veteresque haereticos ex Ariſtotelis ſchola prodiiſſe, contendit; maximopere fallitur, ſuamque in hiſtoria eccleſiaſtica ignorantiam prodit. Platonicam enim potius, quam Ariſtotelicam in veteri eccleſia regnaſſe philoſophiam, nemini, niſi harum rerum plane rudi, ignotum eſſe poteſt. Proteſtantium etiam ſcholas & academias poſt reformationem eccleſiae ſenſim iugum Ariſtotelicae philoſophiae excuſſiſſe, earumdemque hodie maximam partem longe aliam eſſe faciem, conſtat, quam olim fuit. Quae ergo HOBBESIVS vrget veritatis obſtacula, his amplius exprobrari nequeunt; quin potius veritas, in philoſophicis pariter ac theologicis, ita paſſim caput extulit, vt longe lateque radios ſuos ſpargat; quod, ſi viueret, nec ipſe negaret HOBBESIVS, niſi forte, eos omnes adhuc in tenebris verſari, putaret, qui Leuiathanem ipſius recipere nollent. Ex inſtituto HOBBESII de ſcholis ſententiam ſub examen reuocauit beatus ADAMVS RECHENBERGIVS, in *diſſert. de origine & vſu ſcholarum*. Male quoque apud nonnullos audit auctor illuſtris *obſeruationum* quarumdam *de ſcholis, earumque vtilitate & neceſſitate*, quae *tom. I. obſeruation. Hallenſ. num. I. II. X. XI. XII. XIX.* exſtant. Sed obſeruare iuuat, illum de eo tantum diſputare, an ſcholae, ſcilicet publicae, neceſſariae & vtiles ſint ad ſtudium ſapientiae ſeu pietatis, cum ſine pietate nulla ſit ſapientia. Alia itaque eſt quaeſtio, an neceſſariae & vtiles ſint ad eruditionem? quod non negat, quemadmodum &, ſcholas minime tollendas, ſed, naeuis earum toleratis, emendandas potius, contendit, *obſeruat. XI. p. 138. ſeqq.* Enimuero, ad ſapientiam, atque pietatem, quod attinet, abnui nequit, in ſcholis & academiis raro admodum eius, ita, vt decet, haberi rationem; certum etiam, in priuata inſtitutione commodius quandoque haberi poſſe, quam publica. Quod ſi parentes ſuo hic ſemper fungerentur munere; ſcholis ad huncce quidem finem opus non eſſet. Cum vero pauciſſimi parentum hoc faciant; ſatius eſt, vt adoleſcentes iuuenesque qualicumque iſta, quae in ſcholis eſt, ad ſapientiam & pietatem fruantur manuductione, quam nulla. Ad eruditionem vero quod attinet, licet in ea quoque priuata inſtitutio commoda quaedam prae publica habeat; ſiquidem, vt alia taceam, praeceptor, vnius aut paucorum ſtudiis dirigendis intentus, promtius, quae cuiusque captui & indoli conueniunt, obſeruare queat, non tamen omnibus ea contingit felicitas, vt praeceptorem, huic muneri aptum,

aptum, inueniant. Non ſane neſcio, & publicis ſcholis eiusmodi homines ſubinde praefici, qui, ſiue eruditionem, ſiue mores ſpectes, quaeuis potius alia praeſtare poſſunt, quam iuuentutem ita, vt decet, inſtituere, ac erudire; facilius tamen inter eos, qui in publico docendi munere conſtituti ſunt, ab idoneis diſcernas ineptos. Cumque viri doctrina & ingenio praeſtantes, &, qui ſe totos in ea dant litterarum ſtudia, quibus imbutos eſſe decet, qui aliis viam ad eruditionem monſtrare cupiunt, lubentius publico fungantur docendi officio, quam priuato; mirum non eſt, non adeo frequentes eſſe, quibus vnius, aut paucorum quorundam, cura recte committatur. Habent vero publicae ſcholae & alia commoda, quae, minime eas contemnendas, oſtendunt; licet aliquando priuata inſtitutio non ſine ratione iis praeferatur. Ex veteribus iam M. FABIVS QVINTILIANVS eas laudauit, *inſtit. orator. lib. I. c. II.* ita quidem, vt quandoque de iuuentutis inſtitutione religioſius loquatur, quam multi, qui religionem profitentur chriſtianam, quod & GOTHOFREDVS VOCKERODT recte obſeruat, in *conſultationibus, de litterarum ſtudiis recte & religioſe inſtituendis, conſultat. XVI. p. 244.* Longe plures ex recentioribus ſcholarum & neceſſitatem & vtilitatem commendant, proque ea acriter pugnant, quod & praeter alios GISB. VOETIVS facit, *polit. eccleſ. part. II. lib. III. tract. IV. c. III. p. 738. ſeqq.* Quae quousque admittenda aut adprobanda ſint, ex hactenus dictis liquet.

Vt autem de ſcholarum, ſi recte ſe habeant, vtilitate, immo pro ea, quae hodie eſt, rerum humanarum conditione, neceſſitate, nemo temere dubitauerit; ita acerbae paſſim virorum doctorum, de earumdem vitiis & corruptelis audiuntur querelae. Multa in docentibus, plura in diſcentibus, ſiue ipſam doctrinam, ſcientiasque, quae in academiis tradi ſolent, ſiue mores, vitaeque rationem ſpectes, deſiderantur. Nec hodie demum aut nudius tertius ea ſcholarum, quae multis tantopere diſplicet, facies eſſe coepit; quin potius iam ſuo tempore eamdem illarum imaginem exhibet AVGVSTINVS, *confeſſionum lib. V.* idque ea ratione, vt dubites, maiorne iuuenum, in academiis noſtris viuentium, ſit petulantia, quam olim fuit. Vitia autem & naeuos noſtrarum ſcholarum & academiarum IO. VALENT. ANDREAE, in *Menippo. c. XXV.* IO. MATTH. MAYFARTVS, in libello germanico *von Erbauung und Fortſetzung der academiſchen diſciplin auff den euangeliſchen Schulen in Teutſchland,* GOTFR. ARNOLDVS, in der *Kirchen-und Ketzer-Hiſtorie, part. II. lib. XVI. c. X.* aliique, laudati auctori *obſeruationum de ſcholis, tom. I. obſeru. Hallenſium, obſ. XII. §. V. p. 150.* deſcribunt. Varia beati LVTHERI noſtri loca huc ſpectantia exhibentur in eiusdem CHRISTIANI THOMASII *hiſtorie der Weisheit und Thorheit, menſe I.* Atque ſunt haec maximam partem ita comparata, vt negari nequeant; hinc & viris cordatis magnum adferunt dolorem, votaque, vt tandem ſerio, quantum fieri poteſt, vitia iſta corrigantur & emendentur, extorquent. Nec tamen ideo ſcholae omnes damnandae ſunt, ac reiiciendae, quod nonnulli, ad alterum extremum procurrentes, fecerunt, aut ſaltem feciſſe videntur. VALENT. certe WEIGELIVS hoc nomine male audit, quod dixerit: *Ieſum ex omnibus academiis relegatum eſſe; noui teſtamenti cathedras omnes ex maledictis & infrugiferis arboribus fabrefactas;* & quae alia ſunt eiusdem generis; conf. *poſtilla* eius, *part. I. p. 93.* Similia fere & CHRISTIANVS HOHBVRGIVS profert, *poſtilla myſt. dom. ſexages. p. 333.* & *domin. quinquageſima p. 381.* atro ideo notatus lapillo, tum ab aliis, tum & ab EHREGOTT DAN. COLBERGIO, in dem *Her-*

metiſch - Platoniſchen chriſtenthum, part. II. c. XV. §. VII. p. 702. ſeqq. conf. & IO. HOORNBEECKIVS, in *ſumma controuerſiarum, lib. VI p. 415.* Quod anabaptiſtis, aliisque eiusdem generis hominibus, idem paſſim obiici ſoleat, notum ſatis eſt. Multa, quae huc ſpectant, congeſſit GERH. MEYERVS, theologus Bremenſis, in commentatione quadam, ſeu programmate, vti vocari ſolet, inſcripto: *quam miſerandam ſcholis intulerint cladem fanatici recentiores*, Bremae an. 1714 edito, quamuis non omnia, quae cumulat, eodem habenda ſint loco. Ex Quakeris moderate admodum de ſcholis ſentit & loquitur ROB. BARCLAIVS. *Minime igitur*, inquit, *primitiuorum proteſtantium zelum contra babylonicas tenebras, nec pios eorum conatus in ſcripturis interpretandis condemnamus, ſed hoc candide eos, ſecundum ipſorum cognitionem, feciſſe, ex animo credimus, ideoque ad ſatisfaciendum iuſtis deſideriis eorum, qui eas legere cupiunt, & multis aliis de cauſſis, ſcilicet, ob mutuum inter nationes, linguis diuerſas, commercium conſeruandum, neceſſarium & laudabile iudicamus, vt ſint ſcholae publicae, ad iuuentutem, has linguas adpetentem, edocendam;* in *theologiae vere chriſtianae apologia, theſ. X. p. 197.* Satis quidem ingenue, etſi perperam ad linguarum tantum notitiam, ſcholarum vſum reſtringat. Meliorem haud dubie viam ingreſſi ſunt, qui de emendandis potius & corrigendis ſcholarum vitiis ſolliciti fuerunt, quam vt ipſas ſcholas aut academias reiicerent, ac damnarent. Id ſane egerunt IOACH. CAMERARIVS, DAV. CHYTRAEVS, MICH. NEANDER, IO. STVRMIVS, IO. CASELIVS, aliique, quorum, de ſcholis recte inſtituendis & emendandis, commentationes, paſſim celebrantur, & a DAN. GEORG. MORHOFIO quoque laudantur, *polyhiſt. litt. lib. II. c. II.* IO. STVRMII, *de litterarum ludis recte aperiendis*, librum, itemque CASP. SCIOPPII *conſultationes, de ſcholarum & ſtudiorum ratione*, & alios quosdam, huc itidem ſpectantes, in *methodis* ſuis exhibet THO. CRENIVS. Laudat & pleroſque, qui hoc argumentum tractarunt, IO. GE. WALCHIVS, in dem *Entvvurff der allgemeinen Gelehrſamkeit &c. lib. I. c. III. ſect. I. §. XVIII. p. 32.* Si tamen dicendum, quod res eſt, quo plures legeris, qui, de litterarum ſtudiis, recte inſtituendis, deque ſcholarum emendandis vitiis, egerunt; eo forte eris incertior, quo pacto emendatio haec ſit inſtituenda. Plerique id, quod praecipuum eſſe debebat, quo pacto pueri & adoleſcentes in ſcholis ad veram pietatem, ſine qua nulla eſt ſapientia, acriori, quam hactenus factum, ratione excitandi ſint, aut plane praetermittunt, aut leuiter admodum, atque frigide attingunt. Deinde, vbi ad ipſam eruditionem ventum, ea quisque litterarum genera maxime neceſſaria ducit, in quibus ipſemet prae reliquis excellit. Hinc, alios latinae graecaeque linguae, alios philoſophiae, iſtius quidem ſectae, cui quisque addictus eſt, alios matheſeos maxime vrgere neceſſitatem, videas. In tanta itaque virorum doctorum, de genuina ſcholarum emendatione, diſſenſione, quid mirum, quod nihil hactenus effectum ſit? Nec tamen ideo prorſus abiiciendus eſt animus, aut omnia, huc ſpectantia, reiicienda conſilia. Seligendum potius ex omnibus, quod optimum, & cuique ſcholae, noſtraeque aetati conuenientiſſimum; ſique tolli penitus & exſtirpari vitia omnia nequeunt; opera danda, vt imminuantur, ſimulque, ne noua propullulent, impediatur. Et haec quidem de ſcholis monere, viſum fuit.

§. XVI.

§. XVI. Ne quis autem & hic fructu, quem inde ſperat, priuetur; de idoneo primum eligendo magiſtro ſollicitus eſſe debet, tum conſiderare, quaenam ſuae, ut inſtitutione iſta rite vtatur, ſint partes. *

* Ad praeceptorem, ſeu magiſtrum, quod attinet, recte M. FAB. QVINTILIANVS, *praecipuam prudentibus curam eſſe*, ait, *praeceptorem eligere ſanctiſſimum quemque*, *inſtit. orat. lib. I. c. II. p. m. 15* Quod ſi in aliis litterarum generibus, multo magis in theologia obſeruandum eſſe, nemo non intelligit. Quamdiu equidem in familia parentum conſtituti ſunt liberi: illorum hoc eſt officium, vt magiſtros idoneos eligant. At quando ad academias tranſeunt, vbi magna docentium eſt multitudo & diuerſitas; arbitrio libero eorum plerumque relinquitur, quem ipſimet prae reliquis eligere velint. Tum vero, cum quam facillime decipi queant, magna iis opus eſt cautione & prudentia; cumque pauciſſimis, vt ſibi ipſi conſulant, datum ſit; nihil aliud ſupereſt, quam vt aliorum conſilia, quantum fieri poteſt, audiant, & ſequantur. Inſtitutione autem magiſtrorum recte quoque vtendum eſſe, longe eſt euidentiſſimum. Experientia docet, etiam eos, quibus optimi obtigere magiſtri, parum tamen & in litteris, & in ſapientia proficere: ſua vtique, non magiſtrorum, culpa.

§. XVII. Quae doctorem artiumque bonarum magiſtrum maxime commendant virtutes, ſunt: *ſoliditas*, in fundamentis principiiſque, rite conſtituendis, praecipue ſe exſerens, quibus reliqua deinceps ſuperſtruantur; *perſpicuitas*, vt clare & diſtincte animi ſui conceptus proponere queat; & denique *fidelitas*, vt ſerio, non ſua commoda ſuamque gloriam, ſed auditorum ſalutem, & in veritatis cognitione, veraque ſapientia incrementa, quaerat. *

* Solent alii in magiſtro ſeu praeceptore requirere, *vitam probam*, *eruditionem ſufficientem* & *habilitatem docendi*. Ea, quae ad habilitatem docendi ſpectant, nos enarrauimus, extra controuerſiam ponentes, quod & ſufficiens eruditio, & vitae probitas adeſſe debet; Quodſi autem in omnibus, qui docendi munere fungi cupiunt, praeter reliquas dotes, vitae quoque probitas requiritur; quis dubitet, ab eo cumprimis illam exigi, qui ducem & magiſtrum ſe profitetur in iis, quae ad ſaltem aeternam ſpectant? Sed ſaepe hoc iam inculcauimus, quando in hac ipſa tractatione, qualis eccleſiae doctor eſſe debeat, docuimus. Felix itaque cenſendus, cui magiſter obtingit, qui cum Paulo, Timotheum ſuum adloquente, dicere poteſt: *σὺ δὲ παρηκολούθηκας, tu autem adſequutus es* (perſpexiſti, experiundo didiciſti) *meam doctrinam, mores, propoſitum, fidem, clementiam, charitatem, patientiam, vexationes, res aduerſas &c. 2. Tim. III, 10. 11.* add. DIODORVS SICVRVS, ſeu qui ſub hoc nomine latitat, THO. CRENIVS *de prudentia theologica*, *num. VIII. IX. p. 20. ſeqq.*

§. XVIII. Eius vero, qui iſtiusmodi doctoris ſeu magiſtri inſtitutione recte & cum fructu vti cupit, eſt, vt cumprimis *animum diſcendi cupidum*, hinc & *attentum*, ſecum adferat. * Non minus tamen & *conſtantia* eſt neceſſaria, vt, quae inchoauimus, eadem diligentia & ad finem perducamus. **

Digitized by Google

Repetitio denique & δοκιμασία, ſeu exploratio doctrinae propoſitae accedere debet, ne doctoris auctoritate, ſed noſtra conuictione, veritatis cognitio nitatur. ***

* Si diſcendi adeſt cupiditas, ſequetur etiam attentio. Conferenda, quae de ratione, qua quis in ſe ipſo attentionem excitare poſſit, diximus, ad *cap. praeced. §. X.* Boni tamen doctoris eſt, nihil non agere, vt ipſemet auditorum ſuorum attentionem excitet, alat, foueat. IOAN. CLAVBERGIVM hac de re agere, in *logica veteri & noua, part. II. c. III. p. 138. ſeqq.* eodem loco iam monuimus. Praecipuum itidem in adfectu poſitum eſt momentum, qui ex amore erga diſcipulos, ex zelo, gloriam Dei, aliorumque ſalutem promouendi, oritur. Sine adfectu ſi quis doceat, languebit, immo frigebit oratio, vixque auditores, ſi modo adſint, ſibi tempurabunt, quo minus dormiendo, certe aliud quid agendo, tempus tranſigant.

** Poſitum nonnullis in more eſt, vt mox hoc, mox aliud ſtudiorum genus inchoent, in nullo autem ſubſiſtant, aut ad finem illud perducant. Sic & alii eadem animi leuitate mox hunc, mox alium doctorem ſequuntur; nec inueniunt, vbi certo pedem figant. Cuiusmodi ingenia, *deſultoria*, *mobilia*, *volatilia*, vocari ſolent; quae nihil efficere, nec ad ſolidam vmquam eruditionem peruenire poſſe, res ipſa docet; conf. IO. CHRISTIANI LANGII *protheoria eruditionis humanae vniuerſae, c. IV. p. 121.*

*** Repetitione opus eſt, ne eorum, quae percepimus, ſtatim obliuiſcamur. Nec enim tam beata omnibus obtingit memoria, vt, quae audiuerunt, ſine repetitione firmiter teneant. *Porro ars iuuandae memoriae,* inquit ALEX. FICHETVS, *quae cuſtos eſt & theſaurus ſcientiarum, in his poſita eſt praeceptis: primum eſt, vt crebro relegantur & repetantur ea, quae adnotata ſunt; itaque imprimantur animo altiſſime, & in vſum conuertantur; hoc etiam vtantur praecepto neceſſe eſt, qui cito diſcunt,* & *illico obliuiſcuntur,* in *arcan. ſtudior. methodo, lib. I. c. XIII. p. 22.* Cum repetitione coniuncta ſit, neceſſe eſt δοκιμασία, ſeu exploratio, quae iam ad ipſam meditationem ſpectat, de qua antea dictum. Nec enim praeceptoris niti auctoritate decet, ſed rationibus ac argumentis, quibus ſententiae cuiusdam veritas comprobatur. De PYTHAGORAE equidem nonnulli tradunt diſcipulis, quod in magiſtri, vnice illis adquieſcendum fuerit effatis, eoque decantatum illud αὐτὸς ἔφα referunt. *Pythagorae* inquit VALER. MAXIMVS, *tanta veneratio ab auditoribus tributa eſt, vt, quae ab eo acceperant, in diſputationem deducere nefas exiſtimarent. Quin etiam interpellati ad reddendam cauſſam, hoc ſolum reſpondebant,* IPSVM DIXISSE; *lib. VIII. c. XV. p. m. 748.* Sic & CLEMENS Alexandrinus, Pythagorae Samii ſectatores, τῶν ζητουμένων τὰς ἀποδείξεις παραλιμπάνουσι τὸ, αὐτὸς ἔφα πίστιν ἡγεῖσθαι, *reiectis eorum, quae quaerebantur, demonſtrationibus, illud* IPSE DIXIT *fidem facere, arbitratos* adſerit, καὶ ταύτῃ ἀρκεῖσθαι μόνῃ τῇ φωνῇ πρὸς τὴν βεβαίωσιν ὧν ἀκηκόασι· *& ad ea, quae audierunt, confirmanda, hanc vocem ſatis eſſe ducere; lib. II. ſtrom. p. 441.* edit. IO. POTTERI. THEODORETVS, cum commemoraſſet, Pythagoram legem hanc diſcipulis ſuis ſanxiſſe, vt perpetuum quinquennium conticerent, ſolumque audiendo praeceptori aures adcommodarent, ita, vt, quae dicerentur, ſine vlla diſceptatione aut contentione admitterent, credentes, ita ſe rem habere, nec praeterea quidquam ceu dubii curioſius inquirentes, addit: τῷ τοι καὶ οἱ ἐκεῖνον διαδεξάμενοι ἥτις ἀπαιτήσοι τῶν λεγομένων ἀπόδειξιν, αὐτὸς ἔφα, λέγειν εἰώθεισαν· πάσης ἀποδείξεως ἰσχυροτέραν καὶ εἶναι νομίζοντες, καὶ ἔχειν κελεύοντες τὴν Πυθαγόρου φωνήν. *Ex quo factum eſt*

eſt, vt, qui ei ſucceſſerunt, ſi quis rerum, quas diceret, demonſtrationem poſceret, IPSE DIXIT, *reſpondere ſolerent, omni demonſtratione validiorem eſſe, cenſentes, & haberi iubentes Pythagoricam vocem;* de *graecar. adfection. curat. ſerm. I. tom. IV. oper. p. m. 474.* Atque haec quidem multaque alia eiusdem generis, THEODORETVS eum in finem adfert, vt inde euincat, recte a chriſtianis vrgeri fidem. Hinc *& p. 479.* addit: δεῖ γὰρ πιστεῦσαι πρῶτον, εἶτα μαθεῖν· γνόντα δὲ, ὁρμῆσαι· ὁρμήσαντα δὲ, πρᾶξαι· οὐδὲ γὰρ τὰ πρῶτα στοιχεῖα μαθεῖν οἷόν τε, μὴ τῷ γραμματιστῇ πεπιστευκότα ὅτι τοιῶσδε χρὴ τὸ πρῶτον ὀνομάζειν, καὶ τοιῶς δὲ τὸ δεύτερον, καὶ τἆλλα ὡσαύτως· *Prius enim credere oportet, tum addiſcere, eum vero, qui cognorit, adpetitu aliquo commoueri, motum denique & impulſum, adgredi ac peragere. Numquam enim prima elementa diſcet, qui litteratori fidem non habeat, ita eſſe primam, ita ſecundam adpellandam, & alias ſimiliter.* Num ratiocinatio haec THEODORETI vbique recte procedat, nunc non inquiram. Sufficit, quod ex eius, vt & reliquorum, quae adduximus, teſtimoniis, conſtet, apud Pythagoraeos illud: αὐτὸς ἔφα in vſu fuiſſe. DIOGENES LAERTIVS equidem, iſtud non a Samio illo, ſed a Pythagora Zacynthio manaſſe, auctor eſt, *lib. VIII. ſect. XLVI.* SVIDAS contra Pythagorae Samio tribuit ac prolatum ab eo refert, vt ſignificaret, ſe a Deo dogmata ſua accepiſſe, vt αὐτὸς ἔφα, idem ſit ac: οὐκ ἐμὸς, ἀλλὰ τοῦ Θεοῦ λόγος ἐστίν· *non meus, ſed ipſius Dei ſermo eſt.* Sed refragantur reliqui fere omnes, qui magno conſenſu a diſcipulis Pythagorae, & quidem Samii iſtius, de ipſo magiſtro hoc vſurpatum, adſerunt; vt, praeter eos, quos, iam commemorauimus, CICERO, QVINTILIANVS, HERMIAS, ORIGENES, GREGORIVS Nazianzenus, CYRILLVS, quos IO. POTTERVS laudat, ad *Clementis Alexandrini l. c. p. 444.* Ad rem ipſam quod attinet, ſi Pythagoras id ſibi voluit, quod omnes eius diſcipuli in auctoritate ipſius adquieſcere, nec de exquirenda vlterius veritate ſolliciti eſſe debuerint; nihil profecto ineptius, aut tanto philoſopho indignius cogitari poterat. Recte itaque hoc reprehendit CICERO, cuius verba, cum egregie ad noſtrum faciant inſtitutum, recitare iuuabit: *Qui requirunt, quid quaque de re ipſi ſentiamus, curioſius id faciunt, quam neceſſe eſt. Non enim tam auctores in diſputando* (aut generatim in veritatis inueſtigatione) *quam rationis momenta quaerenda ſunt. Quin etiam obeſt plerumque iis, qui diſcere volunt, auctoritas eorum, qui ſe docere profitentur, deſinunt enim ſuum iudicium adhibere; id habent ratum, quod ab eo, quem probant, iudicatum vident. Necvero probare ſoleo id, quod de Pythagoraeis accepimus: quos ferunt, ſi quid adfirmarent in diſputando, cum ex iis quaereretur, quare ita eſſet, reſpondere ſolitos,* IPSE DIXIT, IPSE *autem erat Pythagoras. Tantum opinio praeiudicata poterat, vt etiam ſine ratione valeret auctoritas; lib. I. de natura deorum, c. V. p. m. 1205.* Sunt autem, qui putant, non ab omnibus diſcipulis ſuis hoc poſtulaſſe Pythagoram, ſed ab iis tantum, qui ſacris philoſophiae eius primum initiabantur, nec dum eo peruenerant, vt cauſſas rerum, quas ipſemet reddebat, percipere poſſent. *Neque exiſtimauerim,* inquit IO. SCHILTERVS, *eo perueniſſe vanitatis Pythagoraeos, vt nil niſi ſputa lingerent magiſtri, immo neque hoc expetiiſſe credam Pythagoram, qui veritatis amans erat. Itaque ad eos inprimis referendum forte, quos in ipſis principiis tradendis praeceptori fidem habere, fas erat. Idque non temere poſtulabat Pythagoras. At cum iis, qui altius iam adſcenderant, non ita procedebat ille. Neque eos omnia, quae diceret, ſine ratione credere cupiebat; ſed & quaerere, & quae ipſi opinarentur, expromere poteſta-*

Digitized by Google

tem faciebat; in *diſſert. de diſciplin. Pythagor. §. XXXVII.* Comprobat, quod dixerat, teſtimonio IAMBLICHI, qui, ex Pythagorica ſententia loquens, vecordis eſſe, adſerat, *cuilibet quodlibet credere, diſcentis tamen eſſe* προσέχειν τῇ τοῦ ἐπισταμένου τε καὶ διδάξαι δυναμένου ὑπολήψει τε καὶ δόξῃ, *vt animum ad opinionem ſententiamque eius, qui gnarus eſt, quique docere poteſt, aduertat*; in *vita Pythagorae c. XXXI. p. 172.* (mihi 166.) Fidem quoque per omnia IO. CAPNIONEM ſiue REVCHLINVM inuenire, negat, dum *lib. II. art. kabbal. p. 464. & 472.* contendat, Pythagoram nullam diſcipulis ſuis reliquiſſe aliqua ratione perquirendi facultatem. Fieri tamen potuit, vt, quod Pythagoras a quibusdam tantum fieri voluit, diſcipuli eius deinceps ad omnes extenderent, inſtitutoque, non malo conſilio a magiſtro introducto, contra mentem ſententiamque eius turpiter abuterentur. Saepe enim, hoc contingere, experientia docet. Quidquid eius ſit, ineptum prorſus, ac ab omni ratione alienum eſſe, a diſcipulis hoc exigere, vt ſine examine ac diiudicatione effata magiſtri accipiant, nemo temere negauerit. Immo, tantum abeſt, vt prudens atque fidelis magiſter hoc a ſuis poſtulet, vt potius eos exciret atque adhortetur, ad eiusmodi inquiſitionem inſtituendam, ſerioque inculcet, rationes ſolidas & euidentes illis vbique quaerendas, quippe in quibus ſolis tuto adquieſcere liceat. Hinc & copiam illis faciet, dubia ſua proponendi, immo, vt hoc ſaepius faciant, eos admonebit, & ad ea promte alacriterque reſpondebit. Et ſane, cum Berrhoënſes laudentur, quod ſcripturae ſacrae collatione inſtituta, (ἀνακρίνοντες τὰς γραφὰς) inquiſiuerint, an, quae Paulus dicebat, ita ſe haberent? *actor. XVII, 11.* quis hodie aegre ferat, ſi, qui doctrinam ſacram ex ore eius hauriunt, idem faciant? aut, quis non potius, vt faciant, cupiat?

§. XIX. Per *lectionem* ex abſentium aut omnino mortuorum monumentis, ſeu libris, quibus ea complexi ſunt, quibus humanarum diuinarumque rerum cognitio augeri poteſt, proficimus. *Liber naturae*, qui improprie ita dicitur, & *liber ſcripturae*, praecipue quidem in cenſum veniunt; ſed ad obiectum potius meditationis vterque referendus, quam ad adminicula. Interim *libri humani* in tantum laudandi, in quantum ad vtrumque librum naturae & ſcripturae recte intelligendum nos manuducunt.*

* Regula haecce generalis eſt, & illis, qui ad litterarum ſtudia accedunt, ſatis inculcari nequit, libros humanos in tantum laudandos; in quantum ad librum naturae aut ſcripturae nos manuducunt; itemque ex libris humanis tanto quemque meliorem eſſe, aut praeſtantiorem, quo propius per eum ad librum naturae aut ſcripturae accedimus. Vera enim ſolidaque eruditio non in vocabulorum, nec cogitationum, quas alii de rebus naturalibus & diuinis habuerunt; ſed in ipſarum rerum cognitione conſiſtit. Vocabulorum, linguarumque, & eorum omnium, circa quae grammatica & ars critica verſatur, notitia, eo tantum ſpectat, vt aliorum cogitationes eo rectius adſequi queamus; quod vtique in iis, quae ſcriptura ſacra tradit, magni momenti eſt. Nec contemnendus eorum vſus, quem in aliorum ſcriptorum, philoſophorum maxime, interpretatione, praebent. In ipſa vocabulorum aut linguarum ſi quis ſubſiſtat notitia, nec ea ad rerum ipſarum cognitionem adquirendam vtatur, parum aut nihil inde referet commodi. Idem de illis cenſendum, qui, egregii quid ſe adſequutos, putant, cum ſciunt, quod alii homines

nes ſciuerunt; de vera rerum, ex ipſa naturae conſideratione haurienda, notitia parum ſolliciti. Nimirum philoſophi naturae tantum ſunt interpretes, audiendi quidem aut legendi, prout aditum nobis, ad arcana naturae introſpicienda, muniunt, non vero ita amplectendi, vt in illorum lectione velut terminum noſtrae cognitionis conſtituamus, nec vlterius progrediamur. Namque qui Platonem, aut Ariſtotelem, aut Carteſium legit, inde cognoſcit equidem, quid illi de rebus naturalibus ſenſerint; ſed ſi ad ipſam naturam conſiderandam animum non conuerterit, numquam verus euadet philoſophus; nec rerum ipſarum, ſed tantum cogitationum, quas iſti de rebus naturalibus habuerunt, cognitionem adipiſcetur. In quantum ergo ad ipſius naturae cognitionem aditum aperiunt, minime ſunt ſpernendi; ceteroquin parum tandem aut mea, aut aliorum refert, ſi ſciam, quid Plato, quid Ariſtoteles, quid Carteſius cogitauerint, aut quam de rerum natura fouerint ſententiam. Atque miſerrima haecce philoſophandi ratio obſtitit, quo minus viri, ingenio vtique praeſtantiſſimi, & quibus diligentia non defuit, vllos in veritatis cognitione facerent progreſſus. Poſtquam autem, abiecto philoſophiae Ariſtotelicae iugo, ipſam rerum naturam, adhibitis in ſubſidium experimentis, diligentius viri docti conſiderare coeperunt; breui temporis ſpatio longe alia exſtitit doctrinae naturalis facies. Nec in phyſicis tantum res ita ſe habet, ſed in omnibus philoſophiae partibus. Hominis conſideratio in omnibus vtramque facit paginam; vt, qui inde intellectus humani indolem adcurate didicerit, is demum in logicis; qui voluntatis & adfectuum naturam eadem ratione introſpexerit, is in moralibus rite proficere cenſeatur merito. Quae cum in aprico poſita ſint, recte MALEBRANCHIVS eos reprehendit, qui, neglecto ipſius naturae libro, ſcriptoribus, qui ad eum nos manuducere debebant, ita adhaereſcunt, vt non de rebus ipſis, ſed de ſententia huius aut iſtius philoſophi, ſint ſolliciti; parum perpendentes, ſe hac ratione non ad rerum, ſed cogitationum tantum, quas alii de rebus iſtis habuerunt, cognitionem deduci; *de inquirenda verit. lib. II. c. VI. p. 207. ſeqq.* Illuſtrat hoc exemplo quaeſtionis de immortalitate animae, quae, cum haud dubie maximi ſit momenti, olim tamen longe plures de eo potius ſolliciti fuerunt, quid Ariſtoteles de ea ſenſerit, quam, quo pacto ipſimet ex rationibus euidentibus poſſent eam demonſtrare. Adfert hunc in finem locum ex IO. LVD. DE LA CERDA adnotationibus ad *c. II. Tertulliani de reſurrectione carnis*, vbi magno numero recenſet auctores, qui aut adfirmarunt, Ariſtotelem animae immortalitatem agnouiſſe, aut idem negarunt. Operae quidem interdum pretium eſt, in mentem praeſtantiſſimorum philoſophorum inquirere; ſed non nimis hac in re operoſum eſſe decet, multo minus in eo ſubſiſtere. Ceteroquin enim non ad rerum ipſarum perueniemus cognitionem, ſed multis magniſque ambagibus tandem obtinebimus, vt ſciamus, quid alii de iſtis rebus cogitauerint. Ceterum ad *librum naturae*, quem hactenus commendauimus, ſpeciatim & *liber conſcientiae* ſpectat; cum quis diligenter ea, quae in ſua ipſius mente deprehendere poteſt, magna vtique & admiranda, ſi modo ſerio ad ſe ipſum attendat, perſcrutatur, & ea cum lege diuina diligenter comparat. Quam quidem inquiſitionem in morum doctrina magni momenti eſſe, immo vtramque facere paginam, nemo non intelligit.

§. XX. *Liber ſcripturae* ſpecialiori quadam ratione ad eos, qui ſe theologiae ſtudio conſecrarunt, ſpectat. Hinc & ad eum recte intelligendum omnem

omnem merito operam, omnemque diligentiam conferunt. Nec intermittenda vmquam, aut differenda eius lectio, donec omnibus ad interpretandam ſcripturam ſacram ſubſidiis fuerimus inſtructi. Aliud enim eſt legere, aliud interpretari ſcripturam ſacram. Hoc non omnium eſt, ſed eorum tantum, qui ad hoc ſunt idonei. Illud autem ab omnibus, ſi modo poſſint, exigitur, praeſertim ab iis, qui aliis aliquando viam ad ſalutem aeternam monſtrare cupiunt; conf. *2. Tim. III. 15.* *

* Vt ex *libro naturae* rerum naturalium; ita diuinarum, quae per reuelationem nobis innoteſcunt, notitiam tatum ex *libro ſcripturae* haurire licet. Quare & ſcripturam ſacram non tantum vt regulam & normam; ſed & vt fontem vberrimum, ac praecipuum noſtrae meditationis, ex quo omnia, quae ſcitu factuque neceſſaria ſunt ad ſalutem, haurienda ſint, ſupra ad §. *IX.* commendauimus. Sequitur inde porro, libros theologicos quosuis in tantum laudandos, in quantum ad ſcripturam nos ducunt, vel ad eam rectius intelligendam nobis viam muniunt, vti iam ad §. *praecedentem* obſeruauimus. Sed id quoque inde ſequitur, ſcripturam ſacram ab omnibus quidem, qui ſalutis aeternae cupidi ſunt; maxime autem ab iis, qui doctorum aliquando munere in eccleſia fungi volunt, quam diligentiſſime legendam, & in ſuccum, quod aiunt, ſanguinemque conuertendam eſſe. Hinc & Paulus Timotheum ſuum laudat, quod ἀπὸ βρέφους *a puero* ſacras litteras didiciſſet, quae etiam illum σοφίσαι, *inſtruere*, aut *ſapientem reddere* poſſint, *ad ſalutem*, *per fidem in Chriſtum Ieſum, 2. Tim. III, 15.* Vt autem paucis oſtendamus, quo pacto ſcripturae ſacrae rite inſtituenda ſit lectio, quod & res ipſa, & inſtituti noſtri poſtulat ratio; obſeruandum, aliam eſſe lectionem, quae ab omnibus omnino hominibus requiritur, quamue *communem*, aut etiam *exotericam* vocare poſſis; aliam autem, quae ab iis, qui omnibus ſubſidiis hermeneuticis inſtructi ſunt, & ſcripturam ſacram non tantum legere, ſed & interpretari poſſunt, ſuſcipitur, quamue *exquiſitam*, aut *acroamaticam* adpellitare licet. Nobis de illa nunc ſermo eſt; cum ad hanc non omnes, qui theologiae nomen dederunt, certe circa initium ſtudiorum, idonei ſint, & de ea inſuper ex inſtituto nobis agendum ſit, cum de theologia exegetica ſuo loco praecipiemus. Haec itaque, de qua hic loquimur, ſcripturae ſacrae lectio, quaeue ad cognitionis pariter ac fidei ſanctitatisque incrementum comparata eſt, vt ex voto procedat; primum eſt, vt quis *animo* rite *praeparato* & *diſpoſito* ad eam accedat. Non itaque ob conſuetudinem, aut, ut doctiores fiamus, ſimilemque ob cauſſam, quae animi aliquod vitium arguit, lectionem iſtam adgrediamur; ſed vt finem iſtum, propter quem Deus ſcripturam ſacram litteris conſignari voluit, conſequamur, qui eſt, *vt credamus in Chriſtum, & per fidem in illum aeternam vitam adipiſcamur, Ioan. XX. v. vlt.* Quorſum etiam ſpectat, vt in fide conſeruemur, & corroboremur, omniumque virium ſpiritualium, quibus ad curſum, quem ſemel ingreſſi ſumus, abſoluendum, nobis opus eſt, noua ſubinde accipiamus incrementa. Cogitemus tum porro, coram *throno diuinae maieſtatis* nos conſtitutos eſſe, vt vocem ſummi imperatoris audiamus, idque maxima cum animi a nobis fieri debere veneratione. Hinc enim attentio & diligentia, & ſtudium, voluntati Numinis in omnibus obſequendi, excitabitur. Multum hoc etiam conferet, vt a prauis mens noſtra purgetur adfectibus, qui haud raro obſtant, quo minus recte percipiamus,

quae

quae in ſcriptura ſacra exſtant, ſaltem efficiunt, vt fructu, quem inde ſperare poteramus, priuemur. Tum in ipſa lectione id cum primis agendum, vt *ſcopum* ſeu *finem* ſcripturae ſacrae ſemper ante oculos poſitum habeamus. Scopus autem iſte vel *generalis* eſt, ad quem tota ſcriptura ſacra comparata eſt, vel *ſpecialis*, quem in quouis libro, immo & ſingulis quandoque libri partibus, vel capitibus, prout argumenti, quod in illis tractatur, ratio poſtulat, inueſtigari oportet. Totius ſcripturae ſacrae ſcopum vnicum eſſe *Chriſtum ſeruatorem*, prout nobis a Deo factus eſt *ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemtio*, *1. Cor. I, 30.* conſtat. Huncce ergo numquam dimittere, quin potius omnia ad eum dirigere, decet, vt, nihil omnino nos effeciſſe, credamus, niſi quod eo ſpectat, fuerimus adſequuti. Idque eſt, quod ipſe nos condocet ſeruator, dum *ſcrutari* nos *ſcripturas* iubet, vt *vitam in iis inueniamus aeternam*, ſiquidem *illae ſint, quae de ſe teſtentur, Io. V, 39. Conf.* & *Luc. XXIV, 27. act. X, 43.* Legendus omnino AVG. HERM. FRANCKII libellus: *Chriſtus ſcripturae ſacrae nucleus*, qui in linguam latinam translatus an. 1724 prodiit. Vt autem eo rectius cuncta ad finem huncce & ſcopum generalem referri queant; de ſcopo quoque *ſpeciali* cuiusque libri, immo & argumenti, quod in quolibet libro pertractatur, ſolliciti ſimus, neceſſe eſt. Eumque inueſtigare pronum erit, modo ſemel iterumque, ſi neceſſitas hoc iubeat, librum aliquem eam ob cauſſam perlegamus, & cuncta, quae eo ſpectant, adcurate & attente conſideremus. Iam, ſi ſcopus iſte ſpecialis cuiusuis libri nobis innotuerit, haud difficile fuerit, *dogmata*, quae in eodem pertractantur, deprehendere, eaque cum aliis dogmatibus comparare, & cuncta ad analogiam fidei reuocare. Nec profunda adeo ad hoc opus eſt eruditione, cum & catechetica inſtitutio, vt hoc rite fieri queat, ſufficiat. Immo &, quae ex dogmatibus iſtis, ſponte ſua ſe offerentibus, aut, quae in ſcriptura ſacra narrantur, factis, non poſſunt non fluere, & ſine vllo negotio deriuari, perſpiciet, qui rite ad omnia attenderit, indeque ſtatim capiet, quae fidem vitamque inſtruant. Atque haec omnia cum ab illis etiam, qui litterarum ſtudiis imbuti non ſunt, peragi poſſint; multo magis ab iis exiguntur, qui theologiae ſe conſecrarunt ſtudio, inque eo quotidie proficere cupiunt. Praecipuum autem, & ſine quo reliqua omnia aut parum, aut nihil proſunt, in ſcripturae ſacrae lectione eſt *adplicatio*; qua quis, quae inde rite hauſit, ſiue ad fidem, ſiue ad vitam moresque ſpectent, ad ſe ipſum refert, ſeque explorat, an ita comparatus ſit, prout, ſecundum iſtam doctrinam, quilibet, qui ad aeternam ſalutem adſpirat, aut ſe Chriſti diſcipulum ac ſectatorem profitetur, comparatus eſſe debet. Quod ſi talem ſe inueniat, qualem ſacrae litterae poſtulant; grato Numinis illud beneficium merito agnoſcet animo, deque tantis bonis & conſeruandis & augendis erit ſollicitus. Sin, ſecus ſe rem habere, intelligat, aut, quid ſibi adhuc deſit, animaduertat; videbit quid ſibi adhuc agendum ſit, ne lector tantum, ſed ποιητὴς τῦ λόγου ſit, *Iac. I, 22.* In preces hinc deuotiſſimas animus eius ſoluetur, vt ita fructum, quem ex ſcripturae lectione conſequi cupit, a Deo ipſo impetret. Conſultum quoque fuerit, certum in ſcripturae lectione obſeruare *ordinem*, modo non nimis ſcrupuloſe hoc fiat. Nec enim refert, quantum quis legerit, aut quoties ſacrum codicem perlegerit; ſed, quam bene legerit, quamue inde reportauerit vtilitatem. Hinc &, quid de *tempore*, tractationi verbi diuini deſtinando, ſentiendum ſit, palam eſt. Laudandi quidem, qui quotidie certum tempus ſcripturae ſacrae lectioni conſecrant; imprudenter autem ageret, qui ita ſe illi adſtringeret,

ret, vt vltra temporis iſtius ſpatium lectionem producere nollet, ſi aut animi ardor, aut partium ſcripturae, in quibus verſatur, nexus, aliud quid iuberet, aut alio etiam tempore eamdem inſtituere, ſi aut animi ſtatus hoc poſtulet, aut aliae, quae id ſuadeant, praeſto ſint rationes. Atque hoc iam monui *inſtit. theol. moral. part. I. c. V. §. XIII. & XIV.* Cum notitia cuiusque libri biblici hiſtorica, &c, quae ad eius oeconomiam ſpectant, &, quae alia ſunt eiusdem generis, ad ſenſum eius eo rectius faciliusque adſequendum plurimum conferat; non male rebus ſuis conſulent, qui IO. HENR. HEIDEGGERI *enchiridion biblicum*, aut IO. ARNOLDI ZEITFVCHSII *hodegum biblicum* (*bibliſchen Wegvveiſer*) vel alium eiusdem generis librum perluſtrauerint. Hinc enim multa in compendio diſcent, quae lucem minime contemnendam praebeant, viamque, quae nobis in ſcripturae lectione ingredienda eſt, planiorem reddant. Nec vſu carent, aut laude ſua defraudanda ſunt, *biblia* quaedam, ſuccinctis adnotationibus illuſtrata, quae & *gloſſata* adpellitare moris eſt, vt *Vinarienſia*, & latina illa LVCAE OSIANDRI, vel ſi alia ſunt eiusdem generis; de quibus in ſequentibus, cum de theologia exegetica verba faciemus, ex inſtituto dicemus. Nouum teſtamentum germanicum IO. REINH. HEDINGERI, non tantum ob ſcholia, quibus locis difficilioribus lux egregia neruoſe adfunditur, commendandum; ſed exemplum etiam elegantiſſimum praebet, quo pacto poriſmata ex variis textibus deriuari, & cuncta ad fidei & vitae praxin transferri queant. Quae huc usque pauciſſimis de lectione ſcripturae, prout ab omnibus, qui chriſtianorum nomen tueri cupiunt, cumprimis theologiae cultoribus, inſtituenda eſt, praecepimus, alii fuſius copioſiusque ediſſerunt; ex quibus prae reliquis laudandus AVG. HERM. FRANCKIVS, cuius *breuis & luculenta, ſcripturam ſacram cum fructu legendi, inſtitutio*, cum eiusdem *praelectionibus hermeneuticis*, Halae an. 1717 prodiit. Commendandae denique hic maximopere ſunt exercitationes biblicae, ſi recte adminiſtrentur; cum nonnulli, qui ad hoc idonei ſunt, conueniunt, librum quemdam biblicum, aut eius partem ita perlegunt, vt collatis ſymbolis, quisque, quod obſeruatu maxime dignum ſibi viſum, aut loco cuidam obſcuriori lucem adſpergere queat, proferat, tum vero, deriuatis inde, quae ad fidem vitaeque ſanctitatem faciunt, ſe inuicem ad praeclara quaeuis commonefactionibus & adhortationibus excitent, atque ita ſtatim, quae legerunt, ad vſum transferant. Commoda hinc ad omnes redundare maxima, egregiamque prorſus hancce viam eſſe, in diuinarum litterarum ſalutari cognitione proficiendi, nemo, niſi harum rerum plane rudis fuerit, negauerit. Quo pacto autem iſtae exercitationes inſtituendae ſint, idem AVG. HERM. FRANCKIVS docet, in *methodo exercitationum biblicarum*, quae ſubnexa eſt eiusdem *methodo ſtudii theologici*, lingua latina an. 1723 editae.

§. XXI. Ad reliquos itaque libros, ſtudio theologico inſeruientes, quod attinet, non tantum vt eorum nobis comparemus notitiam, opera danda, * ſed cum primis elaborandum, vt bonos a malis, a noxiis & inutilibus, vtiles, diſcernere condiſcamus, ** & quo pacto legendi ſint, vt fructum inde referamus, obſeruemus. ***

* Multa generatim de libris praecipi ſolent. Sunt enim, qui & ſine libris, vt alii, ſine praeceptoribus, ſummam conſequuti eſſe eruditionem videri, immo & aliis hoc perſuadere volunt, vt ſibi ipſis, ſuoque ingenio, omnia vindicare queant. Cuius-

Cuiusmodi quid de RENATO CARTESIO paſſim commemoratur; conf. TOB. ANDREAE *meth. Carteſ. art. I. p. 835.* Alii alias ob cauſſas, minime quidem probandas, libros contemnunt ac aſpernantur; quamquam nonnullis & per calumniam hoc imputetur. Videas rurſus, qui, ad alterum extremum procurrentes, plus, quam decet, libris tribuunt, immo & in eo quandoque gloriam quaerunt, quod multos libros poſſideant, quos tamen ipſi non legunt, aut omnino ne legere quidem poſſunt, adeoque nec vllam ex iis capiunt vtilitatem. Quos iam ſuo tempore lepide perſtrinxit LVCIANVS, πρὸς ἀπαίδευτον καὶ πολλὰ βιβλία ὠνούμενον, *ad indoctum, & multos libros ementem; tom. II. oper p. m. 378. ſeqq.* Non multum iis meliores aut ſapientiores ſunt, qui libros equidem legunt, ſed ita, vt plus damni inde referant, quam emolumenti, quod multiplici iterum fieri poteſt ratione, vti alibi oſtenditur. Inter eos, qui ex inſtituto de libris eorumque vſu & abuſu exponunt, eminet GVIL. SALDENVS, cuius *de libris varioque eorum vſu & abuſu libri duo* Amſtaelodami prodierunt an. 1688, 8. in quibus tamen rerum potius varietatem, quam tractationis ἀκρίβειαν laudandam, nonnulli cenſent. Legere etiam iuuabit, quae de libris eorumque vſu monent IO. GEORG. WALCHIVS, in dem *Entwurff der allgemeinen Gelehrſamkeit &c. lib. I. c. III. ſect. III. p. 43. ſeqq.* GOTTLIEB STOLLIVS, in der *kurtzen Anleitung zur Hiſtorie der Gelahrheit, lib. I.* in dem *Vorbericht* §. *III. ſeqq.* Addenda, quae ipſemet hac de re dixi in *diſſert. de cultura ingenii, c. III. §. V.* vbi eos commemoraui, qui omnem librorum, certe humanorum, reieciſſe vſum perhibentur. Sed hiſce, aliisque, quae eiusdem generis ſunt, miſſis, nonnulla tantum, quae ad noſtrum inſtitutum ita faciunt, vt omitti plane nequeant, attingemus; inter quae primum eſt, vnde librorum theologicorum comparari notitia queat; quod §. *ſequenti XXII.* ediſſeremus.

** Praeclare SENECA: *Non refert, quam multos libros habeas, ſed quam bonos, ep. XLV. p. m. 149.* Quaenam autem ratio ſit, bonos libros a malis diſcernendi, deinceps ad *§. XXIII.* oſtendemus. Alterum enim hocce caput eſt, de quo nos hic ſollicitos eſſe oportet.

*** Tertium & vltimum hoc eſt noſtrae tractationis caput, de quo §. *XXIV.* verba faciemus.

§. XXII. Ad notitiam librorum theologicorum comparandam hiſtoria litteraria, cuius hoc inter alia munus eſt, viam pandit; iuuabit tamen praecipue eos conſulere, qui ex inſtituto eiusmodi libros recenſent, & veluti bibliothecam quamdam theologicam inſtruunt. *

* De iis nunc tantum erimus ſolliciti, qui ad theologicorum librorum notitiam comparandam nobis viam monſtrant. Etſi enim & illi, qui generatim hiſtoriam litterariam tradunt, minime ſint negligendi, immo quidam etiam libros theologicos attingant; rectius tamen in ſequentibus de iis praecipiemus, cum de hiſtoria litteraria dicturi ſumus. Praetermittemus quoque eamdem ob cauſſam, qui libros ſingulis theologiae partibus, vt theticae theologiae, morali, exegeticae, & ſic porro, inſeruientes, recenſent; quippe qui in libro poſteriori locum ſuum inuenient. Immo, nec illos nunc commemorabimus, qui veteris eccleſiae doctorum, quos patres vocant, vitam & ſcripta enarrant, vt ex ipſis antiquis HIERONYMVM, GENNADIVM Maſſilienſem, ISIDORVM Hiſpalenſem; ceterosque, quos in *bibliotheca* ſua *eccleſiaſtica* complexus eſt vir eruditiſſimus IO. ALBERT. FABRICIVS; ex

recentioribus ROB. BELLARMINVM, LVD. ELL. DV PIN, GVIL. CAVEVM, CASIMIRVM OVDINVM, B. IO. GERHARDVM, IO. GOTTFR. OLEARIVM, ceteroſque, cum & de hiſce libro poſteriori, cum de theologia patriſtica agemus, commodior ſe offerat dicendi occaſio.

Ad eos itaque vt accedamus, qui huius loci ſunt; primum quidem commemorandus nobis ex romanenſibus videtur FRANCISCVS SIXTVS Senenſis, ſaeculi decimi ſexti ſcriptor, IAC. AVGVSTO THVANO ob eruditionem laudatus, *hiſt. lib. XLVI.* conf. ANT. TEISSIERIVS, in *elogiis Thuanaeis*, gallico ſermone ſcriptis *tom. I. p. 333. ſeqq.* Huius namque nota eſt, paſſimque celebratur, *bibliotheca ſancta, ex praecipuis catholicae eccleſiae auctoribus collecta, & in octo libros digeſta*, tum alias, tum & Coloniae Agrippinae an. 1626 edita. Non tamen vniuerſum theologiae ambitum complectitur, ſed ad exegeticam praecipue ſpectat. Primo namque libro de numero, partitione, & auctoritate diuinorum voluminum diſſerit; libro ſecundo, de ſcripturis & ſcriptoribus, quorum in ſacris voluminibus fit mentio; de arte exponendi ſacro-ſancta volumina, libro tertio; de catholicis ſacrorum voluminum expoſitoribus, libro quarto; quinto ſextoque libro adnotationes & cenſuras, in expoſitiones voluminum veteris nouique teſtamenti exhibet; & duobus denique vltimis aduerſus eos diſputat, qui noui veteriſque teſtamenti volumina oppugnarunt. Quod inſtitutum ſuum dum diligenter exſequitur, hinc inde, praeſertim libro quarto, talia adſpergit, quae generatim notitiam ſcriptorum theologicorum augere ac locupletare poſſunt. Quare & ANT. POSSEVINVS, cuius latius omnino patet labor, e re ſua eſſe, putauit, copioſe oſtendere, in quo a FRANCISCO SIXTO Senenſi abeat, &, quid in eo adhuc deſiderandum ſit, in *adparatu ſacro, part. II. voc. Sixtus Senenſis, p. 411.* forte, vt plagii ſuſpicionem a ſe amoliretur, quam facile ſubeunt, qui poſt alios idem argumentum tractant. Conferre de SIXTO Senenſi iuuabit RICHARDVM SIMONEM, *hiſt. crit. vet. teſtam. lib. III. c. XVII. p. 457. ſeqq.* cumprimis & GEORG. HENR. GOETZIVM, in *ſpecimine obſeruationum ſacrarum obſeruat. II.* quod *ſpecimen* exſtat in eius *meletematibus Annaebergenſibus*, Lubecae & Lipſiae an. 1707 in 8 editis. Ad ipſum autem ANT. POSSEVINVM quod attinet; dubium non eſt, quin iure optimo locum hic ſibi vindicet, tum ob *bibliothecam ſelectam de ratione ſtudiorum &c.* tum ob *adparatum ſacrum*. De illa iam ſupra egimus, ad *cap. I. §. II.* cum ad eos recte referatur, qui de methodo ſtudii theologici ſcripſerunt; commemoranda tamen & hic fuit, quoniam varia, ad notitiam librorum theologicorum facientia, continet; vti ex iis, quae *loco citato* fuſius de ea diximus, patet. Hic autem, ſeu *adparatus ſacer ad ſcriptores veteris ac noui teſtamenti, eorum interpretes, ſynodos, & patres latinos & graecos, horum verſiones, theologos ſcholaſticos, quique contra haereticos egerunt, chronographos & hiſtoricos eccleſiaſticos, eos qui caſus conſcientiae explicarunt, qui canonicum ius ſunt interpretati, poëtas ſacros, & libros pios quocumque idiomate conſcriptos*, diſpoſitus eſt ordine alphabetico, vt lexici inſtar eſſe queat, prodiitque an. III & IV ſaeculi decimi ſeptimi, Venetiis, ſed multo locupletior ac emendatior Coloniae Agrippinae, an. 1608. De eo ita IO. ANDR. BOSIVS noſter: *Doctiſſimum atque laborioſiſſimum opus merito vocat Voſſius, qui tamen paſſim errores eius adnotauit, quos ſane haud paucos admiſit. In proteſtantes etiam ſaepius inuehitur. Bellarmino tamen non vno nomine praeferri meretur; introd. in notit. ſcriptor eccleſ. c. II. §.*

Digitized by Google

II. §. XI. Mitiora haec cenſeri debent, ſi cum iis comparentur, quae de POSSEVINO, eiusque *adparatu*, pronuntiat EDMVNDVS RICHERIVS. Cum enim obſeruaſſet, in hocce *adparatu* valde commendari, quae ALPHONSVS PISANVS de concilio Nicaeno ſcripſit, addit: *Quem adparatum eo propoſito ſcriptum, facile eſt coniicere, vt ii duntaxat libri in pretio eſſent, qui omnium maxime probarentur Ieſuitis, & hoc opere laudarentur a Poſſeuino, contra autem lector veritatis amans, & iudicio praeditus ſic habeat, ex omnibus libris (ſi haereticorum opera & opiniones demas erroneas) nullos ferme pluris faciendos, quam quibus notas inurit Poſſeuinus. Quod inſtitutum eo tendit, vt Ieſuitae hominum animis plane dominentur, & quaecumque velint, obnoxiis aut imbecillibus ingeniis pronius perſuadeant; ſicque nouum mundum, cui facilius pro animi arbitrio imperent, architectentur*; in *hiſt. concil. general. lib. I. c. II. §. XXII. p. m. 81.* Iungenda his, quae de Poſſeuino, eiusque *bibliotheca ſelecta*, pariter ac *adparatu ſacro*, diſſerit DAN. GE. MORHOFIVS *polyhiſt. litt. lib. I. c. XVI.* add. THOMAS ITTIGIVS in *ſchediaſmate de auctoribus, qui de ſcriptoribus eccleſiaſticis egerunt, p. 14.* Vita Poſſeuini, lingua gallica ſcripta, prodiit Pariſiis 1712 in 8. Hiſce nunc iungimus ALEX. FICHETVM, ſocietatis Ieſu theologum, cuius *arcanam ſtudiorum omnium methodum & bibliothecam ſcientiarum, librorumque, earum ordine, tributorum, vniuerſalem*, cum PETRI LAMBECII *prodromo hiſtoriae litterariae*, & aliis quibusdam recudi curauit IO. ALB. FABRICIVS Hamburgi 1710 fol. Nimirum ſecundus operis huius liber *ideam* quamdam *locorum communium* exhibet, ad vniuerſum equidem omnium ſcientiarum campum, maxime tamen theologiam ſpectantium. Hic ſub vocibus *Deus, Chriſtus, Deipara, angeli &c.* congeſtos videas auctores, qui de hiſce ſcripſerunt, aut in commentationibus ſuis argumenta haecce attigerunt. Praeterea libro tertio non tantum oratores, hiſtoricos, philoſophos, philologos; ſed cumprimis eos ſcriptores, qui ſtudio theologico inſeruiunt, enarrat. Primum namque de ipſis ſcriptoribus ſacris agit; tum concilia eorumque canones, & qui hos explicarunt, patres porro graecos & latinos, itemque, qui de officiis eccleſiaſticis expoſuerunt, ſcriptores theologiae dogmaticae, & myſticae, interpretes ſcripturae, concionatores, eos, qui controuerſias tractarunt, ſubiungit, tandemque *c. III.* de theologia ſcholaſtica fuſe diſſerit. Poterat, fateor, hicce auctor ad eos referri, qui generatim hiſtoriam litterariam exornarunt; cum praeter theologiam & alias ſcientias attingat, adeo, vt nec iurisprudentiam, nec artem medicam praetermittat, ſcriptoresque ad eas ſpectantes exhibeat; ſed cum facile adpareat, eum praecipue theologum inſtruere voluiſſe; contra legem, quam antea mihi ipſemet conſtitui, peccaſſe, cenſeri nequeo, quod eius hic mentionem fecerim. Et poterat ſane theologiae cultor ex eo commodum aliquod percipere, niſi hodie multo meliores praeſtantioresque in hoc genere haberemus. Nullo vtitur ſelectu, nec plene omnes ſcriptores enarrat; ſola quoque eorum indicat nomina, ſcripta raro admodum, multo minus loca auctorum, ad quos prouocat, vbi de argumentis iſtis, ob quae eos laudat, agant; ne dicam, quod de auctoribus ipſis, quidue in iis laudandum aut vituperandum ſit, nullum proferat iudicium. IO. MABILLONII librum *de ſtudiis monaſticis* ſupra iam ad *c. I. §. II.* commemorauimus, cum eos recenſeremus, qui de methodo ſtudii theologici egerunt. Merito tamen eius hic iterum inüicitur mentio; ſiquidem non tantum ad litterarum ſtudia diligenter tractanda ordinis ſui homines excitat, praeceptisque & monitis vtiliſſimis

liſſimis inſtruit; ſed varii quoque generis libros, qui, in litterarum ſtudiis rite tractandis, iis vſui eſſe poſſint, ſuppeditat. Praeſertim id libro ſecundo agit; quippe in quo, dum ordine refert, in quibus eruditionis partibus ſtudium induſtriamque ſuam monachi collocare debeant; de ipſis quoque ſcientiis, earumque fatis, & libris, ad unamquamque ſpectantibus, diſſerendi illi enaſcitur occaſio. Immo, vt monachis ſuis omni modo conſuleret, bibliothecam ſelectam, ſeu indicem melioris notae auctorum ſubiicit. Agnoſcas quidem vbique hominem, romanae eccleſiae ſacris addictum; intelligentem tamen eorum, quae ad ſolidam eruditionem requiruntur. Naeuis interim hocce opus non carere, vitiisque typographicis, Bruxellenſem ſaltem editionem, coinquinatum eſſe, ſupra iam obſeruauimus. De LVDOVICI ELL. DV PIN *methodo ſtudii theologici recte inſtituendi* itidem ſupra ad *c. I. §. II.* copioſe iam diximus. Sed ibidem quoque iam docuimus, eam a quibusdam vel hoc nomine laudari, quod notitiam varii generis ſcriptorum, maxime ad ſtudium antiquitatis eccleſiaſticae ſpectantium, ſuppeditet. Certe non tantum in ipſa tractatione praecipui quidam in quolibet genere ſcriptores indicantur, ſed *index* etiam *quaeſtionum principalium, quae in curſu theologico examinandae atque diſcutiendae veniunt; additis praecipuis auctorum libris, in quocumque argumento legendis,* ſubiicitur, cuius tamen non DVPINIVM, ſed CAR. WITTASSIVM auctorem eſſe, ex CHRISTOPH. MATTH. PFAFFII *introd. ad hiſtor. theolog. litterar. prolegom. §. VI. p. 50.* ſupra iam docuimus.

Ad reformatae eccleſiae vt progrediamur doctores, ſolet a nonnullis hic commemorari CONR. GESNERVS, vir citra controuerſiam doctiſſimus, & de re litteraria praeclare meritus. *Bibliotheca* equidem eius *vniuerſalis*, quae Tiguri an. 1545 prodiit, latius patet, & ad omnes cuiuscumque generis auctores limites ſuos profert; id quod & de *pandectis* eius *vniuerſalibus*, eadem in vrbe an. 1548 editis, cenſendum, in quibus auctores non ſecundum alphabeti ordinem, vt in *bibliotheca* fecerat, ſed ſecundum artium & ſcientiarum genera diſpoſuit. Libris autem hiſce XIX *pandectarum*, qui tum prodierunt, addi adhuc debuit vigeſimus, auctores medicos, & vigeſimus primus, theologicos complectens, quorum poſterior 1549 Tiguri ſeorſum prodiit. Atque hicce eſt, quem hoc loco indicare decet, cum ea, quae theologiae propria ſunt, exhibeat; ſiquidem in eo per vniuerſum theologiae chriſtianae ſeſe diffundit campum, auctoresque, qui ſingula argumenta theologica pertractarunt, laudat, fonteſque, ex quibus plura hauriri queant, indicat. De hiſce GESNERI ſcriptis, ſpeciatim de iis, qui *bibliothecam* eius *vniuerſalem* aut in compendium miſerunt, aut auxerunt, conferre iuuabit DAN. GE. MORHOFIVM, *polyhiſt. litterar. lib. I. c. XVIII. p. 215.* & THOMAM ITTIGIVM, *ſchediaſm. de auctoribus, qui de ſcriptoribus eccleſiaſticis egerunt, §. XXXI. p. 106. ſeqq.* GESNERVM merito excipit IO. HENR. HOTTINGERVS, quippe qui vtilem in hoc genere orbi litterato nauauit operam in *bibliothecario*, quem vocat, *quadripartito*; cuius pars prima generatim de bibliothecariis & bibliothecis praecipit; altera theologiam biblicam; tertia patriſticam, cum adpendice LEONIS AFRICANI, hactenus ἀνεκδότῳ, de *ſcriptoribus arabicis*; quarta denique theologiam topicam, ſymbolicam, & ſyſtematicam, tam vniuerſalem, quam particularem, ſiſtit, Tiguri an. 1664 4. Commendandum vel hocce nomine iſtud opus eſt, quod ſyriacorum pariter ac arabicorum ſcriptorum notitiam, minime contemnendam, nec temere alibi obuiam exhibeat,

Digitized by Google

hibeat, *lib. II. c. II. & III. p. 222. ſeqq.* Exſtat etiam eiusdem *promptuarium ſiue bibliotheca orientalis, exhibens catalogum ſiue centurias aliquot, tam auctorum quam librorum ebraicorum, ſyriacorum, arabicorum, aegyptiacorum, aethiopicorum &c.* Heidelbergae an. 1658 in 4. Laudat vtrumque hocce opus THOMAS ITTIGIVS, quod *inſignem orientalium ſcriptorum notitiam ſuppeditet*; in *ſchediaſm. de auctoribus, qui de ſcriptoribus eccleſiaſticis egerunt, §. XX. p. 71.* Scio equidem, nonnullos ex Gallis de HOTTINGERO ita iudicare: *eum non eſſe admodum adcuratum in bibliotheca ſua orientali, vti nec in ceteris a ſe conſcriptis; (&) quamuis eius libri auide quadantenus lecti fuerint, ob curioſarum rerum, quam in illis ſibi propoſuit, tractationem; praeclari tamen ſcriptoris nomine non gaudere, nec apud religionis ſuae conſortes, nec apud populares ſuos &c.* apud THOMAM POPEBLOVNT, in *cenſura celebriorum auctorum, p. 1055.* Sed hoc quoque ſcio, facilius eiusmodi ſcripta contemni, quam componi. Naeuos quoque quosdam atque παρορώματα in *bibliothecario* eius *quadripartito* obſeruat THOMAS CRENIVS. *Sicut clariſſimi Hottingeri*, inquit, *admodum vitioſe Tiguri editus in 4to an. 1664 bibliothecarius quadripartitus affatim oſtendit, quanta librorum cognitione valuerit auctor; ita in illius lectione obſeruaui, non adeo adcuratam vbique ſcriptorum & auctorum Lutheranorum eum habuiſſe notitiam, nec illos inſpexiſſe ſemper. Non ſolum enim errat frequenter in nominibus, ſed & optimos omittit non raro.* Quod variis deinceps exemplis comprobat, *animaduerſion. philologic. & hiſtoric. part. VI. p. 143. ſeqq.* Sed ideo tamen laude ſua defraudandus non eſt vir diligentiſſimus, de quo HERM. CONRINGIVS, iuſtiſſimus ingeniorum cenſor, pronuntiat, non habuiſſe iſtud ſeculum, cui HOTTINGERVS fuerit ſecundus, ſiue φιλοπονίαν, ſiue φιλαλήθειαν, ſiue orientalis litteraturae peritiam, in iſtis annis inuſitatam, videamus; de *nummis Ebraeorum, c. I.* Referendus huc porro GISB. VOETIVS, cuius *bibliothecam & exercitia ſtudioſi theologiae* ipſe iam laudat HOTTINGERVS *bibliothec. part. I. c. II. §. I. p. 9.* & nos quoque eam iam attigimus ad *c. I. §. II.* IO. ANDR. BOSIVS, ad quem itidem *loco citato* prouocauimus, *haud paucos, & in his quosdam pudendos errores in ea deprehendi*, obſeruat; *ſatisque apparet*, inquit, *multos auctorum, quos laudat, ab eo aut plane non viſos, aut non ſatis fuiſſe inſpectos, quibusdam & plane aliena argumenta adficta; introd. in notitiam ſcript. eccleſiaſticorum, c. II. §. XIV.* Non mitius de hocce VOETII libello cenſuerunt MART. SCHOOCKIVS & SAM. MARESIVS, quorum tamen iudicia, vtpote ab hoſtibus profecta, & hoſtilem animum aperte prodentia, parum habent ponderis. Refert ea ad *Boſii l. c.* THOMAS CRENIVS; conf. & ABRAH. CALOVIVS, *paediae theol. ſect. II. ſpec. artic. I. c. I. p. 85.* & DAN. GEOR. MORHOFIVS, *polyhiſt. litter. lib. I. cap. XVIII. p. 211.* SAM. MARESIVS *auctarium* ad hancce VOETII *bibliothecam* edidit; quod tamen ad controuerſias iſtas ſpectat, quae illi cum VOETIO interceſſerunt; vt adeo magnopere fallantur, qui illud pro adpendice quadam, vel ſupplemento libelli Voetiani habent. Prodiit hicce VOETII liber primum Vltraiecti, an. 1644; auctior deinceps & emendatior aliquoties excuſus, & tertio quidem Francofurti an. 1685, in 12. Iungimus hiſce GERH. MEYERVM, theologum Bremenſem, cuius *bibliothecam theologicam contractam* itidem iam laudauit IO. HENR. HOTTINGERVS *l. c.* Conſtat ex duobus libris, quorum prior ſcriptores eccleſiaſticos, ſecundum ordinem temporis, per quindecim ſaecula recenſet; poſterior per ſingulas theologiae partes, exegeticam, dogmaticam, polemicam,

cam, reliquas, quindecim ſimiliter capitibus ſeſe diffundit, ita, vt non omnes, ſed praecipui quidam ac praeſtantiſſimi, in quolibet genere adducantur. Non omni libellus hicce vſu caret, ſed illis inſeruire poteſt, qui praecipua hiſtoriae litterariae, theologicae capita animo complecti cupiunt. Tertia editio, qua ego vtor, prodiit Bremae an. 1692, 12. Nec praetermittendus hic eſt SAL. VAN TILL, theologus Lugdunenſis, ob varia ingenii monumenta clariſſimus, cuius quippe *methodo concionandi*, an. 1717 Traiecti ad Rhenum editae, addita eſt ipſius *bibliotheca theologica*, poſt auctoris obitum, cura DAN. BEDBER. In qua tamen vt multi, iique praeſtantiſſimi, auctores, qui commemorari debebant, omittuntur, vt adeo plena dici nequeat; ita nec iuſto ordine eſt diſpoſita. Editio praeterea, quae Francofurti ad Moenum an. 1716 prodierat, innumeris erroribus ac naeuis corrupta eſt. Agmen denique claudat IO. WILKINS, epiſcopus Ceſtrienſis in Anglia, cuius *eccleſiaſten, ſeu diſcurſum de dono concionandi*, ex anglicana in germanicam linguam tranſtulit, inſcriptumque: *candidatus miniſterii litteratus, oder der gelehrte Prediger-Candidat*, edidit HENR. ITTERSHAGENIVS, Lipſiae an. 1718. 8. Nimirum, dum in eo auctor eſt, vt *ſect. III.* de *materia ſermonum ſacrorum*, ſeu *concionum* agat; theologiae alumnum pervniuerſum fere theologiae campum ducit, eumque ſelectorum quorumdam omnis generis, eorum tamen maxime, qui theologiae exegeticae inſeruiunt, librorum notitia inſtruit; quae ITTERSHAGENIVS variis acceſſionibus ita auget, vt hac ratione inter eos, ex quibus commoda nonnulla theologiae cultor capere poteſt, haud vltimum promereatur locum. Immo & ad ſpecialia progreditur, & *ſect. IV.* praecipua, quae in theologia tractantur, argumenta ita exhibet, vt qui de iis ex inſtituto egerunt, indicet auctores.

Supereſt, vt de noſtratium quoque monumentis, huc ſpectantibus, aliquid ſubiungamus. Dolendum tamen, nondum a quoquam aliquid confectum, quod ſpei omnium atque votis ſatisfaciat, pleneque hoc argumentum exhauriat. PAVLI BOLDVANI *bibliothecam theologicam*, GEOR. DRAVDII *bibliothecam claſſicam*, ad librorum theologicorum notitiam maxime comparatam, IAC. ZANNACHII *bibliothecam theologicam*, &c, ſi qua forte alia ſunt eiusdem generis, quae ab aliis huc referri ſolent, non commemorabimus; cum in iis omnia ſint manca, mutila, ieiuna, & vndique ſine ſelectu, ſine iudicio corraſa. Legenda, quae de BOLDVANO, pariter ac DRAVDIO monet DAN. GE. MORHOFIVS, *polyhiſt. litterar. lib. I. c. XVIII. p. 217.* In ſubſidium potius vocandi, qui de *methodo ſtudii theologici* commentati ſunt, ſupra iam ad *c. I. §. II.* laudati, quorum nonnulli praecipuos etiam, qui theologiae ſtudio inſeruiunt, auctores indicare ſolent. Id certe hinc inde facit beatus IO. GERHARDVS noſter, in *methodo ſtudii theologici*, copioſius autem ABRAH. CALOVIVS, in *paedia theologica de methodo ſtudii theologici, pie, dextre, feliciter tractandi.* Inter eos qui ex inſtituto notitiam librorum theologicorum tradere conati ſunt, primo loco nominandus venit beatus CHRIST. KORTHOLTVS, cuius quippe exſtat *prodromus ingenui theologiae cultoris academicus, ſeu tractatus de adparatu ad ſtudium ſacro ſanctae theologiae*, poſt auctoris obitum an. 1704 in 8. editus. Si quis eximii quid atque praeclari in hocce genere litterarum praeſtare potuit; is vtique KORTHOLTVS fuit, vir doctiſſimus & antiquitatis eccleſiaſticae longe peritiſſimus. Perfectum itaque atque conſummatum haberemus opus, ſi ipſe eiusmodi quid edidiſſet. Cum vero hicce libellus eum in finem ab eo concinnatus non ſit, vt publicae luci exponeretur; ſed ex recitationibus eius congeſtus, ac poſt mor-

tem

tem eius euulgatus; mirum non eſt, quod famae, exiſtimationi, & eruditioni auctoris non prorſus reſpondeat. Accedit, quod vitiis typographicis ita pollutus ſit & corruptus, vt a tironibus ſine erroris periculo adhiberi nequeat. Varia interim obſeruatu digna, praeſertim ad hiſtoriam librorum ſymbolicorum, theologiam polemicam, antiquitates eccleſiaſticas, & notitiam patrum, ſeu ſcriptorum veteris eccleſiae, ſpectantia, in eo occurrunt, quae eos, qui hiſce ſacris primum initiandi ſunt, legiſſe non poenitebit. KORTHOLTO iungimus THOMAM ITTIGIVM, virum pariter doctiſſimum, & in antiquitate cumprimis eccleſiaſtica verſatiſſimum. Huius *ſchediaſma de auctoribus, qui de ſcriptoribus eccleſiaſticis egerunt*, itidem poſt auctoris obitum editum eſt, ſed longe feliciora expertum eſt fata, dum obſtetricias ei adhibuit manus vir clariſſimus CHRISTIANVS LVDOVICI, qui non tantum, vt adcurate typis exſcriberetur, omnem impendit operam, ſed *auctarium* etiam & *adnotationes* addidit. Et ita lucem adſpexit publicam Lipſiae an. 1711. 8. Ex fronte qui libellum huncce aeſtimare velit, in eam forte ingredietur opinionem, eos tantum hic indicari, qui *patrum*, ſeu *veteris eccleſiae ſcriptorum* notitiam tradunt. Sed ipſum ſchediaſma hoc qui inſpexerit, latius illud patere, deprehendet; ſiquidem magno ſtudio omnes illi, qui quacumque ratione ad theologicorum librorum notitiam adcuratiorem nos perducere poſſunt, commemorantur; non praetermiſſis iis quoque, qui generatim ad hiſtoriam litterariam ſpectant. Plurima hic inuenies alibi non obuia; cumque exiguae molis ſit, maximae tamen vtilitatis eſt libellus. Idem cenſendum de CHRISTOPH. MATT. PFAFFII, viri vtique doctiſſimi celeberrimique, *introductione in hiſtoriam theologiae litterariam*, quae cum *appendicibus, quae bibliothecae theologiae ſelectioris indicem, & programmata litteraria, hactenus ab auctore edita; catalogumque eorum, quae huc vſque in lucem ipſe protulit, exhibent*, Tubingae an. 1720 in 8 prodiit. In auditorum ſuorum, eorumque, qui primum hiſce ſacris initiantur, gratiam, hancce introductionem ſe edidiſſe, ipſemet auctor eruditiſſimus profitetur; inter meliores tamen commatis ſcripta libellus hicce elegantiſſimus haud vltimum meretur locum, in quo non tantum praecipui auctores, ad theologiam exegeticam, dogmaticam, polemicam, hiſtoriam & iuriſprudentiam eccleſiaſticam, doctrinamque paſtoralem ſpectantes, laudantur; ſed nonnulla de ſcriptoribus recentiſſimis, gallicanis maxime, quae auctor in itineribus ſuis obſeruauit, admiſcentur: quae alibi fruſtra quaeras. Breuior autem cum eſſet, quam alii vellent, qui optabant, vt cuncta copioſius deducerentur, horum vt ſatisfaceret auctor doctiſſimus votis, in altera editione *notas ampliſſimas, quae nouum opus conficiant*, adiecit, cuius tamen prima tantum pars hactenus prodiit, Tubingae 1724 in 4. Plurima, huic ſtudiorum generi lucem adfundere apta, acceſſerunt; cumprimis & ipſa ſcripta adducit, quorum antea ſolum auctores laudauerat. Eodem, quo *introductionis* iſtius prima editio prodiit, an. 1720, lucem quoque publicam adſpexit VAL. ERN. LOESCHERI *chreſtomathia theologica, ſiue de adparatu praeſtantiore vſuque & ordine librorum operumque theologicorum commentatio ſuccincta, accurante* IO. CHRISTOPH. COLERO, Vitenbergae, 8. Germanico idiomate hancce *chreſtomathiam, annalibus* ſuis *theologicis*, oder *Begriff des erſten decennii der unſchuldigen Nachrichten &c.* Lipſiae an. 1715 editis, praemiſerat LOESCHERVS; quam deinceps in linguam latinam vertit, & in vſum recitationum ſuarum academicarum edidit COLERVS. Continet autem tantum

σκιαγραφίαν quamdam eorum, quae ad vniuerſum theologiae campum ſpectant, cum generali librorum quorumdam deſignatione, & eorum, quae adhuc deſiderantur, indicatione, conſiliisque, qua ratione quaedam eruditionis theologicae partes ad maiorem adhuc perduci perfectionem queant. Nec praetermittenda, ſed ſtudioſe potius commemoranda, atque commendanda eſt *hiſtoria bibliothecae Fabricianae*, a IO. FABRICIO, theologo Helmſtadienſi longe celeberrimo, edita. Sex eius hactenus prodierunt partes, prima quidem an. 1717, ſexta autem 1724, Wolffenbuttelii in 4. Suam ipſemet auctor doctiſſimus, inſtituto perquam laudabili, deſcribit bibliothecam, ea quidem ratione, vt ſingulos eius libros, eorumque contenta, varias, ſi quae dentur, editiones, augmenta porro, epitomas, verſiones, ſcripta aduerſa, & hisce oppoſitas apologias, auctorum errores & vitas; aliorum de iis, illorumque ſcriptis, iudicia, & alia eiusdem generis, ad rem litterariam facientia, neruoſe non minus, quam diligenter enarret. Inſignem, prorſusque egregium hic videas omnis generis librorum, theologiae ſtudio inſeruientium, adparatum, ita exhibitum, vt non poſſit non magna inde ad omnes redundare vtilitas. Certum quidem ordinem non obſeruat auctor; ſed huius defectum ſubiectus cuique parti index abunde compenſat. Denique & IO. CHRISTOPH. DORNIVS hic commemorandus eſt, ob *bibliothecam theologicam criticam, ſecundum ſingulas diuinioris ſcientiae partes, diſpoſitam atque inſtructam*, cuius pars prima anno 1721, ſecunda autem an. 1723 in 8. Ienae prodiit. Licet vero opus hocce naeuis quibusdam non careat, facileque adpareat, auctorem non omnes, quos laudat, vidiſſe libros; ſingulari tamen diligentia eum omnes, quos potuit, in ſingulis theologiae partibus congeſſiſſe negari nequit. Agmen claudat, qui inter huius argumenti ſcriptores recentiſſimos, haudquaquam vltimum promeretur locum, IOACH. LANGIVS, theologus Hallenſis percelebris; cuius quippe *inſtitutiones ſtudii theologici litterariae* anno 1723 prodierunt, & ob concinnum ordinem, ac ſelectum, in ſingulis theologiae partibus, optimorum praeſtantiſſimorumque librorum, merito commendantur. Inter eos, qui de ſingulis argumentis theologicis auctores indicant, nominandus adhuc erat MART. LIPENIVS, quem *bibliothecam realem vniuerſalem quadripartitam*, Francofurti ad Moenum, an. 1675 in fol. edidiſſe, conſtat; cuius pars prima *bibliothecam realem theologicam* exhibet. Diligentiam quidem viri, & inſtitutum ipſum, omnes laudant; ſimul tamen fatentur, erroribus grauiſſimis hoc opus ſcatere, praeſtantiſſimos ſubinde ſcriptores, qui prae ceteris laudandi erant, omitti vel perperam adduci; eos contra, qui nullius momenti ſunt, & quorum commentationibus facile carere poteramus, ſine vllo ſelectu congeri. Legenda, quae de hocce opere obſeruat IO. FABRICIVS, in *hiſtoria biblioth. Fabricianae, part. III. p. 175. ſeqq.* Atque ita praecipuos, qui ad noſtrum inſtitutum faciunt, recenſuimus; iungere tamen hiſce iuuabit, quae *capite ſequenti*, §. *XVIII. ſeqq.* de hiſtoria litteraria generatim ſpectata dicemus.

§. XXIII. Vt conſtet, quinam libri boni aut mali, vtiles aut inutiles ſint; non ad adfectus, aut praeiudicatas aliorum de iis opiniones, aut raritatem, vel alia eiusmodi reſpiciendum; * ſed certi potius characteres obſeruandi ſunt, cuiusmodi ſunt; ſi argumentum, quod auctor aliquis tractandum ſibi ſumſit, vtile ſit, magnique momenti; ſi plene illud tractauerit, nihil-

hilque eorum, quae de illo ſcitu neceſſaria ſunt, omiſerit; ſi ſolide illud tractauerit, hoc eſt, ſi circa principia & fundamenta rite conſtituenda ſollicitus potius fuerit quam circa ea, quae curioſitati hominum blandiuntur; ſi ἀλλότρια non admiſcuerit, & a digreſſionibus, nihil ad rem facientibus, ſe abſtinuerit; ſi denique perſpicue, & ſermonis genere puro, quantum res ipſa permittit, & eleganti, cuncta propoſuerit. **

* Vt in aliis rebus, ita in iudiciis ſuis de libris ſcriptisque aliorum, ſaepiſſime falluntur mortales. Adfectus hic minime in conſilium adhibendos, quilibet facile perſpicit. Interim nihil frequentius, quam vt laudemus ſcripta ab iis profecta, quibus bene cupimus, & vituperemus, quae viros, nobis inuiſos, auctores agnoſcunt. In omni quidem litterarum genere hoc conſpicias; ſollemne tamen & quotidianum fere eſt inter theologos, diuerſis disſidentibusque, circa dogmata ſacra, partibus addictos. Hinc, raro admodum romanenſibus probari videas libros, a proteſtantibus profectos, quantumuis egregii ſint, longeque praeſtantiſſimi. In *ephemeridibus eruditorum Pariſienſibus* & *commentariis Treuoltienſibus* facile exempla inuenias. Idem de *praeiudicatis* dicendum *opinionibus*, quae tamen plerumque ex adfectibus originem ducunt. Probantur ſaepius laudanturque libri non aliam ob cauſſam, quam quod eorum auctores iam alias magnam nominis celebritatem auctoritatemque ſunt conſequuti; quorum vero auctores obſcuri ſunt, aut nullius auctoritatis, contemnuntur, & faſtidiuntur. Si quis principis gratia floret, quaecumque in lucem profert, ſtatim in caelum laudibus extolluntur; quae vix lectorem inuenirent, ſi alia auctoris eſſet conditio. Aliis rurſus tantum veterum libri placent, aliis recentiorum; prout aut antiquitatis, aut nouitatis vel admiratores ſunt, vel oſores. Sunt porro, quibus domeſtica ſordent, cum exoticis delectentur, nihilque illis placeat, niſi quod Galli, aut Itali, aut Angli excogitarunt; quemadmodum alii domeſticis ita inhaerent, vt indignentur, ſi quis exotica laudet. Atque haec quidem aliaque ſaepiſſime in errorem nos inducunt, impediuntque, quo minus de vero cuiusque libri pretio rite, & vt decet, ſtatuere queamus. Cum primis nonnulli iudicii imbecillitatem produnt, dum ex raritate pretium libri aeſtimant. Nec vna ratione hic decipiuntur mortales. Saepe enim libri quidam pro raris habentur, qui tamen neutiquam rari ſunt. Plurimas ſane bibliothecas & bibliopolia eum perluſtraſſe, neceſſe eſt, qui, librum quemdam rarum eſſe, pronuntiare audet. Deinde, ſi & rari ſunt, ideo non ſtatim vtiles, aut digni, qui legantur. Saepe libri atheiſtici, magici, ſimilesque inter raros referuntur, & ideo in pretio ſunt, quia rari ſunt, quos contemnere potius, & ad aeternas damnare oportebat tenebras. Ridiculum omnino eſt, ſi ob ſolam raritatem laudentur libri, in quibus nihil omnino laude dignum occurrit. Scio, MICH. SERVETI opus de *erroribus trinitatis* inter libros rariores referri, ideoque magnum a quibusdam illi ſtatui pretium. Mirari id ſatis non potui, cum ipſemet iſtum librum legerem, non tam ob impia dogmata & παράδοξα deteſtandum, quam vel hoc nomine vilipendendum prorſus ac contemnendum, quod nihil in eo eruditi hominis ingenio dignum occurrat. Sed plura qui de raritate librorum ſcire auet, adeat *obſeruationem VIII. & IX.* in *tomo X. obſeruationum Hallenſium*, quae IAC. FRID. REIMMANNVM auctorem agnoſcere dicuntur; & IO. CHRISTOPH. WENDLERI *diſſertationem, de variis raritatis librorum*

Digitized by Google

rum impreſſorum cauſſis. Edi etiam anno 1723 per partes ad modum ephemeridum litterariarum coepit: *S. S. Verzeichnüs einiger rarer Bücher*, prodieruntque hactenus partes duae, in quarum priori etiam generatim de raritate librorum copioſe diſſeritur. Iungantur hiſce, qui itidem de raritate librorum verba faciunt, BVRCARD GOTTHELFF STRVVIVS, *introduct. ad notitiam rei litterar. cap. II.* §. *XIV. p. 68.* GOTTLIEB STOLLIVS, in der *kurtzen Anleitung zur Hiſtorie der Gelahrheit*, in dem *Vorbericht*, §. *XIV. ſeq. p. 12. ſqq.* CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, in *conſpectu rei publicae litterariae*, ſiue *via ad hiſtoriam litterariam, c. VI.* §. *XIII. XIV.* qui & §. *XIV.* libros quosdam rariores indicat. Laude omnino digni ſunt, qui libros quosdam rariores, eosque ſimul vtiles, recudendos curant; quorum nonnullos commemorat GOTTL. STOLLIVS, *l. c. p. 15.*

** Hi, quos indicauimus, boni libri characteres interni ſunt; qui illis maxime inſeruiunt, qui ipſimet libros legere, & de iis iudicare poſſunt. Sunt vero & characteres quidam externi, ex quibus, antequam librum legas, vtcumque de eius bonitate vel praeſtantia certus fieri queas, quos longa ſerie recenſet BVRC. GOTTH. STRVVIVS, *introduct. ad notitiam rei litterariae, c. II.* §. *III. ſeqq. p. 38. ſeqq.* conf. & GOTTL. STOLLIVS, *in der kurtzen Anleitung zur Hiſtorie der Gelahrheit, in dem Vorbericht, p. 10. ſeqq.* Interni, quos poſuimus, characteres non omnes etiam vnius ſunt generis, cum alii & ad id, quod caput cauſſae eſt, magis ſpectent, alii ad decus libri & ornamentum faciant. Plura de characteribus bonorum librorum dabit beatus frater meus CAR. FRID. BVDDEVS, in *ſchediaſmate litterario*, *de criteriis boni libri*; cui & alios adhuc iungit IO. GE. WALCHIVS, in dem *Entwurff der allgemeinen Gelehrſamkeit, lib. I. cap. III. ſect. III. p. 44.*

§. XXIV. Regulae, in librorum lectione obſeruandae, ſequentes ſunt: quidam libri plane non ſunt legendi; * quidam non niſi ab iis legendi ſunt, qui cuncta rite diſcernere atque diiudicare poſſunt; ** legendi ſunt, qui cuiusque ingenio, & ſcopo, quem ſibi conſtitutum habet, conueniunt; *** lectioni modus ponatur, ne aut memoria obruatur, aut vis iudicii ſuffocetur; * lectio ſemper cum meditatione & *δοκιμασίᾳ* ſit coniuncta; * ita denique inſtituatur, vt, quae vſui nobis eſſe poſſunt, ſeligantur, diligenterque retineantur. ***

* Pauci forte in eo diſſentient, quosdam libros noxios prorſus, nulliusque ſimul vſus, hinc & plane non legendos eſſe; quinam autem illi ſint, inter omnes non conuenit. Immo ſaepe a quibusdam nonnulli pro noxiis habentur, qui ab aliis inter vtiles ac ſalutares referuntur. Sic romanenſes, libros, qui a noſtratibus interdum optimi cenſentur, inter noxios referunt; poteſtatem nobis hoc ipſo concedentes, illorum eodem loco habendi libros. Documentum hic nobis dedit THEOPHILVS RAYNAVDVS, in *erotematibus de malis ac bonis libris, deque iuſta aut iniuſta eorumdem confixione*, Lugduni an. 1653. 4to editis. Quatuor hic librorum, qui hic in cenſum veniunt, conſtituit claſſes; primam *malorum & nociuorum*, quorſum praeter atheiſticos, magicos, aſtrologicos, & alios eiusdem generis, *libros haereticorum* refert, eosque primo ſtatim loco collocat, haereticorum nomine cumprimis proteſtantes deſignans; ſecundam *in ſe malorum, non nociuorum*, vbi de gentilium libris, polytheiſmum ſpectantibus, deque alcorano, & libris Mohamme-

Digitized by Google

hammedanorum, itemque rabbinicis, talmudicis, kabbaliſticis, diſputat, immo & quosdam haereticorum ad hanc claſſem referendos cenſet eſſe libros; tertiam *in ſe non malorum, ſed nociuorum*, hoc eſt, qui ob lectorum imbecillitatem iis noxii eſſe queant, vbi & de chymicis libris, & qui argumenta inania tractant, differit; quartam denique *nec in ſe malorum nec nociuorum*; vbi inter alia de anonymis & pſeudonymis verba facit. Quaedam in hiſce recte & erudite tradi, non abnuo; ſed pleraque ingenium plane Ieſuiticum produnt. Quod noſtratium libros inter noxios referat, non adeo illi vitio vertere poſſumus; cum de romanenſium libris nos eadem ratione cenſeamus. Idem auctor *partitione tertia, p. 266. ſeqq.* de *configendi libros poteſtate* agit, quod argumentum plenius copioſiusque ex mente romanenſium perſequitur IAC. GRETSERVS, ex eodem Ieſuitarum ordine theologus, de *iure & more prohibendi, expurgandi, & abolendi libros haereticos & noxios; aduerſus Franciſcum Iunium Caluiniſtam, & Ioannem Pappum, aliosque praedicantes Lutheranos &c.* Ingolſtadii, an. 1603, 4to. Id nimirum hic agit GRETSERVS, vt oſtendat, omni tempore, tum apud ethnicos, tum apud chriſtianos in primitiua etiam eccleſia, vſitatum fuiſſe, vt libri noxii non tantum prohiberentur, ſed igne quoque comburerentur; eumque adeo morem recte vſurpari ab eccleſia romana, vel eius potius capite Romano pontifice. Qua de quaeſtione vt recte ſtatuatur, ſequentia obſeruanda ſunt. Primum de libris ipſis diſpiciendum, tum reuera noxii, an vero tales tantum habeantur, quod noſtris aduerſentur placitis. Iniquum, immo ineptum eſt, librum aliquem ideo ſtatim noxium iudicare, quod in quibusdam a noſtra abeat ſententia. Deinde quod ad ius attinet, libros prohibendi, aut pro noxiis declarandi; cuiuslibet equidem doctoris, multo magis plurium, qui collegium aliquod conſtituunt, eſt, declarare, quinam libri ſibi noxii videantur, modo iuſtas ſententiae ſuae adferant rationes; at publica auctoritate libros prohibere, non Romani pontificis, aut epiſcoporum, ſed ſummorum imperantium eſt, aut quibus ab his haecce poteſtas eſt demandata. De modo denique a libris noxiis hominum animos auertendi, obſeruandum; ſi violentia aut coactio adhibeatur, parum ad ſummam rei profici; cum hoc modo curioſitas hominum eo magis irritetur, vt auide legant, a quibus hac ratione arcentur. Ad GRETSERVM vt reuertamur, is FRANC. IVNIO, & IO. PAPPO opus ſuum oppoſuit, ob *indicem expurgatorium belgicum*, quem IVNIVS an. 1584 cum inſigni praefatione Heidelbergae imprimendum curauit, qui deinceps an. 1599 Argentorati, cum praefatione PAPPI recuſus fuit; vide DAN. FRANCI *diſquiſitionem academicam, de papiſtarum indicibus librorum prohibitorum & expurgandorum, c. I. §. IX. p. 9.* De ratione prohibendi proſcribendique libros quosdam, legiſſe quoque iuuabit CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVM, in *introduct. ad hiſtor. theolog. litter. notis ampliſſimis illuſtrat. prolegom. §. II. p. 9.* vbi & laudatur IAC. BOILEAV *δοκιμασία ſiue diſquiſitio hiſtorica de librorum circa res theologicas adprobatione.* Ex iis autem, quae monuimus, intelligere licet, quid de romanenſium indicibus librorum prohibitorum, & expurgandorum cenſendum ſit; de quibus copioſe & exquiſito ſtudio agit, quem iam laudauimus, DAN. FRANCVS, in *citata diſquiſitione*, Lipſiae an. 1684, 4. edita. Conferre etiam iuuabit THOMAE ITTIGII *ſchediaſma, de auctoribus, qui de ſcriptoribus eccleſiaſticis egerunt, §. XXV. p. 87. ſeqq.* vbi praecipui ex hiſce indicibus adferuntur. Diſcere vero ex iisdem indicibus licet, quanta audacia romanenſes in veterum pariter ac

 recen-

Digitized by Google

recentiorum libros graſſentur, delendo, mutando, corrumpendo, quaecumque illorum placitis aduerſantur; ſed hac de re alibi. De IO. MARIAE BRASICHELLENSIS *indice expurgatorio Romano,* qui inter rariores libros referri ſolet, videatur S. S. *Verzeichnüs einiger rarer Bücher, part. I. num V. p. 52. ſeqq.*

Inter eos, qui cordatorum prudentumque omnium conſenſu legendi non ſunt, primo loco merito ponuntur libri obſcoeni, impuraque omnia hominum impurorum ſcripta, verſus feſcennini, carmina Priapaea, & quidquid ad perdendas bonas mentes infernalis genii adflatu concitata poëtarum quorumdam improborumque hominum libido effundere ac comminiſci ſolet. Cum enim omnes natura, in iuuenili maxime aetate, ad prauas cupiditates proni ſimus; nonne ſummae eſt imprudentiae, eiuſmodi librorum lectione eas excitare, alere, fouere, in quibus ſupprimendis, ac compeſcendis, omne ſtudium omnemque collocare oportebat induſtriam? Nec eſt, quod dicas, linguae tamen latinae adcuratius perdiſcendae eiuſmodi auctores quandoque inſeruire, qui & ob ingenii acumen lectu digni ſint. Certe MARTIALEM hoc nomine laudat IOSEPHVS SCALIGER, a quo tamen quae foede & obſcoene dicta ſunt, ea ſe praetermittere, profitetur; *lib. VI. poet. p. 519.* Idemque, de CATVLLO, TIBVLLO, ac PROPERTIO verba faciens, optat quidem, vt pudoris rationem habuiſſent; at, ex hiſce tamen fontibus hauriendam latinitatem, adeoque horum lectione, quos latini ſermonis nitor delectet, vix ſuperſedere poſſe. Sed falluntur, qui ita ſentiunt; cum alii minus impuri, minusque obſcoeni non deſint, ex quibus Romani ſermonis cultus ac nitor peti poſſit. *Si animo circumſpiciatis*, inquit FRANC. SACCHINVS, *magiſtros, ex quibus latine diſcimus, quacumque agendum de re ſit, exſtare duces, minime virtuti contrarios, intelligetis;* in *orat. de vitanda librorum moribus noxiorum lectione*, ſubiuncta eius libello de *ratione libros cum profectu legendi, p. 118.* Subiicit idem haud exiguum auctorum numerum, ex quibus ſermo latinus caſtus emendatusque hauriri poſſit, vt tamen periculum corrumpendorum per eorum lectionem morum non ſit ſubeundum. Non improbandum quoque eorum conſilium, qui ex auctoribus, obſcoena admiſcentibus, ea tantum ſeligenda publicandaque ſuadent, quae a iuuentute citra damnum legi poſſunt; quod & IO. SCHEFFERO placet, de *generoſi nobilisque informatione litteraria §. VI. p. 457.* in *methodis* THOMAE CRENII, an. 1696 editis. Quidquid tandem eius ſit; virtutis ſemper potior eſſe ratio debet, quam ſermonis. Nec tam felix ſapiensque cenſendus, qui pure & emendate loquitur, impuris cum ſit moribus, quam, qui vitam moresque emendat ſedulo, vtut de linguae ornatu non adeo ſit ſollicitus. Quam facile autem per obſcoenorum librorum lectionem iuuenum animi, velut veneno quodam, inficiantur, quantoque adeo ea euitanda ſit ſtudio, ipſimet intellexerunt, & aperte profeſſi ſunt ethnici. PLATONEM ſane poëtas ex re publica ſua eieciſſe, aut ſi mauis, honorifice dimiſiſſe, notum eſt; quod ſubinde talia doceant, quae corrumpendis iuuenum moribus apta ſunt. Legenda cumprimis, quae *lib. X. de re publica, p. m. 593. ſeqq.* fuſe hac de re diſputat. Suffragatur ARISTOTELES: *cum enim legiſlator, verborum obſcoenitatem, ex ciuitate, ſi quid aliud, eiicere debeat*, μάλιστα μὲν οὖν ἐκ τῶν νέων, ὅπως μήτε λέγωσι, μήτε ἀκούωσι μηδὲν τοιοῦτον' *tum maxime a puerorum auribus oculisque remouere, ne quid tale vel loquantur, vel audiant*; addit rationem: ἐκ τοῦ γὰρ εὐχερῶς λέγειν ὁτιοῦν τῶν αἰσχρῶν γίνεται καὶ τὸ ποιεῖν σύνεγγυς, *ex turpiter enim loquendi licentia, ſequitur & turpiter facere; lib. VII. polit. cap.*

cap. XVII. Hiſce & veteris eccleſiae chriſtianae doctorum effata addi poſſent, quae THEOPHIL. RAYNAVDVS adfert, *erotemat. de malis & bonis libris, part. I. erotem. VII. p. 41. ſeqq.* vbi copioſe hocce argumentum tractat, quod & IAC. GRETSERVS facit, de *iure & more prohibendi, expurgandi &c. libros haereticos & noxios, lib. I. c. XXVI. p. 174. ſeqq.* confer & beati ADAMI RECHENBERGII *diſſertat. de libris obſcoenis.* Cum etiam PETRI BAELII *dictionarium hiſtorico-criticum* nonnulli inter alia & hoc nomine atro notauerint lapillo, quod multa obſcoene ac libidinoſe dicta in eo occurrant; is quidem in *diſſertatione*, ſeu *declaratione* potius, (*eclairciſſement*) alteri editioni ſubnexa, reſpondere ad hanc adcuſationem voluit, adeoque de iis, quae a viris doctis obſcoene dicta vel ſcripta ſunt, ex inſtituto agit; rectius facturus, ſi ab iſta ſe defendendi methodo abſtinuiſſet; cum non ex exemplis, aut aliorum factis, ſed ex rationibus, ac legibus, quid licitum, quidue illicitum, iudicandum ſit. Non errauero, ſi ad hancce librorum, de quibus nunc loquimur, claſſem retulero *fabulas*, quas vocant, *Romanenſes;* quippe quae obſcoenis, ac libidinoſis narrationibus, vt plurimum ſunt refertae, ita ſaltem comparatae, vt alendis fouendisque eiusmodi cupiditatibus inſeruiant, quas ſuffocare & ſupprimere longe ſatius eſſet. Nec audiendi, qui, eas aut ad eloquentiam prodeſſe, aut varia monita, tum ad doctrinam moralem, tum ad prudentiam ciuilem ſpectantia, ſuppeditare, clamitant. Ecquis enim dubitet, haec omnia longe rectius ex genuinis fontibus, ac eiuſmodi ſcriptis hauriri, a quibus lectoribus nullum imminet periculum? Legenda, quae iam hac de re, vti & de aliis, quae huius loci ſunt, monui in *diſſert. de cultura ingenii, c. III. §. VI. p. 417.* Ibidem a me etiam obſeruatum, inter libros, quorum ob obſcoenitatem intermittenda lectio eſt, non ſine ratione *moraliſtarum*, quos vocant, quorumdam referendas eſſe commentationes, in quibus de *matrimonio* & caſtitate non raro ita praecipiunt, vt nefanda crimina data opera docere voluiſſe videantur; eoque nomine THOMAE SANCHEZII cumprimis *de matrimonio* male audire opus, ipſorum quippe doctorum Sorbonnicorum iudicio damnatum. Eius tamen defenſionem magno conatu in ſe ſuſcepit THEOPH. RAYNAVDVS, inter alia ad CHRYSOSTOMVM, EPIPHANIVM, & CYRILLVM Hieroſolymitanum prouocans, qui, dum aut haereticorum ſpurcitias retulerunt, aut libidines improborum hominum reprehenderunt, quod CHRYSOSTOMVS fecerit, talia ſimul effati ſint, quae imperitis aut malignis cenſoribus obſcoena videri queant; *erotemat. de malis & bonis libris, part. I. erotem. VII. p. 53. ſeqq.* At, qui cogitauerit, non ſtatim idem eſſe, cum duo idem dicunt, aut faciunt, nec comparanda, quae patres illi ſcripſerunt, cum iis eſſe, quae tam operoſe commentatus eſt SANCHEZIVS; parum iſta excuſatione ad ſummam rei proficere RAYNAVDVM, animaduertet.

Praeter obſcoenos, & ad laſciuiam libidinemque ducentes, *magici* quoque libri reiiciendi prorſus ac proſcribendi ſunt. Hoc vero non de *magia naturali*, ſeu occultarum naturae virium ſcientia; ſed de illa, qua ſtolidi quidam ac inepti homines daemonum auxilio ac adminiculo, admirabilia quaedam patranda, vel ea, quae cupiunt, obtinenda, vtuntur, intelligendum, res ipſa docet. Exſtitiſſe omni tempore, qui ad extremum huncce ſtultitiae & impietatis gradum progreſſi ſunt, cum hiſtoriarum monumentis, ipſa nos non ſinit dubitare experientia; quamuis non negem, ſubinde viros doctos & innocentes ſine ratione in magiae ſuſpicionem adductos; quod exemplis variis oſtendit GABR. NAVDAEVS, in *apologia pro viris magnis falſo*

ma-

magiae ſuſpectis. Non magis dubitare licet, quin libri exſtent, quibus artes eiusmodi vanae & impiae tradantur; quippe quod itidem experientia teſtatur. Ecquis eſt, cui ignotum HENR. CORN. AGRIPPAE, *de occulta philoſophia*, opus? cuius ſaltem *librum quartum* artes & ritus magicos, ſuperſtitioſos, & deteſtandos continere, nec illi ipſi, qui eius patrocinium ſuſceperunt, negant, quamuis ſimul, eum AGRIPPAE eſſe, abnuant. Ita quidem GABR. NAVDAEVS, *l. c.* Tres namque priores, non deſunt, qui myſtice & allegorice explicandos, contendant, ad magicae impietatis ſuſpicionem ab auctore auertendam. De aliis eiusdem generis libris dixi in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtit. c. IX.* ad §. *III. p. 704.* Iſtiusmodi ergo libros qui legunt, non tantum tempus perdunt, quod rectius collocare poterant; ſed facile tandem adducuntur, vt impiis eiusmodi nugis atque commentis fidem adhibeant, immo, vt experimento de illis certiores reddantur, ad vſum ea deducere non dubitent; quousque in impietate ac ſtultitia profecerint, demonſtraturi. Eo diligentius itaque libri iſti euitandi, aut aliorum oculis animisque ſubtrahendi, quo acrius quandoque inconſultam quorumdam curioſitatem irritant. Epheſii iſti, qui tempore Pauli apoſtoli περίεργα ſectati fuerant, ad ſaniorem mentem reuocati, libros ſuos contulerunt, cunctosque coram omnibus combuſſerunt, *act. XIX, 19.* maximopere hoc nomine laudandi. Vbi per τὰ περίεργα, curioſitatem, quae in artibus magicis ſeſe exſerit, denotari, ex PLATONE & HERODIANO, HENR. STEPHANVS docet, *lib. II. ſchediaſm. cap. XXVIII.* obſeruante quoque THEOPH. RAYNAVDO, *erotemat. de malis & bonis libris, partit. I. erotem. V. p. 31.* conf. & HENR. HAMMONDVS, ac HVGO GROTIVS ad *h. l.* Quam male autem ſibi conſulant, qui, ſanioribus conſiliis locum concedere renuentes, curioſitati ſuae inconſultae frena laxant, vel ipſius HENR. CORN. AGRIPPAE, antea iam memorati, exemplo conſtat, qui de ſe ipſe profitetur: *Permultum temporis & rerum in his vanitatibus olim contriui; tandem hoc profeci, quod ſciam, quibus rationibus oporteat alios ab hac pernicie dehortari. Quicumque enim non in veritate, nec in virtute Dei, ſed in illuſione daemonum, ſecundum operationem malorum ſpirituum, diuinare, ac prophetare praeſumunt, & per vanitates magicas, exorciſmos, incantationes, amatoria, agogima, & cetera opera daemoniaca, & idololatriae fraudes exercentes, praeſtigia, & phantaſmata oſtentantes, mox ceſſantia miracula ſeſe operari iactant, omnes hi cum Iamne & Mambre, & Simone mago aeternis ignibus cruciandi deſtinabuntur;* de *incertitud. & vanitat. ſcientiarum c. XLVIII. p. 182.* Addenda his, quae de libris magicis copioſe diſſerit THEOPH. RAYNAVDVS *l. c. p. 28. ſeqq.* Idem quoque *erot. VIII. p. 70. ſeqq.* fuſe admodum de *libris famoſis* verba facit, vt tamen multa admiſceat, quae adcuratiorem diiudicationem promerentur. A libris, qui reuera famoſi ſunt, & recte hocce nomine veniunt, merito, qui ſapit, ſeſe abſtinebit; cum, quod inde diſcere poſſit, aut exigui momenti, aut certe non tanti ſit, vt cum damno, quod inde ad illum redundare poteſt, comparari queat. Non tantum enim, ſi placeant, quae in homines innocentes per calumniam dicta ſunt, vel inuitus in peccati ſocietatem abripietur, ſed interdum ad ſimile quid audendum concitabitur, cum ad praua quaeuis imitanda proniſſimi ſint mortales. Tam peruerſa autem eſt quorumdam indoles, vt eiusmodi libris vel primum inter optimae notae hiſtoricos concedant locum; tanto quemque ad veritatem accedere propius, exiſtimantes, quanto in calumniando, & aliorum vitiis perſtringendis, eſt impudentior. Adferri hic nonnulla de *anecdotis & hiſtoriis arcanis* poſſent; ſed de hiſce alibi erit dicendi locus.

** Hu-

Digitized by Google

** Huius generis ſunt libri atheiſtici, aut ad atheiſmum ducentes: quos ab incautis imperitisque iuuenibus, qui vera a falſis, a ſolidis inania diſcernere nequeunt, non ſine periculo legi, nemo negabit. Subinde enim talia arripiunt, auideque, eo, quod vitiis illorum faueant, imbibunt, quae a recto eos auertunt veritatis & virtutis tramite, quae non temere deinceps, aut ſaltem aegerrime dimittunt. Aliter de illis cenſendum, qui eo iam pollent iudicio, vt cuncta rite diſcernere ac diiudicare queant, quamquam & illis diſpiciendum, quo animi adfectu, quoue conſilio, ad eiuſmodi librorum lectionem accedant. Ab iis, quorum officium eſt, atheos refutare, eorumque profligare impietatem, libros iſtos legendos, vel me non monente, quilibet intelligit. Vt autem libri atheiſtici non ſunt vnius generis; ita plerumque eo grauius damnum adferunt, quo occultius incedunt, aut omnino, velut aliud agendo, impietatem hanc lectorum animis infundunt. Conferenda hic & examinanda, quae de variis atheorum generibus THEOPH. RAYNAVDVS differit, *erotem. de malis & bonis libr. erot. IV. p. 20. ſeqq.* De atheiſticis quod diximus, idem & de illis, qui ad naturaliſmum, ſcepticiſmum, religionum indifferentiſmum, aliosque errores grauiores ducunt, obſeruandum.

*** Ingenii itaque explorandae ſunt vires; ne libros legere inſtituamus, quos non intelligimus. Tum enim magno conatu nihil agemus. Sed & ad ſcopum finemque ſtudiorum noſtrorum ſemper reſpiciamus, neceſſe eſt; vt ad eum cuncta referantur. Ceteroquin incerto errore hinc inde vagabimur, nullamque ex lectione capiemus vtilitatem. Recte id FRANC. SACCHINVS monet, *id quemque obſeruare debere, cuius gratia potiſſimum lectionem inſtituat; alia philoſophum, alia theologum, alia iuris peritum ſectari; videndum itaque, quid proprie ſibi propoſitum ſit, quo velit ſtudiorum ſuorum curriculo peruenire &c.* de *ratione libros cum profectu legendi, c. VIII.* in *noua librorum rariorum conlectione*, quae Halae an. 1709 prodiit, *p. 144.*

* Qui modum lectioni ponere neſciunt, haud abſimiles iis ſunt, qui cibis ſtomachum ita replent, vt eos concoquere nequeant. Vtut enim forte delectationem inde quamdam capiant; parum tamen id ad valetudinem, aut ad corporis robur prodeſt. Pari ratione & lectio, ſi nimia ſit, nec ingenii, praeſertim memoriae & iudicii viribus reſpondeat; non poteſt non plus damni adferre, quam vtilitatis. Patet hinc, quid de *helluonibus*, quos vocant, *librorum* cenſendum ſit.

** Sine meditatione ne recte quidem intelligemus, quae legimus, multo minus commodum aliquod ex lectione referemus. Recte GERH. IO. VOSSIVS: *Omnino igitur lectio & meditatio arctiſſimo ſocietatis vinculo colligari debent. Mera enim lectio non penetrat in animum; ſiquidem attentione opus eſt in legendo; & vbi legeris, meditatione, cur quidque dicatur, cur ſic potius, quam aliter, & quomodo lecta ad res ſimiles poſſimus transferre. Sine iſtis, quod legitur, non ſatis intelligitur, & minutum illud, quod capitur, eo, quod radice careat, non feret fructum. Immo facile eius ſubibit obliuio: quomodo quae non alte inhaerent ſolo, ſere vento auferuntur. Vt mirandum non ſit, ſi ſaepe lectionis multiiugae homines exigui ſint iudicii, ac pene nullius. Nimirum hoc inde eſt, quia memoriam onerant; iudicium non acuunt vel exercent. Sed vt hac parte delinquunt complures librorum helluones, qui multa vorant, nulla concoquunt, ita in contrarium peccant, qui, alienis laboribus contemtis, adſidui ſunt in meditando; & quia aliena neſciunt, quae multis plurimum partibus ſunt veriora, melioraque; ſua toties ſomnia amplectuntur pro oraculis; de imitat. poët. c. III. §. V. p. m. 757. 758.* Ad δοκιμασίαν eorum, quae legi-

legimus, quod attinet, eodem modo hic ſe res habet, ac in auditione. Repetenda itaque, quae hac de re ſupra ad §. *XVIII.* diximus.

*** Poſſent hic nonnulla de arte excerpendi dici; ſed conſulere potius iuuat, qui de ea ex inſtituto egerunt, VINCENT. PLACCIVM, de *arte excerpendi*, DAN. GE. MORHOFIVM, *polyhiſt. litter. lib. III. c. I. ſeqq.* FRANC. SACCHINVM, de *ratione libros cum profectu legendi*, *cap. IX.* IO. GEORG. WALCHIVM, *in dem Entwurff der allgemeinen Gelehrſamkeit*, *lib. I. c. III. ſect. IV. p. 46. ſeqq.* qui & *p. 48.* plures laudat.

§. XXV. Tandem, vt eo rectius feliciusque meditatio procedat, linguarum, huc ſpectantium, hiſtoriae itidem, & philoſophiae, eorumque adeo omnium, quae *propaedeumatum* nomine veniunt, notitia, theologiae cultorem imbutum eſſe, decet. De quibus cum multa monenda ſint, rectius deinceps ex inſtituto agetur. *

* *cap. IV.* per integrum.

§. XXVI. Vltimum denique inter ea, quae ſupra poſuimus, medium, quo ad finem contendimus, eſt *tentatio*. * Vt enim cuncta in theologia ad vſum ſeu praxin referenda ſunt, hinc & ἄσκησις, ſeu exercitatio, vtramque in ea facit paginam; ** ita in tentatione, id, quod in exercitatione praecipuum eſt, maximumque momentum trahit, conſpicitur. ***

* Conferenda, quae ad §. *I.* huius capitis diximus.

** Exercitatio enim iſta ſpiritualis (de qua hic ſermonem eſſe, res ipſa docet) vt cum experientia ſpirituali coniuncta eſt, ita eamdem quoque auget. In diſciplinis autem practicis, experientiam, quam vſus & exercitatio gignit, vtramque facere paginam, conſtat. Bellicos duces, rerum ciuilium adminiſtratores, medicos, aliosque, qui circa τὰ πρακτικὰ verſantur, ab experientia maxime commendari, nouimus. Idem ergo etiam de theologis cenſendum. Theologiam enim quanta quanta eſt, practicam eſſe, inque ea omnia ad noſtram aliorumque ſalutem eſſe dirigenda, neminem fugit, & ſubinde inculcare ſolemus.

*** In ea enim occaſio nobis datur, fidem noſtram, patientiam, conſtantiam, aliasque virtutes, & explorandi & demonſtrandi, ſimul vero efficaciam, & vim verbi diuini, & precum, itemque periculorum magnitudinem non minus, quam τὸν ὑπερβάλλοντα πλοῦτον gratiae diuinae, *Eph. II, 2.* ſentiendi, & ita in experientia ſpirituali proficiendi. *Docet*, inquit beatus MART. LVTHERVS, *tentatio non ſolum ſcire, ſed etiam ſentire & experiri certitudinem, veritatem, ſuauitatem, efficaciam, & conſolationem verbi, quod id ſapientia ſit ſuper omnem ſapientiam*; in *Pſ. CXIX.*

§. XXVII. *Tentationis* autem nomine hic nobis venit irritatio mentis ad peccandum, a carne, mundo, & diabolo profecta, qua per fidem ſuperata, homo in fide confirmatur, & fortior, prudentiorque redditur. *

* Loquimur itaque hic de *tentatione paſſiua*, qua homines a carne ſua, ab aliis hominibus, atque infernali genio, ad malum tentantur; ex qua tamen, ſi fortiter feliciterque ſuperetur, bonum aliquod exſiſtere poteſt. Diuerſa ab ea eſt *tentatio actiua*, eaque iterum vel ad *bonum*, vel ad *malum*. Poſterioris generis eſt, cum homines Deum tentant, dubitando, vel non recte ſentiendo de eius prouidentia, poten-

potentia, voluntate, aliaque ratione; aut cum homines ſe ipſos, vel alios, ad peccata perpetranda ſollicitant; vel denique, cum idem intuitu hominum infernalis facit genius. Prioris generis eſt, cum Deus per crucem & calamitatem, aut alia ratione, hominum fidem, obſequium, & conſtantiam explorat, vt, quo haec fuerit illuſtrior, eo etiam ampliora eius conſequantur praemia, *Gen. XXII, 1. Deut. XIII, 3. Pſ. XXVI, 2. CXXXIX, 23. 24.* Atque haec neutiquam hic eſt excludenda; cum nihil frequentius ac ſollemnius ſit, quam vt Deus hac ratione fidelium ſeruorum ſuorum, per varia calamitatum genera, fidem, conſtantiam, patientiam exploret; vt non tantum virtutes iſtas demonſtrent, ſed eae etiam augeantur, & iſta excercitatione corroborentur; quin immo, vt ſimul, ſolatii diuini ſuauitatem guſtantes, alios itidem, in ſimilibus calamitatibus conſtitutos, eo efficacius ſolari queant. Hunc enim calamitatum ſuarum, quas perpeſſus eſt, fructum profitetur ac vrget Paulus apoſtolus: *collaudandus Deus & pater domini noſtri Ieſu Chriſti, miſericordiae pater, & omnis conſolationis Deus; qui nos conſolatur in omni calamitate noſtra, quo poſſimus eos, qui ſint in quacumque calamitate, conſolari ea conſolatione, qua confirmamur ipſi a Deo. Quanto enim maioribus propter Chriſtum malis adficimur; tanto per Chriſtum maior eſt noſtra conſolatio. Nam, ſiue adfligimur, id fit pro veſtra conſolatione atque ſalute, quae agitur in tolerandis iisdem malis, quae nos quoque patimur; ſiue confirmamur, id fit pro veſtra conſolatione & ſalute; ac firmam de vobis ſpem habemus, ſcientes, quemadmodum aduerſorum participes eſtis, ſic fore etiam conſolationis; 2. Cor. I, 3. ſeqq.* Haec ipſa tamen tentatio ad eam, quam deſcripſimus, referri etiam quodammodo poteſt, cum, quando in calamitatibus, variisque adflictionibus conſtituti ſumus, haud raro a mundo pariter ac carne noſtra ad murmurationem, deſperationem, & illicita quaeuis, ſollicitemur; conf. *Iob. III, 9.*

§. XXVIII. Tametſi autem omnes omnino homines multiplici ratione ad peccata irritentur, & ita tententur: hic tamen iſtae tentationes, quibus per fidem & preces reſiſtimus, in cenſum veniunt; quod illorum eſt, qui vera fide praediti ſunt, hoc eſt, regenitorum. * Eos vero cum primis, qui aliquando doctorum in eccleſia officio fungi volunt, pluribus maioribusque, quam reliquos, tentationibus obnoxios eſſe, mirum non eſt, cum varie ad hoc conſpirent cauſſae.

* Tentantur vtique irregeniti pariter ac regeniti; ſed diuerſa ratione. Illi quidem ita, vt victas hoſtibus ſuis dent manus, aut non niſi craſſioribus cupiditatibus, ac incommodum aliquod huius vitae adlaturis, reſiſtant; hi autem, vt tentationibus omnibus, ſiue ſubtiliores ſiue craſſiores ſint, acriter ſe opponant, contra eas pugnent, tandemque per fidem vincant, *1. Ioh. V, 4.* Adcurate tamen ſi loqui velimus, regenitorum, ſeu piorum hominum tentationes, proprie hoc nomine veniunt; cum irregeniti iam ſub poteſtate ac dominio peccati ſint, *Act. XXVI, 18. Col. I, 13.* etſi, quod non negandum, magis magisque, per nouas peccatorum acceſſiones, excaecari, & tenebrarum vinculis conſtringi queant. Conferenda, quae hac de re dixi *inſtitut. theol. moral. part. I. c. II. §. XXV. & XXVI.* Monenda autem haec fuerunt, vt, qui theologiae ſtudio ſe conſecrarunt, diligenter ſe explorent; ne ad ſe pertinere, credant, quae de tentatione dicuntur, qui, adhuc ſub iugo peccati conſtituti,

ſtituti, non tam tentantur, quam vi, & impetu prauarum cupiditatum ad illicita quaeuis atque pudenda abripiuntur, cum nulla in iſtis vis ſit, reſiſtendi illis atque reluctandi. Hi ergo hoc primum agere debent, vt ſerio ſe ad Deum conuertant, viribusque gratiae inſtruantur, quibus irritationibus carnis, mundi, & diaboli, ad praua quaeuis, reſiſtere queant; & demum experientia ipſa condiſcent, vera eſſe, quae hic de tentationibus dicuntur, fructumque exoptatum inde referent.

§. XXIX. Magnam tentationum eſſe varietatem, vel inde intelligitur, quod & cauſſarum, quae nos ad peccandum irritant, & eorum, qui irritantur, & rerum, quae quotidie ſenſibus mentique noſtrae ſeſe offerunt, magna ſit varietas diuerſitasque. *

* Copioſius haec omnia ediſſerui *inſtitut. theol. mor. part. I. c. II. §. XXXII. ſeqq.* Reſpiciendum tamen praecipue hic ad eas tentationes, quae eccleſiae doctoribus, aut qui docendi munere fungi aliquando cupiunt, quodammodo ſunt propriae. Cuiusmodi illa eſt, quod, qui ingenio, eruditione, aliisque donis aliis praeſtant, per ambitionem ſollicitantur, vt aliis ſe praeferant, hinc porro ſchiſmata in eccleſia aut excitent, aut alant, foueantque. Cui quo pacto obuiam eundum ſit, ſuo exemplo egregie nos docet Paulus apoſtolus, in priori ad Corinthios epiſtola, praeſertim *c. I, 12. ſeqq. III, 4. ſeqq. IV. 6. 7.*

§. XXX. Etiamſi porro tentationes, in ſe ſpectatae, ad hominum perniciem tendant, & ex intima humanae naturae corruptione originem trahant; * ſi tamen per fidem atque preces, ſuperentur, magna inde ad nos redundare poteſt vtilitas; ſiquidem campum ampliſſimum, exercendi fidem, patientiam, aliasque virtutes chriſtianas, nobis ſubminiſtrant, vigilantiam ſpiritualem intendunt, humilitatem conſeruant, & experientiam gignunt, qua qui inſtructus eſt, is demum ſibi aliisque rite conſulere poteſt. **

* Illae ſcilicet tentationes, quae a carne noſtra, mundo ac diabolo proficiſcuntur. De calamitatibus autem afflictionibusque, quas Deus, ad fidem, patientiam ac conſtantiam noſtram explorandam nos ſubire iubet, aliter cenſendum; quas tamen hic neutiquam excludendas, antea iam ad §. *XXVII.* monuimus.

** Conferenda, quae diximus *inſtitut. theol. mor. part. I. c. II. §. XXXI.*

§. XXXI. Et ita facile intelligitur, quo pacto tentatio, cum oratione & meditatione coniuncta, theologum faciat. Qui enim aliis praeire exemplum, iisque viam ad ſalutem monſtrare cupit; eum iam in fide corroboratum, multiplicique rerum ſpiritualium vſu & experientia inſtructum eſſe oportet; quam tum demum obtinet, ſi in certamine contra hoſtes, hominum ſaluti inſidiantes, ſaepe conſtitutus, pugnauerit ſtrenue, victoriamque retulerit. *

* Lucem hinc capient, noſtrisque viciſſim dabunt, quae magni nominis theologi, cum de methodo ſtudii theologici praecipiunt, de tentatione, theologum velut abſoluente & perficiente, monent; ſpeciatim beatus IO. GERHARDVS noſter,

ſter, in *methodo ſtudii theologici. p. 321. ſeqq.* quae & cum iis, quae DAVID CHYTRAEVS hac de re in libello, *de ſtudio theologiae recte inchoando*, docuit, repetit, calculoque ſuo adprobat AVG. HERMAN. FRANCKIVS, in *methodo ſtudii theologici c. III. §. XXXIV. p. 282. ſeqq.* Dicendum in hac de methodo ſtudii theologici doctrina etiam aliquid erat de *ordine ſtudii theologici*; de quo tamen cum nonnulli ex iam laudatis auctoribus multa recte & egregie praecipiant, vt nos hiſce immoremur, neceſſe non eſt.

LIBRI PRIORIS
CAPVT QVARTVM
DE
PROPAEDEVMATIBVS THEOLOGICIS.

Σύνοψις.

Cvr de propaedeumatibus theologicis ſit agendum? §. I.
Summa quaedam omnium eruditionis partium animo complectenda; §. II.
Linguae latinae neceſſitas; §. III.
Vſus in loquendo pariter ac ſcribendo; §. IV.
Linguae graecae neceſſitas; §. V.
itemque ebraeae; §. VI.
Litterarum humaniorum, itemque philologiae nomine quid intelligatur? §. VII.
De ſcriptorum gentilium quid cenſendum lectione? §. VIII.
deque arte critica; §. IX.
Sermonis quoque habenda eſt ratio, vt mentis noſtrae cogitationes rite exprimere queamus; §. X.
Huc grammatica & rhetorica, cum primis vero oratoria ſpectat; §. XI.
De arte poetica, deque poetarum quid obſeruandum ſit lectione? §. XII.
Hiſtoria quotuplex? §. XIII.
Hiſtoria naturalis; §. XIV.
ciuilis; §. XV.
eccleſiaſtica; §. XVI.
Ciuili pariter ac eccleſiaſticae hiſtoriae lucem adfundit chronologia, geographia, genealogia; §. XVII.
Hiſtoria litteraria non vnius eſt generis; §. XVIII.
Alia namque eſt litteratorum; §. XIX.
alia librorum; §. XX.
alia denique artium & ſcientiarum; §. XXI.
Ad vltimam claſſem ſpectat & hiſtoria philoſophica, cuius praecipue habenda eſt ratio; §. XXII.
Ad propaedeumata etiam philoſophia ſpectat, cuius, ſi recte tractetur, inſignis in theologia vſus eſt; §. XXIII.
Regulae quaedam, circa legitimum philoſophiae vſum obſeruandae; §. XXIV.
Inter philoſophiae, & quidem inſtrumentalis, partes primum logices habenda eſt ratio; §. XXV.
tum hermeneutices; §. XXVI.
itemque eius, quae de methodo docendi praecipit; §. XXVII.
De ontologia ſeu metaphyſica quid obſeruandum? §. XXVIII.
Phyſica, ceu prima theoreticae philoſophiae pars, quemnam habeat vſum? §. XXIX.
De theologia naturali, ceu altera philoſophiae theoreticae parte; §. XXX.
De ethica, ſeu prima practicae philoſophiae

 phiae

phiae parte, quid obſeruandum? §. XXXI. itemque de iurisprudentia naturali; §. XXXII. Vt & de prudentia tum generatim ſpectata, tum ſpeciatim ciuili; §. XXXIII. De matheſi eiusque vſu; §. XXXIV.

§. I

Dicendum nunc paullo copioſius eſt de linguis iſtis, artibusque, & ſcientiis, quae viam quodammodo ad theologiam muniunt, & *propaedeumatum* nomine venire ſolent, tum, vt, quae inde ad nos redundare queant commoda, videamus, tum &, vt oſtendamus, caute in quibusdam & circumſpecte incedendum eſſe. *

* Veteres per προπαιδείαν & προπαιδεύματα nihil aliud, quam litteras humaniores, artesque, quas vocabant, liberales, intellexiſſe, vtpote quibus viam ad philoſophiae ſtudia muniri putabant, ex inſtituto IO. WOWERIVS docet, *de polymathia, c. II, p. 29.* Inter philoſophos ARISTOTELI, eiusque ſectatoribus, nihil ſollemnius, quam vt auditorem πεπαιδευμένον requirant, qui arcanis philoſophiae rite imbui queat. Haec autem paedia, de qua tam operoſe diſputant, huc tandem redit, vt auditor ſeu diſcipulus primo ordinem teneat diſciplinae, vt ſciat videlicet, vtrum partes illius rite ſint diſpoſitae, itemque methodum perſpectam habeat, quomodo ſingula ſint demonſtranda. Porro & haec ad paediam referunt, vt quis non omnes cauſſas, etiam eorum, quae cauſſas habent, requirat, itemque vt peruidere queat, quarum rerum exigenda ſit definitio, quarum non item. Quae omnia copioſe & adcurate ex mente peripateticorum diſſerit MELCH. ZEIDLERVS, in *analyſ. poſter. lib. III. c. VII. p. 751. ſeqq.* Conferendi praeterea OCTAV. FERRARIVS, de *ſermonib. exoteric. p. 46. ſ. qq.* MICH. PICCARTVS, in *delineatione totius philoſophiae Ariſtotel. c. VI. §. V. p. 37.* & quae ad *h. l.* IO. CONR. DVRRIVS adnotauit. Habuerunt equidem & alii philoſophi, praeſertim Pythagoraei, ſua μελετήματα, & *praeexercitamenta*, vt PRISCIANVS vocem προγυμνάσματα vertit; ſed cum ea ad ſapientiae potius, ſeu virtutis ſtudium ſpectauerint; hic in cenſum non veniunt. A philoſophis autem hoc acceperunt theologi, vt cum artium liberalium ſtudio, ipſam philoſophiam praeguſtandam iis cenſerent, qui theologiae ſacris imbui rite ac initiari vellent; haec omnia itidem *propaedeumatum* nomine comprehendentes. Hiſce enim qui inſtructi ſunt praeſidiis, longe rectius, in litterarum diuinarum cognitione ac tractatione, progredi, exiſtimant, quam, qui iis deſtituuntur. Ita iam olim veteris eccleſiae doctores, quos patres vocant, iudicarunt; ex quibus vel ſolum CLEMENTEM audire iuuat Alexandrinum: Αὐτοτελὴς μὲν οὖν καὶ ἀπροσδεὴς ἡ κατὰ τὸν σωτῆρα διδασκαλία, δύναμις οὖσα καὶ σοφία τοῦ θεοῦ· προσιοῦσα δὲ φιλοσοφία ἡ Ἑλληνικὴ, οὐ δυνατωτέραν ποιεῖ τὴν ἀλήθειαν, ἀλλ᾽ ἀδύνατον παρέχουσα τὴν κατ᾽ αὐτῆς σοφιστικὴν ἐπιχείρησιν, καὶ διακρουομένη τὰς δολερὰς κατὰ τῆς ἀληθείας ἐπιβουλὰς, φραγμὸς οἰκεῖος εἴρηται καὶ θριγκὸς εἶναι τοῦ ἀμπελῶνος. *Etſi ipſa ſibi ſufficit, nec opis alienae eget doctrina ſeruatoris; quippe quae ſit potentia & ſapientia ipſius Dei; ſi tamen graecanica philoſophia acceſſerit, non quidem validiorem efficit veritatem, ſed ſophiſticos inſultus reddit inefficaces, & inſidias omnes auertens, genuina ſepes & lorica eſt dominicae vineae, lib. I. ſtromat. p. m. 377.* edit. IO. POTTERI. Similia & apud alios occurrunt, quae apud GEORG. CALIXTVM legi poſſunt, in *adparatu theol. p. 35. ſeqq.* Et ſane, inſignem eſſe propaedeumatum iſtorum, ſi quis rite in iis verſetur, vſum in theologia, negari nequit,

quit, & ex dicendis etiam conſtabit. Cauendum tamen, ne diutius iis, quam decet, inhaereamus, aut omnino in iis ſubſiſtamus, immemores eorum, quae nos praecipue agere oportebat. De liberalibus ſtudiis, quae olim προπαιδευμάτων nomine veniſſe, antea diximus, diſputat SENECA, monetque, per ea animum tantum ad philoſophiam praeparandum, non autem per omnem vitam iis inhaerendum eſſe; *ep. LXXXVIII. p.m. 382. ſeqq. Tamdiu,* inquit, *iſtis immorandum eſt, quamdiu nihil animus agere maius poteſt; rudimenta ſunt noſtra, non opera.* Et iterum: *Quare ergo liberalibus ſtudiis filios erudimus? Non, quia virtutem dare poſſunt, ſed quia animum ad accipiendam virtutem praeparant; l. c. p. 388.* Alia eiusdem generis teſtimonia ex aliis adfert IVSTVS LIPSIVS, *manuduct. ad Stoic. philoſophiam, lib. I. diſſert. II. p. 7.* Quae omnino in propaedeumata, intuitu theologiae ſpectata, quadrant. Cum vero quidam hiſce ſtudiis plus, quam decet, tribuant, alii autem, in contrarium currentes, ea omnino contemnant; quo pacto iuſtum illis ſtatuendum ſit pretium, oſtendere adnitemur; ſimulque, quinam hic euitandi ſint ſcopuli, ne naufragium faciamus, ſollicite monſtrabimus.

§. II. Iuuabit vero initio ſummam quamdam eorum, quae totius eruditionis circulum abſoluunt, animo complecti, vt nexum & coniunctionem partium perſpiciamus, & quodnam quaelibet alteri adferat praeſidium, cognoſcamus. Lux enim haud contemnenda inde in plurimis nobis accendetur, viaque, quam ingredi animus eſt, planior reddetur faciliorque. *

* Comparata huc eſt illorum opera, qui ſub nomine ἐγκυκλοπαιδείας ſummam quamdam, nexumque omnium eruditionis partium, exhibere voluerunt. Idque iam antiquis quibusdam conſtitutum fuiſſe, IO. WOWERIVS obſeruat. *Proinde,* inquit, *cum mutuo complexu diſciplinae inter ſe colligatae, omnesque artes & ſcientiae cognationis nexu reuinctae, communes quasdam proprietates habeant, quas ſibi per amicas vices mutuo impertiunt, antiqui doctrinae orbem conſtituerunt, veluti perfectum quemdam ſcientiae cinnum, ex diuerſis aptum & temperatum, quem Graeci* ἐγκυκλοπαιδείαν *vocant, & ipſas, quas continet, diſciplinas,* ἐγκύκλια μαθήματα, ἐγκύκλια, ἐγκυκλίους παιδείας; de *polymath. c. XXIV. p.m. 275. 276.* Cum vero non vna eademque de numero & ordine artium & ſcientiarum, doctorum virorum fuerit ſententia; non vnam quoque ſemper τῆς ἐγκυκλοπαιδείας fuiſſe faciem, manifeſtum eſt. Patet hoc ex diuerſis iſtis de artibus liberalibus ſententiis, quas beatus IAC. THOMASIVS recenſet, *tom. I. obſeruationum Hallenſium, obſ. IV. p. 42. ſeqq.* Diſcere nimirum inde licet, non prorſus ea de re inter ſe conſenſiſſe Graecos atque Latinos, tum aliter iſtarum artium numerum ordinemque ſe habuiſſe ante AVGVSTINVM, aliter poſt eum, atque ſequenti aetate. Ab AVGVSTINO namque recepta illa in ſcholis doctrina, *ſeptem* eſſe *artes liberales,* & quidem *grammaticam, dialecticam, rhetoricam, arithmeticam, muſicam, geometricam, & aſtronomiam,* originem ducit; vt ibidem §. *XVII.* & *XVIII, p. 49.* oſtenditur. De ſeptem hiſce artibus liberalibus MARTIAN. CAPELLA, in libro de *nuptiis philologiae & Mercurii,* agit. Fluit hinc notiſſima apud ſcholaſticos diſtinctio in *triuium & quadriuium.* Per *triuium* namque *grammaticam, logicam, rhetoricam* intelligunt; vnde & ſcholae, in quibus iſtae ſcientiae docebantur, *triuiales* dictae ſunt; *quadriuii* autem nomine, quatuor iſtas ſcientias mathematicas, *arithmeticam, muſicam, geometriam* & *aſtronomiam,* deſignabant. Ceterum cum

ſexto

Digitized by Google

ſexto poſt Chriſtum natum, ſeptimoque ſaeculo, per gentium barbararum incurſiones, vbique muſae obmuteſcerent; ſcholarum quoque, quae antea in oriente pariter ac occidente floruerunt, vix quaedam relicta ſunt veſtigia. Quae cum circa finem octaui, & initium noni ſaeculi, ſatagente cum primis Carolo magno imperatore, vtcumque reſtituerentur; non aliae tamen litterae, quam ſeptem illae artes, quas antea commemorauimus, in iis, immo in ipſa academia Pariſienſi, quam a Carolo magno conditam ferunt, docebantur. Quamquam HERM. CONRINGIVS adhuc dubitet, annon per ea tempora, excluſo etiam *quadriuio*, ſolum regnauerit *triuium; antiq. academ. diſſert. III. p. 80.* Quidquid eius ſit, cum Ariſtotelica philoſophia caput tolleret, & in ſcholas introduceretur; philoſophia quoque, hoc eſt reales diſciplinae philoſophicae, in academiis tradi coeperunt; indeque mos inualuit, vt nonnulli *bonarum artium ac philoſophiae* ſtudioſi, itemque magiſtri dicerentur. Legenda omnino, quae de hiſce omnibus ex IAC. THOMASII ſchedis adferuntur, *obſeruat. Hallenſium tom. VI. obſeruat. XIV. ſeqq. p. 118. ſeqq.* Quo pacto deinde praeter artes liberales & philoſophiam, theologia quoque, iuriſprudentia ciuilis & canonica, itemque medendi ars, doceri in academiis coeperit, vt tandem quatuor illae, vt vocantur, facultates exſiſterent, eaque ſimul, quae hodie eſt, academiarum prodiret facies; tum aliunde conſtat, tum adcurate ab HERM. CONRINGIO exponitur, *antiq. academ. diſſert. III. p. 92.* alibique. Atque haec ideo monere, viſum fuit, vt ratio & fundamentum intelligeretur, cur hodie, ſecundum quatuor iſtas, quae in academiis ſunt, facultates, totius eruditionis circulus, ac ἐγκυκλοπαιδεία deſcribatur. Quod, num recte fiat, &, an ſolidae rationes adferri queant, cur totum velut eruditionis corpus in quatuor iſtas facultates, ceu membra praecipua, diſtribuendum ſit? nonnullos diſputare video. Valde operoſus hac in re eſt vir doctiſſimus IOH. CHRIST. LANGIVS, in *protheoria eruditionis humanae vniuerſae, c. X. p. 587. ſqq.* Ego quidem non dubito, quin, concinniori quadam ratione, vniuerſus eruditionis circulus in ſuas diſtribui partes queat; difficile quoque eſſe, exiſtimo, rationem quamdam, pro adſtruendo quaternario facultatum numero, excogitare, quae omnibus ſatisfaciat, nec vllis obnoxia ſit dubitationibus; nec tamen, cur tam anxie hac de re laborare debeamus, video; cum, ordinem hunc & numerum facultatum, in academiis ſemel receptum, mutatum iri, ſpes nulla ſuperſit, nec vlla, quae hoc aut ſuadeat aut imperet, adſit neceſſitas; ſi quis autem ſui tantum ingenii acumen ac ἀκρίβειαν oſtendere velit, illi integrum, prout voluerit, ordinem quemdam, partiumque eruditionis nexum, comminiſci. Atque hoc ſibi omnino, nec ſine ratione, conceſſum putarunt; qui recentiori aetate encyclopaedias dederunt, quibus eruditionis partes, harumque nexum, exhibere voluerunt. Ex mente quidem veterum omnium optime hoc praeſtitit GERH. IO. VOSSIVS, in *libris quinque, de artium & ſcientiarum natura & conſtitutione*, qui inter opera eius iunctim edita, *tom. III.* exſtant, quosue nemo niſi magno cum fructu legerit. Inter reliquos haud vltimum locum tenet IO. HENR. ALSTEDIVS; de quo DAN. GEORG. MORHOFIVS: *operoſa fuit illius viri diligentia, non tantum in conſuetis diſciplinis, in compendium redigendis, ſed etiam in nouis inueniendis. Valde enim largus eſt in titulis nouarum artium, quos effinxit interdum, vt noua res videretur, quae in aliis diſciplinis iam tum pertractata erat, & pertractari debebat. Nam ſi quis de partibus omnium diſciplinarum ſingulares diſciplinas conficere velit, vt faciunt eius exemplo nunc multi, non diuidere adcurate*

&

& methodice, ſed diſcerpere diſciplinas videntur. In vno obiecto multa noua formalia conſiderari poſſunt, neque ſtatim noua inde diſciplina formanda eſt; polyhiſt. litt. lib. II. c. VII. p. 435. Praeter ALSTEDIVM etiam BARTHOL. KECKERMANNVM, IOACH. FORTIVM RINGELBERGIVM, ABRAH. CALOVIVM encyclopaedias dediſſe, notum eſt; quibus & BISTERFELDIVM, VOGELIVM, RATICHIVM, aliosque addit IO. CHRIST. LANGIVS, in *protheoria eruditionis humanae vniuerſae, c. X. p. 658. ſeqq.* Quorum tamen omnium, ſecundum eam, quae hodie obtinet, tractandi ſtudia, rationem, non adeo magnus forte vſus erit. Commemorari quoque hic poſſent, qui generatim de methodo ſtudiorum praeceperunt; quippe qui haud raro ea quoque attingunt, quae ad ordinem & nexum partium eruditionis ſpectant; ſed agunt de illis ex inſtituto DAN. GEORG. MORHOFIVS, *polyhiſt. litterar. lib. II. c. VII.* & BVRCH. GOTTH. STRVVIVS noſter in *praefatione de formandorum ſtudiorum ſcriptoribus*, quam BAPTISTAE GVARINI, Veronenſis, *libello methodico, de ordine docendi & ſtudendi*, Jenae an. 1704 recuſo, praemiſit. Iungatur his IO. CHRIST. LANGIVS, in *protheoria eruditionis humanae vniuerſae c. IX. p. 400. ſeqq.* Cum vero in eiuſmodi libris, qui ordinem nexumque partium eruditionis exhibent, omnino ad hodiernam rei litterariae faciem reſpiciendum ſit; rectiſſime ſibi conſulent, qui delineationem IO. GEORGII WALCHII, lingua germanica inſcriptam: *Entwurff der allgemeinen Gelehrſamkeit vnd Klugheit zu ſtudiren*, perluſtrauerit; in qua non tantum ſuccincte, & neruoſe nexus iſte, atque ordo, exhibetur; ſed varia quoque monita ſaluberrima, aliaque ſcitu digna, de ſingulis artibus & ſcientiis adſperguntur. Recenſet idem etiam *lib. I. c. IV.* diligenter reliquos ſcriptores, huc ſpectantes, & quidem recentiſſimos. Non contemnendus quoque eſt, vt alivs eiusdem generis taceam, beati ADAMI RECHENBERGII libellus de *ſtudiis academicis*, in compendio quippe praecipua academicorum ſtudiorum momenta tradens.

§. III. Et a linguis quidem, iisque, quae eruditis quodammodo propriae cenſentur, vt initium faciamus, primo loco latina ſeſe nobis offert; qua eo minus theologiae cultor carebit, quo maior ſcriptorum veterum pariter ac recentiorum exſtat numerus, qui eadem, in ingenii ſui monumentis ad nos transmittendis, vſi ſunt, ex quibus ea haurienda, quae in hocce litterarum genere neſcire fas eſt neminem. *

* Non qualicumque tantum latini ſermonis notitia theologiae cultorem imbutum, volo, quae recentiorum ſcriptorum monumentis intelligendis ſufficiat; ſed adcuratiori, ſeu exquiſitiori, ſine qua veterum optimae notae ſcriptorum latinorum libri euolui nequeunt. Multa ſane ad hiſtoriam, antiquitates, philoſophiam, aliarumque rerum notitiam, facientia, ex M. TVLLIO CICERONE, IVLIO CAESARE, TITO LIVIO, aliisque ſcriptoribus Romanis haurienda ſunt, quibus nec theologus, qui ſupra vulgus ſapere cupit, carebit. Legendi itaque ſunt eiusmodi auctores, ſed ita legendi, vt quoque intelligantur. Intelligi autem nequeunt, niſi quis indolem geniumque latini ſermonis perſpectum cognitumque habuerit. Hunc vero licet ex iſtorum auctorum lectione perdiſcamus; ſimul tamen vt aliqua eius notitia imbuti ſimus, ſi illos recte intelligere velimus, neceſſe eſt. Errant magnopere, qui putant, ſi recentiorum quorumdam ſcripta ſibi pateant, ſtatim in veterum quoque lectione, ſine haeſitatione ſe progredi poſſe. Vt autem cognoſcamus, quan-

tum veterum ſcriptorum latinorum lectio nobis proſit; conſulendi, qui illorum notitiam ſuppeditant. Nonnullos recenſet HENR. IVL. SCHEVRLIVS, in *ſtatua Mercuriali ad optimos quosque ſcriptores latinos &c. certiſſimam viam demonſtrante, ſect. II. c. I. ſeqq. p. 74. ſeqq.* Sed eos tantum, qui ſtilo puriori inſeruiunt; id, quod & IO. GEORG. WALCHIVS facit, in *hiſtoria critica linguae latinae, c. VIII. p. 337. ſeqq.* Etſi vero non omnes ad ſermonis cultum & nitorem legendi ſunt, ſiquidem nec omnes aeque eleganti ac emendata dictione vtuntur; non tamen ideo contemnendi aut negligendi ſunt ceteri, quin potius ſubinde ad rerum ipſarum legendi cognitionem. Conferre itaque omnino iuuabit IO. ALB. FABRICII, viri ſummi, *bibliothecam latinam*, in qua omnium ſcriptorum latinorum exquiſitam notitiam exhibet, libros, horumque editiones, diligentiſſime recenſens, ne patribus quidem latinis omiſſis, quippe de quibus eorumque ſcriptis, *volumine tertio* ſeu *vltimo* verba facit. Nec abs re fuerit, eos quoque conſulere, qui hiſtoriam linguae latinae dederunt, quod M. ANTON. SABELLICVM, de *linguae latinae reparatione*, IO. NIESS, de *ortu & occaſu linguae latinae*, MELCH. INCHOFERVM, in *hiſtoria ſacrae latinitatis*, feciſſe, conſtat. Vltimus tamen iſtorum ad παράδοξα quandoque prolabitur, nimio latinitatem laudandi ſtudio. Nec contemnenda, quae GERH. IO. VOSSIVS *praefat. de vitiis ſermonis & gloſſemat. latino-barbari*; itemque CAROL. DV FRESNE, in *praefatione gloſſarii latin.* hac de re tradunt, quibus & alii addendi, quos IO. GEORG. WALCHIVS laudat, in *hiſtoria critica linguae latinae, c. I. p. 16.* qui & ipſe diligenter in hocce argumento verſatus eſt, dum *l. c.* de *origine & fatis linguae latinae inter ipſos praecipue veteres Romanos*, copioſe & erudite diſſerit. Iucundum quoque pariter ac vtile fuerit, cognoſcere, quaenam latini ſermonis in Germania noſtra fuerint fata; quod omnium optime nos docebit vir doctiſſimus, deque hisce litteris praeclare meritus, IACOB. BVRCKARDVS, in *commentariis de linguae latinae in Germania per ſeptendecim ſaecula amplius, fatis, ab ipſo tempore, quo Romanorum arma & commercia nonnullum eius uſum intulerunt, ad noſtram vsque aetatem*; quorum pars prior Hannouerae, an. 1713, poſterior autem, in qua *prior partim illuſtratur, partim ſuppletur*, Wolfenbutteli, an. 1721 in 8. prodiit. Ceterum quum veteris eccleſiae doctores, ſeu patres latini, CYPRIANVS, TERTVLLIANVS & reliqui, a puro iſto caſtoque ſermone, quo praeſtantiſſimi auctores ante eos vſi ſunt, multum diſcedant, ſimulque aliquid, quod illis proprium & peculiare eſt, habeant; illorum latinitas curam quoque ſingularem promeretur; non ſane, vt eos, a LACTANTIO ſi diſcedas, qui ad optimos auctores proxime accedit, imitemur, ſed, vt eo rectius intelligamus. BOHVSLAVS equidem BALBINVS, cum, multiplicem eſſe latinitatem, obſeruaſſet, illi, quam *eccleſiaſticam* vocat, quaeue patribus latinis originem ſuam deber, primum tribuit locum. *Latinitatem*, inquit, *multiplicem eſſe, conſtare debet, quae confundenda non eſt; alia quaedam latinitas in ſacro argumento (quam eccleſiaſticam dicere poſſis) adhibetur; haec omne feret punctum, cum proxime ad vulgatam bibliorum editionem acceſſerit, verbis eccleſiae, tum ſanctorum patrum ſententiis illigata; haec verba penſi non habet, ſed diuina fundit oracula, & ad ſacras litteras frequenter amat alludere; quae maxima laus eſt ſanctorum patrum, atque inter eos diui Bernardi, qui quod conatur dicere, hoc fere ſemper diuinae ſcripturae verbis enunciat. Latinitas eccleſiaſtica in exhortationibus ſacris, & virtutibus diuinis commendandis, locum habet, quae tamen, ſi ei noſtra in loco adda-*

tur

Digitized by Google

tur eloquentia, praecipuam laudem meretur, vt miſceat vtile dulci. Itaque ridiculus eſſet, qui in ſacro argumento Ciceronem, aut alium profanum ſcriptorem, imitaretur; ſententiis enim ſacrarum litterarum haec latinitas debet impleri; in *veriſimilib. humanior diſciplinar. c. III. §. I. p. 17. 18.* Qua in re an omnes habituros ſibi ſit ſuffragantes, valde dubito. Multa ſane in rebus ſacris occurrere, in quibus Ciceronem, aut alium quemdam ſcriptorem profanum imitari velle, ridiculum foret, lubens fateor; multa tamen etiam eſſe, quae longe purius elegantiusque exprimi poſſunt, quam vulgo fit a ſcriptoribus eccleſiaſticis, patribusque latinis, conſtat, & vel LACTANTII exemplo comprobari poteſt. Verſionem vulgatam ſcripturae ſacrae, quae inter fontes latinitatis eccleſiaſticae itidem refertur, minime quidem ideo contemnendam cenſeo, quod barbariſmi quidam ac ſoloeciſmi in ea occurrant; id quod HVGO GROTIVS, in *praefation. adnotation. ad libros veteris teſtam.* BRIANVS WALTONVS, in *adparatu biblico, p. 361.* aliique oſtenderunt; quamquam nec deſint, qui eius in hocce capite defenſionem ſuſcipiant, vt ALBERICVS GENTILIS, in *diſſertat. de latinitate veteris bibliorum verſionis male adcuſata*, quae cum aliis eiusdem auctoris diſſertationibus Helmſtadii an. 1674 recuſa eſt; cui & iungendus AVG. MARIA DE MONTE, Sauonenſis, cuius commentationem *de quibusdam ſacrae ſcripturae loquutionibus, quae imperitis & indoctis parum latinae videntur*, quam cum aliis eiusdem auctoris haud ita pridem recudi curauit vir clariſſimus IO. ERHARD KAPPIVS; habet namque haec verſio ſuum in explicanda ſcriptura ſacra vſum, vt ſuo loco docebitur; ob latinitatem eam legendam, vel, cum melius elegantiusque aliquid exprimere poſſum, eam tunc praeferendam, non exiſtimo. Sed, quidquid eius ſit; nota tamen nobis debet eſſe latinitas eccleſiaſtica, quae & in verſione iſta, & in patrum ſcriptis occurrit, ſi vel maxime eam non imitemur; cum ex eius ignorantia peruerſus ſaepius falſusque veteribus tribui ſenſus queat; vnde rurſus grauiſſimi ſubinde oriuntur errores. Patebit hoc luculentius ex iis, quae ſuo loco de theologia patriſtica dicentur. Optandum foret, vt quis ex inſtituto in patrum latinitatem peculiari commentatione inquireret; quod, quantum mihi conſtat, huc vsque factum non eſt.

§. IV. Nec ſufficit, linguam latinam eo vsque callere, vt eruditorum hominum monumenta, librosque ea conſcriptos, legere & intelligere queamus; ſed vſus quoque eius comparandus, vt promte, pure, & eleganter animi noſtri ſenſus, ſiue loquendum, ſiue litteris aliquid conſignandum ſit, ea exprimere liceat. *

* Theologiae cultori neceſſariam eſſe linguae latinae notitiam, eamque haud vulgarem, ſed exquiſitam, vt veterum intelligere poſſit monumenta; antea demonſtrauimus. Vlterius nunc progredimur, eiusque etiam vſum, tum in loquendo, tum maxime etiam in ſcribendo, commendamus. Non una equidem de latini ſermonis, ſi vſum eius ſpectes, neceſſitate, virorum doctorum eſt ſententia; nec ſemel ſed ſaepius hac de re fuit diſceptatum. Vix graecae latinaeque litterae ex tenebris, quibus huc vsque velut conſepultae iacuerant, iterum emerſerant, cum in ipſa Italia, acerrima inter viros doctiſſimos contentio oriretur, num latina potius, an hetruſca lingua, in libris, poſteritatis calculum ac ſuffragium relaturis, vtendum eſſet? Erant quidem, qui, vtriusque linguae ſtudium coniungendum, cen-

ſebant, vt IO. CASA, PETR. BEMBVS, COELIVS CALCAGNINVS, aliique; ſed pauciores illi, ſi cum iis compararentur, qui aut pro italica, aut latina lingua pugnabant. Italicam namque, ſpeciatim hetruſcam, quae poſt fata PETRARCHAE, DANTIS, & BOCCATII, ſpreta quodammodo & derelicta fuerat, reuocare iterum, & ad priſtinam euehere dignitatem, conati ſunt PAVL. BENIVS, FRANC. ALVNNVS, ARIOSTVS, TASSVS, aliique; ne quid de CASA, & BEMBO, dicam, qui, vtramque linguam, vt antea diximus, coniungendam, putabant. Sed hiſce omnibus magno animo, ſummiſque viribus ſe opponebant, MVRETVS, MANVTIVS, ROMVL. AMASAEVS, aliique, cum primis HVBERT. FOLIETA, latinumque ſermonem linguae hetruſcae multis modis praeferebant, eoque ſolo, quod aetatem laturum eſſet, ſcribendum contendebant. Et HVBERTI quidem huius FOLIETAE libellum elegantiſſimum de *linguae latinae vſu & praeſtantia*, notis quibusdam illuſtratum, haud ita pridem recudi curauit, eique diſſertationem lectu digniſſimam, de *linguae latinae cultura & neceſſitate*, praemiſit, vir eruditiſſimus, & inſigne hodie Helmſtadienſis academiae decus, IO. LAVRENT. MOSHEIM, Hamburgi an. 1723. 8. Idem quoque vir clariſſimus de hocce doctorum virorum in Italia certamine agit, tum in *praefatione*, iam laudata, §. *XIII. p. 31. ſeqq.* tum in *adnotationibus ad Folietam*, *p. 82. ſeqq.* & in priori quidem loco, apud alias quoque gentes eamdem motam quandoque controuerſiam obſeruat. In Gallis namque IOAN. LABOVRERIVM exſtitiſſe, qui linguae ſuae prae latina praerogatiuas peculiari libello, a SAMVELE SORBERIO edito, explicare ſtuduerit, contra quem SLVSIVS, mathematicus percelebris, idemque latine doctiſſimus, duabus epiſtolis gloriam latini ſermonis adſeruerit. Addit deinde: *Hodie, vti dixi, praecipuae Europae gentes, dum ſua patriis commendant litteris, haud eſſe neceſſarium, latina lingua vti, adfirmant. Quarum exemplo Germanorum plurimi in eam prope ſententiam inciderunt, vt germanice ſcribere, glorioſum putent, eosque, qui latino ſermoni nuntium mitti poſſe negant, in hoſtibus patriae, aut certe nugarum & adulterinae eruditionis patronis habendos eſſe, ducunt.* Recte vero etiam monet, eos, qui hiſce conatibus ſe opponunt, haud raro in alterum procurrere extremum, aut eiusmodi pugnare rationibus, quae riſum potius excitare aptae ſint, quam vt alios in illorum pertrahant ſententiam. FRIDER. TAVBMANNI, & BERNARDI ALDRETE Hiſpani hoc probat exemplo, quorum ille, latinae potiſſimum linguae beneficio, ſalutem imperii romano-germanici contineri, ſerio grauiterque diſputauit; hic autem Romanorum ſermonem, *labium* illud *electum* eſſe, pronuntiauit, quod Deus interprete SOPHONIA cunctis terrarum orbis nationibus promiſerit. Addere potuiſſet MELCH. INCHOFERVM, cuius *hiſtoriam ſacrae latinitatis* antea commemorauimus, & de quo ipſemet, in *adnotationibus ad Folietam*, *p. 117.* obſeruat, eo temeritatis illum proceſſiſſe, vt, ipſum ſeruatorem ſaepius latine loquutum, adſeuerare non dubitaret, hac maxime de cauſſa, quod veri ſimile ſit, eum legibus Romanis, quae ſermonis latini vſum imperabant, paruiſſe. Nemo autem forte melius, maiorique ſermonis elegantia, linguae latinae cauſſam egit, quam ipſe HVBERT. FOLIETA, qui viro doctiſſimo iſta commentandi occaſionem praebuit. Praecipuum certe, quod illi opponi poterat, argumentum, non omnia, quae hodie in vſu ſunt, verbis latinis, iisque puris, & apud veteres Romanos vſitatis, exprimi poſſe, ita diluit, vt copioſe, multisque rationibus oſtendat, licere nobis quandoque noua vocabula, no-

itaque rerum nomina, in latinum ſermonem inducere; *p. 150. ſeqq.* Sed multa quoque alia recte, & eleganter de latina lingua monet, quae legiſſe, poenitebit neminem. Ad theologos ſi quaeſtio, de qua hactenus dictum, transferatur; diſpiciendum, quemnam in ſcribendo ſibi conſtitutum habeant finem? Ea enim ſi ſcribant, ex quibus etiam homines plebeii, & litterarum rudes capere fructum poſſunt, recte faciunt, ſi lingua vernacula vtantur. Sin talia litteris conſignent, quae ſcire tantum eruditorum refert, aut omnino hi tantum intelligere poſſunt; linguam latinam praeferendam exiſtimo. Ad plures namque tum commodum aliquod inde redundare poteſt, cum latini ſermonis vſus latius pateat, & ſcripta noſtra ab iis, qui linguae, quae nobis vernacula eſt, rudes ſunt, legi poſſint.

Non dubito, quin pleroſque mecum habeam conſentientes, ſi velimus, noſtra ab exteris quoque legi, ſermone latino vtendum eſſe. An vero de eius cultu, nitore, elegantia, theologo multum laborandum ſit? de eo ſi dicere ſententiam iubeantur, in diuerſas forte ibunt partes. Sed recte nobis conſulemus, ſi duo, quae hic ſe offerunt, extrema, ceu ſcopulos quosdam, caute euitemus. Alterum illorum eſt, qui circa voces quasdam formulasque loquendi, nimis curioſi, aut, ſi mauis, ſuperſtitioſi, vocabula quaeuis peregrina, etſi iam dudum in eccleſia ſcholisque theologorum recepta, faſtidiunt; ſimulque oſtendunt, non ipſam rerum veritatem, immo nec religionem, aut pietatem ſibi curae eſſe, modo Latinorum more loquantur. Alterum vero illorum, qui rebus ipſis ita intenti ſunt, vt ſermonis nullam habeant rationem, corrupto & inquinato dictionis genere omnia, quae dicunt, aut ſcribunt, polluentes, immo ipſam ſcholaſticorum, iam pridem damnatam, poſtlimino reuocantes barbariem. Ad prius quod attinet, fuiſſe olim in Italia, quamuis & alibi, conſtat, qui vnicum CICERONEM ita ſibi imitandum proponerent, vt latum ab eo diſcedere vnguem, vel voce alia, aut aliter, quam ipſe vſus ſit, vti, ſibi religioni ducerent. PETR. BEMBVM, IAC. SADOLETVM, PAVL. MANVTIVM, AONIVM PALEARIVM, PAVL. CORTESIVM, itemque CHRISTOPH. LONGOLIVM, & MARIVM NIZOLIVM, magnos ceteroquin praeſtantiſſimosque viros, in ea fuiſſe haereſi, notum eſt. Immo tantus quosdam occupauit furor, vt exiſtimauerint, maius eſſe probrum, Ciceronianum non eſſe, quam non eſſe chriſtianum. LAZARVM BONAMICVM tanto Ciceronis flagraſſe amore memorant, vt dicere conſueuerit, *ſe magis velle loqui vt Cicero, quam eſſe pontificem Romanum.* SEBASTIANVS quoque CASTALIO paſſim hoc nomine vapulat, quod in verſione ſua ſcripturae ſacrae latina de ſermonis latini puritate & elegantia ita fuerit ſollicitus, vt maieſtati & auctoritati diuinarum litterarum plurimum detraxerit. Vnde & PETR. DAN. HVETIVS eam verſionem *intemperantiſſimam* vocat, vitiumque *faſtidioſae venuſtatis*, *nimiamque* ei exprobrat *curam*; de *claris interpretibus, p. 190.* Longe plura adhuc addere poſſem, vt demonſtrarem, quam ſaepe viri, cetera praeſtantiſſimi, per nimium latinitatis ſtudium, in deuia prolapſi ſint; niſi diligenter cuncta, quae hac de re dici poſſunt, iam conlegiſſet DAN. FRID. IANVS, in *diſſertatione*, *de nimio latinitatis ſtudio*, quae cum eiusdem *commentario, de doctoribus vmbraticis,* Vitembergae lucem adſpexit, anno 1720. Fuerunt tamen etiam inter ipſos meliorum litterarum antiſtites, qui iſtam quorumdam in latinitatis ſtudio intemperantiam reprehenderent & caſtigarent. In his ANGELVS POLITIANVS eſt, qui in epiſtola ad PAVLVM CORTESIVM, quae *lib. IX. epiſtolarum* eius *num. XVI. p. m. 307. ſeqq.* exſtat,

ſtat, teſtatur, ſe ineptos iſtos Ciceronis imitatores laudare non poſſe. *Non enim*, inquit, *probare ſoles, vt accepi, niſi qui lineamenta Ciceronis effingat. Mihi vero longe honeſtior tauri facies, aut item leonis, quam ſimiae videtur, quae tamen homini ſimilior eſt. Nec ii, qui principatum tenuiſſe creduntur eloquentiae, ſimiles inter ſe, quod Seneca prodidit. Ridentur a Quintiliano, qui ſe germanos Ciceronis putabant eſſe, quod his verbis periodum clauderent: eſſe videantur.* Quid CORTESIVS ad haec reſponderit, ex eius epiſtola, quae ibidem *num. XVII.* exſtat, intelligere licet. Eamdem iſtorum hominum, nihil, quod Ciceronianum non eſſet, adprobantium, ſuperſtitionem perſtrinxit DESID. ERASMVS Roterodamenſis, in *Ciceroniano* ſuo, HENR. STEPHANVS, in *pſeudo-Cicerone*, FRID. TAVBMANNVS, in *diſſ. de lingua latina*, aliique. Ego ſane, Ciceronem reliquis omnibus multum praeferendum, exiſtimo, eo, quod in omni dictionis genere longe ſit praeſtantiſſimus; cumprimis ſcripta eius dogmatica diligentiſſime a theologiae cultoribus legenda, cenſeo, non tantum ob rerum, cognitu vtilium, quae in iis occurrunt, abundantiam, ſed & quod ſtilo dogmatico, quo theologis ſaepiſſime vtendum, formando egregie inſeruiant. Nec vnico tamen Ciceroni inhaerendum, puto, quod multi tanta animi contentione faciunt, vt ſtatim, quod eius verbis formuliſque non conuenit, reiiciant. Quin rerum ipſarum, in theologiae praecipue ſtudio, habenda eſt ratio, & ſermonis puritati & elegantiae ita ſtudendum, vt ſemper, quid illarum aut poſtulet, aut permittat cognitio, diligenter diſpiciamus. Nec vero & illos laudare poſſum, qui, ad alterum extremum procurrentes, ſermoniſque cura abiecta, barbariem atque ſqualorem poſtliminio reducunt. Scholaſticorum equidem ſermonem rudem & plane barbarum defendere olim adgreſſus eſt, ſi modo ſerio id egit, IO. PICVS MIRANDVLA, in epiſtola ad HERMOLAVM BARBARVM, in *epiſtolis Angeli Politiani, lib. IX. num. IV. p. 328. ſeqq.* Sed aliter BARBARVS ſentit, cuius epiſtola ibidem exſtat, *num. III. p. 324. ſeqq.* & altera, qua ad epiſtolam IO. PICI MIRANDVLAE reſpondet, *num. V. p. 344. ſeqq.* Et in poſteriori hacce eleganter, *ſed vt ea mihi res & feſtiuior, & iucundior*, inquit, *eueniret, homo lepidiſſimus, humaniſſimus, latiniſſimus, barbaros contra Barbarum defendis, vt hoſtis pro hoſte, ſocius contra ſocium, ipſe contra te ipſum ſtare, patrocinarique ſimulares. Illud ſane plurimum me delectat, quod ſub ſpecie defenſionis exitialiter iugulas, quos defendis. Primum quod hoſtes eloquentiae tueri ſe, niſi per eloquentes viros, non poſſunt, quaſi mancipia, quaſi bruta; deinde quod ſi te patrono, te vindice, te aduocato, non elabantur, neque colluctari, neque tergiuerſari praeterea poterunt.* Ad rem ipſam quod attinet, nullam ego rationem video, cur theologi quoque puro & emendato ſermonis genere vti nequeant; quin, cur debeant, plures video. Si quis ita ſentiat, putetque, theologis inquinatum barbarumque ſermonem conuenire; eum ſuae ſententiae proferre rationem ſolidam & praegnantem oportet; quod vti hactenus factum eſt a nemine, ita nec fieri poteſt. Quidquid enim de rebus grauiſſimis maximique momenti, in theologorum ſcholis, dicitur; id emendato puroque ſermonis genere efferri poſſe, experientia docet. Recte GVIL. BVDAEVS: *Quid autem vetet, elegantem ſimul & pietatis redolentem orationem eſſe, prorſus ipſe non video, praeter praue conſuetudinis corruptelam, quae oculis noſtris auribuſque ita obrepſit, vt eloquentiae dignitatem ineſſe, & poeticae concinnitatem non poſſe, ſine bacchabundae impuritatis, diraeque genio, exiſtimemus*; de *ſtudio litterarum recte inſtituendo, §. XXXV. p. 41.* ex edit.

edit. THOMAE CRENII; vbi plura hanc in rem diſſerit. Vt autem nulla eſt, quae obſtet, ratio, quo minus in theologorum ſcriptis ſermonis puritati ac nitori locus concedatur; ita plures eſſe, quae id, ſi non iubeant, certe ſuadeant, oſtendi facili negotio poteſt. Sed id iterum prius repetendum, nimiam hic nos abeſſe velle ſuperſtitionem, & ita exiſtimare, voces quaſdam, in eccleſia, aut theologorum ſcholis dudum receptas, quibus res ipſae commode & concinne exprimi poſſunt, puritati ſermonis non obeſſe, etiamſi apud CICERONEM, aut alios ſcriptores veteres, non occurrant. Monendum etiam, ſermonem non eſſe de rhetorum floſculis, aut ornamentis ſuperfluis, quibus mollis potius & effoeminatus ſermo redditur; tantum abeſt, vt verum decus ac ornamentum ei concilietur. Talia procul abeſſe potius volumus, quam vt ea commendemus. Praecipuum ſermonis latini decus in perſpicuitate & proprietate conſiſtere, recte viris doctis obſeruatum eſt. Iſtas vero virtutes a ſermone, quo theologi vtuntur, recte abeſſe, quis ſibi perſuadeat? Cum enim in omni ſermone id nobis conſtitutum ſit, certe eſſe debeat, vt alii mentis noſtrae cogitata recte percipiant; multo magis theologis hoc agendum, quippe qui maximi momenti res tractant, in quibus ſaepe ſine aeternae ſalutis periculo errare non licet. Hoc autem ſine perſpicuitate & proprietate ſermonis nemo obtinebit, vti rurſus ad haſce linguae latinae virtutes fruſtra quis adſpirauerit, niſi ex optimae notae ſcriptoribus antiquis genium indolemque illius linguae perſpexerit, eosque diligenter & aſſidue imitando, eadem, qua illi, ratione animi ſui exprimere ſenſus didicerit. Quis porro non lubentius librum legeret, in quo plana, perſpicuaque ſunt omnia, quiue ſermonis puritate ac elegantia animum demulcet, quam qui obſcuritate & barbarie nos deterret, ſemperque anxios dubiosque tenet, an recte auctoris adſequamur mentem? Sed plura non addo, cum copioſiſſime pariter, ac elegantiſſime cuncta, quae hac de re dici poſſunt, iam exhauſerit vir eruditiſſimus, anteaque nobis iam laudatus IOAN. LAVR. MOSHEIM, in *diſſertatione, de linguae latinae cultura & neceſſitate*, quam HVBERT. FOLIETAE libello, de *linguae latinae vſu & praeſtantia*, cum praemiſiſſe, ſupra diximus.

Cum eccleſiae emendatio, ſignum ad bene ſperandum tollente B. MART. LVTHERO, ſuſciperetur; exploſa ſcholaſticorum barbarie, priſtinus ſermonis cultus in theologia quoque reuocari coepit. Et PHILIPPVM quidem MELANCHTHONEM, qui cum theologia elegantiorum litterarum culturam coniungebat, ſermonis genere plano, facili & puro, in omnibus ſcriptis ſuis, vſum, conſtat. Idem inſtitutum ſequebantur, qui ex ſchola eius prodierunt, DAVID CHYTRAEVS, MART. CHEMNITIVS, VICTOR. STRIGELIVS, aliique; in quorum ſermone praeter perſpicuitatem, etiam nitorem aliquem atque elegantiam obſeruare licet; vt facile intelligas, non hoſpitem plane ex veterum lectione eos retuliſſe animum. Cum vero deinceps nonnulli, Ieſuitarum exemplo inducti, ſcholaſticorum, docendi theologiam, rationem poſtliminio reuocarent, (vt ſuo loco ex inſtituto docebimus) & vocibus, ex metaphyſicorum ſcholis petitis, cuncta implerent; parum abfuit, quin noua quaedam barbaries, quam vix a ceruicibus noſtris depuleramus, theologorum ſcholas occuparet. Quod cum alii perſpicerent, ad meliorem tandem redierunt mentem; eaque adeo noſtra aetate hinc inde obtinet theologiam tractandi ratio, quae paullo propius ad exemplum primorum emendationis eccleſiae auctorum accedit. Inter reformatae eccleſiae theologos itidem fuiſſe, qui latini ſermonis elegantiam cum theologia coniungerent, vel IO. CALVINI exem-

exemplo conſtat, quem magnam hac in re ab omnibus retuliſſe laudem, notum eſt. Ad romanenſes quod attinet, Ieſuitae quidem non eloquentiae modo, ſed latinitatis reſtitutae gloriam ſibi propriam eſſe voluerunt; ſaltem hoc prae ſe tulerunt, imperitorumque hominum oculis obiecerunt caliginem, vt hoc ſibi perſuaderi paterentur. Sed, ſi paucos quosdam ex iis excipias, reliquos eloquentiae & latinitatis corruptores potius, quam adſertores eſſe, doctorum hominum iam pridem iudicium fuit. Teſtem excito, quem recuſare non poterunt, ALBERTVM DE ALBERTIS, ipſummet Ieſuitam, qui ordinis ſui homines hoc nomine acriter perſtringit, in *theſauro eloquentiae ſacrae & profanae, ſaluti & incolumitati rerum publicarum vtiliſſimae, enato ex actione contra eiusdem nitoris corruptores &c.* Coloniae an. 1669 edito. PETRVS quoque DANIEL HVETIVS, ſtilum Ieſuitarum nimis declamatorium eſſe, obſeruat, ipſumque DION. PETAVIVM, cui ceteroquin principem inter Ieſuitas tribuo locum, huius vitii non eſſe expertem; in *Huetianis, num. XXVII. p. 70. ſeqq.* Quod ſupereſt, vt de auctoribus, ex quibus linguae latinae adcuratior notitia hauriri poteſt, deque adminiculis, ad eam comparandam neceſſariis, agamus, huius loci non eſt. Conſulat, qui talia ſcire auet, IO. GE. WALCHII *hiſtoriam criticam linguae latinae*, vbi & de auctoribus, qui legendi ſunt, eorumque editionibus, & de grammaticis lexicisque, & vtrorumque vſu copioſe diſſerit. Iungere licet DAN. GE. MORHOFIVM, *polyhiſt. litter. lib. IV. cap. IX. ſeqq.* Ego hoc tantum addo, cum auctores veteres, qui ab adoleſcentibus, ad ſermonis latini nitorem inde hauriendum, leguntur, de rebus bellicis, ciuilibus, ſimilibusque, adeoque longe aliis loquantur, quam de quibus deinceps, cum ad theologiam accedunt, iis loquendum eſt; fieri aliter nequit, quam vt exiguum ex omni labore ſuo capiant fructum, & in alium velut orbem translati, cum neſciant, quo pacto, quae ſe iis offerunt, pura emendataque dictione exprimere debeant; alium iterum, eumque inquinatum ſermonem, vel inuiti adſciſcere cogantur. Statim itaque ab initio opera danda erat, vt qui latini ſermonis notitia imbuuntur, etiam ea, quae in theologia, aliisque artibus ac ſcientiis, occurrunt, recte, & ſecundum linguae iſtius indolem geniumque eloqui adſuefierent. Eoque comparata eſt *ſchola latinitatis*, iuſſu ſereniſſimi beatiſſimique principis, ERNESTI, ducis Saxoniae, cui pietas cognomen peperit, conſilio maxime & ſtudio viri illuſtris VITI LVD. SECKENDORFII adornata; inſtituto profecto ſaluberrimo, prorſusque laudabili. De quo tamen libello GOTHOFR. VOCKERODT, virum harum rerum peritiſſimum, iudicemque idoneum audire iuuat: *Qui libellus ſi limaretur diligentius, & eruditi cuiusdam viri curis poſterioribus perpoliretur, non perfectior deſideraretur adparatus vocabulorum, rebus, vel vetuſtis linguae latinae auctoribus ignoratis, vel recens inuentis, aptorum; nec deſperarent, quibus in artium vulgarium vſu poſita ſermone complectenda ſunt, haec latine exprimi & dicendo poſſe niteſcere &c.* in *diſſertat. de recta & antiqua eloquentiae, maxime latinae, ratione, corruptelis, & harum remediis,* quam praefationis loco CYR. GVNTHERI *latinitati reſtitutae* praemiſit, deinceps autem *conſultationibus, de litterarum ſtudiis recte & religioſe inſtituendis,* inſeruit *cap. IX. §. II. p. 107.* Qua in diſſertatione vir ille doctus multa recte & cordate monet, quae purioris latinitatis cultoribus vſui eſſe poſſunt.

§. V. De graecae quoque linguae neceſſitate nemo dubitauerit. Praeterquam enim, quod libri ſacri noui foederis ea conſcripti ſint, verſionisque grae-

graecae librorum veteris teſtamenti, quae vulgo ſeptuaginta interpretum vocatur, magna ſit & auctoritas & vtilitas; tot alia exſtant doctorum virorum hac lingua litteris conſignata monumenta, ingentes in omni artium & ſcientiarum genere theſauros nobis recludentia, vt vix infimum inter eruditos promereatur locum, qui graecae linguae ignorantia prohibitus, ex iis, quae ſibi vſui ſint, depromere nequit. *

* Eam graecae linguae notitiam, qua quis noui teſtamenti libros legere & intelligere queat, ab iis, qui theologiae ſtudio operantur, requiri, poſitum apud omnes eſt extra controuerſiam. Non tantum enim per adcuratam textus originalis conſiderationem, ſi verſiones, quibus utimur, recte ſe habeant, in vero ſenſu confirmamur, aut, ſi non recte ſe habeant, eas corrigere & emendare poſſumus; ſed ipſa ſingularum vocum & phraſium diligens diſcuſſio, & emphaſeon inueſtigatio, multa prorſus egregia nobis ſubminiſtrat, quibus dogmata, ad fidem & vitam ſpectantia, aut illuſtrari mirifice, aut omnino egregie ſtabiliri queunt. Neque vero hiſce finibus graecae linguae cognitio, qua theologum imbutum eſſe decet, circumſcribenda. Legendi etiam LXX interpretes, non tantum, quod ſubinde locis obſcurioribus veteris teſtamenti lucem adfundunt minime contemnendam; ſed &, quod illorum collatio cum ſcriptoribus noui teſtamenti, ad horum eo rectius intelligendum & explicandum ſtilum, plurimum confert. Legendi porro libri apocryphi veteris teſtamenti; quorum quippe non tantum in hiſtoria iſtorum temporum, ſed in explanandis quoque & inquirendis veteris eccleſiae iudaicae ſcitis, maximus, prorſusque inſignis, vſus eſt. Legendus etiam eſt FL. IOSEPHVS, eaque, qua ipſemet ſcripſit, hoc eſt, graeca lingua, legendus eſt. Etſi enim non vbique fidem mereatur, ſuoque plus, quam decet, indulgeat ingenio; nemo tamen eo in hiſtoria eccleſiaſtica veteris teſtamenti carere poterit. Quid vero de hiſtoria eccleſiaſtica noui teſtamenti? quid de patribus graecis, quorum longe maximus eſt numerus, dicam? Horum omnium ſi quis theologo minus neceſſariam exiſtimauerit notitiam; ſe, quid theologia ſit, neſcire, ſignificabit; ſin neceſſariam adfirmet, graecae quoque linguae cognitionem vberiorem, quam quae libris noui teſtamenti legendis ſufficiat, neceſſariam eſſe fateatur, neceſſe eſt. CAES. BARONIVM, *annalium* iſtorum *eccleſiaſticorum* parentem, magnum ceteroquin virum, ex graecae linguae ignorantia ſaepe lapſum, viris doctis obſeruatum eſt. Notumque eſt, eum in *martyrologio Romano*, ad *diem XXIV. Ianuarii*, *p. 48.* ex voce graeca ξυνωρὶς, id eſt *par*, neſcio quem martyrem *Xynoridem* confinxiſſe, monitum autem ab amicis PETRO PITHOEO, NIC. FABRO, FRONTONE DVCAEO, ſumma diligentia primam iſtam martyrologii editionem ſuppreſſiſſe. Legendus hac de re MARVILLAEVS *(Maruille) melange d' hiſtoire & de litterature*, *tom. II. p. 218.* Idem & NATALI ALEXANDRO obiici ſolet, nonnulla rectius in hiſtoria eccleſiaſtica eum fuiſſe traditurum, niſi graecae linguae obſtitiſſet ignorantia. In patrum ſcriptis neminem, ſine linguae iſtius peritia, recte verſari, & res ipſa docet, & ſuo loco copioſius a nobis demonſtrabitur. Supereſt tantum, vt de profanis quoque auctoribus addamus, qui lingua graeca ſcripſerunt, eorum itidem lectionem multum theologiae cultori prodeſſe, ſi modo eius rationes ferant, vt ampliſſimum huncce campum ingredi queat. Philoſophiae enim, hiſtoriarum, antiquitatis, omniſque humanae eruditionis adparatus

non aliunde rectius, quam ex hiſce fontibus, petitur. Quam neceſſaria ſit hiſtoriae philoſophicae cognitio, deinceps ex inſtituto docebimus. Ad hanc autem ſine graecae linguae cognitione nemini patere aditum, conſtat. Cumprimis vero graeco ſcriptorum noui teſtamenti ſermoni recte intelligendo egregie inſeruit collatio cum vocibus formulisque loquendi, apud profanos, eosque graecos, auctores occurrentibus, inſtituta, ſi modo recte inſtituatur. Oſtendi enim non tantum hac ratione poteſt, multa ſaepe a viris doctis pro barbariſmis haberi, quae barbariſmi non ſunt; ſed clariora etiam euidentioraque multa fient, quae ceteroquin obſcuritate quadam laborare videntur. Quare & hancce, noui teſtamenti libros explicandi, viam, viri longe doctiſſimi, IOACH. CAMERARIVS, in *notatione figurarum orationis noui teſtamenti*, SEBAST. PFOCHENIVS, in *diatribe de linguae graecae noui teſtamenti puritate*, DAN. HEINSIVS, in *ſacris exercitationibus ad nouum teſtamentum*, itemque in *ariſtarcho ſacro ad Nonni in Ioannem metaphraſin*, BALTH. STOLBERGIVS, de *barbariſmis & ſoloeciſmis graecae noui foederis dictioni falſo tributis;* porro HVGO GROTIVS, IOAN. PRICAEVS, HENR. HAMMONDVS, IO. CLERICVS, in ſuis ad *libros noui teſtamenti adnotationibus;* IO. FRID. HOMBERGK, in *parergis ſacris*, LAMB. BOS. in *exercitationibus philologicis in nouum teſtamentum*, GE. RAPHELIVS, in *adnotationibus philologicis ad nouum teſtamentum ex Xenophonte*, itemque *ex Polybio & Ariano* collectis, aliique ingreſſi ſunt. Cauendum tamen, ne & hic modum excedamus, quod nonnumquam contingere ſolet, & gentilium ſcriptorum effata ſine neceſſitate, tantum eruditionis oſtentandae cauſſa, cumulemus, aut omnino collatione perperam inſtituta, ſcripturae ſacrae plus caliginis, quam lucis adfundamus. Dicetur hac de re a nobis ex inſtituto, cum de theologia exegetica praecipiemus; interim legiſſe poenitebit neminem, quae IO. LAVR. MOSHEIM monet in *cogitationibus de eo, quod iuſtum eſt, circa ſacrarum litterarum ex graecis & latinis ſcriptoribus interpretationem & emendationem;* quae in *obſeruationum* eius *ſacrarum & hiſtoricarum libro primo*, Amſtaelodami 1721, 8. edito, exſtant, *p. 1. ſqq.* itemque vir clariſſimus IO. IAC. RAMBACHIVS, in *inſtitutionibus hermeneuticae ſacrae variis obſeruationibus &c. illuſtratis, lib. III. c. VII. §. VI. p. 577. ſeqq.*

Poſſet equidem aliquis exiſtimare, ſi quis ad vſum criticum aut philologicum ſcriptores graecos legere velit, illi eos omnino in ea, qua ſcripſerunt, legendos eſſe lingua; at, qui, quae ad hiſtoriam aut dogmata ſpectant, inde haurire velit, illi de graeca lingua non adeo laborandum eſſe; cum plerorumque verſiones exſtent latinae longe praeſtantiſſimae. Sed & hoſce magnopere falli, longe eſt certiſſimum; cum nulla temere exſtet verſio, in qua non aliquid ſit deſiderandum; plurimae etiam ita comparatae ſint, vt nihil minus, quam verum auctoris ſemper inde haurire liceat ſenſum. Hoc vel EVSEBII, qui primum principemque inter veteres hiſtoriae eccleſiaſticae ſcriptores tenet locum, comprobari exemplo poteſt, in cuius quid deſiderandum ſit verſionibus THOMAS ITTIGIVS indicat in *ſelectis capitib. hiſtor. eccleſiaſt. ſaeculi II. praefat. §. III. p. 3.* item *§. XII. p. 14.* Fuerunt rurſus viri docti, qui, graecos auctores ſine omni verſione legendos, contenderent, verſiones iſtas, ſeu interpretationes latinas inter cauſſas, cur graecae litterae contemnantur, haud vltimum tenere locum, arbitrantes. Quorum tamen neutiquam calculo ſuo comprobat ſententiam IO. CLERICVS. De *ordine* enim *in legendis graecis ſcriptoribus obſeruando* verba faciens,

cum

Digitized by Google

cum monuiſſet, *non eſſe initio conandum quidquam ſine verſionis latinae ſubſidio legere*, addit: *ſcio, me loqui contra ſententiam virorum doctiſſimorum, qui interdum grauiter conqueſti ſunt, quod verſiones latinae e regione graecorum adderentur; quibus aiebant impediri, ne graeca legerentur. Sed pace tantorum virorum, multo minus legerentur graeca, ſine translationibus, quam iis additis leguntur; cum certum ſit, plerosque iis indigere, vt graeca legere poſſint. Non ſunt fingendi homines, quales non ſunt, non erunt, ſed eorum vtendum ingeniis, prout ſunt. Neſcio etiam, annon & odioſus quidam faſtus, ac inuidia erga alios parum laudabilis, eas querelas illis ſuggeſſerint. Dum enim ſe verſionibus nequaquam egere, aiunt, & a lectione veterum eos remotos volunt, qui iis indigent; ſe aliis multum antiſtare gloriantur, & ſibi ſolis eruditionis ſuae fontes patere cupiunt, &c. art. critic. part. I. cap. III. §. III. p. 85. 86.* Quae, mea quidem ſententia, recte ſe habent. Et ita graecae linguae & neceſſitatem & vtilitatem abunde demonſtrauimus, quam & magna facundia commendat PETRVS FRANCIVS, vir doctiſſimus, in oratione *de vſu & praeſtantia linguae graecae*, quae inter *orationes* eius, iunctim editas, *quinta* eſt, *p. 200. ſqq.* Quae in eius laudem dici poterant, ſummatim ita complectitur: *Eſt enim lingua graecanica reliquarum non tantummodo praeſtantiſſima, ſed & aliarum omnium, europaearum certe, parens quaedam clariſſima, vnica ad ſolidam eruditionem via, artium denique ac diſciplinarum omnium fulcrum & fundamentum. Vbi illa viget, vigent & ſtudia; vbi illa iacet, merae ſunt tenebrae, & vna cum illa iacent atque exſulant litterae; p. 108.* Hinc cum nonnulla, ad hiſtoriam linguae huius ſpectantia, tradidiſſet, & quo pacto per eam & cum ea artes & ſcientiae propagatae ſint, oſtendiſſet; vſum eius ac neceſſitatem, tum in arte medica, tum in iurisprudentia & theologia demonſtrat. Duplex tamen hominum genus eſſe, dicit, quod litteras linguamque graecam, ſi non negligat atque contemnat, eo certe in pretio, quo habere hoc ſtudium par ſit, non habeat; *quorum alterum*, inquit, *nimis eſt philoſophantium, nimis ebraizantium alterum. Neutrum*, ita pergit, *culpo, ſi cum modo, neutrum probo, ſi nimium. Habeat ſuas virtutes philoſophia, ſed habeat ſibi; ne ſit ſcripturae interpres, ne peruertat ac confundat omnia. Quo enim immoderata illa & luxurioſa, quae obtinet iam multis ab annis, philoſophandi licentia, niſi vt diſciplinarum ac rerum omnium confuſionem inducat, & merum chaos? &c. Alterum genus hominum eſt longe minus noxium quidem & damnoſum; ſed fugiendum tamen, & a recta via, niſi ego aberrem, deuium, eorum ſcilicet, qui ſacrarum litterarum intelligentiam non tam ex Ebraeorum lingua, quod ſanum, & rectum, & omnibus imitandum, quam e Iudaeorum ſcriptis, rabbinicis illis & talmudicis, hauriri volunt. Nec hoc ſtudium reprehendo vniuerſum. Habent & illa ſuos vſus, & ad ritus & antiquitates Ebraeorum intelligendas non minimum conferunt. Eos culpo, qui in hoc coeno volutantur per vitam omnem, qui ex ſolis rabbinis ſcripturae ſenſum petunt; qui, neglectis latinis & graecis litteris, ſolis ebraeis operam dicant; his ſolis attendi iubent &c. p. 127.* Fuerunt vero & alii, qui de neceſſitate & vtilitate linguae graecae commentati ſunt, quos DAN. GE. MORHOFIVS indicat, *polyhiſt. litter. lib. IV. c. VI. §. I. p. 59.* Quibus adhuc addere licet MICHAELIS ROSSAL orationem de *praeſtantia linguae graecae ad artium, quibus liberales doctrinae continentur, cognitionem adipiſcendam*, quae cum eiusdem *diſquiſitione de Epicteto non chriſtiano*, Groeningae lucem adſpexit, 1708, 8. GE. HENR. GOEZII, antiſtitis Lubecenſis, *principem grae-*

graece doctum, vna cum IO. CVNR. DIETERICI *duobus programmatibus, quibus reſtaurationem graecarum litterarum, auſpiciis Ioannis Reuchlini, Martini Cruſii, Michaëlis Neandri, & Laurentii Rhodomanni, olim factam deſcripſit*, vt & IO. ZWINGERI *oratione inaugurali, de barbarie ſuperiorum aliquot ſaeculorum orta ex ſupina linguae graecae ignorantia*, editum Lipſiae anno 1704 in 4to.

Ad laudem commendationemque linguae graecae iſtud maxime facit, quod nullius temere vſus tam late vmquam patuerit, quam iſtius, quodue cum ea litterarum quoque ſtudia, quocumque peruenerit, fuerint propagata. Quod tam late vſus eius ſe diffuderit, variis ex cauſſis contigit, quas inter coloniae a Graecis, iam antiquiſſimis temporibus in varia loca miſſae, haud vltimum tenent locum. Conferenda praeter auctores, qui ex inſtituto hiſtoriam graecae linguae ſcripſerunt, quos mox laudabo, quae ipſemet de hiſce coloniis in compendio dixi, in *hiſt. eccleſ. veter. teſtam. tom. II. per. II. ſect. IV. p. 742.* Accedebat deinceps Alexander magnus, qui, victricia per Aſiam vniuerſam circumferens arma, cum imperio graecam quoque linguam propagabat, ab iis, qui in diuerſis regnis, ipſa cumprimis Aegypto, illi ſuccedebant, conſeruandam, immo longius diffundendam. Licet autem deinceps Graeci, cum vniuerſa Aſia, Romanorum ſubire iugum cogerentur; cum litterarum tamen, quae apud eos florebant, ſtudiis, ipſa quoque eorum lingua ad Romanos tranſiit. Hinc cum per apoſtolos doctrina euangelii omnibus gentibus adnuntianda eſſet; graecanica lingua in ſcriptis ſuis iis vti placuit, quippe quae per magnam orbis partem vſu recepta erat. Maximum inde linguae huic acceſſit decus, quod & ad eius tum vtilitatem, tum neceſſitatem demonſtrandam, plurimum valet. Nouis deinde incrementis eius aucta eſt dignitas, cum praeſtantiſſimi eccleſiae veteris doctores eadem in monumentis ingenii ſui, ad poſteros transmittendis, vterentur. Quorum ſiue numerum ſpectes, ſiue quorumdam pretium; ingentem omnis eruditionis in iis nobis exhiberi copiam, negandum non eſt. Cum orientalium imperatorum potentia, per creſcentes in dies Saracenorum opes vireſque, magis magiſque imminueretur, arctioribusque tandem limitibus circumſcriberetur; labefactata equidem quodammodo, non tamen exſtincta prorſus apud Graecos ſunt litterarum ſtudia, quin potius ingens tum Byzantinorum ſcriptorum exortum eſt agmen, qui partim rerum ſui temporis hiſtoriam condendo, partim ſcriptores veteres commentariis ſuis illuſtrando, aliaque ratione, ingenii vires demonſtrarunt. Vrbe tandem Conſtantinopoli per Mohammedem ſecundum, an. 1453 expugnata, exſtirpatiſque in oriente litteris; viri doctiſſimi, qui ſupererant, in Italiam ſe contulerunt, cum graeca lingua artium ſimul bonarum ſtudia ibi excitaturi, nouaque luce vniuerſum perfuſuri occidentem, hinc & viam ad felicem eccleſiae emendationem praeparaturi. Hos inter eminent THEOD. GAZA, GEORGIVS Trapezuntius, BESSARION Cardinalis, MICH. APOSTOLIVS, EMAN. CHRYSOLORAS, DEMETR. CHALCOCONDYLAS, CONSTANT. LASCARIS, IOH. ANDR. LASCARIS, GE. GEMISTVS PLETHO, IOAN. ARGYROPOLVS, ANDRONICVS Theſſalonienſis, aliique quam plurimi, qui aeternum hac ratione conſequuti ſunt nominis ſui decus. Quae hunc in modum in Italia accenſa erat, per linguae graecae ſtudium, lux bonarum litterarum, mox tum ad alias gentes, tum & in Germaniam noſtram penetrauit, adnitentibus omnemque conferentibus operam, DESID. ERASMO Roterodamenſi, IO. REVCHLINO, RVDOLP. AGRICOLA, RVD. LANGIO, RICH. CROCO, PET. MOSELLANO,

PHIL.

Digitized by Google

PHIL. MELANCHTHONE, IOACH. CAMERARIO. Fuſus haec omnia, copioſiusque ediſſerunt, qui hiſtoriam graecae linguae condere adgreſſi ſunt; quos inter primo loco nobis nominandus eſt LAVRENT. INGEWALDVS ELINGIVS, Suecus, cuius *hiſtoria graecae linguae* Lipſiae an. 1691 lucem adſpexit publicam, cura & ſtudio beati ADAMI RECHENBERGII, qui & praefationem eidem praemiſit. Satis quidem concinne liber iſte ſcriptus eſt, multaque ſcitu digna complectitur. Id tamen non omnibus forte probabitur, quod §. *XV. p. 55. ſeqq.* OLAVM RVDBECKIVM, in *atlantic. c. XXXII. & XXXVIII.* ſequutus, characteres graecos a runis veterum Gothorum profluxiſſe, contendit; quia litterae Phoenicum plaeraeque nihil aliud ſint, quam runae inuerſae; & quas Phoenices vltra numerum runis reſpondentem habuerint, eas ab Ebraeis vel Chaldaeis acceperint, aut ipſi excogitauerint. In recentiori quoque linguae graecae hiſtoria cum paullo breuior ſit, multa adhuc addi poſſent. Iam ante ELINGIVM in hoc argumento ingenii vires periclitatus eſt LAVRENT. RHODOMANNVS, vir doctiſſimus, graecarumque litterarum peritiſſimus, in peculiari oratione, quae cum PET. MOSELLANI oratione, de *variarum linguarum cognitione paranda*, Ienae, an. 1634 prodiit. Idem & GVIL. BVRTONVS fecit, cuius quippe *hiſtoria graecae linguae, ſiue oratio de eiusdem linguae origine, progreſſu, atque ad ipſam ἀκμὴν incremento; de latiſſimo denique ipſius, omnibus prope ſaeculis, per vniuerſum terrarum orbem, vſu* Londini an. 1657 lucem adſpexit, recuſa deinceps in *noua librorum rariorum collectione, faſciculo quarto*, qui Halae anno 1715 lucem adſpexit. Breuis autem licet ſit haecce *hiſtoria*, orationis modum non excedens; minime tamen contemnenda; praecipua quippe, quae hic occurrunt, momenta attingens. Cumprimis hinc, quae in Britannia graecae linguae fuerint fata, condiſcere licet, *p. 685. ſeqq.* Minoris momenti ſunt, quae de *origine & propagatione linguae graecae* IOAN. MATTH. FLORINVS commentatur, in *faſciculo exercitationum hiſtorico-philologicarum*, Francofurti an. 1707 edito; longe quippe luculentius copioſiusque ab iis, quos iam laudaui, expoſita. Recte tamen contra IO. MARSHAMVM diſputat, Cadmum non phoenicium, ſed aegyptium fuiſſe, contendentem, litterarumque adeo graecarum non ex Phoenicia, ſed Aegypto arceſſentem originem, qua de re & a me ipſo dictum, *hiſt. eccleſ. vet. teſtam. tom. I. per II. ſect. II. ad §. XVIII. p. 919. ſeqq.* Sed ad litteras Graecorum quod attinet, earumque originem, nemo adcuratius diligentiusque de iis egit, quam BERNH. DE MONTFAVCON, vir longe doctiſſimus, in *palaeographia graeca, ſiue de ortu & progreſſu litterarum graecarum,* cumprimis *lib. II. c. I. ſeqq.* Dicendum nunc eſſet de notitia ſcriptorum graecorum comparanda, itemque de adminiculis & ſubſidiis, linguae graecae addiſcendae inſeruientibus; ſed haec omnia ita occupauit vir ſummus diligentiſſimusque IOAN. ALB. FABRICIVS, vt, quod addi queat, vix inueniatur. *Bibliotheca* enim eius *graeca*, cuius hactenus duodecim prodierunt volumina, non tantum omnes cuiuscumque generis ſcriptores graecos magno ſtudio recenſet, ſed ſimul ingentem velut theſaurum omnis eruditionis exhibet. Et de iis quidem, qui *grammaticas* linguae graecae ſcripſerunt, tum veteribus, ipſis etiam Graecis, tum recentioribus, idem agit *lib. V. c. VII.* de quibus tamen & DAN. GE. MORHOFIVM conferre iuuabit, *polyhiſt. litter. lib. IV. c. VI. p. 58. ſeqq.* Porro *lexicorum & gloſſariorum* notitiam idem FABRICIVS ſuppeditat, tum peculiari *diatribe de lexicis graecis*, tum *biblioth. graecae lib. V. c. XXXV. p. 540. ſeqq.* Exſtat vero etiam IO. HENR.

BOECLERI, de *lexicis veterum Graecorum ex Photio potiſſimum ſchediaſma*, in *adpendice ad diſſertationes* eius *academicas*, Argentorati 1658, 8. iunctim editas; de quibus itidem & DAN. GEORGIVS MORHOFIVS conferendus, *polyhiſt. litter. lib. IV. c. VII. & VIII. p. 77. ſeqq.* De dialectis Graecorum, ſcriptoribusque, qui de iis egerunt, FABRICIVS itidem erudite verba facit, *biblioth. graec. lib. IV. c. XXXIV. p. 513. ſeq.* recentiores etiam, qui de iis ſcripſerunt, indicat *lib. V. c. VII. p. 75.* Si quis vero in compendio praecipuos quosdam veterum ſcriptorum graecorum noſſe cupit; illi adeundum *compendium bibliothecae graecae ex praelectionibus Vindingianis compoſitum*, editumque a LAVRENTIO LVNDIO, Haffniae an. 1704 in 8. De lingua Graecorum hodierna, quam *barbaro-graecam* vel *graeco-barbaram* vocant, vt hoc vnicum adhuc moneam; legenda omnino IO. MICH. LANGII, viri doctiſſimi, *philologia barbaro-graeca*; cuius pars prior Norimbergae an. 1708 edita, continet *meletemata de origine, progreſſu, & variis fatis linguae graecae, tam veteris, quam hodiernae, ſiue vulgaris* ῥωμαϊκῆς; addenda omnino iis ſcriptis, in quibus hiſtoria graecae linguae panditur, quae antea commemorauimus; item *grammaticae barbaro-graecae ſynopſin*, cuiusmodi etiam IO. TRIBBECHOVIVS dedit, Ienae an. 1705 in 8. & denique *gloſſarii barbaro-graeci compendium*; quo tamen plenius eſt CAR. DV FRESNE DOMINI DV CANGE *gloſſarium mediae & infimae graecitatis*, quod Lugduni an. 1688 fol. prodiit. Pars autem poſterior operis Langiani, quae ante priorem an. 1707 Altdorffii lucem adſpexit, *introductionem* continet *ad poeſin barbaro-graecam, batrachomyomachiam Homeri, a Demetrio Zeno, Zazynthio in verſus barbaro-graecos conuerſam, cum interpretatione latina & adnotationibus Martini Cruſii*; porro *diſſertationem de verſione noui teſtamenti barbaro-graeca*, & denique *exercitationem de differentia linguae Graecorum veteris & nouae, ſiue barbaro-graecae.* ALEXANDER equidem HELLADIVS, homo graecus, contendit, linguam, qua hodie Graeci vtuntur, a veteri non aliter differre, quam ruſticorum in Germania, ab illa, quae hominibus cultioribus propria eſt; hinc & ſcriptores noui teſtamenti ſine vlla verſione ab hominibus plebeiis in Graecia intelligi; in *ſtatu praeſenti eccleſiae graecae, c. VI. p. 68. ſeqq.* Vehementer itaque illis, qui nouum teſtamentum in linguam graeco-barbaram, ſeu eam, quae hodie apud Graecos in vſu eſt, transtulerunt, iraſcitur. Immo eiusmodi interpretationes *non minus ſuperuacaneas, quam ridiculas eſſe*, pronuntiat *l. c. c. IX. p. 133.* Sed rationibus eius abunde ſatisfecit vir clariſſimus IO. MATT. GESNERVS, in commentatione de *eruditione Graecorum, qui hodie viuunt*, quae exſtat *miſcellaneorum Lipſienſium tom. II. p. 398. ſeqq.*

§. VI. Idem & de lingua ebraea cenſendum, qua veteris teſtamenti libri conſignati ſunt, cuiusue adeo notitia adcuratiori nemo carebit, niſi qui in tenebris oberrare, & in maximi momenti rebus, alienis vti oculis velit. * Exſtat praeterea ingens ſcriptorum iudaicorum numerus, qui ebraea lingua corrupta, ſeu rabbinica, quam vocant, vtuntur; ex quibus quandoque tum in aliis, tum & in ſcripturae ſacrae interpretatione, iis maxime, quae ad gentis huius ritus & antiquitates ſpectant, lucem quamdam capere licet. ** Ad reliquas linguas, quas *orientales* vocant, quod attinet, quilibet, quid ſcopi, quem ſibi conſtitutum in litterarum ſtudiis habet, ratio, quid-

ue

ue ingenii vires, & quae alia ſunt eiusdem generis, permittant, diſpicere debet. * *

* Linguae ebraeae notitiam theologo non modo vtilem, ſed omnino neceſſariam eſſe, plurimi equidem demonſtrarunt; nemo tamen aut copioſius aut elegantius, mea quidem ſententia, id fecit, quam ANDR. HYPERIVS, *de theologo, ſeu de ratione ſtudii theologici, lib. I. c. IX. p. 65. ſeqq.* Tria vero eſſe, exiſtimat, quae theologiae cultores ad linguae eberaeae ſtudium prouocare debeant. *Primum*, inquit, *eſt eius dignitas atque excellentia; alterum neceſſitas (nam magis omnino neceſſaria eſt, quam plerique ſuſpicantur) tertium facilitas.* Quae omnia ordine ediſſerit. Ex noſtratibus idem argumentum tractarunt, MATTHIAS FLACIVS Illyricus, in *adhortat. ad ſtudium linguae ebraeae*, quae in *claue ſcripturae, part. II.* exſtat; SALOMO GLASSIVS, in *oratione de neceſſitate & vtilitate linguae ebraeae*, quam *grammaticae ſacrae* ſubiunxit; THEOD. HACKSPANIVS, in *oratione de vtilitate philologiae in theologia*, aliiue, quos magno numero laudat AVG. PFEIFFERVS, *crit. ſacrae c. III. ſect. II. quaeſt. XIV. p. 97.* Addendus his VAL. ERN. LOESCHERVS, de *cauſſis linguae ebraeae lib. III. c. VI. p. 471. ſeqq.* vbi linguam hancce ob *ſimplicitatem, opulentiam, elegantiam, ſapientiam,* commendat, aliosque adhuc, qui eamdem laudarunt, §. *V. p. 475.* adducit. Iungendi &, qui de linguae ebraeae antiquitate, vtilitate, dignitate & praeſtantia commentati ſunt, laudati IO. CHRISTOPH. WOLFIO, *bibliotb. ebr. part. II. p. 622.* Nec tamen etiam, ne quid diffiteamur, defuerunt, qui non eadem, de lingua hacce, exiſtimarunt ratione, idque diuerſas iterum ob cauſſas. Romanenſes in textum pariter, ac linguam ipſam ebraeam, iniquiores eſſe, mirum non eſt; cum illorum maximopere interſit, ſcripturae ſacrae, cumprimis textus originalis, labefactari auctoritatem, vt & traditionibus ianuam aperiant, & verſioni vulgatae eo maiorem concilient fidem; quamuis nec inter eos deſint, qui linguae ebraeae graecaeque ſtudium valde commendent, quod & LVD. ELLIES DV PIN facit, in *methodo ſtudii theologici, c. III. p. 54. & c. VIII. p. 99.* IO. MORINVS, vt *pentateuchum* ſuum *ſamaritanum* cunctis obtruderet, ad labefactandam codicis ebraei integritatem auctoritatemque omnes ingenii contulit vires; hinc & linguam ſamaritanam mirum in modum extulit. ISA. VOSSIVS, vt omnia LXX interpretibus vindicat, illis omnino θεοπνευςίαν tribuens; ita textui ebraeo omnia derogat. Periiſſe linguae ebraeae intellectum & ſubſtantiam, ait, eam, quae hodie eſt, Moſi & Dauidi ignotam fore; incertam, ambiguam, mirificeque corruptam ac deprauatam eſſe; &, quae alia ſunt eiusdem generis. Hiſce nonnulli addunt omnes eos, qui faſtu quodam critico abrepti, textum ebraeum ſacri codicis non alio loco, quam ſcriptores quosuis profanos, habent. Notum eſt illud IOS. IVSTI SCALIGERI, rectius agere eos, qui id ſequantur, quod eccleſia Alexandrina nobis dedit, hoc eſt, verſionem graecam, quam ebraiſmum eccleſiae Hieroſolymitanae. Cuius auctoritate commoti CLAVD. SALMASIVS, HVGO GROTIVS, aliique, in eamdem ingreſſi ſunt ſententiam, ne ſcilicet ſapere cum vulgo viderentur. Omnes autem hoc in genere ſuperauit LVD. CAPPELLVS, linguae quondam ebraeae in academia Salmurienſi profeſſor, in *critica ſacra, ſiue de variis, quae in ſacris veteris teſtamenti libris occurrunt, lectioribus, libris ſex*, Lutetiae Pariſiorum, an. 1650 editis; quippe in qua omnes ingenii vires intendit, vt textum ebraeum in corruptionis ſuſpicionem adducat, eumque pro libidine ſua emendet; refutatus ideo a IO.

BVXTOR-

BVXTORFIO, filio, in *anticritica*, ſiue *vindiciis veritatis ebraicae*, MATT. WASMVTHO, in *vindiciis ſacrae ebraeae ſcripturae*, aliisque. Nec alienus ab hac ſententia eſt RICH. SIMON, etſi ab aliis, qui eamdem fouent, ſubinde diſſentiat, ſpeciatim ISA. VOSSIVM perſtringat, *hiſt. crit. vet. teſt. lib. II. c. IV.* hoc quidem cauſſam ſuam contra illum tuente in *reſponſionibus ad obiectiones Simonis*. Hoſce itaque omnes, ceteroſque, qui textum ebraeum non alio loco, quam quodlibet auctoris profani ſcriptum, habent, & de quibus in ſequentibus, cum de *theologia exegetica* copioſe & ex inſtituto verba facienda erunt, dicemus, inter *ebraiſmi hoſtes* refert VAL. ERN. LOESCHERVS, *de cauſſis linguae ebraeae, lib. III. c. VI. p. 471. ſeqq.* Ex eo equidem, quod quis, textum ebraeum corruptum, & ſecundum regulas artis criticae emendandum eſſe, contendit, nondum, fateor, ſequitur, vt linguam ebraeam ipſam vilipendat, aut eam, minus vtilem vel neceſſariam eſſe, exiſtimet; ſiquidem praeſtantiſſimi criticorum in graecis & latinis auctoribus emendandis quotidie verſantur, ſimul tamen vtrique graecae & latinae linguae maximum ſtatuunt pretium. Negandum tamen non eſt, eosdem, qui textus ebraei integritatem ſollicitant, ipſam plerumque linguam ebraeam, ceu incertam, ambiguam, obſcuram, traducere; dumque verſionem quamdam textui ebraeo praeferunt, aut eiusdem auctoritatis eſſe contendunt; non poteſt non inde fluere, ebraeae linguae ſtudium non adeo neceſſarium eſſe. Accedit, quod ipſi iſti heroës, qui tantopere contra linguam ebraeam, textumque originalem, pugnant, ſuam linguae iſtius haud raro oſtendant imperitiam, & ita, ſe iſtius non recte agnouiſſe & neceſſitatem, & vtilitatem, demonſtrent. Certe IO. BVXTORFIVM linguae ebraeae longe peritiorem fuiſſe, quam IO. MORINVM, & LVD. CAPPELLVM, ipſemet non diffitetur RICH. SIMON, in *epiſtolis ſelectis*, lingua gallicana ſcriptis, *(lettres choiſies) epiſt. IV. p. 14. 15.* ISA. VOSSIVM ἀνεβραϊκίας peculiari diſſertatione, in academia Wittebergenſi habita, conuicit, GERH. MEYERVS, theologus deinde Bremenſis. Nec ipſum RICH. SIMONEM tantam linguae ebraeae habuiſſe notitiam, quantam prae ſe tulit, aliis obſeruatum eſt.

Apertius linguae ebraeae neceſſitas in dubium vocata eſt, in controuerſia, quae HERM. CONRINGIO, viro cetera ſummo, cum MATT. WASMVTHO intercesſit; etſi ſimul de codicis ſacri integritate, aliisque eo ſpectantibus quaeſtionibus, fuerit diſputatum. Auctoritate nimirum AVGVSTI, ducis Brunſuicenſis & Luneburgenſis, adminiſtro IO. SAVBERTO, iuniori, ſenioris filio, circa an. 1665 conſilia, de noua ſcripturae ſacrae verſione germanica adornanda, agitabantur; eo tandem ſucceſſu, vt lucubrationes eo ſpectantes, quamquam prelo iam paratae, principis iuſſu, in bibliothecae Guelferbytanae ſcriniis abſconderentur, obſeruationibus melioris commatis, operibus SAVBERTI poſthumis, anno 1694 a IO. FABRICIO, theologo tum Altdorfino, hodie Helmſtadienſi, clariſſimo, inſertis. Legenda hac de re GVST. GE. ZELTNERI, theologi Altdorffini, *diſſertatio theologica, de nouis bibliorum verſionibus germanicis non temere vulgandis, p. 16.* Haec vero dum agebantur, inſtitutum iſtud varias ſimul, vt fieri adſolet, cenſuras & iudicia experiebatur; nonnullis in eam ſententiam inductis, cuncta fieri, ſuaſore HERM. CONRINGIO, cuius gener SAVBERTVS erat. CONRINGIVS itaque, edita an. 1666 *epiſtola gratulatoria natalis octogeſimi octaui, ad Auguſtum ducem, qua ſimul pium principis de noua ſacrae ſcripturae germanica verſione inſtitutum a ſiniſtris ſuſpicionibus ac ſuſurris vindicat*, cumprimis quidem docuit, non ſuis conſiliis, non propria voluntate, ſed aucto-

auctoritate principis, qui ipſemet has cogitationes ſuſceperit, SAVBERTVM illud opus adgreſſum; ſimul vero παράδοξα quaedam adſperſit; inter quae & illud fuit, de verſionibus ad textum ebraeum exigendis & corrigendis non adeo laborandum eſſe, cum mediocris etiam verſio, eaque in multis a textu ebraeo diſcrepans, ſufficiens ſit, vt fideles chriſtiani ad vitam aeternam deducantur, *p. 40.* Punctis etiam vocalibus, accentibusque non multum tribuit; cumprimis &, ſalutis nullum creari inde periculum, adfirmat, ſi quis vel maxime contendat, codicem ebraeum corruptum hinc inde & deprauatum eſſe. *Quandoquidem*, inquit, *ſacra ſcriptura in id praecipue diuinitus data nobis eſt mortalibus, vt nos inſtruat in fide & moribus ad vitam aeternam, ſi hactenus ſaluus ſit codex, qui in vſu eſt, ſiue authenticus ſiue verſus fuerit, ſatis eſt cautum, ſatis conſultum, ſatis proſpectum fidelium eccleſiis, in iis ſane, quae vere ſunt neceſſaria. Ad hoc autem ſufficit vtique, ſicut codex authenticus, non vndequaque integer, ita & mediocris translatio; l. c. p. 32.* Ex quibus ſatis, quaenam viri ſummi de lingua ebraea fuerit ſententia, liquet. Etenim ſi in iis, quae ad fidem vitamque, immo ad ipſam ſalutem aeternam conſequendam, ſpectant, ſufficit *codex authenticus non vndequaque integer*, immo *mediocris translatio*; quis ſibi perſuadeat, linguae ebraeae adeo vtilem neceſſariamque eſſe notitiam? Plurimi certe in eam facile ingredientur ſententiam, doctoris ſeu paſtoris in eccleſia ſe fungi munere poſſe, ſi ea tantum, quae ad fidem vitamque recte inſtituendam requiruntur, ſciant; ad quae cum & *mediocris translatio* ſufficiat, de notitia linguae ebraeae comparanda ſe non debere eſſe ſollicitos. Enimuero, cum homines plebeii vtique ex verſione quadam ea haurire queant, quae ad ſalutem ſunt neceſſaria; de doctoribus tamen, quorum eſt aliis viam ſalutis & veritatis monſtrare, paullo aliter cenſendum. Mirum itaque non eſt, CONRINGIO ſe oppoſuiſſe MATTHIAM WASMVTHVM, cuius & prae reliquis intererat, linguam ebraeam maximi fieri ab omnibus. Fecit id in programmate quodam, & quidem ſatis longo, in quo CONRINGIVM, ſuppreſſo tamen eius nomine, acriter caſtigauit; vnde illi enata occaſio edendi *vindicationem ſuorum in epiſtola gratulatoria ad ſereniſſimum quondam, nunc aeternae memoriae principem Auguſtum, de ſacro ebraeo codice dictorum ab iniquiſſimis calumniis Matthiae Waſmuthi*, Helmſtadii an. 1667. Quo in ſcripto eadem, quae in priori adſeruerat, acriter defendit. Nec aut ſibi, aut cauſſae, quam propugnandam ſuſcepit, defuit MATT. WASMVTHVS; ſiquidem mox an. 1669 *vindiciarum anti-Capell-Waltonianarum partem tertiam, ſiue anti-Conringium* &c. edidit; cui adiecta ſunt *iudicia & ſuffragia venerandorum collegiorum Theologicorum eccleſiae orthodoxae, in cauſſa ſacrae veritatis ebraeae anti-Conringiana &c.* Immo eodem an. prodiit: *Heautontimorumenos ebraeo-amaſtix, ſiue oſtenſio manifeſta conuicti in conſcientia peſſimae cauſſae anti-hebraeae, Hermanni Conringii, medico-politici Helmſtadienſis.* Nec tacuit ad haec CONRINGIVS, quin potius eodem itidem an. 1669 *actionem iniuriarum inſtitutam coram illuſtri tribunali Gottorfenſi in Matthiam Waſmuthum* in lucem emiſit publicam. Vnde, quanta animorum contentione haec controuerſia tum agitata fuerit, liquet. Qui in eadem academia Iulia vixerunt, magnamque nominis celebritatem conſequuti ſunt, theologi, CONR. HORNEIVS & GE. CALIXTVS, itidem hoc nomine male audiunt, quod linguae ebraeae tantum, quantum debebant, non ſtatuant pretium. Inter ea, quae ABR. CALOVIVS, in methodo ſtudii theologici iſtorum theologorum deſiderat, hoc quoque eſt, quod adminicula illa, quorum beneficio ſpiritum ſanctum audimus, & fon-

tes ipſos ſcripturae ſacrae deguſtare poſſumus (ebraeae linguae notitiam) vel ſemoueant, vel excludant prorſus, vel minus neceſſaria iudicent; quod a ſtudio linguae ebraeae theologiae cultores auocent, *operae pretium haud eſſe*, cenſentes, *tantum temporis & laboris grammaticae & vocabulis addiſcendis* (eum) *impendere, qui rerum ſcientiam adamet*; &,quae alia ſunt eiusdem generis, ſupra nobis iam ex *praefatione, libris duobus iſagoges* ab eo praemiſſa, obſeruata, ad *c. I. §. II.* Et GEORG. ſane CALIXTVS, cum conſilium ſtudiorum, quod RANZOVIO iuueni dederit, in *reſponſione ad Erneſtum Landgrauium Haſſiae*, & quidem in *adpendice p. 49.* exponit, *cum primum*, inquit, *accederet, totus immerſus erat ſtudiis hebraeae linguae. Ego vero monere, non videri operae pretium, quod tantum temporis & laboris, grammaticae & vocabulis addiſcendis impenderet, qui rerum ſcientiam adamaret, & ſtudium illud ad eximiam perfectionem deducturus non eſſet. Rectius itaque facturum, ſi philoſophiae, metaphyſicae, logicae, quarum plane rudis erat, certis & neceſſariis ad res recte cognoſcendas & diiudicandas praeſidiis, incumberet &c.* Alibi tamen, ſcilicet in *adparatu theolog. p. 45.* diſerte agnoſcit, linguae ebraeae & graecae notitiam propter fontes neceſſariam eſſe, vti itidem ſupra ad *c. I. §. II.* iam obſeruauimus. CONR. HORNEIVS ſcripturae ſacrae interpretem linguae graecae ac ebraeae notitia carere non poſſe, fatetur; at in controuerſiarum tractatione non adeo magnum vtriusque eſſe vſum, adſerit, *part. I. diſput. theolog. p. 51.* Qua in re haud dubie fallitur. Ne quid enim de Iudaeis dicam, quibuscum ſine exquiſita linguae ebraeae cognitione congredi non licet; in controuerſiis quoque, quae nobis cum Socinianis, romanenſibus, aliisque intercedunt, haud raro res omnis ad verum & genuinum dicti cuiusdam ſcripturae ſacrae ſenſum redit, de quo ſine linguarum originalium notitia certi quid ſtatuere non licet. Rectius GE. CALIXTVS: *Porro quum vernaculum theologi principium, vti poſtea demonſtrabimus, ſacra ſit ſcriptura; ex hoc principio apud contentioſum & ſcrupuloſum aduerſarium intrepide argumentari vix poteſt, niſi qui ipſam in ſuis fontibus, hoc eſt, ebraea & graeca lingua, quibus ſcriptores θεόπνευστοι ſpiritus ſanctus vti voluit, intelligat*; in *adparatu theolog. p. 15.* Addit deinde illud AVGVSTINI: *Latinae linguae homines & duabus aliis ad ſcripturarum diuinarum cognitionem habent opus, hebraea ſcilicet & graeca, vt ad exemplaria praecedentia recurratur, ſi quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas; lib. II. de doctrina chriſtiana, cap. XI.* Iungenda his, quae CHRISTIANVS REINECCIVS diſſerit, in *praefatione*, quam EDVARDI POCOCKII *notis miſcellaneis in portam Moſis &c.* praemiſit.

Inter eos, qui minus praeclare de lingua ebraea ſentire cenſentur, noſtra aetate refertur vir doctiſſimus IO. CLERICVS, cuius *diſſertatio de lingua ebraea* exſtat in *prolegomenis, translationi, paraphraſi, & commentario* eius in *librum geneſeos*, praemiſſa. In ea id primum ſibi euincendum ſumſit, linguam ebraicam non magis primaeuam eſſe, quam alias orientales. Qua quidem in re iam praeeuntes ſibi habuit HVG. GROTIVM, *not.* ad *lib. I. de veritat. chriſt. relig. §. XV.* IOS. SCALIGERVM, ad *Euſeb. num. MDCXII.* PET. DAN. HVETIVM, *demonſtr. euangelica, prop. IV. cap. XIII. p. 242. ſeqq.* Impugnarunt rurſus eamdem, & linguam ebraeam omnino primaeuam fuiſſe, euicerunt, IO. BVXTORFIVS, *diſſertat. de linguae ebraeae origine, & antiquitate*, quae prima eſt inter *diſſertationes* eius *philologico-theologicas*, BRIANVS WALTONVS, *proleg. III. num. III. ſeqq.* THO. HAYNE, de *cognat. & harmonia linguar. p. 20. ſeqq.* STEPH. MORINVS

NVS in *exercitationibus de lingua primaeua, exercit. I. c. VIII. ſeqq. p. 36. ſeqq.* Enimuero, vt alia taceam, vel ſolae nominum etymologiae hominum, qui ante diluuium vixerunt, quaeue Moſes ex lingua ebraea diſerte deriuat, rem extra omnem dubitationem ponunt. In quamcunque namque ſe vertant partem, qui ſecus ſentiunt; nihil ſolidi ad hoc reſpondere poſſunt. Alterum, quod IO. CLERICVS, de lingua ebraea diſſerens, adſerit, eſt, varias linguas natas ex humani generis diſperſione. Id vero ſi ita intelligatur, quod tum lingua quoq; ebraea enata ſit; ab iisdem auctoribus reiicitur, qui, linguam ebraeam primaeuam ſtatuunt, & iisdem quoque rationibus, quibus hoc probatur, refellitur. Nec omnes etiam admittunt, poſt gentium diſperſionem demum linguarum diuerſitatem ortam; ſed nonnulli potius, in ipſa linguarum confuſione nouas ſimul exſtitiſſe, contendunt. Fuſe hac de re dictum in *hiſtor. eccleſ. vet. teſtament. tom. I. per. I. ſect. II.* ad §. *IX. p. 215.* Nonnulla vir doctiſſimus hic adſumit, quae minime poſita ſunt extra controuerſiam. Tertium, quod adfirmat, eſt, Abrahamum lingua vſum chaldaica, quocum & quartum diſceptationis caput coniunctum eſt, ebraicam linguam fuiſſe cananaeam. At, ad prius quod attinet, licet iis in locis, in quibus Abraham, priusquam in Cananaeam veniret, vixit, ſequenti aetate lingua chaldaea in vſu eſſet; nondum tamen ſequitur, vt ibi tempore Abrahami, & in familia quidem Eberi, fuerit recepta. In altero capite, linguam ebraeam eamdem fuiſſe cum cananaea, conſentientes equidem, aut praeeuntes ſibi habet magni nominis viros IOS. SCALIGERVM, THOMAM ERPENIVM, PETR. DAN. HVETIVM, aliosque; neutiquam tamen hoc ita euictum eſt, vt de eo dubitare non liceat; quin ſecus ſe rem habere, ſolide demonſtrauit STEPH. MORINVS, de *lingua primaeua, exercitat. I. c. XI. p. 68. ſeqq.* Adfinitatem equidem quamdam inter linguam cananaeam & ebraeam interceſſiſſe, haud inuiti largimur; inde vero, vtramque vnam plane eamdemque fuiſſe, concludere non licet. Praecipuum autem, quod huius loci eſt, quodue quinto loco monet, hoc eſt, inopem eſſe linguam ebraeam, ambiguam, & parum ab Iſraelitis cultam fuiſſe. Nimirum linguarum omnium laudes in tribus potiſſimum rebus ſitas eſſe, obſeruat, copia dictionum & phraſium, perſpicuitate orationis, eiusque elegantia, cuius a rhetoribus canones deſcribantur; hiſce vero rebus multo ebraica ſuperiores eſſe plurimas linguas, & graecam quidem prae ceteris; adeoque ebraicam neutiquam, ceu pulcherrimam, iactari poſſe. Copia dictionum phraſiumque quod lingua ebraea deſtituatur, vel ex ipſis libris ſacris, lexicisque conſtare, putat. *Primum ergo*, inquit, *quicumque libros ſacros attente legerint, aut lexica ebraica euoluerint, pauca eſſe vocabula, paucaſue phraſes, animaduertent. Perpetuo non eaedem voces dumtaxat, ſed eaedem etiam locutiones, praeſertim in libris hiſtoricis, occurrunt. Simile narrationis filum, parilisque orationis color & ſpecies omnia continent &c.* Cauſſam deinceps inopiae huius hanc reddit: *Si quaeramus cauſſam inopiae linguae hebraicae, eamdem inueniemus, quae eſt in aliis linguis obſeruata. Vbi ſpernuntur diſciplina & artes, & pauca ſcribuntur, ibi neceſſe eſt eſſe plurimis in rebus ſummam vocabulorum penuriam; neque enim nomina imponuntur aut rebus, aut animi notionibus, de quibus numquam homines cogitant, numquam diſputant, numquam ſcribunt. Exempli cauſſa*, ita pergit, *antequam Graeci philoſophiam diligenter colerent, innumera erant, de quibus homines non cogitarant, & quibus exprimendis defuiſſent vocabula, niſi ficta fuiſſent. Idem contigit Latinis, cum primum de rebus philoſophicis*

cis latine ſcribere coeperunt &c. Id quod CICERONIS teſtimonio comprobat. Verum varia ad haecce viri doctiſſimi effata obſeruare licet. Primum namque non tam copia verborum phraſiumque linguam commendare videtur, quam ſi, quae ſcitu neceſſaria ſunt, adcurate, perſpicue, &, ſi opus fuerit, ἐνεργητικῶς illa exprimi queant. Nec tamen etiam concedunt alii, recte inopiam linguae ebraeae exprobrari. Cum enim non alia, quae ea ſcripta ſint, hodie habeamus monumenta, quam pauca iſta, quae in ſacro codice exſtant; ex hiſce reliquiis non ſtatim totius linguae aeſtimandas diuitias, aiunt. Immo ex ipſis hiſce reliquiis probari poſſe, eam olim copioſiſſimam verbisque & phraſibus inſtructiſſimam fuiſſe; ſiquidem quaedam res octo aut decem nominibus verbisque exprimantur. Legenda, quae hac de re docet VAL. ERN. LOESCHERVS, de *cauſſis linguae ebraeae lib. III. c. VI. p. 472. 473.* De inde ſi per artium ac diſciplinarum culturam copia verborum ac phraſium augetur; conſiderandum, hac ratione ſaepe homines de rebus vanis, ſuperuacuis, inutilibus & cogitare & loqui, quarum quidem rerum cognitione & alii ſine damno carent; & linguae cuidam inopia ideo obiici nequit, quod vocabulis verbisque deſtituatur, quibus eiusmodi res exprimi queant. Eſto, fuerit maior graecae linguae in hiſce copia; ſumma tamen rurſus inopia fuit in rebus diuinis & ad religionem, a Deo ipſo reuelatam, ſpectantibus, exprimendis, in quibus ebraea reliquis omnibus praeſtat. Idque vel inde patet, quod ſcriptores noui teſtamenti ſaepe ebraiſmis vſi ſint, immo non potuerint non vti, eo, quod lingua ebraea ad eiusmodi res, de quibus ſcribebant, exprimendas, longe aptior eſſet, quam graeca. Quod qui ſcriptoribus ſacris vitio vertunt, aut omnino quosdam barbariſmos inde conficiunt, neſciunt, quid dicant, aut ſibi velint. Cum enim graeci ſcriptores de eiusmodi rebus numquam loquuti ſint, de quibus ſcriptoribus ſacris verba facienda erant; non poterant quoque in hiſce eorum lingua vti. Ebraeis contra vti concredita erant τὰ λόγια τοῦ θεοῦ, *Rom. III, 2.* ita & illorum linguae maxima laus, maximumque inde accedit decus, quod iisdem exprimendis longe aptior ſit, quam vlla alia. Simili ratione & ad reliqua, quae vir doctiſſimus contra ebraeam linguam diſputat, reſponderi poterat, ſi his immorari diutius fas eſſet. Id ſolum obſeruamus, elegantiam linguae ebraeae, quam vir doctus itidem in dubium vocat, ex inſtituto adſeri a IO. BRAVNIO, in *ſelectis ſacris, lib. V. exercitat. III. p. 637. ſeqq.* Neque tamen ex iis, quae hac ratione de lingua ebraea diſſerit, aut fluit, aut deduci poteſt, eam theologiae cultori non eſſe neceſſariam. Hoc enim cum vir clariſſimus non adſerat, nos quoque id ei non imputamus. Quin potius, neceſſariam hanc linguam illis eſſe, qui tum nouum, tum vetus teſtamentum interpretari cupiunt, ipſemet & agnoſcit, & diligenter inculcat; *art. crit. part. I. c. IV. p. m. 106. ſeqq.* vbi ex inſtituto de methodo ſtudii ebraici agit.

Vt autem illi, de quibus hactenus diximus, minus; ita non deſunt, qui, in alterum velut extremum procurrentes, plus, quam decet, linguae ebraeae tribuere videntur. Huc illos refero, qui in ipſis litteris Ebraeorum magna ſe inueniſſe putant myſteria, & naturalem quamdam illis tribuunt vim ſignificandi, ex ipſa illarum figura repetendam. Nihil nunc de maſorethis dicam, qui, in litteris quibusdam aut minuſculis aut maiuſculis magna latitare arcana, ſibi aliisque perſuadere conantur; qua de re conſulere iuuat IO. BVXTORFIVM, in *Tiberiade, c. XIV. ſeqq. p. 135. ſeqq.* ſiquidem de iis nunc praecipue nobis ſermo eſt, qui ipſas litteras Ebraeorum naturali gaudere ſignificatione, arbitrantur,

trantur, ex quibus deinceps ipſa vocum ſignificatio deriuari queat. Primum quidem eiusmodi quid in mentem veniſſe videtur FRANC. MERC. HELMONTIO, in *alphabeto naturali, p. 84.* ſed nemo maiori ſtudio & induſtria hanc in rem incubuit, quam CASP. NEVMANNVS, theologus quondam Vratislauienſium, ingenio & doctrina praeſtantiſſimus, qui hancce hypotheſin ſuam primum delineauit in *geneſi linguae ſanctae,* Norimbergae an. 1696 edita, quam ipſemet enarraui in *actis eruditorum Lipſ. an. 1696. menſe Sept. p. 399. ſeqq.* Deinde vero in *exodo linguae ſanctae,* itemque in *claue domus Heber* eamdem vlterius illuſtrauit, & velut ad praxin deduxit. Adprobarunt quoque nonnulli calculo ſuo hancce eius ſententiam, minimeque reiiciendam cenſuerunt, quos inter eminet VAL. ERN. LOESCHERVS, *lib. I. de cauſſis linguae ebraeae, c. X. p. 139. ſeqq.* Eam ſane ingenioſiſſimam eſſe, negari nequit; certo tamen fundamento deſtitui, non ſine ratione iudicarunt alii. Enimuero, quum quis pro lubitu litterae cuidam eiusdem figurae mox hanc, mox etiam aliam ſignificationem tribuere queat; ipſarum quoque vocum diuerſa variaque hinc exſurget ſignificatio, longeque inde diſcedes incertior, quam antea fuiſti; niſi tandem ad alia, veram vocum ſignificationem inueſtigandi ac determinandi, te receperis adminicula, de quibus IACOBVS RHENFERDIVS, in *diſſertat. de ratione obſeruandi genuinam vocabulorum ebraeorum ſignificationem,* EDV. POCOCKIVS, in *notis miſcellaneis in portam Moſis, p. 3. ſeqq.* aliique ex inſtituto praecipiunt. Ego quidem, eos quam rectiſſime hic incedere, puto, qui, ex diligenti locorum ſcripturae collatione, primam praecipuamque vocis cuiusdam ſignificationem inueſtigandam, cenſent, & hinc reliqua ordine deriuant; qua methodo cumprimis IAC. GVSSETIVM, in *commentariis linguae ebraicae,* vſum conſtat, quamuis nec aliarum linguarum orientalium collatio, & reliqua eiusdem generis ſubſidia, prorſus contemnenda ſint. Sed haec ὡς ἐν παρόδῳ. CASP. NEVMANNI, ceterorumque, qui cum illo faciunt, ſententiam, litteras ebraeas ſymbolica quadam ſignificatione gaudere, ex inſtituto ſub examen reuocauit CHRIST. BENED. MICHAELIS, in *diſſert. de vocum ſeminibus ac litterarum ſignificatione hieroglyphica;* iungenda vero etiam, quae erudite hac de re diſſerit vir clariſſimus IO. IAC. RAMBACHIVS, in *inſtitut. hermeneut. ſacr. lib. II. c. VII.* ad *§. II. p. 256. ſeqq.*

Vt ea nunc, quae reſtant, paucis complectamur; hiſtoriam linguae ebraeae, quae tamen & ex hactenus commemoratis lucem aliquam capiet, tradiderunt IO. BVXTORFIVS, filius, in *diſſertationibus philologico-theologicis, diſſ. I. II. III.* BRIANVS WALTONVS, in *adparatu biblico, proleg. III. p. 228. ſeqq.* vbi ex inſtituto de *lingua hebraica, eius antiquitate, conſeruatione, mutatione, praeſtantia, & vſu, item de antiquis eius characteribus & punctis vocalibus,* diſſerit; AVG. PFEIFFERVS, in *critica ſacra, c. III. ſect. II. quaeſt. I. II. III. IV.* Nonnulla quoque, huc ſpectantia, attingit IO. BRAVNIVS, in *ſelectis ſacris lib. V.* vbi in adpendice ad *exercitationem ſecundam de ſapientia veterum Ebraeorum* de *hebraeae linguae duratione* agit, *p. 630. ſeqq.* & *exercitat. III.* de *elegantia ſtili ebraei veteris teſtam.* quaedam quae huius loci ſunt, inſpergit. Idemque & de STEPH. MORINI *exercitationibus de lingua primaeua,* eiusque *adpendicibus,* cenſendum. Diligentiſſime quoque in hocce argumento verſatus eſt VAL. ERN. LOESCHERVS, de *cauſſis linguae ebraeae lib. I. c. V. ſeqq.* De fatis denique ſtudii ebraici diſſerit HERM. VON DER HARDT, in *prodromo ephemeridum philologicarum,* vbi cumprimis copioſe de IO. REVCHLI-

NO, primo ebraearum graecarumque litterarum in Germania reſtauratore, verba facit, *p. 7. ſeqq.* cuius *vitam* ex inſtituto etiam ſcripſit IO. HENR. MAIVS Durlaci an. 1687, 8. editam; de quo &, quae praecipue memoratu digna, in compendio complexus ſum, in *introd. ad hiſtoriam philoſoph. Ebraeorum, p. 245. ſeqq.* Iungenda vero & varia monumenta, ad hiſtoriam eius ſpectantia, quae idem HARDTIVS exhibet, in *hiſtoria litteraria reformationis part. II.* a me itidem *l. c.* indicata. Ad ſubſidia, ſeu adminicula linguae ebraeae quod attinet; de lexicis ebraicis adcurate, & exquiſito ſtudio egit vir doctiſſimus IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, in *hiſtoria lexicorum hebraicorum*, Wittebergae an. 1705 edita in 8. Idem & lexicographos, tum Iudaeos, tum chriſtianos, recenſet *bibl. ebraeae part. II. p. 546. ſeqq.* Sed & grammaticos ſcriptores, tum Iudaeos, tum chriſtianos, idem enarrat, *p. 600. ſeqq.* Iungendus & VAL. ERN. LOESCHERVS, de *cauſſis linguae ebraeae*, vbi *lib. I. c. XI. hiſtoriam grammaticae ebraeae, capite* autem *XII. hiſtoriam lexicorum ebraeorum* exhibet. Denique & IAC. LE LONG, in *bibliotheca ſacra*, & quidem in *adpendice*, *parti ſecundae* ſubnexa, grammaticos & lexicographos ad vſum linguarum orientalium, & graecae noui teſtamenti, magno numero adfert. Praecipuos autem & praeſtantiores, tum ex grammaticis, tum lexicographis, indicat IOACH. LANGIVS, in *inſtitutionibus ſtudii theologici litterariis*, *ſect. IV. c. III. membr. I. p. 308. ſeqq.* Sunt etiam huius loci *obſeruationes* illae *variae, ad rem grammaticam Ebraeorum pertinentes*, quas IO. CHRISTOPH. WOLFIVS collegit, *l. c. p. 671. ſeqq.* & in quibus, quae in re grammatica Ebraeorum maxime memorabilia ſunt, oſtendit, laudatis auctoribus, qui de iis ex inſtituto commentati ſunt. Haut vltimum inter ea tenet locum quaeſtio celeberrima, de litteris Ebraeorum, num, quas hodie ita vocamus, veteres illae & genuinae ſint, an vero ſamaritanae potius? Sunt namque viri longe doctiſſimi, qui exiſtimant, litterarum characteres, quos hodie ſamaritanos vocamus, eos ipſos eſſe, quibus Moſes & prophetae, in libris ſuis conſcribendis, vſi ſint, immo quibus ipſe Abrahamus vſus ſit, qui cum, relicta patria, in Cananaeam ſe conferret, Cananaeorum etiam, ſeu Phoenicum, linguam, & cum ea litterarum, quae apud Phoenices in vſu erant, formas adſumſerit. Et his quidem cum Iſraelitae omnes, vſque ad captiuitatem babylonicam, vſi ſint; Iudaeos, in captiuitate iſta conſtitutos, ſenſim characteres litterarum, qui apud Chaldaeos fuerint, quiue hodie & aſſyriaci adpellentur, recepiſſe; hincque adeo Eſram, cum, ſoluta captiuitate babylonica, patriis ſedibus redditi eſſent, curaſſe, vt libri ſacri charactere chaldaeo, ſeu aſſyriaco, ceu notiori Iudaeis, ſcriberentur; cum interea apud Samaritanos per Iſraelitas, ex aſſyriaca captiuitate reduces, antiqui iſti & genuini characteres conſeruarentur, qui ideo *ſamaritanorum* retulerint nomen. Primus in hanc ſententiam ex Iudaeis ingreſſus dicitur IOSEPH. ALBO, qui ſaeculo decimo quinto floruit, in libro *ikkarim*, quem praeter ELIAM LEVITAM pauci ex eadem gente, ſed eo plures ex chriſtianis ſequuti ſunt. Praeter PETRVM enim GALATINVM, & BENEDICT. ARIAM Montanum, ſententiae huic ſuffragantur ROB. BELLARMINVS, PET. DAN. HVETIVS, RICH. SIMON, aliique romanenſium, quibus vel hoc nomine arridet, quod ad labefactandam ſacrae ſcripturae auctoritatem plurimum valet; ex criticorum porro gente IVST. IOSEPH. SCALIGER, ISAC. CASAVBONVS, HVGO GROTIVS, GERH. IOAN. VOSSIVS, SAM. BOCHARTVS, BRIANVS WALTHONVS, aliique quam plurimi, quorum & nomina & loca indicaui in *hiſt. eccleſ. vet. teſt. tom. II. per. II. ſect. VI.* ad §. *XII. p. 996. ſeqq.* vbi & rationes, quibus

pu-

Digitized by Google

pugnant, attuli, ſimul tamen, quid ad eas reſponderi queat, luculenter demonſtraui. Receptam contra noſtrorum ſententiam defendunt IO. BVXTORFIVS *diſſertat. de litterar. ebraicarum genuina antiquitate*, IO. HENR. HOTTINGERVS, in *exercitationibus anti-Morinianis*, NIC. FVLLERVS, *miſcellaneorum ſacror. lib. IV. c. IV.* HVGO BROVCHTONVS in *concentu ſcripturae p. 126.* THOM. BANGIVS, in *coelo orientis p. 216. ſeqq.* STEPH. MORINVS, de *lingua primaeua, exercit. II. c. VI.* aliique, a me itidem iam *l. c.* laudati. Altera quaeſtio, quae non minorem ſtrepitum dedit, magnaque animorum commotione agitata eſt, de punctorum, quae vocant, vocalium origine, & antiquitate agit. Multi namque ex Ebraeis in eam ingreſſi ſunt ſententiam, puncta vocalia ab Eſra demum textui ebraeo ſuperaddita eſſe, ne vera, voces pronuntiandi, ratio periret, quae per oralem traditionem ad ipſius aetatem vſque propagata erat. Vlterius progreſſi ſunt alii, punctaque vocalia nec ab Eſra, nec ab vllo alio ſcriptore θεοπνεύστῳ, ſed a recentioribus quibuſdam maſorethis Tiberienſibus, poſt talmudis demum compoſitionem, ſexcentis circiter a Chriſto nato annis, inuenta, & textui ſacro addita, contenderunt. Primus & praecipuus ſententiae tam lepidae inuentor & adſertor eſt ELIAS LEVITA, Germanus, *praefat. III. in maſoreth. hammaſoreth*; de quo legere iuuat IVL. BARTOLOCCIVM, *bibliothec. rabbin. magna tom. I. p. 135. ſeqq.* qui & *p. 140. ſeqq.* integram diſſertationem, de *origine & antiquitate punctorum vocalium*, inſeruit. Ex chriſtianis hinc quam plurimi eamdem calculo ſuo adprobarunt ſententiam, praeſertim romanenſes, quibus quippe itidem ad auctoritatem textus originalis imminuendam, perquam adcommodata videbatur. Praeter NICOL. DE LYRA itaque RAYM. MARTINI, PET. GALATINVM, alioſque, eamdem amplexi ſunt, & ſtrenue defenderunt, IOAN. MORINVS, in *exercitationibus biblicis*, RICH. SIMON. *hiſtor. critic. vet. teſtam. l. I. c. XXVII.* alibique, itemque LVD. ELLIES DV PIN, *prolegom. ſur la bible, lib. I. c. IV. p. 136. ſeqq.* qui, cum, ipſum B. MART. LVTHERVM, IO. CALVINVM, alioſque proteſtantes, eidem ſententiae ſuffragari, obſeruaſſet; tandem concludit, *quae cum ita ſe habeant, pertinaces admodum eos proteſtantium eſſe oportet, qui adhuc antiquitatem punctorum, ceu articulum fidei, defendunt.* Et ſane, ex primis eccleſiae noſtrae theologis nonnullos, ipſum cumprimis B. MART. LVTHERVM, punctis vocalibus, vtpote rabbinico inuento, non multum tribuiſſe, notum eſt. Sed nondum eo tempore ſatis perſpectum erat, quanti momenti res eſſet, vt certa & determinata vocum in textu originali ſignificatio in tuto collocaretur. Primus, qui hoc vidit, MATTH. FLACIVS fuit, qui hac de re diſſerit in *claui ſcripturae, part. II. tract. VI. p. 644.* quem deinceps plerique noſtrorum theologorum conſtanter ſequuti ſunt. Nemo autem maiori animi contentione ſententiae, de recentiori punctorum vocalium origine, patrocinium ſuſcepit, quam LVD. CAPPELLVS, in libro inſcripto: *arcanum punctationis reuelatum*, qui Lugduni Batauorum, an. 1624, curante & adprobante THOMA ERPENIO, lucem vidit, vnde & a quibuſdam ipſi ERPENIO tributus eſt. Eamdem cauſſam in *critica ſacra* egit, quae priuſquam prodiret, IO. BVXTORFIVS librum, de *punctorum antiquitate*, contra CAPPELLI *arcanum punctationis reuelatum* edidit, vnde CAPPELLVS ſimul *criticae* ſuae, *defenſionem* eius adiunxit, cui BVXTORFIVS iterum *anti-criticam, ſeu vindicias veritatis hebraicae* oppoſuit. Ad rem ipſam quod attinet, ab ipſis viris θεοπνεύστοις ſigna quaedam, quae vocalium munere fungerentur, profecta, tam eſt extra omne dubium poſitum, quam abſurdum eſt, dicere, eos, ſine

Digitized by Google

ſine eiuſmodi ſignis ſcribendo, committere voluiſſe, ne quis umquam mortalium certum & indubitatum verborum ſuorum haberet ſenſum. Hunc enim referre lectorem non poſſe, niſi punctis quibuſdam vocalibus, ſimilibusue ſignis, voces inſtructae ſint, nemo, niſi harum rerum plane rudis, negauerit. Legi equidem codices ebraei ſine punctis poſſunt, ſed ab iis, qui cum punctis illos legere conſueuerunt. In rabbinicis ſcriptis אמות קריאה ſeu *matres lectionis*, punctorum defectum vtcumque ſupplent, idque iterum apud eos, qui ebraica cum punctis legere didicerunt, & ceteroquin rerum ac formularum, in eiuſmodi ſcriptis occurrentium, non ſunt imperiti. Interim non negauero, initio ſimpliciora & pauciora forte fuiſſe vocalium ſigna, quae deinceps magis magisque aucta ſunt, vt de vero & genuino textus ſacri ſenſu omnibus eo certius conſtaret. Falluntur itaque citra controuerſiam, qui, ab Eſra demum puncta vocalia textui addita, putant; ſed multo magis, qui, ea adhuc recentioris originis eſſe, exiſtimant. Si numerum eorum, qui antiquitatem punctorum vocalium in dubium vocant, nobis obiicias; non minor forte illorum erit, qui pro eadem pugnant. Haud paucos enim, qui poſterius faciunt, laudant AVGVST. PFEIFFERVS, *critic. ſacr. c. IV. ſect. II. quaeſt. II. p. 110.* & VAL. ERN. LOESCHERVS, de *cauſſis linguae ebraeae*, *lib. II. c. III. §. VIII. ſqq. p. 283. ſqq.* apud quos & rationes. quibus vtrimque pugnatur, legere licet. Hiſtoriam iſtius controuerſiae enarrat HVMFREDVS HODIVS, de *bibliorum textibus originalibus*, *verſionibus graecis & latina vulgata*, *lib. III. part. II. c. XVI. §. VIII. p. 363. ſeqq.*

** Ingens iſtorum ſcriptorum eſt numerus; nec vnius etiam ſunt generis. Primum locum occupat *maſora*, & ſcriptores maſorethici; de quibus cum deinceps, quando de theologia exegetica verba faciemus, dicendum ſit, nunc nihil addimus. Sequitur *talmud*, *miſchnam* pariter *ac gemaram* complectens, idemque vel Hieroſolymitanum, vel Babylonicum. Nimirum ſub imperatore Antonino, circa annum Chriſti 150, floruit R. IEHVDA HAKKADOSCH, id eſt, *ſanctus*, qui patrum traditiones, inde a Moſe vſque, vt putabat, ad ſua tempora rite oretenus propagatas, vno libro complecti ſecum conſtituit. Omnium itaque Iudaeorum ſui temporis ſchedas & chartas, in quas quisque memoriae cauſſa quaedam obſeruatu digna coniecerat, collegit, & ex iis librum confecit, qui dictus fuit ספר משניות δευτέρωσις, ſeu *lex ſecundaria*, aut potius *liber traditionum*. Magno is a Iudaeis exceptus adplauſu, mox publicam apud eos obtinebat auctoritatem. Deinceps R. IOCHANAN, ex tribu Ioſeph, qui caput ſynagogae fuit in terra Iſraëlis per annos octoginta, pro Iudaeis, in terra Iſraelis viuentibus, compoſuit explicationem miſchnae, vnde enatum eſt *talmud Ieruſchalmi*, ſiue *Hieroſolymitanum*, quod, vt plerique tradunt, an. Chriſti 230, vt alii, ſerius adhuc abſoluit. Cuius tamen expoſitionis minor auctoritas, minorque vſus fuit, quam ipſius miſchnae. Cum vero eodem circiter tempore plerique, & celebriores Iudaeorum doctores ex Palaeſtina in Babyloniam ſe contuliſſent, hinc & neglectis, immo exſtinctis Iudaeorum in Palaeſtina ſcholis, Babylonicae contra, inque his Naehardaeana, Sorana, & Pumbedithana effloreſcere coepiſſent; doctores iſti babylonici nouis commentationibus miſchnam explicare adgreſſi ſunt. Eminuit prae ceteris raf ASE, qui an. 367 nouam conuectare gemaram inſtituit, cui operi cum immoreretur, telam, quam exorſus erat, continuauit raf ABINA, qui an. 474 oneri huic humeros ſuos ſuppoſuit, donec tandem anno D ad finem perduceretur. Et ita talmud illud Babylonicum enatum eſt, quod tantam apud Iudaeos

os obtinuit auctoritatem, vt nonnulli illud ſcripturae ſacrae aut anteferre, aut aequiparare non dubitauerint. Apud chriſtianos autem varia expertum eſt fata. Cum enim multa, quod negari nequit, ſuperſtitioſa, friuola, & blasphema in eo occurrant; nonnulli ex Romanis pontificibus illud plane delere, ac emedio tollere conati ſunt; at irrito ſemper ſucceſſu. Decreta eorum hac ſuper re exſtant in *bullario* CHERVBINI, & *directorio inquiſitorum*; eaque defendere adnititur IVLIVS BARTOLOCCIVS, in *bibliotheca magna rabbinica, tom. III. p. 745. ſeqq.* Qui tamen zelus aliis prorſus intempeſtiuus viſus eſt. Quae enim vulgo in talmude damnantur, quae in vnum cumulum collecta legi poſſunt apud BARTOLOCCIVM *l.c. tom. III. p. 319. ſeqq.* tam abſona ſunt, vt credibile non ſit, poſſe iis quemquam, vel mediocri rationis vſu pollentem, in errorem induci, aut in eo confirmari. Vſu interim ſuo non caret talmudis lectio, cum, vt alia taceam, multa, ad antiquitates & ritus iudaicos adcuratius cognoſcendos, ex eo hauriri poſſint. Legenda hac de re HENR. MVHLII, viri longe doctiſſimi, *praefatio apologetica pro ſtudio talmudico, tom. VII. operum Cocceii* praemiſſa. Quod variis noui teſtamenti locis lux quaedam ex talmude adſpergi queat, exemplis docet IO. LIGHTFOOTVS, in *horis ebraicis & talmudicis*, qui tamen interdum ſine vlla neceſſitate loca talmudica huc aduocat, & quaedam inde illuſtrare adnititur, quae & ſine iſta illuſtratione ſatis clara ſunt. Nimis etiam praeclare de talmude ſentire videtur, quando *praefat. horar. ebraicarum & talmud. tom. II. operum, p. 246.* ſcribit: *Non ſunt auctores, qui lectorem magis terrent & torquent, & non ſunt tamen, qui magis alliciunt, & delectant*; (quam talmudici.) *Apud nullos maior eſt, aut aequa nugacitas, & vix tamen apud vllos maior aut aequa vtilitas. Acriores hoſtes, quam iſtos, non habet doctrina euangelica; & tamen planiores interpretes, quam iſtos, non habet textus euangelii. Verbo omnia: Iudaeis ſuis nihil niſi nugas propinant, & perniciem, & venenum; at, chriſtiani, arte* & *induſtria ſua, eos ſibi reddere poſſunt ſtudiis ſuis vtiliſſime famulantes, atque inſeruientes commodiſſime interpretationi noui teſtamenti.* Hinc & vapulat hoc nomine ISA. VOSSIO, in *reſponſione ad obiecta nuperae criticae ſacrae p. 332.* Ego vtilitatem quamdam ex lectione talmudis capi poſſe, minime abnuo; an vero tanta ſit, vt difficultati, quae illis ſubeunda eſt, qui gemaram legere & intelligere cupiunt, reſpondeat? merito dubito. Quae de hiſtoria talmudis antea in compendio dixi, paullo copioſius enarraui, in *introd. ad hiſt. philoſoph. Ebraeor. §. XXV. ſeqq. p. 118. ſeqq.* Pluribus autem, quae ad talmudis notitiam ſpectant, tradunt: IO. BVXTORFIVS, in *operis talmudici breui recenſione*, quae eius *bibliothecae rabbinicae* ſubiuncta eſt; IO. LEVSDENIVS, in *philologo ebraeo mixto, diſp. XII. XV.* AVG. PFEIFFERVS, in *diſſertat. de talmude*, itemque in *critica ſacra, c. XV. p. m. 496. ſeqq.* ZACH. GRAPIVS, in *hiſtoria litteraria talmudis hieroſolymitani & babylonici*; IAC. BASNAGIVS, *hiſt. des Iuifs, tom. II. lib. III. c. VI. p. 697. ſeq.* IO. BRAVNIVS, *exercit. II. de ſapientia veter. Ebraeorum*, in *ſelectis* eius *ſacris, lib. V. p. 608. ſeqq.* IO. ALB. FABRICIVS, *bibliograph. antiq. c. I. p. 2. ſeqq.* &, qui omnium fuſiſſime diligentiſſimeque hocce argumentum tractauit, IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, *biblioth. ebr. part. II. lib. IV.* vbi *c. I.* de nomine & origine talmudis, *c. II.* de argumento & diſpoſitione eius, agit; *c. III.* recenſionem vtriusque talmudis vberiorem exhibet; *c. IV.* fortunam talmudis inter Iudaeos, &, *c. V.* inter chriſtianos, *c. VI.* iudicia de eodem diuerſa, & denique *c. VII.* momenta quaedam ſpecialia, huc ſpectantia, ediſſerit. Et in vl-

Digitized by Google

timo hocce capite inter alia, num ſeruatoris noſtri Ieſu, itemque religionis chriſtianae, in talmude mentio fiat? diſquirit, §. *VII. VIII.* item *X. XI.* tandem & praecipuos de talmude ſcriptores laudat, §. *XII.* in *adpendice* autem ſubſidia, quae, ad talmud, rectius intelligendum, vel tractandum tum a chriſtianis, tum & a iudaeis profecta ſunt, indicat, *p. 988. ſeqq.* Ceterum cum magna talmudis apud Iudaeos ſemper fuerit auctoritas; mirum non eſt, fuiſſe inter eos omni tempore, qui ad eius ſtudium animum adiungerent; qui vel ideo obſeruandi ſunt, quod fontes exhibeant, ex quibus antiquitatum & rituum gentis ebraeae adcuratior notitia hauriri poteſt. Eminet inter omnes R. MOSES MAIMONIDES, non tantum ob פרושים, ſeu *commentarios in miſchnaioth*, ſed vel maxime ob יד חזקה *manum fortem*, ſeu opus illud inſigne, in quatuordecim libros, & quatuor partes ſeu volumina diſtinctum, quod talmudicam doctrinam, totumque adeo ius ebraeum, lingua ebraica eleganti & perfacili exhibet. Nec praetermittendus R. IAACOB, filius ASCHER, qui ſaeculo decimo quarto floruit, auctorque eſt libri: ערבה טורים *quatuor ordines*, quo velut ſyſtema aliquod iuris iudaici continetur; & ex quo compendium aliquod fecit IOS. KARRO שלחן ערך *menſa inſtructa* dictum. Conferenda, quae tum de MAIMONIDE, tum de reliquis, huc ſpectantibus, dixi in *introduct. ad hiſt. philoſ. Ebr. §. XXXI. & XXXII. p. 154. & 177. ſeqq.* Plura autem de auctoribus ebraeis, gentis ſuae ritus & antiquitates exponentibus, dabunt, qui bibliothecas rabbinicas inſtruxerunt, quos deinceps indicabimus.

Tertium inter ſcriptores rabbinicos locum occupant kabbaliſtae. Fuiſſe in gente ebraea traditionem quamdam, ſeu doctrinam, quae oretenus propagabatur, qua ea, quae in ſcriptis Moſis & prophetarum continentur, illuſtrabantur, & vlterius explicabantur; nemo negauerit, niſi qui tam ineptus fuerit, vt ſibi perſuaſerit, Ebraeorum doctores nullum aliud dixiſſe verbum, quam quod in ſacro codice exſtat, hoc eſt, ab omni eius explicatione ac illuſtratione abſtinuiſſe. Deinceps autem contigit, vt haecce veterum Ebraeorum doctrina oralis variis erroribus corrumperetur, & philoſophiae Pythagoraeo-Platonicae cum ea coniungerentur placita. Diſtinctio hinc orta inter kabbalam *puram* & *impuram*, quam copioſius explicaui in *diſquiſitione theologica, de moderamine inculpatae tutelae*, quae nouiſſimae *introductionis ad hiſtor. philoſoph. Ebraeor.* editioni inſerta eſt, *p. 486. ſeqq.* Antiquiſſimi libri kabbaliſtici ſunt liber יצירה *creationis*, qui Abrahami patriarchae praefert nomen; ſed a R. AKIBHA ſcriptus dicitur, qui circa an. Chriſti CXX in bello Hadriani imperatoris contra Iudaeos martyrio vitam finiit; liber זהר *ſobar*, qui eſt commentarius kabbaliſticus in quinque libros Moſis, cuiusue auctor fertur R. SCHIMEON filius IOCHAI; & denique liber בהר *bahir*, in quo de myſteriis nominum diuinorum, aliisque ſecretioris philoſophiae capitibus, diſputatur, & qui a R. NECHONIA ben HAKKANA conſcriptus perhibetur, quem σύγχρονον fuiſſe adſerunt Ionathani paraphraſtae, annis circiter triginta aut quadraginta ante Chriſtum natum. Pluribus de hiſce egi in *introduct. ad hiſtor. philoſoph. Ebraeorum §. XXVIII. ſeqq. p. 131. ſeqq.* vbi & eos indicaui, qui horum librorum antiquitatem, a quibusdam in dubium vocatam, vindicarunt; quos inter haud vltimum locum tenet IO. MEYERVS, vir doctiſſimus, in *diſſertat. theolog. de myſterio ſacro-ſanctae trinitatis ex ſolius veteris teſtamenti libris demonſtrato.* Sequiori aetate ingens illorum exſtitit numerus, qui kabbaliſtica tractarunt, quorum praecipuos IO. HENR. HOTTINGERVS vnico faſce complexus eſt, in *bibliotheca ori-*

entali,

entali, c. I. claſſ. VIII. ex quo eosdem exhibui, ſed ita, vt nonnullos, ab eo omiſſos, adderem, & quaedam, perperam dicta, corrigerem, in *introduct. ad hiſtor. philoſ. Ebraeor. p. 179. ſeqq.* A Iudaeis ad chriſtianos doctrina kabbaliſtica tranſiit, quos inter eo tempore, quo bonarum litterarum hinc inde reſuſcitabantur ſtudia, eminebant IO. PICVS Mirandulae comes, & IO. REVCHLINVS; de vtroque ex inſtituto dictum *introd. ad hiſtor. philoſ. Ebraeor. §. XXXIV. p. 221. ſeqq.* Praecipuos quosdam iunctim Baſileae an. 1587 edidit IO. PISTORIVS Nidanus; PAVLI ſcilicet RICCII *libros quatuor, de agricultura caeleſti,* aliaque eiusdem auctoris ſcripta; R. IOSEPHI Caſtilienſis, *de porta lucis tractatum;* LEONIS Ebraei, *de amore, libros tres;* IO. REVCHLINI, de *arte kabbaliſtica, libros tres;* eiusdem, de *verbo mirifico, libros tres;* ARCHANGELI Burgonouenſis, *interpretationes in ſelectiora obſcurioraque kabbaliſtarum dogmata;* ABRAHAMI *librum iezirah.* Recentiori aetate magno in hocce ſtudiorum genus ſe dederunt animo CHRIST. KNORRIVS, A ROSENROTH & HENRICVS MORVS, quorum ille in *kabbala denudata,* duobus tomis, in 4. an. 1677 & 78 itemque 1684 editis; hic autem in variis ſcriptis, quae in *operibus* eius *philoſophicis,* Londini an. 1679 duobus tomis in folio euulgatis, iunctim exhibentur, arcana kabbaliſtica in lucem proferre, eaque explicare, adgreſſus eſt; licet in quibusdam a ſe inuicem diſſentiant. De vtroque ex inſtituto a me dictum in *introduct. ad hiſtor. philoſoph. Ebraeor. §. XXXV. p. 255. ſeqq.* vbi & quid in vtroque deſiderandum ſit, non diſſimulaui; HENR. ſcilicet MORVM kabbalae dogmata nimis ad religionem chriſtianam, KNORRIVM chriſtianae religionis capita nimis ad kabbalam inflexiſſe videri; certe apud vtrumque effata quaedam a veritate & ſimplicitate doctrinae chriſtianae aliena deprehendi, quorum nonnulla collegerit LAVRENT. ODHELIVS, in *ſynagoga bifronte, p. 39. 40.* Licet autem apud quosdam ſcriptores kabbaliſticos, maxime recentiores, occurrant, quae neutiquam ſunt adprobanda; ideo tamen non omni prorſus vſu kabbalae ſtudium deſtituitur. Subinde enim quaedam veritatis antiquae rudera & veſtigia in iis, praeſertim antiquioribus, inuenire licet, quae, vti noſtram doctrinam confirmant, ita recte ipſis Iudaeis opponuntur. Exemplo doctrinae, de myſterio trinitatis, hoc demonſtraui, in *introd. ad hiſtor. philoſ. Ebraeor.* & in nouiſſima editione pluribus confirmaui, *p. 336. ſeqq.* Legenda hic cumprimis IO. MEYERI *diſſertatio,* antea iam laudata, *de myſterio ſacroſanctae trinitatis ex ſolis veteris teſtamenti libris demonſtrato.* Iungenda, quae dixi in *inſtitut. theolog. dogmat. lib. II. c. I.* ad *§. LV. p. 433. ſeqq.* Nec diffitetur vir doctiſſimus IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, *hinc inde diuinae veritatis documenta de variis doctrinae chriſtianae capitibus apud kabbaliſtas deprehendi; bibl. ebraeae part. II. lib VII. c. III. p. 1242.* Non minus vero & in eo inſignis ſcriptorum kabbaliſticorum vſus conſpicitur, quod veterum quorumdam haereticorum erroribus eo rectius intelligendis, & dogmatibus paradoxis illuſtrandis, inſeruiant. Exemplo haereſeos Valentinianae hoc luculenter, ni fallor, demonſtraui, peculiari diſſertatione, quam *introductioni ad hiſtoriam philoſophiae Ebraeorum* addidi. Ex kabbaliſtarum enim placitis, Valentinianorum portenta quam commodiſſime deriuari poſſe, ibi a me oſtenſum; quod & IOAN. CROIO iam obſeruatum, in *coniecturis & obſeruationibus in quaedam loca Origenis, Irenaei, Tertulliani, & Epiphanii;* & quodammodo etiam IO. HENR. HOTTINGERO, in *theſauro philolog. l. I. c. III. ſect. V. p. 441.* quos iam laudaui in nouiſſi-

ma editione, in *notis* ad §. *XV. p. 619*. Addendus tamen omnino erat, quem tum praetermiſi, IOAN. MICH. LANGIVS, in *commentario theologico, de genealogiis numquam finiendis, & fabulis iudaicis, quarum Paulus apoſtolus paſſim meminit*, Noribergae an. 1696, 4. edito, in quo hoc ex inſtituto agit. Qui Valentinianorum originem ex philoſophia Pythagorica arceſſere malunt, mihi reuera non repugnant; cum concedam, kabbalae Ebraeorum eo tempore philoſophiae Pythagoreo-Platonicae ſcita admixta fuiſſe. Ad ea, quae RENATVS MASSVETVS, in *diſſertationibus praeuiis in Irenaeum, diſſ. I. §. XXI. p. 20.* mihi obiecit, a me reſponſum in *editione nouiſſima*, in *notis* ad §. *XV. p. 620. ſeqq.* Plura de kabbala dabunt BRIANVS WALTONVS, in *adparatu biblico, prolegom. VIII. §. XXX. p. 305. ſeqq.* SAL. GLASSIVS, *philol. ſacr. lib. II. part. I. tract. II. ſect. III. art. VII. p. 303. ſeqq.* THEOD. HACKSPANIVS, peculiari *diſſertatione, miſcellaneis* eius ſubiuncta; IO. HENR. HOTTINGERVS, *theſaur. philolog. lib. I. c. III. ſect. V.* AVGVST. PFEIFFERVS, *crit. ſacrae c. VII. p. 277. ſeqq.* IAC. BASNAGIVS, *hiſt. de Iuifs, tom. II. lib. III. c. X. ſeqq. p. 771. ſeqq.* cumprimis autem IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, *bibl. ebr. part. II. lib. VII.* per integrum, vbi *c. I.* de kabbalae nomine & origine *c. II.* de natura & indole kabbalae, ſpeciatim de decem ſephiroth, *c. III.* de vſu kabbalae, copioſiſſime differit, & *c. III. §. XII. p. 1243.* auctores, quid ke abbala egerunt, adcurate indicat.

Iam ad reliqua doctorum gentis ebraeae ſcripta quod attinet, obſeruandum, poſt talmudis compoſitionem, apud Iudaeos quoque, hinc inde diſperſos, ſequuta ſaecula ſterilia, caliginemque & barbariem, quae orbi vniuerſo incumbebat, hancce itidem tum oppreſſiſſe gentem. Cum vero in media iſta nocte apud Arabes noua lux philoſophiae bonarumque artium oritetur; nec Iudaei ſibi defuerunt, quin potius & inter eos exſtiterunt, qui ad litterarum ſe accinxerunt tractanda ſtudia. Hinc ſaeculo decimo & ſequentibus inter eos floruerunt R. SAADIAS cognomento *gaon*, ſeu *excellens*, dictus; R. SALOMO IARCHI, Ebraeis IIZCHAC dictus; R. ABRAH. ABEN ESRA, aliique, quos omnes circa initium ſaeculi decimi tertii ingenii & eruditionis gloria ſuperauit MOSES MAIMONIDES. Atque hi quidem, ceterique, qui eos inſequuti ſunt, varia ingenii ſui monumenta, ad diuerſas eruditionis partes ſpectantia, reliquerunt. Nonnulli ſtudium grammaticum in hac gente excitarunt & excoluerunt, alii ſcripturam ſacram commentariis illuſtrarunt, alii religionis ſuae ſummam certis capitibus comprehenderunt, aut contra chriſtianorum obiectiones defenderunt, vel horum doctrinam impugnarunt: alii rurſus doctrinae talmudicae, aut kabbaliſticae ſe conſecrarunt; quidam, denique, Ariſtotelicam praecipue ſectantes philoſophiam, logica, metaphyſica, phyſica, ethica compendia ac ſyſtemata more ſcholaſticorum condiderunt. Conferenda, quae de hiſce omnibus in compendio dixi in *introduct. ad hiſt. philoſ. Ebr. §. XXXII. p. 169. ſeqq.* Quemadmodum autem de iis, qui aut talmudica, aut kabbaliſtica tractarunt, iam dictum eſt; ita de ſcriptis, quae ad theologiam aut dogmaticam, aut exegeticam, aut polemicam ſpectant, in ſequentibus ſuo loco differemus. In philoſophicis, itemque hiſtoricis, & chronologicis, non eſt, quod a Iudaeis multum lucis exſpectes, qui ad eiusmodi ſtudiorum genera, praeſertim ad philoſophiam, ſi paucos quosdam exceperis, fere ſe ineptos eſſe, demonſtrant. Vanumque omnino eſt conſilium GISB. VOETII, qui eiusmodi ſcripta Iudaeorum legi voluit, vt hac ratione in rerum ipſarum, ac linguae ebraeae cognitione, ſimul proficeremus; *biblioth. ſtudioſi theolog. lib. II. ſect. I. c. V.* Qua de re ita cenſet ABR. CALOVIVS,

VIVS, haec & multa alia VOETIVM *bibliothecae* ſuae inſeruiſſe, *non, quod crederet, ea ſtudioſo theologiae proficua, aut neceſſaria, ſed vt aliis* πολυμαθίαν *ſuam, quaſi omnia iſta penetrarit, venditaret*; in *paedia theolog. ſect. II. c. I. can. IV. p. 95.* Ad notitiam ſcriptorum rabbinicorum comparandam faciunt, qui *bibliothecas rabbinicas* dederunt, quos inter primo nominandi loco IO. BVXTORFII, pater & filius, quorum ille libro de *abbreuiaturis ebraicis*, *bibliothecam rabbinicam* adiunxit, Baſileae 1613, 8. quam hic cum eodem de *abbreuiaturis* libro, hinc inde aucto & emendato, iterum in publicam prodire lucem iuſſit, adiecta in fine *adpendice* variorum librorum rabbinicorum, quam a IACOBO Romano, Iudaeo, Conſtantinopoli congeſtam, ANT. LEGERVS cum eo communicauerat. Prodiit deinde hicce liber iterum Franecquerae, an. 1696 & Herbornae 1708, & quidem in vltima hacce editione, qua vtramque partem, auctior, adpendice etiam *bibliothecae* ſuis locis inſerta. BVXTORFIOS excipit IO. PLANTAVITIVS, Pauſanus, quippe qui *florilegio* ſuo *rabbinico*, an. 1645 edito, *bibliothecam ebraicam* ſubiunxit; in qua Buxtorfianam bibliothecam in pleriſque ſequitur, vt hinc inde nonnulla, in ea praetermiſſa, addat. Naeuorum hocce opus non eſſe expers, viris doctis obſeruatum eſt. Commemorandus vero hic etiam eſt IO. HENR. HOTTINGERVS, ob *promptuarium*, ſiue *bibliothecam orientalem*, in cuius *cap. I.* ſcripta rabbinica, alio quidem, quam BVXTORFIVS fecit, ordine, ſcilicet ſecundum argumentorum diuerſitatem, recenſet, cum BVXTORFIVS ordinem alphabeticum ſequatur; exigua tamen acceſſione eadem auget. In aliis ſcriptis ſuis itidem ſubinde HOTTINGERVS ea attingit, quae huc pertinent, ſpeciatim in *hiſtoria eccleſiae noui teſtamenti*, in qua in ſingulis ſaeculis res Iudaeorum diligenter perſequitur, & de praecipuis eorum doctoribus haud contemnenda tradit. Poſt hoſce diligentiam ſuam in hocce argumento demonſtrare voluit IVL. BARTOLOCCIVS DE CELLENO, in *bibliotheca magna rabbinica*, quae tomis quatuor in folio, Romae an. 1675, 78, 84, & 93 prodiit. Quartum tomum, cui auctor immortuus eſt, ad finem perduxit, & cum mantiſſa ſcriptorum, in ipſa bibliotheca omiſſorum, edidit CAR. IOS. IMBONATVS, Mediolanenſis; qui & an. 1694 quintum vltimumque tomum, inſcriptum: *bibliotheca latino-hebraica*, adiecit, in quo ſcriptores omnes cuiuscumque gentis & religionis, qui aliquid, ad res iudaicas pertinens, litteris conſignarunt, recenſet. Ita vero diſpoſita eſt haecce bibliotheca, vt non librorum tituli, ſed auctorum nomina, ſecundum litterarum ſeriem exhibeantur, & ita omnia cuiusque auctoris ſcripta ſimul recenſeantur; cum BVXTORFIVS contra, aliique, ſecundum librorum titulos bibliothecas ſuas inſtruxerint. Multa quidem plenius a BARTOLOCCIO enarrantur, quam a reliquis factum; ſed multa quoque addidit, quae abeſſe potuiſſent, ampliſſimasque hinc inde digreſſiones, diſputationesque contra Iudaeos inſeruit, adeo, vt nonnullis id praecipue egiſſe videatur, vt ingens aliquod, & vaſtae molis opus, in lucem produceret. Nec naeuorum illud immune eſſe, nonnulli obſeruarunt; cumprimis & RICH. SIMON varia in eo deſiderat, generatimque de auctore pronuntiat, *multum equidem in eo eſſe eruditionis iudaicae, ſed parum iudicii (beaucoup d'erudition iuiſue, mais peu de iugement) & profundam inſuper ignorantiam eorum omnium, quae ad rem criticam ſpectant &c. biblioth. crit. tom. I. c. XXVI. p. 369.* Dudum ergo viri docti optarunt, vt quis hocce opus in compendium mitteret, diſſertationibus illis, quae nihil ad rem faciunt, reſectis, ſimulque naeuos emendaret,

daret, &c, quae deſunt ſuppleret. Idque tandem vir eruditiſſimus, IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, ita praeſtitit, vt non tantum omnium votis ſatisfaceret, ſed ea multum ſuperaret. *Bibliothecam* namque edidit *ebraeam*, cuius *pars prior*, *notitiam*, *tum auctorum hebraicorum*, *cuiuscumque aetatis*, *tum ſcriptorum*, *quae vel ebraice primum exarata*, *vel ab aliis conuerſa ſunt*, *ad noſtram aetatem deductam*, exhibens; an. 1715 Hamburgi, prodiit; *pars* autem *poſterior*, *quae praeter hiſtoriam ſcripturae ſacrae veteris inſtrumenti*, *codicumque eius tum editorum*, *tum manuſcriptorum*, *notitiam tradit maſorae*, *eorumque*, *quae ad lexica & grammaticas pertinent*, *talmudis item vtriusque*, *tum vero bibliothecam iudaicam*, *& anti-iudaicam aperit*, *ac poſt enarratas paraphraſes chaldaicas & kabbalam*, *ſcripta Iudaeorum anonyma recenſet*, itidem Hamburgi, an. 1721 lucem adſpexit publicam. Et in praefatione quidem, *parti priori* praemiſſa, auctor de iis non tantum, qui in eodem argumento ante ipſum verſati ſunt, multa lectu digna obſeruat, ſed omnes etiam, qui quacumque ratione ad notitiam ſcriptorum rabbinicorum aliquid conferre queunt, diligenter indicat; cumprimis vero & eos, qui ex Iudaeis bibliothecas rabbinicas concinnare adgreſſi ſunt, recenſet. Hos inter eminet R. SCHABTAI ben IOSEPH in *bibliotheca rabbinica*, quam inſcriptam: שפתי ישנים *labia dormientium*, an. 1670 Amſtelodami edidit, de qua copioſius *p. 12.* verba facit, quamue RICH. SIMON reliquis omnibus praefert, *l. c. tom. I. c. XXV. p. 362.* Nefas omnino eſſet, ſilentio hic praetermittere *bibliothecam Vffenbachianam manuſcriptam*, Halae 1720 fol. editam; cuius quippe partes tres priores a viro doctiſſimo IO. HENR. MAIO concinnatae, praeter graecos & alios orientales cumprimis ebraico-rabbinicos codices continent. Ita vero codices illi recenſentur, vt multa ſimul lectu obſeruatuque digniſſima ex iis adferantur, quae legiſſe forte poenitebit neminem. Si quis, denique, ſcire aueat, quibus in ſtudio rabbinico vti debeat ſubſidiis, IO. CHRISTOPH. WOLFIVM adeat *bibl. ebr. part. II. lib. III. c. III. §. IX. p. 519.*

*** Chaldaicae, ſyriacaeque linguae notitia, theologiae cultor carere non poteſt. Praeterquam enim, quod nonnulla veteris teſtamenti chaldaico idiomate a ſcriptoribus ſacris conſcripta ſunt; paraphraſes quoque chaldaicae magnam nobis & ad loca quaedam eo rectius intelligenda, & ad conuincendos Iudaeos, adferunt vtilitatem, vt ſuo loco oſtendetur; ne quid de ſcriptis talmudico-rabbinicis dicam, quae ſine lingua hacce intelligi nequeunt. Syriacae linguae vſus inſignis vel in collatione verſionis ſyriacae veteris & noui teſtamenti, maxime autem noui, deprehenditur, cuius ob antiquitatem magna ſemper fuit auctoritas, quamuis & ad explicationem vocum noui teſtamenti, & quarumdam ebraearum genuinam ſignificationem eruendam aliquid conferat. Nec adeo magno hic opus eſt labore. Quemadmodum enim ſyriaca chaldaicaque non multum a ſe inuicem, ita & vtraque non multum ab ebraica lingua differt. Maior equidem linguae arabicae eſt difficultas, non minor tamen eius vtilitas, quam ED. POCOCKIVS demonſtrat, in *notis miſcellaneis philologico-biblicis in portam Moſis*, *p. 11. 12. 34. 35.* alibique, ex inſtituto autem IO. ABR. KROMAYERVS, in *libellis duobus de vſu linguae arabicae*, Lipſiae an. 1707 in 4. editis; in quorum poſteriori id agit, vt libro Iobi ex hacce lingua lucem adſpergat. Subſidia, linguae chaldaicae, ſyriacae, & arabicae, inſeruientia, indicat AVG. PFEIFFERVS, in *digreſſione de natura*, *vſu*, *& ſubſidiis linguarum*, *quas vocant*, *orientalium &c.* quae in *critica* eius *ſacra* exſtat, *p. 398. ſeqq.* & in qua etiam eadem ratio-

Digitized by Google

ratione de lingua ſamaritana, aethiopica, perſica, verba facit. Conferenda &, quae de lingua chaldaica, ſyriaca, arabica, in compendio differit ANDR. IVL. DORNMEIERVS in *philologia biblica, c. IV. ſect. II. p. 27. ſeqq.* De aethiopica nemo praeclarius meritus eſt, quam IOBVS LVDOLPHVS, in *grammatica & lexico aethiopico*, quemadmodum & rebus ipſis Aethiopum, tum ciuilibus, tum eccleſiaſticis, maximam lucem in *hiſtoria* ſua *aethiopica* adfudit. Cum etiam perſicae linguae veteris, tum in ſcriptura ſacra, tum & apud profanos auctores, hinc inde vocabula quaedam occurrant; recte fecerunt, qui ea explicare adgreſſi ſunt. HADR. RELANDVM hoc egiſſe, conſtat, in *diſſertat. de reliquiis veteris linguae perſicae*, quae in *parte altera diſſertationum* eius *miſcellanearum*, Traiecti ad Rhenum 1707 editarum, exſtat; *num. VIII. p. 97. ſeqq.* Sed antea iam in eodem argumento ingenii periclitatus fuerat vires GVIL. BVRTONVS, cuius *hiſtoriam linguae graecae* ſupra commendauimus. Huic λείψανα *veteris linguae perſicae* adiecerat, quae deinceps, vna cum MARCI ZVERII BOXHORNII *epiſtola ad Nicolaum Blancardum de perſicis Curtio memoratis vocabulis, eorumque cum germanicis cognatione*, recudi curauit, & *praefatione, notis, & additamentis*, inſtruxit IO. HENR. VON SEELEN, Lubecae 1720, 8. Habent quidem linguae orientales multiplicem vſum, praecipuus tamen in eo conſiſtit, quod ex earum cum ebraea collatione radices huius deperditae iterum reſtitui, veraque & genuina vocum quarumdam eo rectius determinari ſignificatio queat. Eoque cumprimis comparata ſunt lexica harmonica, vt VAL. SCHINDLERI *lexicon pentaglotton*, IO. HENR. HOTTINGERI *lexicon harmonicum heptaglottum*, EDM. CASTELLI *lexicon heptaglottum &c.* Non tantum autem in linguae ebraeae illuſtratione, aut ſcripturae ſacrae interpretatione; ſed & in hiſtoria eccleſiaſtica, linguae orientales vſum ſuum habent. IO. HENR. HOTTINGERVS, in *ſmegmate orientali* generatim quidem de *linguarum orientalium in rebus ſacris vſu* egit, ſpeciatim tamen *lib. I. c. VIII. p. 202. ſeqq. vſum linguarum orientalium in theologia hiſtorica* oſtendit, quamquam in hiſtoria veteris teſtamenti ſubſiſtat. Id vero vel inde liquet, quod plurima linguis orientalibus conſignata exſtent ſcripta, quae hiſtoriae eccleſiaſticae illuſtrandae egregie inſeruiunt. Spectat huc *catalogus librorum chaldaeorum*, auctore HEBED IESV conſcriptus, quem in linguam latinam tranſtulit, & notis illuſtrauit ABRAH. ECCHELLENSIS. Arabicorum quorumdam, ſyriacorumque, huc ſpectantium, notitiam ſuppeditat IO. HENR. HOTTINGERVS, in *promptuario*, ſeu *bibliotheca orientali*, *c. II. & III.* Immo &, canones quosdam conciliorum in linguam arabicam translatos, conſtat. IOS. Aegyptii *prooemia & paraphraſin arabicam in quatuor priorum generalium conciliorum canones* exhibet cum verſione latina GVIL. BEVEREGIVS, in *ſynodico, ſiue pandectis canonum eccleſiae graecae, tomo I.* Nihil nunc dicam de liturgiis eccleſiarum orientalium. Harum equidem collectionem EVS. RENAVDOTIVS nobis dedit, Pariſiis 1716 duobus tomis in 4; ſed ita, vt verſionem tantum latinam exhiberet. Quod qua fide fecerit, a viris iſtarum linguarum peritis oſtendi poſſet, ſi modo copia earum in linguis originalibus iis fieret. Qui ea, quae huc vsque diximus, conſiderauerit, non dubitabit, inſignem linguarum orientalium eſſe vtilitatem. Sed non omnibus tamen adire licet Corinthum. Quisque ergo, quid ingenii vires, ſtudiorumque, quem ſibi conſtitutum habet, finis, permittant, conſiderare debet.

§. VII.

§. VII. Linguarum, latinae cumprimis atque graecae, itemque antiquitatum, quae ex veterum lectione hauritur, adcuratior cognitio, peritiaque adeo, veteres ſcriptores recte intelligendi, *litterarum humaniorum* nomine venire ſolet, itemque *philologiae*, quae & cumprimis ad linguam & antiquitates ebraeas ſeſe extendit. Huic ergo ſtudiorum generi quodnam ſtatuendum ſit pretium, ex dictis diiudicare licet. *

* Vocem *humanitatis* iam a veteribus Romanis de litterarum ſtudiis vſurpatam, conſtat. Ita namque CICERO: *Omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe continentur.* Et iterum: *patiamini de ſtudiis humanitatis & litterarum paullo me loqui liberius.* Itemque paucis interiectis: *Nam vt primum ex pueris exceſſit Archias, atque ab iis artibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari ſolet; ſe ad ſcribendi ſtudium contulit &c.* in *orat. pro Archia poëta, c. I. II. III. p. m. 256. 257.* Ex inſtituto hoc nos condocet A. GELLIVS: *Qui verba latina fecerunt, quique his probe vſi ſunt, humanitatem non id eſſe voluerunt, quod vulgus exiſtimat, quodque a Graecis* φιλανθρωπία *dicitur, & ſignificat dexteritatem quamdam beneuolentiamque erga omnes homines promiſcuam; ſed humanitatem adpellauerunt id propemodum, quod Graeci* παιδείαν *vocant, nos eruditionem inſtitutionemque in bonas artes dicimus; quas qui ſinceriter cupiunt adpetuntque, hi ſunt vel maxime humaniſſimi. Huius enim ſcientiae cura & diſciplina ex vniuerſis animantibus vni homini data eſt; idcircoque humanitas adpellata eſt;* *noct. atticar. lib. XIII. c. XVI. p. m. 318. 319.* Comprehendebant autem veteres hocce nomine linguae graecae; cui maximum pretium ſtatuebant, ipſius quoque latinae ſtudium, artem porro grammaticam, rhetoricam, & poeſin, immo & ipſam hiſtoriam, antiquitatumque cognitionem. Atque haecce ſtudia etiam *liberalia*, itemque *artes liberales ingenuasque, &* ſimili ratione adpellabant. Loca CICERONIS & OVIDII, in quibus *artes ingenuae*, hoc eſt, quae hominem ingenuum decent, commemorantur, indicat THO. CRENIVS, ad *Guil. Budaei libr. de ſtudio litterar. recte inſtituendo, p. 7.* in *methodis* eius, an. 1696 editis. SENECAE effatum, de *ſtudiis liberalibus*, ſupra iam ad *c. I.* recitauimus: vnde ſimul patet, humanitatis voce ea fere ſtudia deſignata, quae & προπαιδευμάτων nomine veniebant. CICERO tamen aliquando eadem in latiori ambitu vti videtur, vt ipſam ſimul philoſophiam deſignet. Interdum eorum, quae ad litteras humaniores ſpectant, notitia *philologiae* nomine etiam comprehenditur, quamquam & huius vocis, ſi vſum ſpectes, diuerſae ſint ſignificationes. Ad linguarum tamen, ſine quibus eruditio ſibi non conſtat, quales hodie ſunt latina, graeca, ebraea, adcuratiorem cumprimis refertur cognitionem, ſiue generatim eas conſideret, ſiue ſpeciatim ea tradat, quae ad grammaticam, rhetoricam, philologiam ſtricte ſic dictam, & artem criticam pertinent; vnde nonnulli philologiam iterum in *generalem* & *ſpecialem* diſpeſcere ſolent. Per *philologiam* autem *ſtricte ſic vocatam*, quae tum a grammatica rhetoricaque, tum ab arte critica differt, ſcientiam linguarum ſolidam, quae tum in earum puritatem tum veram ac genuinam vocum ſignificationem, inquirit, intelligunt. Si vſum, qui hodie frequentatur, ſpectes, *philologiae* voce, quidquid ad linguarum cognitionem adcuratiorem pertinet, indicatur; cum *litterae* contra *humaniores* ſpeciatim ad graecam pariter, ac latinam linguam referantur, vt tamen ſimul

Digitized by Google

ſimul omnia ea, quae ad veteres auctores recte intelligendos requiruntur, connotent, hinc & hiſtoriarum, & antiquitatum, grammaticae, rhetoricae, artisque criticae notitiam, poëſin denique & eloquentiam, ambitu ſuo includant. Si quis, aliter hiſce vocibus vtendum, cenſeat, is, eiusmodi hoc eſſe, ſciat, ſuper quo cum nemine nobis ſit contendendum. Lucem vero copioſiorem hic dabunt, qui generatim de philologia aut litteris humanioribus commentati ſunt; quos inter locum praecipuum tenent GER. IO. VOSSIVS, de *artium & ſcientiarum natura & conſtitutione, lib. II.* qui ex inſtituto de *philologia* agit *tom. III. operum, p. 32. ſeqq* HENR. IVL. SCHEVRLIVS, in *ſtatua Mercuriali, part. I.* vbi tribus capitibus, de *fine philologiae ſubiecto*, ſeu *materia, & mediis*, diſſerit, *p. 13. ſeqq.* GVIL. BVDAEVS, *libris duobus de philologia*, a THO. CRENIO, in *methodis*, an. 1696 editis; IO. CLERICVS, *ſiluarum philologicar. Aeſchinis Socratici dialogis*, ab eo euulgatis, adiectarum, *lib. I. c. I.* vbi ex inſtituto de litteris humanioribus praecipit, & multa recte monet, cumprimis illud: *meliores ex lectione veterum fieri oportere; quod niſi fiat, litteras infamari; philoſophiae, praeſertim dialecticae & moralis cognitionem aliquam, immo & nonnullarum artium nobiliorum peritiam, litterarum ſtudio eſſe coniungendam &c.* Lucem quoque aliquam & hic dabit IO. WOWERIVS, cuius *polymathiam* ſupra iam commendauimus. Iungenda his denique IO. GE. WALCHII *hiſtoria linguae latinae*, in cuius quippe *prolegomenis*, de *genuina philologiae indole* verba fecit, ſimulque eidem *diatriben philoſophicam de litteris humanioribus* ſubiecit.

Inſignem ex hiſce ſtudiis theologiae cultores capere vtilitatem poſſe, ſi modo caute & ſobrie in iis verſentur; ex iis, quae huc vsque diſputauimus, longe eſt manifeſtiſſimum. Vnde &, vt hiſce litteris ſuum decus, ſuusque conſtet honos, optandum merito. Quod an hodie vbique fiat, nonnulli dubitant; immo paſſim querelas quorumdam hominum doctiſſimorum, lugubresue voces, de interitu hiſce litteris imminente, proximeque inſtante ſumma barbarie, audire licet. Quas paucis expendere, non abs re, nec ab hoc loco prorſus alienum erit. Non vero hodie demum, aut nudius tertius, eiusmodi vocibus orbis eruditus perſonare coepit. Quin potius, iam ſuo tempore MATVRINVM SIMONIVM libellum, de *litteris pereuntibus*, ſcripſiſſe, conſtat, quem IO. HERM. ABELSWICH, *praefatione*, eodem tendente, munitum, & *adnotationibus illuſtratum*, Wittebergae an. 1716 recudi curauit. Noſtra vero aetate IO. CLERICVS de *cauſſis pereuntium litterarum elegantiorum* commentationem *parrhaſianorum tomo I.* inſeruit, quam ex gallicano ſermone in latinum transtulit vir clariſſimus IO. HENR. KROMAYERVS. In eodem hocce argumento ingenii periclitari vires voluit IO. CHRISTOPH. COLERVS, in *diſſ. de praeſenti rei litterariae ſtatu*, quam *analectis* ſuis ad BVRC. GOTTH. STRVVII *introduct. ad notitiam rei litterariae* ſubiunxit. Nec errauero, ſi huc retulerim diſſertationem, de *cauſſis iacturae rei litterariae*, a FRID. BOLTZIO, Regiomontano-Boruſſo, conſcriptam, & in academia Wittebergenſi, praeſide IO. GVIL. BERGERO, conflictui publico expoſitam. Saltem plurima, quae huc faciunt, in ea attinguntur. Cumprimis vir ſummus, & vt in aliis, ita vel maxime in iis, quae ab humanitate nomen trahunt, litteris, verſatiſſimus, PET. DAN. HVETIVS, nobis hic commemorandus eſt, qui in *Huetianis*, an. 1723 gallicano ſermone editis, primo ſtatim loco, de *bonarum litterarum interitu*, diſſerit, ſeque vidiſſe, ait, *quo pacto floruerint, & mortuae ſint, ſeque iis eſſe ſuperſtitem, p 3.* Huc & comparatum eſt, quod

quod *num. VIII. p. 20. ſeqq.* contendit, viros doctos, qui ſaeculo decimo quinto, & circa initium decimi ſexti vixerint, multis nominibus praeferendos eſſe iis, qui noſtra aetate viuant. Neque is ego ſum, qui prorſus abnuere velim, non eodem vbique haſce litteras eſſe loco, quo olim fuerunt. Quin potius diſerte hoc profeſſus ſum, in *oratione de bonarum litterarum decremento noſtra aetate non temere metuendo*, quam Hildburghuſae recitaui, cum ibidem gymnaſium illuſtre, a ſereniſſimis principibus ERNESTO, & ERN. FRIDERICO conditum, ſollemni ritu conſecraretur. Id tantum monere ſoleo, & in ipſa iſta oratione monui, ab iſtis, qui eiusmodi querelas fundunt, partim in eo peccari, quod ea, quae dicunt, nimis exaggerent, partim, quod veras genuinasque calamitatis iſtius cauſſas aut diſſimulent, aut non perſpectas habeant, hinc & longe alias fingant. Prius quidem ex eo conſtat, quod de litteris humanioribus ita ſaepe loquantur, ac ſi omnis iis abſoluatur eruditio, philoſophia contra, theologia, ceteraeque ſcientiae & artes, nullo prorſus habendae ſint loco. Immo & nimis arctis limitibus ſubinde humaniorum litterarum circulum circumſcribunt, cum hiſtoriam ab ea excludant, ad graecae latinaeque linguae cognitionem omnia referentes. Hinc, cum negare nequeant, praeſtantiſſimos noſtra aetate extitiſſe, & adhuc exſiſtere, viros, quorum induſtria philoſophia, ſpeciatim phyſica, doctrinaque moralis, matheſis porro, hiſtoriaque eccleſiaſtica, ciuilis, litteraria, ad ſummum fere perducta ſit faſtigium, ignorantiaque & ſtultitia, quae olim in hiſce omnibus regnabat, ſit profligata; de barbarie tamen nobis imminente lugubres fundere voces non deſinant; perinde, ac ſi omnes iſtae ſcientiae, ac artes, non dignae ſint, quae eruditionis nomine veniant. Scire potius viri iſti praeſtantiſſimi debebant, in hiſce, quae ipſam rerum ſcientiam nobis pandunt, diſciplinis eruditionem proprie contineri, cum, quae ab humanitate nomen ſortitae ſunt, litterae, viam tantum ad eruditionem veram ſolidamque nobis muniant; laudandae profecto idcirco & maximopere commendandae, non tamen vltra, quam par eſt, euehendae. Modum porro in declamationibus ſuis non ſeruant homines queruli, dum noſtri ſaeculi ſterilitatem infelicitatemque ita accuſant, ac ſi prorſus damnentur reiiciunturue ac faſtidiantur litterae humaniores, nec vllibi fere quisquam reperiatur, qui iuſtum illis pretium ſtatuat; cum tamen hinc inde in Anglia, Gallia, Belgio, Germania noſtra viri exſtent eruditiſſimi, graecaeque ac latinae linguae peritiſſimi, qui pulcherrimis ingenii ſui monumentis dudum effecerunt, vt poſteri ſint intellecturi, quam iniuſta ſit iſta ſaeculi noſtri accuſatio. Eſto; non adeo magnus ſit illorum numerus, nec tamen adeo exiguus, vt metuendum ſit, litteras haſce propediem prorſus exſtinctum iri. Ad cauſſas quod attinet, cur, litteras haſce vilipendi, nonnulli putant; non omnes quidem, quas adferunt, prorſus contemnendas, exiſtimo. Variae ſunt, nec vnius generis. Mihi praecipua eſſe videtur, quod plerique, qui apud nos ad litterarum ſtudia accedunt, vilioris conditionis ſint homines, qui, cum ad panem lucrandum litteris incumbant, eam ſibi ingrediendam viam, cenſent, per quam proxime, & ſine ambagibus, ad finem exoptatum perduci queant. Cumque iis plerumque cum paupertate colluctandum ſit; nec diu admodum in ſcholis & academiis ſubſiſtere, nec libros, ad haſce litteras feliciter tractandas neceſſarios, ſibi comparare poſſunt. Magnam porro ſcholarum eſſe corruptionem, haud inuitus largior, eamque & in eo conſpici, quod in iis adoleſcentes ad philoſophiam, ſublimioresque ſcientias ducantur, quos humanioribus litteris recte imbuere,

longe

longe ſatius foret. Sed & principes, rerumque dominos, in excitandis, fouendis, alendisque hiſce litteris ſuo non ſemper ſatisfacere muneri, non inficiatus fuero. Haud raro tamen ipſimet iſtarum litterarum magiſtri ſuis quam maxime nocent rebus, dum eos ſtudiis ſuis adiungunt mores, qui non poſſunt non ipſos, & etiam, quas tractant, litteras, omnium contemtui exponere. Videas enim quosdam rebus friuolis, ac minutiis inhaerere, alios omnino ſuper iis cum aliis contendere ac altercari; videas eosdem conuiciis atrociſſimis ſe inuicem proſcindere, alios faſtu quodam paedagogico ita ſe efferre, vt riſum excutiant ſapientioribus, alios aliud quid deſignare, quo omnem virtutis, ac ſapientiae laudem amittant. Ita ergo ſi ſe gerunt, quid mirum ſi Maecenates tandem deſint, qui iſtarum litterarum ſuſcipiant patrocinium. Poſſent his & plura addi; ſed diutius iis immorari non licet. Nonnullas ex veris calamitatis iſtius cauſſis recte detexit IO. CLERICVS, *loco antea citato*; qui & in *ſiluis philologicis*, quas AESCHINIS *dialogis*, a ſe editis, adiunxit, *lib. I. c. I.* hoc argumentum tractat, faſtumque illorum, qui humanitatis ſtudia reliquis litteris omnibus ita praeferunt, vt has magno ſupercilio contemnant, perſtringit. *Vtile*, inquit, *eſt reipublicae, immo & neceſſarium, eſſe, qui eas litteras doceant, eosque lautis honorariis excitari, vt alacrius iuuentutem inſtituant, viamque ad intelligendam antiquitatem graecam ac romanam oſtendant, & ſcripta veterum illuſtrent, recudantque; prout fert animus, aut prout vtilitas ſtudioſorum poſtulat. Aequum etiam, laudem meritam eos propterea conſequi, & pro laboribus famam & exiſtimationem ſibi comparare. Verum propterea non ita homines inſanire par eſt, vt alia omnia prae litteris humanioribus, contemnant, iuriſconſultosque, philoſophos & theologos, qui ſcientias, quas profitentur, diligentius excolunt, quam alias, quaſi viliora ingenia habeant. Tum vero alios omnes in ſe conſurgere cogunt, & paedagogicum ſupercilium exprobrare. Ac ſane paedagogi eſt, res ſpernere, dum verba coluntur; curare, ut teneantur linguae mortuae, ritus & mores obſoleti, opiniones dudum exploſae, hiſtoriae quae ad nos nihil pertinent, dum de rebus ipſis, etiam maximi momenti, ratiocinari nequit, dum perite lingua ſua vti neſcit, dum conſuetudines moresque ciuitatis ſuae, populorumque vicinorum ignorat, dum opinionum, quae nunc vigent, eſt imperitus, nec recentiores hiſtorias melius nouit. Nemo enim, quin haec longe maioris ſint momenti, & quibus cetera omnia ſubſeruiant oportet, dubitauit, l. c. cap. 144.*

§. VIII. Latinae porro graecaeque, & omnis antiquitatis, cognitio, cum ex ſcriptoribus gentilibus praecipue, ceu ex genuinis fontibus, haurienda ſit; horum quidem ad huncce finem lectionem neceſſariam eſſe, nemo dubitabit. Caute tamen ſimul in iis verſandum, res ipſa docet, ne ſenſim & placita, & mores ethnicorum adſumamus, illorumque nobis ita placeant ſcripta, vt ſacrae diſplicere incipiant litterae. *

* Cum gentilium ſcripta, ii incaute in iis verſemur, non minus damnum, quam commodum, adferre queant; mirum non eſt, diuerſas ſemper virorum, verae religioni addictorum, de iis fuiſſe ſententias. Inter ipſos Iudaeos iam olim, qui patrii moris tenaciores erant, a litteris, & philoſophia Graecorum, adeoque & a lectione librorum gentilium, plane adhorrebant. In tractatu miſchnico *ſotah, c. IX. num. XIV.* refertur, orto bello Titi, cautum eſſe, *ne quis filium in graecanicis erudiret.* In

 gemara

gemara autem ad *hunc locum* additur, iam eo tempore, quo Hyrcanus & Ariſtobulus bellum inter ſe gerebant, hanc pronuntiatam fuiſſe ſententiam : *maledictus eſto, quisquis filium ſuum ſapientiam graecanicam edocet.* Conferenda, quae fuſius hac de re dixi in *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. tom. II. per. II. ſect. VII.* ad §. *XVII. p. 1189. ſeqq.* Ad chriſtianos ſi tranſeamus, lectionem ethnicorum ſcriptorum probabant, defendebant, commendabant TERTVLLIANVS, de *idololatria*, *c. X.* ORIGENES, *philocal. c. XIII.* & apud EVSEBIVM, *hiſtor. eccleſ. lib. VI. c. XVIII. XIX.* GREGORIVS Nazianzenus, *orat. XX.* HIERONYMVS, *epiſt. LXXXIV. ad Magnum oratorem*, aliique, magno numero laudati IO. BAPT. COTELERIO, *loco* deinceps *citando*. In *conſtitutionibus* contra *apoſtolicis* diſerte ſancitum legimus : τῶν ἐθνικῶν βιβλίων πάντων ἀπέχου· Τί γάρ σοι καὶ ἀλλοτρίοις λόγοις, ἢ νόμοις, ἢ ψευδοπροφήταις, ἃ δὴ καὶ παρατρέπει τῆς πίστεως τοὺς ἐλαφροὺς; τί γάρ σοι καὶ λείπει ἐν τῷ νόμῳ τοῦ Θεοῦ, ἵνα ἐπ᾽ ἐκεῖνα τὰ ἐθνόμυθα ὁρμήσῃς; *Ab omnibus gentilium libris abſtine. Quid enim tibi cum alienis ſermonibus, vel legibus, vel falſis prophetis, quae quidem & homines leues auertunt a fide? Quid etenim tibi deeſt in lege Dei, vt ad illas gentium fabulas adpellas animum? lib. I. c. VI.* Et huic ſententiae itidem nonnullos veteris eccleſiae doctores ſuffragatos, quem iam laudauimus IO. BAPT. COTELERIVS docet, in *notis* ad *conſtitut. apoſt. l. c. p. 204.* HIERONYMI quoque hic vulgo commemorari exemplum ſolet, coram tribunali diuino, ob adſiduam Ciceronis lectionem, vapulantis. Non tamen deſunt, qui illud pro fabula habent. Certe Hieronymus ipſe non ſatis ſibi conſtare videtur, cum mox ſomnium dicat, quod alibi ſomnium fuiſſe, negat. Id iam a me obſeruatum in *diſſertat. de cultura ingenii*, *c. III.* §. *VIII.* Mediam autem viam, quae & hic tutiſſima, ingrediuntur alii, qui, legenda quidem ethnicorum ſcripta, ſed caute, contendunt, &, vt vtilia tantum, nobisque profutura, inde capiamus. Ita, vt alios taceam, CLEMENS Alexandrinus, *lib. V. ſtromatum p. 733.* edit. IO. POTTERI. Spectat huc quoque eiusdem locus de philoſophia graecanica, *lib. I. ſtromat. p. 377.* quem ad §. *I.* huius capitis iam recitauimus. Cumprimis hac de relegendus BASILIVS magnus, cuius quippe exſtat *homilia, ad adoleſcentes*, ὅπως ἂν ἐξ ἑλληνικῶν ὠφελοῖντο λόγων *quomodo ex gentilium ſcriptis vtilitatem capere debeant, tom. I. operum p. 491. ſeqq.* Multa etiam recte & egregie hac de re monet AVGVSTINVS, de *doctrina chriſtiana, lib. II. c. XL. p. m. 82. ſeqq.* Plura patrum loca adfert CHRIST. KORTHOLTVS, in *pagano obtrectatore, lib. I. c. XI. p. 171. ſeqq.* Recentiori aetate exſtiterunt anabaptiſtae, quorum nonnulli eo vsque progreſſi ſunt, vt omnes omnino libros, praeter biblia, abrogatos & aboletos voluerint, vt IO. SLEIDANVS auctor eſt, de *ſtat. relig. & imper. lib. X. p. 153.* Nec defuerunt deinceps alii, qui iniquiorem animum erga ſcriptores ethnicos oſtenderent, quod & HENR. ERNSTIVM, in libro, quem σοφία ἄσοφον inſcripſit, conſilio vtique non malo, non prorſus tamen probando, feciſſe, conſtat; quem ideo refellere adgreſſus eſt GVIL. MECHOVIVS, ab altero extremo non adeo procul remotus, in *Hermathene, ſeu de recta inſtitutione iuuentutis ſcholaſticae*, cumprimis *tract. II. c. VI. p. 262. ſeqq.* Singulari vtique hic opus eſſe circumſpectione, negari nequit, cum facile contingat, vt, qui ethnicorum ſcriptis toti veluti immerguntur, ethnicum plane, alienumque a religione chriſtiana, inde referant animum. Magnorum virorum, eorum praecipue, qui circa initium ſaeculi decimi ſexti, in Italia, in graecis latinisque litteris reſtituendis, elaborabant, hoc teſtantur exempla; notaque ſatis ſunt, quae

de

de impiis vocibus moribusque ARETINI, POGGII, POLITIANI, BEMBI, BONAMICI, aliorumque, paſſim commemorantur. Ipſe hac de re ſubinde conqueritur DESID. ERASMVS Roterodamenſis, & Ciceronianos iſtos, vti tum vocabantur, in Italia id agere, ait, *vt pro chriſtianis reddamur pagani. Et animaduerto*, inquit porro, *iuuenes aliquot, quos nobis remittit Italia, praecipue Roma, nonnibil adflatos hoc veneno; epiſtol. lib. XXIX. ep. XXI.* Quae cum ita ſint, primum quidem magno ſtudio id agendum, vt illos gentilium libros, qui obſcoena, turpia, & prauos adfectus irritare apta, continent, prorſus fugiamus; quod & ſupra iam monuimus, cum exponeremus, quinam libri legendi ſint. Ad reliquos quod attinet, qui talia tractant, quae ſine periculo legi poſſunt; animo tamen ſatis purgato firmatoque ad eos accedendum; nec ita iis inhaerendum, quin ſaepiſſime mentem reuocemus ad meliora, & per ſcripturae ſacrae diligentem tractationem abſtergamus, quidquid forte impuritatis nobis adhaeſerit, aut tepidos languidosque in vero Numinis cultu nos reddere queat. Copioſius iam hunc in modum haec expoſui in *diſſertat. de cultura ingenii, c. III. §. VIII. IX.* Plura etiam dabunt CLAVD. ESPENCAEVS, *de profectu ex gentilium librorum lectione percipiendo*; itemque IO. MICH. DILHERRVS, in *diſputatione philologica, de vſu lectionis ſcriptorum ſaecularium & antiquitatis, quem in altiori etiam litteratura praeſtant*, quae *tomo primo diſputationum* eius *academicarum* exſtat *num. VIII. p. 100. ſeqq.* itemque THOMAS CRENIVS, in *notis ad Leonardum Aretinum de ſtudiis & litteris* in *methodis* eius, anno 1692 editis, *p. 458 ſeqq.*

§. IX. Ad auctores veteres recte intelligendos plurimum confert *ars critica*, quippe quae multa tradit, quae illorum interpretationi inſeruiunt, loca corrupta reſtituit, veras lectiones a falſis diſcernere docet, & ſcripta genuina auctoribus, quibus debentur, reſtituit. * Cumque in ipſo codice ſacro non minus, quam ſcriptoribus eccleſiaſticis, ſi ſobrie tractetur, haud contemnendus eius vſus ſit; ** theologiae cultorem eius minime ignarum eſſe decet, vt tamen vitia criticorum, ipſi arti minime imputanda, ſummo ſtudio fugiat. ***

* Per *artem criticam* eam philologiae (voce latius ſumta) partem intelligimus, quae loca veterum ſcriptorum corrupta emendat, & auctores ſpurios a genuinis diſcernere docet. Limites eius extendere paulliſper videtur IOAN. CLERICVS, quando, per illam, *artem* denotari, dicit, *intelligendorum veterum ſcriptorum, ſiue numeris adſtricta, ſiue ſoluta oratione vtentium, & dignoſcendi, quaenam eorum genuina ſcripta ſint, quae ſpuria.* Tres itaque ipſius iudicio ars critica complectitur partes: *primo monita & conſilia attinentia ad ordinem, quo legendi veteres, vt linguae potiſſimum latina, graeca & ebraica addiſci commode queant; resque Latinorum, Graecorum & Ebraeorum cognoſci; ſecundo, canones, de interpretatione verborum ac loquutionum; tertio, praecepta de iudicio, quod de antiquorum ſcriptorum libris & locis tam genuinis quam ſpuriis, ferre oportet; art. crit. part. I. praefat. ſect. I. & II. p. 1. 5.* Vlterius adhuc progreditur CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, critici eſſe docens I) *naturam ſiue omnium linguarum generatim, ſiue certae cuiuspiam linguae, contemplari*; II) *originem & natales inueſtigare ſiue vocabulorum ſiue adagiorum*; III) *methodum linguae addiſcendae praeſcribere aptiſſimam faciliſ-*

 mam-

mamque; IV) *regulas tradere interpretandi verba phraſesque obſcuriores*; V) *interpretari fabulas poetarum, item aenigmata*; VI) *iudicium ferre de ſtilo eiusque virtutibus & vitiis*; VII) *diſcrimen ſtili oſtendere ratione aetatum*; VIII) *indicare ſtilum certae ſectae, deque eius vſu ferre ſententiam*; IX) *deſignare characterem ſtili cuiusque auctoris*; X) *ex hiſce ſtili characteribus de libri aetate & auctore, verborumque ſinceritate iudicare*; XI) *iudicium ferre de recta pronuntiatione linguae latinae, graecae, & hebraicae*; XII) *orthographiam monſtrare, eamque ſolidis ſuperſtruere fundamentis*; in *commentatione de arte critica*, quae in *parergis* eius *criticis* exſtat, §. *V. p. 9. ſeqq.* Ex quibus forte nonnulla ita comparata ſunt, vt cum arte critica ſint coniuncta, vel in eo, qui criticus audire cupit, adeſſe debeant; an vero ad ipſam artem criticam ſpectent? adhuc dubitari poteſt. Originem artis criticae eleganter exponit PHIL. IAC. MAVSSACVS. Cum enim obſeruaſſet, quod & alias notum eſt, κριτικὴν olim grammaticae partem fuiſſe, eamque circa tria verſari, obſcure ſcilicet dictorum explicationem, bonorum & ſanorum iudicium, & verorum germanorumque ab adulterinis diſtinctionem; vltimam partem eidem originem dediſſe, adfirmat. *Antequam enim*, ita pergit, *corruptae fuiſſent librorum inſcriptiones, & ſpurii monſtroſique foetus pro legitimis & germanis ſupponi coepiſſent, vix in vſu criticam fuiſſe, ſatis compertum eſt. Atqui certiſſimum puto, ante tempora regum Alexandriae & Pergami nullum opus falſo inſcriptum fuiſſe; immo ipſorum tempore eiusmodi viguiſſe corrumpendorum* ἐν ἐπιγραφαῖς *librorum libidinem, ob* φιλοτιμίαν, *quae inter illos erat, coemendorum librorum. Qui enim libros, ad inſtruendas regum iſtorum bibliothecas, vndiquaque ferebant, cum viderent, antiquorum ſcriptorum praecipue volumina maiori pretio venire, & contra aurum cara eſſe; ſaepiſſime epigraphas voluminum corrumpebant; ita, vt ſi nouus & recens eſſet ille auctor, quem comparauerant ſibi, mutata epigraphe ſtatim pro vetere & antiquo venderent.* Quibusdam hinc interiectis, βιβλιοκαπήλων auaritiam, & ſpem maioris lucri, primam criticae originem dediſſe, concludit, quam ſtatim magni viri ARISTOPHANES, ERATOSTHENES, APOLLODORVS CVMAEVS amplexi ſint; ex quibus APOLLODORVS primus critici nomen ambiuerit, quod tamen alii de ERATOSTHENE adſerant; in *diſſertat. critica, de Harpocratione, eiusque ſcriptis*, ſubiecta *lexico Harpocrationis p. m. 397.* vbi & alia, ad fata & hiſtoriam artis criticae ſpectantia, inuenire licet. Paullo aliter de criticae artis origine diſſerit PHIL. CAROLI. De Iudaeorum enim maſorethis cum verba feciſſet, de quibus & nos ſuo loco plura dicemus, ad Graecos tranſiens, eos, vt HOMERI conſeruarent poëmata, iisque ſitim ingenii ſui, tamquam puro & liquido fonte, rigarent, ARISTARCHVM communi ſuffragio cenſorem creaſſe, narrat, ὡς ὀβελίζοντα τὰ παρεμβαλλόμενα, qui genuina a ſuppoſititiis vindicaret, vti nullus in poſterum verſiculus pro Homerico agnoſceretur, niſi quem ARISTARCHVS, iugulatis adulterinis omnibus, probaſſet; praeter ARISTARCHVM autem, alios adhuc in hacce arte praeſtantes laudari, vt CRATETEM, ARISTOPHANEM, NICANDRVM, CALLIMACHVM, APOLLONIVM RHODIVM, CHRYSIPPVM, reliquos; in *diſſ. de criticis*, *animaduerſionibus* eius in A. GELLII *noctes atticas* praemiſſa, *p. 8.* Verum facile viri iſti docti inter ſe conciliari poſſunt, cum poſterior de prima artis criticae origine non loquatur, nec de ea illius parte, quae genuinos auctores a ſpuriis diſcernit, ſed potius de ea, quae ipſum textum integrum, peregrina quaevis ab eo remouendo, conſeruare ſtudet. Plurimos inter Graecos fuiſſe, qui criticae huic arti, grammaticaeque ope-

operam nauauerint, conſtat, & ex dictis etiam haud difficulter colligitur. Ab his, cum aliis ſcientiis, doctrinaeque humanioris partibus, ars critica ad Romanos tranſiit, apud quos M. VARRO, NIGIDIVS FIGVLVS, SISENNA, NICIAS, NICANOR, VALER. PROBVS, ASCONIVS, A. GELLIVS, aliique magnum ex ea nominis decus conſequuti ſunt. Quaenam inter Iudaeos pariter ac chriſtianos artis criticae olim fuerint fata, alibi ediſſeremus. Vergente ad occaſum imperio occidentali, magnaque, per gentium barbararum incurſiones, ſequuta caligine; criticae artis nulla dignitas fuit, nullus vſus. Monachorum tamen, antiquos codices deſcribentium, induſtriae plurimos veterum debemus libros, ceu ſeruatas e naufragio tabulas. Cum noua litterarum lux in Italia primum, tum & in aliis orbis chriſtiani partibus, oriretur, linguae primum, graeca & latina, excoli coeperunt, ſimulque in lucem proferri veterum monumenta, quibus omnis ſapientiae diuinae & humanae theſaurus concludebatur. Id vero ſine criticae artis peritia fieri non poterat, cum codices quam plurimi temporis diuturnitate vitiati, aut illorum, qui eos deſcripſerant, incuria ac negligentia corrupti ac deprauati eſſent. Huius itaque laude ANGELVS POLITIANVS, LAVR. VALLA, aliique, floruerunt, qui inter litterarum reſtauratores primum ſibi vindicant locum, quorumue labori & diligentiae imputamus merito, quod praeſtantiſſimos veterum libros maximam partem integros teneamus. Recenſere omnes, qui in hac arte excelluerunt, noſtrum non eſt; laudat praecipuos CASP. SCIOPPIVS, in *conſultatione de ſcholarum & ſtudiorum ratione*, in *methodis* THO. CRENII, an. 1692 editis, *c. XXII. p. 311.* Principem haud dubie inter eos locum tenent IOS. IVST. SCALIGER, HADR. TVRNEBVS, M. ANT. MVRETVS, CLAVD. SALMASIVS, ISA. CASAVBONVS, IAC. GRONOVIVS, IO. GE. GRAEVIVS. De vtilitate & neceſſitate artis criticae, non eſt, quod multa faciamus verba. Agnoſcunt eam, quotquot recte de litteris iudicare didicerunt. Sine ea enim in magnis adhuc verſaremur tenebris; ſine ea nec graecae, nec latinae, nec ebraeae linguae, ſibi conſtat cultura; ſine ea veteres auctores nec intelligere, nec mentem eorum, niſi loca corrupta reſtituantur, recte adſequi poſſemus; ſine ea antiquitatis omnis aut nulla, aut incerta admodum eſſet cognitio; ſine ea neſciremus, a quonam aliquid ſcriptum ſit auctore, ſemperque dubitandum, an, quae huic vel illi tribuimus, reuera eius ſint. Copioſius haec omnia, & reliqua eiusdem generis, ediſſerunt, qui artem criticam commendant, eiusque vtilitatem oſtendunt, PHIL. IAC. MAVSSACVS, in *diſſ. critica* antea laudata, *de Harpocratione eiusque ſcriptis, p. 397. ſeqq.* PHILIPPVS CAROLI, in *diſſertatione de criticis*, qui & exemplis variis eius neceſſitatem euincit, *p. 14. ſeqq.* IO. CLERICVS, *art. crit. part. I. praef. ſect. III. p. 8. ſeqq.* Iungenda &, quae ipſemet dixi in *diſſ. de cultura ingenii, c. I. §. XVIII.* PET. DAN. HVETIVS, hodie tantam criticae artis neceſſitatem non eſſe, exiſtimat, quam olim fuit, cum praeſtantiſſimos auctores typis iam exſcriptos habeamus, in *Huetianis, num. XXIII. p. 65.* Sed, cum non omnes eiusdem generis ſint editiones, multaque ſuperſint, quae criticam manum deſiderant; inutilem, aut minus neceſſariam hodie eſſe criticam artem, non dixerim. Non tantum autem viri docti quam plurimi artem hancce, emendando, corrigendoque, & interpretando veteres auctores, ſpuriosque a genuinis diſcernendo, exercuerunt; ſed exſtiterunt etiam, qui de principiis regulisque huius artis fuerunt ſolliciti, quos perſpectos cognitosque habere plurimum noſtra refert. Atque huc illi comparati ſunt, qui ex inſtituto

ſtituto de arte critica commentati ſunt, vt CASP. SCIOPPIVS, de *arte critica*, FRANC. ROBORTELLVS, in *diſputat. de arte, ſiue ratione corrigendi antiquorum libros, tom. II. theſauri crit. p. 14. 28.* &, qui perſpicuitate, ordine, ſelectu, omnes ſuperat, IO. CLERICVS, in *arte critica*, Amſtaelodami 1697 primum edita, in qua tamen quaedam, theologis non probanda, admiſcet. Neutiquam autem hic praetermittendus vir eruditiſſimus CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, quippe qui *parergis* ſuis *criticis*, Ienae 1712 editis, diſſertationem elegantiſſimam lectuque digniſſimam, de *arte critica & ſpeciatim de arte therapeutica*, praemiſit. Nec, inſpexiſſe poenitebit quemquam, quae DAN. MAICHELIVS de arte critica, paucis quidem, ſed perſpicue & luculenter, diſſerit in *introduct. ad hiſtoriam litterariam de praecipuis bibliothecis Pariſienſibus* &c. *part. II. c. III. p. 166. ſeqq.* De HONORII DE S. MARIA *conſiderationibus ſuper regulis & vſu artis criticae*, gallicana lingua ſcriptis, cum praecipue ad ſcriptores eccleſiaſticos ſpectent, in ſequentibus dicemus, cum de theologia patriſtica nobis verba facienda erunt.

** Quae de vſu artis criticae in ſcripturae ſacrae pariter ac ſcriptorum eccleſiaſticorum interpretatione ac diiudicatione hic fuſe admodum dici poſſent, in ſequentibus ex inſtituto pertractabimus, ſiquidem haec rectius partim ad theologiam exegeticam, partim ad theologiam patriſticam referuntur.

*** Vt praeſtantiſſimarum optimarumque rerum; ita & artis criticae grauiſſimus eſt abuſus. Subinde enim ad minutias, immo ineptias, artis huius magiſtri delabuntur, & in iis omne vitae tempus conſumunt. Saepe etiam coniecturis ſuis nimis indulgendo, corrumpunt, auctores, quos emendare volunt, caliginemque & tenebras iis obfundunt, quos illuſtrare debebant. In ritibus autem & inſtitutis veterum edifferendis ita verſantur, vt inutilia ab vtilibus, quaeque ſcire noſtra parum refert, ab iis, quae momentum trahunt, non diſcernant. Ne dicam, quod mores quandoque huic ſtudiorum generi adiungant, a quibus viros ſapientes longe alienos eſſe oportebat. Hinc litigia iſta criticorum, & altercationes de rebus minutiſſimis, cum conuiciis inſuper & contumeliis coniunctae, quibus dum ſe inuicem proſcindunt, & ſibi ipſis, & litteris, quas profitentur, contemtum concilianr. Iam olim inter criticos eiusmodi homines exſtitiſſe, qui magno conatu nihil agerent, SENECA nos condocet. *Quatuor*, inquit, *millia librorum Dydimus grammaticus ſcripſit, miſer, ſi tam multa ſuperuacua legiſſet. In his libris de patria Homeri quaeritur, in his de Aeneae matre vera; in his libidinoſior Anacreon, an ebrioſior vixerit; in his, an Sappho publica fuerit; & alia, quae erant dediſcenda, ſi ſcires; ep. LXXXVIII. p. m. 392.* Ineptos porro iſtos criticos perſtrinxit in *Menippo* ſuo IVST. LIPSIVS; in quos etiam acriter inſurgunt IO. BARCLAIVS, in *Euphormione, part. I. p. 95.* GABRIEL NAVDAEVS, in *ſyntagmate de ſtudio liberali, c. XIX.* in *methodis* THOMAE CRENII, an. 1692 editis, *p. 622, 623.* Nonnulla quoque, huc ſpectantia, monet ROL. MARESIVS, *lib. I. ep. XLVI.* De vanis criticorum ſuper rebus non magni momenti concertationibus ANDR. SALERNITANVS, patritius Cremonenſis, egit in libello, quem *bellum grammaticale* inſcripſit, an. 1581 primum edito, in quo ſub praelii vel certaminis ſchemate criticos inſectatur & exagitat. Commemorat eumdem, ſummamque ſimul exhibet GE. PASCHIVS, de *inuentis nou-antiquis, c. II. §. XXI.* qui & ipſemet plura eiusdem generis adfert. Ex inſtituto vero bella haecce criticorum deſcripſit IO. GE. WALCHIVS, in commentatione, de *nugis & bellis grammaticorum*, quae in *miſcellaneis Lipſienſibus*

bus

Digitized by Google

bus exſtat, *tom. I. num. V. p. 42. ſeqq.* Iungenda his IO. LAVR. MOSHEMII oratio elegantiſſima, *de eo, quod nimium eſt in ſtudiis linguarum & critices*, quae in *obſeruationum* eius *ſacrarum & hiſtorico-criticarum libro primo*, Amſtaelodami an. 1721 edito, legitur, *p. 397. ſeqq.* Nec praetermittendus eſt hic MATHANASIVS, vt vir quidam doctus vocari voluit, in libello, gallicano idiomate ſcripto, & *le chef d' oeuvre d' un inconnu* dicto, in quo lepidiſſime criticorum vitia omnium riſui expoſuit.

§. X. Cum litterarum, quae ab humanitate nomen retulerunt, vſus non in eo tantum conſiſtat, vt auctores, qui ad veram ſolidamque eruditionem viam nobis pandunt, intelligere recteque interpretari, ſed vt ipſimet mentis noſtrae cogitationes apte & concinne, lingua recepta exprimere queamus; eo minus hoc negligendum, quo maiora inde tum ad nos ipſos, tum ad alios redundare poſſunt commoda. *

* Veteres ſub *humaniorum litterarum* nomine grammaticam etiam, itemque rhetoricam & poeſin comprehendiſſe, antea ad §. *VII.* obſeruauimus. Vnde patet, non minus ad alios auctores intelligendos, quam ad ſermonem noſtrum formandum, vt eo mentis noſtrae cogitata apte, & eleganter exprimere poſſimus, eas fuiſſe comparatas. Certe comparatas eſſe oportebat. Cum enim humanioribus litteris iuuenes imbuantur, vt per eas ad veram ſolidamque eruditionem iis via muniatur; hac non nobis tantum, ſed & aliis prodeſſe debemus. Hoc autem fieri commode nequit, niſi perſpicue, & pro re nata, eleganter, quae excogitauimus, cum aliis communicare queamus. Perinde autem eſt, quacumque hoc fiat lingua, modo illi, ad quos verba facimus, eam intelligant. Si cum eruditis nobis res ſit, aut de rebus loquamur, quas ſcire eruditorum tantum intereſt; lingua latina, eaque pura, quantum fieri poteſt, & emendata, vtendum eſſe, ſupra iam demonſtrauimus. Sed, ſi ad eos verba facienda, qui linguam latinam non intelligunt; vernaculae vſus merito praefertur. Iam, cum paſtoribus eccleſiae ſaepiſſime verba, tum publice, tum priuatim, ad populum, hominesque rudes facienda ſint; eos non earum modo, quas hactenus commemorauimus, linguarum, ſed & germanicae noſtrae vel maxime peritos eſſe debere, res ipſa loquitur. Supinam plerorumque, in germanica lingua excolenda, negligentiam merito nobis exprobrarunt viri docti; & vel Gallorum nobis incutere ruborem exemplum debebat, ad quorum imitandos mores alias tam proni ſumus; quippe qui in lingua ſua perpolienda & excolenda omne ſtudium, omnemque diligentiam ponunt. Theologiae cultoribus linguae germanicae culturam iam ſuo tempore vehementer commendauit ABR. CALOVIVS, in *paedia theologica, ſect. II. art. I. c. I. can. I. p. 84. ſeqq.* & merito quidem. Nec ſine ratione hunc in finem ſcriptorum LVTHERI, cumprimis verſionis eius germanicae ſcripturae ſacrae, lectionem laudauit; vtpote in qua puritas linguae noſtrae, concinnitas, perſpicuitasque ſumma, omnium iudicio, deprehendatur. Nec deſunt alia theologorum noſtrorum ſcripta, quae velut in exemplum proponi poſſint. Ad hiſtoriam indolemque linguae germanicae introſpiciendam, plurimum facit DAN. GE. MORHOFII libellus: *Vnterricht von der teutſchen Sprache und Poeſie* dictus; cui & reliqui iungendi, quos IO. GE. WALCHIVS laudat in *dem Entwurff der allgemeinen Gelehrſamkeit, l. II. c. III. §. XXXII. ſeq.* vbi & ſubſidia, quorũ in lingua germanica excolenda vſus aliquis eſſe poteſt, indicat.

§. XI. Huc nimirum *grammatica* quodammodo, & *rhetorica*, cumprimis vero & *oratoria* ſpectat. Illa recte nos loqui docet; iſta figurate, a proprie dictis, diſtinguere; haec autem rebus ipſis verba ita attemperare, vt diſtincte, perſpicue, &, vbi res id poſtulat, ornate, ad finem, quem in oratione nobis propoſuimus, obtinendum, cuncta eloquamur. *

* Grammaticae hic mentionem facimus, prout ad ſermonem recte formandum aliquid confert; prout autem linguae cuidam intelligendae, auctoribusque, quos legimus, interpretandis, inſeruit, ad praecedentem tractationem ſpectat. Hinc &, qui latinarum, graecarum, ebraicarum, grammaticarum notitiam tradunt, iam ſuis locis indicauimus. Generatim de grammatica eiusque origine & hiſtoria, diuiſione, quo vsque cum arte critica conueniat, aut ab ea diſcrepet, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, ex mente veterum diſſerit IO. WOWERIVS, de *polymathia c. VIII. p. 70.* & GERH. IO. VOSSIVS, de *artium & ſcientiarum natura & conſtitutione, lib. II. ſiue de philologia, c. IV. tom. III. oper. p. 39. ſeqq.* Multa quoque, quae huc ſpectant, attingit PHIL. IAC. MAVSSACVS, in *diſſertatione critica*, ſupra iam laudata, *de Harpocratione eiusque ſcriptis.*

Ad *rhetoricam* quod attinet, ſunt nonnulli, qui eam cum *oratoria* vnam eamdemque faciunt, cum alii contra diſcrimen aliquod inter vtramque conſtituant. Et hos quidem ſi ſequi velis, *rhetorica* dici poterit, quae de tropis & figuris, quibus ſermoni ornatus aliquis conciliari poteſt, praecipit; cum *oratoria* contra de rerum ipſarum, de quibus loquendum eſt, argumentorumque, probantium, amplificantium, illuſtrantium, inuentione, aptaque & concinna diſpoſitione ſit ſollicita. Hoc pacto, ſi dicendum quod res eſt, rhetoricae itidem maior in interpretatione, quam eloquentia, vſus erit; cum inde diſcamus, quo nomine quilibet tropus, quaelibetue figura adpellitetur. Vſus enim ipſe *troporum* & *figurarum*, quae *dictionis* vocari ſolent, partim ab ipſa linguae cuiusque indole & conſuetudine loquendi, partim a vi & foecunditate imaginationis pendet; *figurae* autem *ſententiarum* ab ipſis praecipue adfectibus proueniunt. Hinc & quotidie videas, homines tropis & figuris vti, qui numquam de iis cogitarunt, aut omnino, quid tropus, quidue figura ſit? neſciunt. Eſtque generatim de eloquentia obſeruandum, in ea plurimum naturam ipſam valere, adeo, vt, ſi haec conatibus non reſpondeat, praecepta & regulae parum efficiant. Immo fuerunt, qui naturae hic omnia tribuerent; quod & SEXTVS EMPIRICVS fecit, qui id inde probat, quod praeſtantiſſimi exſtiterint oratores, qui numquam artem rhetoricam didicerunt. Ἐνδέχεται δέ γε ἱκανῶς, inquit, καὶ κατὰ τρόπον ῥητορεύειν μὴ μετασχόντα ῥητορικῆς, ὡς καὶ περὶ Δημάδου παρειλήφαμεν. καπηλεύτης γὰρ ὢν, ὁμολογεῖται ἄριστος γεγονέναι ῥήτωρ, καὶ σὺν τούτῳ ἄλλοι παμπληθεῖς. *Contingit autem, ſatis recte fungi munere oratoris eum, qui numquam didicit artem rhetoricam, ſicut accepimus de Demade. Nam cum eſſet remex, conſtat eum optimum fuiſſe oratorem, & cum eo alios plurimos; adu. mathematicos ſiue diſciplinarum profeſſores, lib. II. p. 291.* edit. IO. ALB. FABRICII. Eamdem ſententiam ſequitur ROLANDVS MARESIVS, *epiſtol. philolog. lib. II. c. LI.* Verum, etſi natura vtramque fere hic faciat paginam; ideo tamen artem ſeu inſtitutionem, cum exercitatione coniunctam, minime contemnendam, cenſeo. Immo, ſi haec ad naturam accedat, tum demum eximium quid, & longe praeſtantiſſimum inde effloreſcere, neceſſe eſt.

Ad

Ad *originem* itaque *artis oratoriae* quod attinet, iam antiquiſſimis temporibus exſtitiſſe viros, eloquentiae laude florentes, conſtat. Cum tamen ea naturae munere illis obtingere potuerit, & exercitatione; iam tum fuiſſe, qui praecepta aut regulas eloquentiae darent, inde colligi nequit. Certe in Moſe, aliisque prophetis & ſcriptoribus θεοπνεύστοις veteris teſtamenti, talia occurrunt, quae, eos inſigni eloquentia praeditos fuiſſe, nos dubitare non ſinunt. Magiſtris autem eos vſos, qui rhetoricam aut oratoriam artem eos docuerint, nemo, puto, temere dixerit. Apud Graecos iam antiquiſſimis temporibus eloquentiae ſtudium floruiſſe, inde nonnulli euincunt, quod HOMERVS ipſe non tantum exemplum eius dederit, ſed & quosdam ex heroibus ſuis ob eloquentiam laudauerit. Ita ipſe CICERO: *Iam temporibus Troicis tantum laudis in dicendo Vlyſſi non tribuiſſet Homerus, & Neſtori (quorum alterum vim habere voluit, alterum ſuauitatem) niſi iam tum honos eſſet eloquentiae; neque ipſe poeta hic tam idem ornatus in dicendo, ac plane orator fuiſſet*; in *Bruto, c. X.* Lubens fateor, iam tum dignitatem quamdam ac honorem fuiſſe eloquentiae; nec imperitum eius fuiſſe HOMERVM; inſtitutioni autem ac arti potius, quam naturae eam tribuendam eſſe, nondum inde euincitur. Poſtquam tamen Graeci vtilitatem eloquentiae intellexerunt, mox exſtitiſſe inter eos, qui de praeceptis & regulis eius cogitarent, non eſt, quod dubitemus. Accedebat, quod in ciuitatibus illis Graeciae, in quibus ſumma rerum penes populum erat, eloquentiae maximus vſus eſſet; ſiquidem, qui ad imperium aliquod adſpirabant, aut magnam ſaltem ſibi comparare volebant auctoritatem, eloquentiae vi flectendo, impellendoque populi animos, eumdem in ſuas pertrahebant partes, & ſic quiduis facile impetrabant. Quae rerum iſtarum conditio vt magnum eloquentiae ſtudio incrementum dedit; ita ſimul effecit, vt quae vix orta erat, ſtatim corrumperetur. Praeterquam enim, quod iſti oratores, quid verum, quid falſum, quid iuſtum, quid iniuſtum, parum curarent; in argumentis etiam non tam ſanae rationis iudicium, quam, quid populo placere, eiusque demulcere aures poſſet, ſpectabant. Ex hoc numero erant, qui circa tempora belli Peloponeſiaci florebant, LEONT. GORGIAS, THRASIMACH. CHALCEDONIVS, PROTAGOR. ABDERITES, PRODIC. CHIVS, HIPPIAS ELEVS, aliique, qui, docere ſe, profitebantur, quemadmodum cauſſa inferior dicendo fieri ſuperior poſſet. His SOCRATES ſe opponebat, contra ſophiſtas (hoc enim nomine eiusmodi homines veniebant) ſubinde acriter diſputans; quod &, ex mente ſententiaque SOCRATIS, PLATO fecit in *Gorgia*, *Hippia*, *Protagora*, & *Euthydemo*; quemadmodum & ARISTOTELES de eorum argumentis libros duos conſcripſit. Quidquid autem aut SOCRATES, aut PLATO, aut alii dicerent, ſemper tamen exſtiterunt eiusmodi eloquentiae corruptores ac ſophiſtae, qui, omni veritatis cura poſthabita, lucri gloriaeque cupiditati linguam ſuam inſeruire voluerunt. Nec alium in orationibus ſuis ſibi conſtitutum habebant finem, quam τὸ πιθανὸν, eoque etiam omnes ſuas exercitationes voluerunt eſſe comparatas. Diſcrimen inter veram eloquentiam, & falſam ſophiſtarum egregie oſtendit LVCIANVS, in oratione: *rhetorum praeceptor*, dicta *tom. II. p. 308. ſeqq.* Legenda vero etiam viri clariſſimi GE. NIC. KRIEGK elegans diſſertatio, *de ſophiſtarum eloquentia*. A Graecis ad Romanos peſtis iſta eloquentiae tranſiit, tumque maxime ſe exſeruit, cum litterarum ſtudia apud eos ad interitum vergere inciperent. Nec tamen, tum apud Graecos tum apud Romanos, defuerunt viri cordati & ſapientes, qui maſculae & genuinae

eloquentiae laude florerent, quos ipſe CICERO commemorat, in *Bruto, ſiue de claris oratoribus libro*, & QVINTILIANVS, *inſtitut. orator. lib. X. c. I.*

Vt in artis formam *praecepta eloquentiae* redigerentur, id Graecis debemus, quos, vt in aliis, ita etiam hac in re, imitati ſunt Romani. Primus EMPEDOCLES artem dicendi inueniſſe, primus GORGIAS docuiſſe, primus CORAX, & TISIAS ſcripſiſſe, perhibentur; conferatur GER. IO. VOSSIVS, de *rhetoricae natura & conſtitutione, c. IX. tom. III. operum, p. 331. ſeqq.* Alii tamen aliter hac de re ſentiunt. Quidquid eius ſit, magnus deinceps inter Graecos illorum exſtitit numerus, qui eloquentiae praecepta dederunt. Atque inter hoſce primo loco ipſum PLATONEM commemorat GIBERTVS, *dans les iugemens de ſçavans ſur les auteurs qui ont traité de la rhetorique, tom. I. p. 1. ſeqq.* Et in duobus ſane dialogis, *Gorgia* atque *Phaedro*, multa de rhetorica PLATO diſputat; ſed ita, vt in illo aliorum ſententiam refellat, in hoc ſuam exponat. Obſeruatum id iam eſt QVINTILIANO, qui ſimul recte docet, non aliam PLATONI eloquentiam probari, quam, quae cum virtute & honeſtate ſit coniuncta. *Platoni*, inquit, *non rhetoricam videri malam, ſed eam veram niſi iuſto & bono non contingere. Adhuc autem*, ita pergit, *in Phaedro manifeſtius facit hanc artem conſummari citra iuſtitiae quoque ſcientiam non poſſe; cui opinioni nos quoque accedimus. An aliter defenſionem Socratis, & eorum qui pro patria ceciderunt, laudem ſcripſiſſet? quae certe ſunt oratoris opera. Sed in illud hominum genus, quod facultate dicendi male vtebatur, inuectus eſt &c.* Et iterum: *Doctores quoque eius artis parum idonei Platoni videbantur, qui rhetoricam a iuſtitia ſepararent, & veris credibilia praeferrent; nam id quoque dicit in Phaedro; inſtitut. orator. lib. II. c. XV. p. m. 117. 118.* edit. VLRICI OBRECHTI. PLATONEM ſecutus eſt ARISTOTELES, de quo CICERO memoriae prodidit, quod omnium rhetorum, qui illum praeceſſerunt, ſcripta in compendium miſerit. *Ac veteres quidem*, inquit, *ſcriptores artis, vsque a principe illo ac inuentore Tiſia repetitos, vnum in locum conduxit Ariſtoteles, & nominatim cuiusque praecepta magna conquiſita cura perſpicue conſcripſit, ac enodata diligenter expoſuit, ac tantum inuentoribus ipſis ſuauitate & breuitate dicendi praeſtitit, vt nemo illorum praecepta ex ipſorum libris cognoſcat; ſed omnes, qui, quod illi praecipiant, velint intelligere, ad hunc quaſi ad quemdam multo commodiorem explicatorem conuertantur;* de *inuent. lib. I. c. VI.* Sed hocce quidem Stagiritae opus temporum iniuria periit. Exſtant vero eius *libri rhetoricorum*, quibus praecipuum inter omnes, qui de rhetorica commentati ſunt, locum magno conſenſu viri docti tribuunt; nec quidquam aut perfectius, aut conſummatius, iis ſcribi potuiſſe, exiſtimant. Laudant vtique eos & illi, qui ceteroquin non adeo aequo in Ariſtotelem ſunt animo; certe pro rege vel principe philoſophorum agnoſcere nolunt. Legenda viri clariſſimi IAC. BVRCKARDI *diſſertatio de Ariſtotelis librorum de rhetorica vſu ac praeſtantia, & ſummo per 2000 annos, in his aeſtimandis eruditorum conſenſu*, quam *elementis rhetoric. Ariſtotel. ab Andrea Godefredo Ammone excerptis*, editisque Coburgi 1715 praemiſit. Inter commentatores rhetoricorum librorum Ariſtotelis CHRISTOPH. SCHRADERVS reliquis omnibus dubiam palmam reddidit. Fuerunt deinceps & alii inter Graecos, qui in tradendis eloquentiae regulis, variisque ſcriptis rhetoricis, ingenium & diligentiam ſuam demonſtrarunt, vt ANAXIMENES LAMPSACENVS, quippe quem auctorem *rhetoricorum ad Alexandrum* viri docti cenſent, DIONYS. HALICARNASSENSIS,

Digitized by Google

SENSIS, LVCIANVS, HERMOGENES, ARISTIDES, ALEXANDER rhetor, APHTHONIVS, DIONYS. LONGINVS, DEMETRIVS, ſiue Phalereus, vt nonnulli putant, ſiue alius; de quibus conferendus GERH. IO. VOSSIVS, de *natura & conſtitutione rhetoricae c. IX. p. 331. ſeqq.* &, qui fuſius de ſingulis agit, argumentaque librorum, quos ſcripſerunt, refert, GIBERTVS, in libro, antea iam laudato, quo *iudicia eruditorum de auctoribus, qui de rhetorica ſcripſerunt*, exhibet, *tom. I. p. 84. ſeqq.* Quibus addenda, quae in *bibliotheca graeca* de ſingulis diligenter diſſerit IO. ALB. FABRICIVS.

Apud Romanos initio ſtudium rhetorices omnino prohibitum fuit, eo, quod putarent, hoſtes non verbis, ſed armis vinci; tandem difficulter receptum. Mirum itaque non eſt, quod libertini primum fuerint, qui rhetoricam docuerunt; ex quibus iterum L. PLOTIVS GALLVS hoc feciſſe dicitur, Cicerone etiamnum puero. Refert hoc ipſe CICERO, & ex eo QVINTILIANVS, *inſtit. orator. lib. II. c. IV.* Succeſſerunt ei deinceps alii, ſed omnes generis libertini, vsque ad BLANDVM, ſiue BLANDIVM, qui, cum eques Romanus eſſet, rhetoricamque doceret, primus huic dignitatem ſingularem, ac pretium apud Romanos conciliauit. Primus autem, qui apud eosdem de arte rhetorica quaedam ſcripſit, M. CATO CENSORINVS fuit; quem deinceps ſequuti ſunt alii. Sed omnium gloriam obſcurauit M. TVLL. CICERO, qui, vt ipſemet orator fuit praeſtantiſſimus, ita de arte hacce plurima quoque ſcripſit, egregia protſus, lectuque digniſſima. Huc namque ſpectant *libri* eius *duo de inuentione*, qui ſoli tulerunt aetatem ex *libris quatuor*, quos fecerat adoleſcens, *de arte rhetorica*, qui adeo & rectius *libri rhetoricorum* vocarentur, prout & ita a QVINTILIANO nominantur, *inſtitut. orator. lib. II. c. XV.* alibique; *dialogi tres de oratore ad Q. fratrem; Brutus, ſiue de claris oratoribus liber; orator, ſiue de optimo genere dicendi ad M. Brutum; topica ad C. Trebatium iureconſultum; de partitione oratoria dialogus; de optimo genere oratorum.* De *libris* autem *quatuor rhetoricorum ad Herennium* viri docti adhuc diſputant, adfirmantibus aliis, eos CICERONI tribuendos eſſe, aliis abnuentibus, quorum rationes etiam potiores eſſe videntur. Alter a CICERONE locus inter Romanos debetur M. FABIO QVINTILIANO, qui, ſi non pari ſermonis cum TVLLIO elegantia, certe plenius copioſiusque de hacce arte ſcripſit, in *libris duodecim de inſtitutione oratoria*, quibus reliquis omnibus dubiam palmam reddidit. Adcuratiſſime in iis futurum oratorem inſtruit, nihil eorum praetermittens, quae eum & ſcire & agere decet, qui perfectae eloquentiae decus conſequi cupit. Cumprimis maximopere mihi placet, quod numquam non id agat, vt demonſtret, non poſſe aliquem verum oratorem eſſe, niſi idem virtutis ac honeſtatis ſit ſtudioſus. Recte vtique, atque praeclare. Cum enim, vt idem porro egregie docet, oratoris ſit, ea tantum ſuadere ac defendere, quae vera, honeſta, iuſta ſunt; numquam huncce finem obtinebit, niſi auditores credant, ipſum ſerio hoc dicere, atque virtutis, honeſtatis, ac iuſtitiae cultorem eſſe ſtrenuum. Eumque in finem ab ipſa puerorum educatione inchoat, atque pulcherrime oſtendit, quo pacto ea debeat eſſe comparata, vt viri boni atque honeſti euadant, quippe qui ſoli ad veram eloquentiam ſint idonei. Quae profecto oſtendunt, QVINTILIANVM, quantumuis ethnicum, longe rectius de eloquentia ſenſiſſe, quam plurimos chriſtianorum, etiam eorum, qui omnino de eloquentia ſacra praecipiunt. Non ſine ratione itaque B. MART. LVTHERVS noſter eum reliquis omnibus praefert. *Quintilianus*, inquit, *vnus eſt, qui optimos reddit*

reddit adoleſcentes, immo viros. Hunc vnum rogo ante omnia ne derelinquas. Et iterum: *Ego prorſus Quintilianum fere omnibus auctoribus praefero, qui ſimul & inſtituit, ſimulque eloquentiam monſtrat, id eſt, verbo & re docet quam feliciſſime;* in *epiſtola ad Georgium Spalatinum*, quae in *ſupplemento epiſtolarum Lutheri*, a me edito, exſtat, *p. 8. Inſtitutionibus oratoriis* QVINTILIANI addendus adhuc *dialogus* eius *de cauſſis corruptae eloquentiae*, dignus itidem, qui ab omnibus legatur. Huncce, C. CORN. TACITO vulgo adſcriptum, QVINTILIANO vindicauit, notisque ſelectiſſimis illuſtratum edidit, vir eruditiſſimus CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, Goettingae 1719, 8. De QVINTILIANO pariter ac CICERONE plura dabunt IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. lat. lib. I. c. VIII. & lib. II. c. XV.* & GIBERTVS, in *libro* antea *laudato*, *tom. I. p. 279. ſeqq.* & *tom. II. p. 1. ſeqq.* vbi & reliquos ex Romanis, qui de rhetorica commentati ſunt, vt RVTILIVM LVPVM, AQVILAM ROMANVM, IVLIVM RVFFINIANVM &c. ordine commemorat, & more ſuo ſummam omnium iſtorum librorum exhibet. Iunctim hoſce rhetores edidit FRANC. PITHOEVS, Pariſiis an. 1599, 4. quos & recenſet IO. ALB. FABRICIVS, *bibl. lat. lib. IV. c. VIII. p. 798. ſeqq.* Iungatur his & GER. IO. VOSSIVS, de *natura & conſtitut. rhetor. c. XIII. p. m. 340. ſeqq.* vbi de origine rhetoricae apud Romanos, & praecipuis eius ſcriptoribus, differit.

Ab ethnicis mihi nunc tranſeundum eſſet ad chriſtianos. Hos enim, poſtquam in ethnicorum locum, in vtroque imperio, orientali & occidentali, ſucceſſerunt, vt reliquarum artium & ſcientiarum, ita & rhetoricae ſibi vindicaſſe poſſeſſionem, notum eſt. Sed, cum de his alibi nobis agere conſtitutum ſit, nunc nihil addimus. Conferre interim, & expendere iuuabit, quae de veterum eccleſiae patrum eloquentia differit IO. CLERICVS, *art. crit. part. II. ſect. I. c. XVI. p. 486. ſeqq* vbi hiſtoriam rhetoricae exhibet. Id nimirum maximopere illi diſplicet, quod, ad exemplum ethnicorum, ſtilo figurato plus quam decet, indulſerint. *Cum crederent*, inquit, *quae in rebus humanis hyperbolica forent & nimia, ea rerum ad religionem pertinentium momentum & maieſtatem vix ſatis exprimere, conſuetudinem contraxerunt, perpetua quadam declamatione vtendi; adeo, vt raro ad ſe redeant, & ſimpliciter id, quod volunt, exprimant.* Qua in re vir doctiſſimus neutiquam ratione deſtituitur. Nec enim negandum, eloquentiam patrum nimis turgidam, erroribus prauisque opinionibus occaſionem dediſſe. Caute tamen hic incedendum, ne quae de fidei myſteriis recte tradunt, inter inania vanae eloquentiae verba referantur. Sed hac de re in ſequentibus plura. Cum deinceps, exorta barbarie, denſa nox & atra caligo orbi incumberet; verae eloquentiae ſtudium, tenebris hisce conſepultum, prorſus ignorabatur. Et, ſi qui etiam in iſtud ſe dare voluiſſent, nihil tamen aliud, quam meras proferre potuiſſent ineptias. Reſuſcitatis autem Dei munere graecis latinisque litteris, & vita veluti quadam veteribus ſcriptoribus reſtituta; magno mox exſtierunt numero, qui & rhetoricam artem noua quadam luce perfunderent; vt FRANC. ROBORTELLVS. PHIL. MELANCHTHON, IO. STVRMIVS, MELCH. IVNIVS, aliique quam plurimi. Hos omnes recenſere noſtri non fert inſtituti ratio. Fecit id diligenter DAN. GE. MORHOFIVS, *polyhiſt. litterar. lib. VI. c. I. p. 238. ſeqq.* vbi ſimul veteres commemorat; itemque, quem aliquoties iam laudauimus, GIBERTVS, *l. c. tom. 2. p. 136. ſeqq.* & *tom. III.* per integrum. In tanto autem illorum, qui recentiori aetate de arte rhetorica praeceperunt, numero, praecipuam, omnium fere eruditorum conſenſu, laudem retulit GERH. IO. VOSSIVS, non tantum ob librum

Digitized by Google

brum, de *natura & conſtitutione rhetoricae*, ſed vel maxime ob *inſtitutiones oratorias*, opus admodum luculentum, & ex quo reliqui fere omnes, qui poſt eum campum huncce ingreſſi ſunt, ſapuerunt. Exſtat, aeque ac prius, de *natura & conſtitutione rhetoricae*, tomo tertio operum eius iunctim editorum. DAN. GE. MORHOFIVS id vocat *opus, mira diligentia concinnatum, & quod, in veterum rhetorum lectione illum longe fuiſſe verſatiſſimum, demonſtret; quos etiam*, ita pergit, *niſi habuiſſet anteſignanos, vix adeo feliciter in hocce argumento verſatus fuiſſet*. Laudat porro BVCHNERI, *lib. de commutata ratione dicendi, p. 444.* iudicium: *Voſſio neminem temere poſt Ariſtotelem, orandi artem vberius & adcuratius tradidiſſe; l. c. p. 251.* Ex illis, qui gallicano idiomate de eloquentia praeceperunt, RENATVS RAPINVS, in *conſiderationibus ſuper eloquentiam, tom. II. operum, p. 23. ſeqq.* de ſacra pariter ac profana eloquentia talia monuiſſe mihi videtur, quae minime ſunt contemnenda. Rationi quoque rectae prorſus ſunt conſentanea, quae de *vera & falſa eloquentia* obſeruauit IO. CLERICVS, *parrhaſian. tom. I. p. 72. ſeqq.* Cumprimis vero lectu digna, quae eleganter, & magno cum iudicio, inculcat SAM. WERENFELSIVS, in diſſertatione, de *meteoris orationis*, quae inter *diſſert.* eius, duobus voluminibus, Amſtaelodami, anno 1716 iunctim editas, *tom. I. p. 271. ſeqq.* exſtat. In ea enim, dum id, quod reuera in oratione ſublime eſt, a male adfectata orationis ſublimitate, diſcernit; varia ſimul illorum, qui eloquentiae laudem ſibi ipſi vindicant, vitia notat, eaque euitare docet. Non omnia quoque, quae veteres de eloquentia tradiderunt, probanda, aut caeco impetu amplectenda eſſe, nonnulli monuerunt. Nec in ea, quae hodie obtinet, eloquentiae ratione, omnia locum inueniunt, quae veteribus fuere laudata. Locis dialecticis quantum olim datum ſit, neminem fugit. At per hos, aut eorum potius abuſum, eloquentiam veram corruptam, demonſtrauit vir doctiſſimus NIC. HIERON. GVNDLINGIVS, *tom. I. obſeruation. Hallenſ. obſeru. XVII. p. 231. ſeqq.* Multa alia eiusdem generis obſeruauit IO. GEORG. WALCHIVS, in *dem Entwurff der allgemeinen Gelehrſamkeit. lib. II. c. IV. §. XV. ſeqq. p. 85. ſeqq.* Mihi illi praecipue hic peccare videntur, qui per nimias ambages iuuenes ad eloquentiam ducunt. Niſi enim me omnia fallunt, praecipua, quae ad eloquentiam comparandam faciunt, momenta huc redeunt: vt primum linguam iſtam, qua aliquando in orationibus vti volumus, quaecumque demum ſit, adcurate teneamus, vt ea proprie, perſpicue, & ſi opus ſit, eleganter ac ornate animi noſtri cogitata exprimere valeamus; deinde, vt earum artium ac diſciplinarum, quae argumenta orationis ſuppeditant, haud ſimus rudes; porro, vt naturae ductum ita ſequamur, vt eumdem ſimul per prudentiae regulas temperemus; & denique, vt non alium finem, quam veritatis propagationem, & cum aliis communicationem, conſtitutum nobis habeamus; ita vero ſimul in vita moribusque nos geramus, vt alii credere queant, ſerio huncce finem nobis conſtitutum eſſe.

Cum vero, in eloquentia comparanda, imitatio plus valeat, quam regulae; immo hae nihil proſint, niſi illa cum exercitatione accedat; oratores ipſos, qui prae ceteris eloquentiae laude floruerunt, cognitos habere oportet, ab iis vt ſumamus exemplum, quod ſequamur, ad quod nos componamus. Et graecos quidem oratores diligenter recenſet GERH. IO. VOSSIVS, *de natura & conſtitut. rhetoricae, c. X. ſeqq. p. m. 333. ſeqq.* itemque DAN. GE. MORHOFIVS, *polyhiſt. litter. lib. VI. c. II. p. 256.* & IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. II. c. XXVI.* alibique. Eſt viris doctis obſeruatum, poſt amiſſam

Grae-

Graeciae libertatem, eloquentiam quoque degeneraſſe; quiue poſtea vixerunt, cum prioribus non poſſe comparari. Idem & apud Romanos contigiſſe, conſtat. Nimirum, ab iis, qui, ſeruili iugo oppreſſi, ad adulationem ſe toti componunt, maſcula quaedam, & cum auctoritate coniuncta exſpectari nequit eloquentia. De Romanorum oratoribus itidem GER. IO. VOSSIVS agit, *l. c. c. XIV. ſeqq.* & DAN. GE. MORHOFIVS, *l. c. lib. IV. c. XI. ſeqq.* vbi ſcriptores latinos recenſet, & in *bibliotheca* ſua *latina*, IO. ALB. FABRICIVS. Principem haud dubie locum inter Graecos DEMOSTHENES, & inter Romanos tenuit CICERO. Comparat eos inter ſe hunc in modum M. FABIVS QVINTILIANVS: *Quorum ego virtutes pleraſque arbitror fuiſſe ſimiles, conſilium, ordinem diuidendi, praeparandi, probandi rationem, omnia denique, quae ſunt inuentionis. In eloquendo eſt aliqua diuerſitas: denſior ille,* (Demoſthenes) *hic* (Cicero) *copioſior: ille concludit adſtrictius, hic latius: pugnat ille acumine ſemper, hic frequenter, & pondere: illi nihil detrahi poteſt, huic nihil adiici: curae plus in illo, in hoc naturae.* Paucis hinc interiectis de CICERONE ita pergit: *Cedendum vero in hoc quidem, quod ille* (Demoſthenes) *& prior fuit, & ex magna parte Ciceronem, quantus eſt, fecit. Nam mihi videtur M. Tullius cum ſe totum ad imitationem Graecorum contuliſſet, effinxiſſe vim Demoſthenis, copiam Platonis, iucunditatem Iſocratis. Nec vero quod in quoque optimum fuit, ſtudio conſecutus eſt tantum, ſed plurimas vel potius omnes ex ſe ipſo virtutes extulit immortalis ingenii beatiſſima vbertate. Non enim pluuias, vt ait Pindarus, aquas colligit, ſed viuo gurgite exundat, dono quodam prouidentiae genitus, in quo totas vires ſuas eloquentia experiretur. Num quis docere diligentius, monere vehementius poteſt? Cui tanta vmquam iucunditas adfuit? vt ipſa illa, quae extorquet, impetrare eum credas, & cum transuerſum vi ſua iudicem ferat, tamen ille non rapi videatur, ſed ſequi. Iam in omnibus, quae dicit, tanta auctoritas ineſt, vt diſſentire pudeat; nec aduocati ſtudium, ſed teſtis aut iudicis adferat fidem. Tum interim haec omnia, quae vix ſingula quiſquam intentiſſima cura conſequi poſſet, fluunt vt illaborata; & illa, qua nihil pulchrius auditu eſt, oratio prae ſe fert tam feliciſſimam facilitatem. Quare non immerito ab hominibus aetatis ſuae regnare in iudiciis dictus eſt, apud poſteros vero id conſequutus, vt Cicero iam non hominis, ſed eloquentiae nomen habeatur; inſtitut. orator. lib. X. c. I p. m. 605. 606.* edit. VLR. OBRECHTI. Haec ideo recitare viſum fuit, inde vt intelligeretur, quantus vir fuerit CICERO. Nec ſine ratione cenſetur inter oratores eſſe inſtar omnium; addatur RENATI RAPINI *comparatio Demoſthenis & Ciceronis, tom. I. operum, p. 1. ſeqq.* Ad recentiores oratores quod attinet, eos itidem diligenter recenſet DAN. GE. MORHOFIVS, *l. c. lib. VI. c. III. p. 174. ſeqq.* qui & non immerito M. ANT. MVRETO primum inter eos concedit locum. Ad veteres namque, immo ipſum CICERONEM, proxime accedit. Habuit cumprimis Italia haud paucos, qui magnam eloquentiae laudem conſequuti ſunt, quos inter OCTAVIAN. FERRARIVS omnium in ſe conuertit animos, neminique ſecundus cenſeri debet; adeo ſingulae magni oratoris virtutes in eo conſpirant. Reuixiſſe autem is noſtra aetate videtur in IAC. FACCIOLATO, cuius *orationes decem de optimis ſtudiis*, hoc ipſo, quo haec ſcribo, an. 1723 Pataiii prodierunt. Non modo academiam Patauinam, ſed Italiam vniuerſam, is nominis ſui ſplendore illuſtrat, ſuoque exemplo demonſtrat, nondum eloquentiae laudem gentem Italam amiſiſſe. Iam & de Germanorum eloquentia, oratoribuſque, qui lingua vernacula vſi ſunt, aliquid addendum

dum eſſet; ſed, cum his diutius immorari non liceat, legi ea, quae hac de re dici poſſent, velim apud clariſſimum virum GOT. STOLLIVM, in *der kurtzen Anleitung zur Hiſtorie der Gelarheit, c. IV. §. XVIII. ſeqq. p. 181. ſeqq.* qui & de dialogis ac epiſtolis talia monet, quae eloquentiae cultoribus proderunt.

§. XII. Vt autem *oratoria* ſoluto ſermone recte vti docet, ita *ars poëtica* ligato. Cuius cum in rebus quoque ſacris vſus minime contemnendus ſit; optime faciunt, qui ingenium, per naturam ad poëſin aptum, induſtria & exercitatione magis excitant, ſimul tamen praecipitia, quae hic ſeſe offerunt, caute euitant. Lectio poëtarum, ſi rite inſtituatur, non tantum hoc nomine ſuadenda, quod iis, qui exemplis & imitatione proficere cupiunt, multum proſit, ſed, quod & alia ratione eruditio theologica inde augeri ac amplificari queat. *

* Facultatem, fundendi carmina, eiusque in diuinis laudibus celebrandis, prauis porro hominum adfectibus ſedandis, bonis contra excitandis, vſum qui recte conſiderauerit; nec poterit non eam pro inſigni quodam Numinis reputare munere. Origo eius etiam ab ipſa hominum natura recte arceſſitur; cum experientia doceat, in anima hominis quamdam ad harmoniam, metrum, rhythmum eſſe inclinationem, etſi non eodem apud omnes ſeſe exſerat modo. Hinc alios ita per naturam ad poëſin aptos videas, vt & ſine magiſtro poëtae praeſtantiſſimi euadant, alios ad minimum adfici carminibus, demulceri & delectari. Antiquiſſimis itaque temporibus vſitatam fuiſſe poëſin, ſeu exſtitiſſe, qui carmina & cantica conficerent, non eſt, quod dubitemus. *Perperam*, inquit PET. LAMBECIVS, *Graeci primam poëſeos inuentionem ſibi vindicant; vtpote cum ſine dubio vera eius origo inde ab ipſis mundi incunabulis, & primo mortalium Adamo deriuanda ſit. Teſtatur enim hoc, praeter arctiſſimam animae humanae cum harmonia cognationem, antiquitas* τῆς αὐλητικῆς καὶ κιθαριστικῆς, *hoc eſt, artis canendi tibia & cithara, cuius inuentio Geneſ. IV, 21. attribuitur Iubali, Kaini trinepoti, qui ibi pater adpellatur omnium contrectantium citharam, & organum; prodrom. hiſt. litter. lib. II. c. III. p. 162.* Recte quidem dicit, Graecos poëſeos inuentionem perperam ſibi vindicare; nec illud inepte, iam antiquiſſimis temporibus poëſin fuiſſe vſitatam; ſed ab Adamo ipſo eius originem deriuandam, iſtis, quas attulit, rationibus vix cuiquam perſuadebit. Iudaeorum traditionem, *pſalmum nonageſimum ſecundum*, vel ſecundum alios, *nonageſimum primum*, cuius lemma: *cantus cantici in die ſabbati*, ab Adamo compoſitum, ipſemet rectiſſime ibidem explodit. Antiquitas vero poëſeos inde quoque conſtat, quod antiquiſſimis gentibus in more poſitum fuerit, heroum ſuorum laudes carmine celebrare, & alia quoque memoratu digna hac ratione ad poſteros transmittere. Legenda, quae hac de re obſeruauit ISA. IAQVELOTIVS, in *diſſertationibus de exiſtentia Dei*, gallicana lingua ſcriptis, *diſſ. I. c. IV. p. 33. ſeqq.* Apud Gallos olim noti erant *bardi*, qui heroum geſta carmine celebrabant; de quibus conferenda, quae GER. IO. VOSSIVS obſeruat, *de natura & conſtitution. artis poeticae, c. III. §. XII. tom. III. operum, p. 11. ſeqq.* Apud Germanos eumdem morem receptum fuiſſe, ex C. CORNELIO TACITO diſcimus: *Celebrant carminibus antiquis (quod vnum apud illos memoriae & annalium genus eſt) Tuiſtonem deum terra editum, & filium*

Mannum, originem gentis conditoresque; de *moribus Germanor. c. II.* Quae verba non de Suecis, vt OLAVS RVDBECKIVS exiſtimauit, ſed de Germanis intelligenda eſſe, DAN. GE. MORHOFIVS probat, in *dem Unterricht von der teutſchen Sprach vnd Poeſie, c. VI. p. 255.* vbi plura hac de re. Omnium autem luculentiſſime ex ſcriptura ſacra poëſeos antiquitas demonſtrari poteſt; ſiquidem, iam Moſis aetate cantica confecta fuiſſe, ex *Exod. XV.* & *Deut. XXXII.* abunde conſtat. Et, licet haec prima ſint θεόπνευστα, alia tamen, diuinitus non inſpirata, iam antea exſtitiſſe, non eſt, quod dubitemus. Atque inde etiam, vti & ex reliquis canticis, in ſcriptura ſacra commemoratis, cumprimis ex pſalmis Dauidis, liquet, poëſin in gente ebraea vſitatam fuiſſe; etſi, quaenam eius ratio fuerit, obſcurum plane ſit, atque ambiguum. Ex inſtituto hic de poëſi Ebraeorum dici poſſet, ſed copioſe admodum iam hoc a me factum in *hiſtor. eccleſ. veter. teſtam. tom. II. period. II. ſect. III. ad §. XXVI. p. 291. ſeqq.* vbi & auctores reliquos, qui hocce argumentum tractarunt, laudaui, vt, quod hic addi queat, ſuperſit nihil. Sed de origine poëſeos plura dabunt IO. STEPH. MENOCHIVS, de *republ. Ebraeor. lib. VII. c. XIII.* POLYDORVS VERGILIVS, de *inuentor. rerum. lib. I. c. VIII. IX. X.* IVL. CAES. SCALIGER, *poët. lib. I.* ANTONIVS ZARA, in *anatomia ingenior. ſect. II. membr. III.* aliique.

Quantumuis autem ipſius poëſeos inuentionem ſibi perperam tribuant Graeci; primos tamen fuiſſe, qui artem poëticam inuenerint, negari nequit. Quod cum ipſimet contenderent, cuinam tamen inuenti huius gloria debeatur, inter ſe non conuenirint; conf. GERH. IO. VOSSIVS, de *natur. & conſtitut. artis poët. c. XIII. p. 30. ſeqq.* Celebratur cumprimis Phemonoe, antiquiſſima Graecorum vates, primaque Pythia, ſiue ſacerdos Apollinis Delphici, eique inuentio carminis hexametri tribuitur. Id teſtatur STRABO, *lib. IX. geograph. p. 419* add. PET. LAMBECIVS *prodrom. hiſt. litter. lib. II. c. III. p. 164.* Nec ſine ratione obſeruatum aliis, ſacrificia, coetusque, & conuentus, qui ſacrificiorum cauſſa inſtituebantur, poëſi ſaltem perficiendae, & magis excolendae, occaſionem dediſſe; conf. FRID. RAPPOLTVS, *comment. in Horat. p. 598.* Quidquid eius ſit, primus omnium, qui de arte poëtica ſcripſit, ARISTOTELES fuit, qui tanto ingenii acumine, tantaque id fecit felicitate, vt hodie adhuc praecipuus eſſe cenſeatur. Nec primus tantum & praecipuus, ſed, quod gloriam eius auget, vnicus etiam inter Graecos fuit, qui eiusmodi quid ſuſciperet. Eandem inter Romanos laudem conſequutus eſt Q. HORAT. FLACCVS, qui, dum de *arte poëtica* ſcripſit, ſimul poëtam ſe demonſtrauit. In vtroque nihil aliud, quam ordinem, deſiderari poſſe RENATVS RAPINVS exiſtimat, in *conſiderationibus ſuper arte poëtica §. XVII. tom. II. operum, p. 130.* Recentiori aetate longe plurimi fuerunt, qui de arte poëtica praecepta dederunt, quos DAN. GE. MORHOFIVS diligenter recenſet, *polyhiſt. litter. lib. VII. c. I. p. 307. ſeqq.* Eminet inter omnes IVL. CAES. SCALIGER, in libris de *re poëtica*, in quibus non tantum omnia carminum genera, magno ingenii acumine, explicat, ſed poëtas ipſos veteres ac recentiores ſub examen vocat. Nimis tamen rigidum, immo interdum inquum cenſorem eum eſſe, aliis obſeruatum eſt. Nihil forte SCALIGERO concedet GERH. IO. VOSSIVS, cuius non tantum *de natura & conſtitutione artis poëticae*, ſed & *inſtitutionum poëticarum libros tres*, immo & *de imitatione tum oratoria, tum praecipue poëtica librum* habemus; qui omnes *operum* eius *tomo tertio* exſtant. Non, puto, plenius, magisque perſpicue, de arte hacce a quoquam dici

ci

ci poſſe, quam factum a VOSSIO. Non contemnenda quoque ſunt, quae RENATVS RAPINVS monet *dans ſes reflexions ſur la poëtique, tom. II. operum* eius, *p. 109. ſeqq.* Cenſorem tamen acrem expertus eſt FRANC. VAVASSOREM, qua de re vid. MORHOFIVS, *polyhiſt. litter. lib. VII. c. I. p. 312.* Cum vero vt in eloquentia, ita & in poëſi, imitatio plus valeat, quam praecepta & regulae; cognita habere decet exempla, in quae intueamur, & ad quae nos componamus. Huc vero hiſtoria poëtarum eſt comparata. Atque hic iterum non poſſum non primo ſtatim loco laudare virum, in omni litterarum genere ſummum, GER. IO. VOSSIVM, cuius exſtant *de veterum poëtarum temporibus libri duo, qui ſunt de poëtis graecis & latinis*; operum eius *tomo tertio.* Nec tamen tanta diligentia, quam reliqua auctoris ſcripta, ſunt elaborati, quemadmodum & poſt eius obitum lucem demum publicam adſpexerunt. Iam antea *hiſtoriam ſiue dialogos decem de poëtis graecis & latinis* ſcripſerat LILIVS GIRALDVS; quos contra iniquam SCALIGERI cenſuram defendit MORHOFIVS, *l. c. c. II. p. 332.* PETRVS quoque CRINITVS *libros quinque de poëtis latinis* reliquit, qui cum eius *libris XXV de honeſta diſciplina*, & *libris II. poëmatum*, Lugduni prodierunt an. 1543. 8. Nec praetermittenda OLAI BORRICHII, viri doctiſſimi, *diſſertatio de poëtis*, magna quippe diligentia conſcripta. IO. PETRI LOTICHII *bibliotheca poëtica* non veteres ſolum, ſed recentiores quoque poëtas complectitur, ita quidem, vt vitam illorum tantum breuiter, & velut in compendio deſcribat. Pars prima & ſecunda, Thraciae, Graeciae, Italiae, & Hiſpaniae, pars tertia Germaniae & Belgii, quarta denique Galliae, Angliae, aliarumque gentium poëtas celeberrimos exhibet. Prima & ſecunda pars an. 1625, tertia 1626, & quarta denique, ſeu vltima, an 1628 Francofurti lucem adſpexit. Prodierunt & an. 1707 Lugduni Batauorum *diſſertationes ſelectae criticae de poëtis graecis & latinis &c.* quas recenſuit ediditque IANVS BERCKELIVS. Idem opus iam an. 1704 ita inſcriptum: *Iacobi Palmerii a Grentemeſnil* [illegible] *ſiue pro Lucano apologia, e ſcriniis Iani Berckelii edita; accedunt ſimilis argumenti nonnulla alia*, comparuerat. Nimirum, praeter IAC. PALMERII *apologiam pro Lucano* contra IOS. SCALIGERVM, in hocce opere continentur RENATI RAPINI *comparatio Homeri & Virgilii*, e gallico latine reddita; BLONDELLI *comparatio Pindari & Horatii*; IAC. TOLLII *poëtarum latinorum cum graecis comparationes.* Apud Gallos ADRIAN. BAILLETVS, in *iudiciis eruditorum, de praecipuis eruditorum ſcriptis*, & quidem *tomo IV.* quidquid non modo apud Graecos & Latinos, ſed Italos quoque, Gallos, ac Hiſpanos, ad poëſeos hiſtoriam pertinet, diligentiſſime perſequutus eſt. Copioſiſſime etiam tum de veteribus, tum de recentioribus poëtis, verba facit DAN. GE. MORHOFIVS, *polyhiſt. litterar. lib. VII. c. II. & III. p. 330. ſeqq.* qui & germanicae poëſeos hiſtoriam egregie illuſtrat, in libro: *Vnterricht von der teutſchen Sprach vnd Poëſie, deren Vrſprung, Fortgang, und Lehrſaetzen*, dicto. Graecorum latinorumque poëtarum exquiſitam notitiam etiam in IO. ALB. FABRICII *bibliotheca graeca & latina* ſuppeditari, vel me non monente, quilibet intelligit. Singula poëtarum ſcripta, eorumque editiones, & commentatores, ſummo ibi enarrantur ſtudio. De Germanorum vero poëtis, qui celebritatem quamdam conſequuti ſunt, peculiaris exſtat *diſſertatio* ERDM. NEVMEISTERI. Sed hiſce omnibus augendis vir clariſſimus GOTTL. STOLLIVS, in *der kurtzen Anleitung zur Hiſtorie der Gelahrheit part. I. c. V. p. 206. ſqq.* Multa namque non tantum ibi de poëtis veteribus pariter ac recentioribus adferuntur, quibus illorum hiſtoria illuſtra-

ſtratur; ſed ſpeciatim etiam de carmine heroico, de tragoediis, comoediis, poëtis ſatyricis, ceteriſque, ita diſſeritur, vt ſubinde quoque auctores, qui de hiſce omnibus ex inſtituto egerunt, laudentur.

Poëſin, in ſe ſpectatam, minime contemnendam, ſed pro inſigni potius Dei munere habendam; ante iam diximus. Confirmat hoc pluribus IO. CASELIVS, magnus quondam elegantiorum litterarum in Germania ſtator & vindex, in oratione pro *arte poëtarum*, in qua ex inſtituto defenſionem eius ſuſcepit. Neſcio itaque, quid in mentem venerit TANAQVIL. FABRO, celeberrimi illius TANAQVILLI filio, dum peculiari libro, *de futilitate poëtices*, Amſtelodami an. 1697 edito, eam reiicere prorſus atque proſcribere auſus eſt; caſtigatus ideo merito refutatuſque, tum ab aliis, tum ſpeciatim a FRID. SCHVTZIO, peculiari diſſertatione, Lipſiae an. 1698 eruditorum examini expoſita. Nimirum, quae ſaepiſſime a poëtis peccantur, ea perperam, ad inuidiam ipſi poëſi conflandam, adducuntur. Huc primum illud pertinet, quod poëtae non tantum ſubinde laſciua, obſcoena, & ab omni pudore aliena, carminibus ſuis admiſceant, ſed omnino eiuſmodi argumentum, in quo ingenii vires exerceant, eligant, quod vitiis quibuſuis generandis, augendiſque, & corrumpendis moribus, aptius eſt, quam excitandis, fouendiſque virtutibus. At, poterant praua quaeuis omittere, poterant argumentum, vtile pariter, ac honeſtum, pertractandum ſibi ſumere. Sic ex ipſis ethnicis HESIODVS in *operibus & diebus*, oeconomica ac moralia praecepta dedit; de rebus oeconomicis in *georgicorum* libris etiam VIRGILIVS egit; TITVS LVCRETIVS CARVS vniuerſam de natura doctrinam carmine complexus eſt; vt reliquos, non minus grauia & ſcitu digna in carminibus ſuis tractantes, taceam. Qui autem omnino chriſtianorum nomine veniunt, longe ſublimius, in quo occupentur, ſibi ſubminiſtrari argumentum, intelligunt. Ad laudes enim diuinas decantandas, ad opera Numinis ſanctiſſimi celebranda, ad ſalutarem doctrinam propagandam, & aliis inculcandam, ad pios ſanctoſque adfectus excitandos, quidquid poëticae facultatis habent, ſibi conferendum eſſe, recte arbitrantur; idque ad exemplum Moſis, Dauidis, & veterum chriſtianae eccleſiae doctorum, de quibus deinceps. Eiuſmodi poëtis PLATO, vt puto, ſi viueret, lubens locum in republica ſua concederet; cum contra eos, qui prauos adfectus moreſque hominum velut induunt, vt rectius eos exprimere queant, non ſine ratione ex ciuitate ſua dimiſerit, *lib. X. de republ. p. m. 593*. Deinde & ad finem, quem carmen aliquod conditurus ſibi conſtitutum habet, reſpiciendum eſt. Si quis enim nihil aliud ſpectet, quam vt delectet, & legentium animos voluptate quadam perfundat, aut aliis, in quorum honorem carmen aliquod ſcribit, turpiter adúletur; & ſe ipſum, & poëſin, aliorum contemtui & ludibrio exponit. Antiquiſſimis equidem poëtis, ſi HORATIO credimus, propoſitum fuit, grauiſſima philoſophiae proponere dogmata.

- - Fuit haec ſapientia quondam,
Publica priuatis, ſecernere ſacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis
Oppida moliri &c.

de *arte poetica, v. 396. ſeqq.* Valde autem dubito, an adeo multa exempla eorum proferri queant, qui ſi non vnice, ſaltem praecipue ad aliorum inſtructionem, carmina ſua confecerint. Certe & HOMERO & VIRGILIO, qui principem inter epicos locum tenent, non tam vt alios erudirent, quam, vt delectarent, voluptatemque lectoribus adferrent, conſtitutum fuiſſe,

ſe, IO. CLERICVS probare adnititur, *parrhaſianor. tom. I. p. 55. ſeqq.* Non ſane abnuit, poſſe ex vtriusque opere varia colligi, quae, ad formandos mores, vitamque recte inſtituendam, vſum habent; ſed huncce hiſce poëtis propoſitum fuiſſe finem, id vero eſt, quod neutiquam concedit. Quidquid eius ſit, grauiſſimum hodie poëſeos, ſi finem ſpectes, eſſe abuſum, nemo negare poterit. Nihil de iis dicam, qui tum demum ſe, quod poëtam decet, agere, putant, quando impuros amores canunt, ipſis ethnicis, laſciuis, obſcoenisque loquutionibus, dubiam reddituri impietatis palmam; nihil frequentius, nihil ſollemnius, quam, vt in carminibus, quae in aliorum honorem (eorum plerumque, qui nullo honore digni ſunt) conficiuntur, quilibet promiſcue, & ſine vllo diſcrimine, ineptiſſimis elogiis cumulentur, idque ſine vllo prorſus iudicio, vt cordatis lectoribus non poſſint non aut riſum mouere, aut indignationem. Quae qui ſecum expenderit, non mirabitur, quod tantopere a pleriſque contemnatur diuina poëſis, & nullo fere hodie habeatur loco. Interim fatendum, poëtarum iterum hoc vitium eſſe, non poëſeos. Idem & generatim de poetarum quorumdam moribus corruptis dicendum. Per eos enim etſi ipſis, quae conficiunt, carminibus, plerumque labes adſpergatur; errauerit tamen, qui ideo poëſin, in ſe ſpectatam, reiiciendam putauerit: quo tamen concludendi genere vtitur, quem antea commemorauimus, TANAQVILLVS FABER. Poëtas vero grauiſſimis vitiis ſubinde obnoxios, ſi quis negaret; cum ipſa is pugnaret experientia. Legenda, quae iterum hac de re diſſerit THEOD. PARRHASIVS, ſiue IO. CLERICVS, *parrhaſianor. tom. I. §. XXXIII. ſeqq.* Sunt rurſus quaedam poeſeos genera, a quibus, quae in vitio ponuntur, hinc & culpantur merito, vix ſeparari poſſunt; a quibus adeo, qui ſibi recte conſulere cupit, ſe merito abſtinet. Huc praeter alia comoedias, & ludos ſcenicos quosuis, referre licet. Numquam enim placebunt, niſi ita ſint comparati, vt, varios mortalium adfectus excitando, voluptate quadam eos perfundant. Cum vero in ſedandis compeſcendisque eiusmodi adfectibus omnis chriſtianorum poſitus ſit labor; quam parum hocce nomine ſe dignos demonſtrent, palam eſt, qui data opera id agunt, vt illos excitent, atque irritent. Nihil nunc de eo dicam, quod plerumque talia admiſceantur, quae nec cogitare, multo minus aut legere, aut audire, virum honeſtum decet. Nec eſt, quod regeras, multa tamen etiam in comoediis proferri, quibus homines emendari queant, dum in iis & virtutes, & vitia depingantur, illarumque commoda, horum autem oſtendantur incommoda; immo, qui his dediti ſunt, omnium riſui & ludibrio exponantur. Quam parum enim hinc mortales proficiant, ipſemet PLAVTVS, comicorum haud vltimus, & agnoſcit, & nos condocet:

Spectaui ego pridem comicos ad iſtum modum
Sapienter dicta dicere, atque iis plaudier,
Cum illos ſapientes mores monſtrabant populo;
Sed cum inde ſuam quisque ibant diverſi domum
Nullus erat illo pacto, vt illi iuſſerant;

in *rud. act. IV. ſc. VII.* Quae inter quosdam noſtrae eccleſiae theologos de ludis ſcenicis diſputata ſunt, aliis eos probantibus, improbantibus aliis, legi apud IO. MOLLERVM poſſunt, *iſagog. ad hiſtor. Cherſoneſi cimbr. part. vlt. c. X. §. XXI. p. 599. ſeqq.* De ludis ſcenicis quod diximus, idem cenſendum de poëſi ſatyrica, de qua ex inſtituto agit ISA. CASAVBONVS, de *ſatyrica Graecorum poëſi & Romanorum ſatyra*; quo in libro, ſatyram Romanorum a ſatyrica Graecorum poëſi diuerſam fuiſſe,

fuiſſe, contendit; diſſentiente DAN. HEINSIO, de *ſatyra Horatiana*; ſed pro CASAVBONO ſententiam pronuntiante EZECH. SPANHEMIO, in praefatione, *caeſaribus Iuliani*, gallice a ſe verſis, praemiſſa. Toti in eo ſunt ſatyrici, vt vitia mortalium perſtringant, &, qui iis infecti ſunt, aliis ridendos propinent; vnde omnino inter philoſophos, moraliſque doctrinae magiſtros, locum promereri videntur. Nec eum illis denegat GE. PASCHIVS, de *variis modis moralia tradendi, c. III. p. 221. ſeqq.* vbi ex inſtituto *de ratione tractandi moralia per ſatyras* agit, eaque ſimul, quae ad hiſtoriam ſatyrae ſpectant, attingit. Verum, licet non negem, quaedam recte ab eiusmodi ſcriptoribus moneri, ſique generatim vitia perſtringantur, eiusmodi hoc eſſe, vt nemo de eo iuſtam conquerendi habeat cauſſam; certus tamen ſum, ad hominum emendationem parum aut nihil iſtud ſcriptionis genus conferre, eoque illud effici, vt peccata tandem pro re ludicra, & non poena, ſed irriſione tantum, digna, habeantur; ne quid de malis quam plurimis dicam, deque peccatis grauiſſimis, quae ex eo non poſſunt non fluere. Sed, dum ad alia properamus, id generatim de poëſi adhuc addendum, cum facillimo negotio ad eius abuſum prolabi homines queant, caute admodum & circumſpecte circa eam verſandum. Idque eo magis, quod haud raro, qui ſemel animum ad eam adiecerunt, dulcedine eius capti, a grauioribus, magisque neceſſariis, ſtudiis & negotiis abſtrahantur. Intellexit hoc haud dubie M. AVRELIVS ANTONINVS imperator & philoſophus, quando inter deorum beneficia hoc quoque refert τὸ μὴ ἐπὶ πλέον προκόψαι ἐν ῥητορικῇ καὶ ποιητικῇ, *quod magnos in rhetorica & poëtica progreſſus non fecerit; de ſe ipſo ad ſe ipſum, lib. I. §. XIV.* Ceterum de vſu atque abuſu poëſeos, de quo hactenus diſſeruimus, legi meretur praefatio, quam vir clariſſimus IO. IAC. RAMBACHIVS libello ſuo, *poetiſche Feſt-Gedancken* dicto, & an. 1723 edito, praemiſit.

De lectione poëtarum quid cenſendum ſit, nemini obſcurum eſſe poterit. Illis, qui ipſimet poëtae euadere cupiunt, alios poëtas legendos, atque imitandos, res ipſa docet. Sed tales legendos imitandosque, qui nihil, quod mentem moresue corrumpat, & velut veneno quodam inficiat, tradunt; ipſa ratio iubet. Hoc & generatim obſeruandum, ad quemcumque demum vſum poëtas legas. Veterum graecorum pariter ac latinorum lectionem, ad vtriusque linguae notitiam adcuratiorem comparandam, ad ritus & antiquitates cognoſcendas, ſimiliaque, quae criticis & philologis proſunt, inſignem adferre vtilitatem, fatentur omnes. Hinc & ipſi ſcripturae ſacrae lucem quandoque minime contemnendam ex poëtis adfuderunt viri doctiſſimi, HVGO GROTIVS, IO. PRICAEVS, aliique. Locum nimirum & hic inueniunt, quae de graecae linguae vſu ſupra, ad §. V. huius capitis, diſputauimus. Praeterea, vt reliqui ſcriptores ethnici, ita & poetae, ſubinde quaedam tradunt in morali ciuilique doctrina, neutiquam negligenda. Conferenda, quae hac de re IO. CVNR. DIETERICVS monet, in *antiqu. bibl. vet. teſtam. prolegom. p. 3. ſeqq.* Hinc & HVGO GROTIVS, in iuris naturae & gentium diſciplina poëtarum neutiquam praetermittenda, cenſuit, ſuffragia; quamquam fateatur, ſe iis vſum, non tam, vt inde adſtrueret fidem, quam vt inde a ſe dictis aliquid ornamenti accederet; *prolegom. de iure belli & pacis*, §. *XLVII.* In hiſtoricis non prorſus reiiciendam poëtarum auctoritatem, erudite demonſtrat MART. DIEFENBACHIVS, in *diſſertat. de vero mortis genere, ex quo Henricus VIII. imperator obiit, ſect. I. §. X. p. 31. ſeqq.* Hiſtoriam cumprimis philoſophicam ex poëtarum lectione lucem inſignem accipere, nemo niſi qui harum rerum expers eſt, dubitabit.

bit. Integrum EPICVRI ſyſtema nemo plenius elegantiusque explicauit, quam TITVS LVCRETIVS CARVS. De Stoicis, Epicureis, aliisque, toties loquutus eſt Q. HORAT. FLACCVS, vt inde FRID. RAPPOLTO occaſio data ſit, in *commentario* ſuo in *Horatium*, integram velut ſiluam obſeruationum pulcherrimarum, tum ad alia, tum & ad hiſtoriam philoſophicam ſpectantium, nobis exhibendi. Mythologia vero vnde rectius petitur, quam ex poetis? quorum antiquiſſimi HESIODVS, HOMERVS, aliique, ideo *theologi* dicti ſunt, quod θεογονίαν, ſiue generationem deorum, ex mente ſententiaque veterum gentilium, traderent. In hac ipſa vero mythologia multa deprehendi veritatis veſtigia, multa, quae ad confirmandam hiſtoriam ſacram, antiquiſſimasque rerum variarum origines eo rectius intelligendas, faciunt, aut alium etiam in theologia, hiſtoria, & philoſophia, vſum praebent, viri doctiſſimi GERH. IOAN. VOSSIVS in praeclaro, de *idololatria gentilium*, opere; PET. DAN. HVETIVS, in *demonſtratione euangelica*; SAM. BOCHARTVS, in *geographia ſacra, ſeu Phaleg & Canaan*; PETRVS IVRIEV, in *hiſtoria critica dogmatum & cultuum bonorum & malorum*, aliique demonſtrarunt. Inter tot nebulas autem, quibus circumſepti fuerunt poëtae gentiles, ſubinde illos de Deo, rebusque diuinis, ea tradidiſſe, quae rectae rationi ſunt conſentanea, abunde ex iis conſtat, quae TOB. PFANNERVS collegit, in *ſyſtemate theologiae gentilis purioris*.

Praeſtantior adhuc ſublimiorque eſt vſus, quem ex chriſtianorum poëtarum carminibus capere licet, quippe quibus ſubinde animus ad diuina & caeleſtia erigitur & excitatur. Iam autem a primis eccleſiae chriſtianae initiis vſitatum fuiſſe, hymnis laudes celebrare diuinas, vel ex PLINIO condiſcimus. Hanc enim ſummam culpae chriſtianorum eſſe, tradit, *quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem conuenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum inuicem*; *lib. X. ep. XCVII. p. m. 896.* Refert idem ex PLINIO EVSEBIVS, idque ita exprimit: πλὴν τόγε ἅμα τῇ ἕῳ διεγειρομένους, τὸν χριστὸν θεοῦ δίκην ὑμνεῖν· *niſi quod, primo diluculo excitati, Chriſto tamquam Deo hymnos canerent*; *hiſt. eccleſ. lib. III. c. XXXIII. p. 105.* Confirmatur id porro ex iis, quae idem EVSEBIVS ex veteris cuiusdam auctoris libro aduerſus Artemonis haereſin refert: ψαλμοὶ δὲ ὅσαι καὶ ᾠδαὶ ἀδελφῶν, ἀπ᾽ ἀρχῆς ὑπὸ πιστῶν γραφεῖσαι, τὸν λόγον τοῦ θεοῦ τὸν χριστὸν ὑμνοῦσι θεολογοῦντες· *pſalmi quoque & cantica fratrum, ab initio a fidelibus conſcripta, Chriſtum verbum Dei concelebrant, diuinitatem ei tribuendo*; *hiſtor. eccleſ. lib. V. c. XXVIII. p. 196.* De antiquiſſimo hymnorum apud chriſtianos vſu differit IO. BONA cardinalis, de *diuina pſalmodia, c. I. §. III. IV. p. 23. ſeqq.* itemque *c. XVI. §. IX. p. 495.* & in poſteriori quidem loco apud ethnicos etiam receptum fuiſſe, oſtendit, deorum laudes hymnis concelebrare, ſimulque de variis hymnorum generibus verba facit; in priori autem, ad CLEMENTIS Romani *conſtitutiones apoſtolicas*, & DIONYSII areopagitae opera cumprimis prouocat; quae tamen parum ad rem faciunt; quae vtriusque ſcripta haecce ſuppoſititia eſſe, hodie neminem fugiat. Mirum vero non eſt, in primitiua eccleſia chriſtiana laudes diuinas decantatas, cum id praeceptum, vel monitum apoſtoli, exigeret; *Eph. V, 19. Col. III, 16.* conf. IO. GVIL. IANVS, in *adnotationibus ad Euſebii Alexandrini orationem, de die dominico, p. 48.* Antiquiſſimum exemplum hymnorum veteris eccleſiae, ille CLEMENTIS Alexandrini eſſe, cenſetur, qui ad calcem *paedagogi* eius exſtat, *p. 312.* edit. IO. POTTERI. De quo GEORGIVS BVLLVS, *videtur*, inquit, *mihi hic hymnus deſumptus ex canticis ſacris, in primaeua eccle-*

eccleſia vſurpatis, vel certe ad eorundem imitationem compoſitus; in *def. nſ. fid. Nic. ſect. III. c. II. p. 189.* Legenda &, quae de hocce hymno diſſerit IO. ALBERT. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. V. c. I. p. 104. & 196.* Haud perfunctorie tamen obſeruandum, in conuentibus primorum chriſtianorum non alios hymnos, quam, qui ex ſcriptura ſacra deſumti erant, fuiſſe vſitatos, nec quidquam iis additum, praeter notiſſimam illam δοξολογίαν, idque non ſine variatione quadam. Intelligere hoc licet ex beati ADAMI RECHENBERGII *diſſertatione, de veterum chriſtianorum doxologia*, quae in volumine *exercitationum* eius *in nouum teſtamentum, hiſtoriam eccleſiaſticam &c.* exſtat, cumprimis §. *XI. ſeqq. p. 229. ſeqq.* Priuatis itaque vſibus tantum inſeruiiſſe videntur hymni CLEMENTIS Alexandrini, GREGORII Nazianzeni, APOLLINARIS, aliorumque. Vt vero in conuentibus ſacris alii quoque hymni reciperentur, & ſic melodia ſacra augeretur, id ſenſim factum forte exiſtimo. Occaſionem forte praebuerunt martyres, qui doxologias ſuas & laudes tyrannorum blaſphemiis opponebant, quae auide deinceps ab aliis excipiebantur. De *hymnis* iſtis *martyrum* peculiaris exſtat diſſertatio IO. GEORGII OSTII Lipſiae an. MDCC edita. Accedebat haereticorum aſtutia, errores ſuos per hymnos longe lateque propagantium; quibus dum alios orthodoxi opponebant, vel doxologiis receptis quaedam, quibus errores iſti reiiciebantur, paucis interdum verbis inſerebant; ſenſim hinc mutatio quaedam in hymnis publice receptis contigit. Quod de haereticis diximus, id pluribus euincit ERN. SAL. CYPRIANVS, in *diſſ. de propagat. haereſium per cantilenas*; veram autem doctrinam non minus hac ratione conſeruatam, latiusque diffuſam, demonſtrat IO. ANDR. SCHMIDIVS, in *diſſ. de propagatione religionis per carmina*. Cumprimis etiam legi merentur, quae erudite hac de re diſſerit VRB. GODOFR. SIBERVS, in *hiſtoria melodorum eccleſiae graecae, eorumque theologia poëtica e menaeis, librisque liturgicis*; ſeu potius operis iſtius *prolegomenis, §. XV. ſeqq. p. 14. ſeqq.* Atque idem recte obſeruat, religione chriſtiana tandem in meram ſuperſtitionem mutata, hymnos non Numinis, aut trinitatis laudes, ſed martyrum, pſeudo-martyrum, confeſſorum, praeſulum, dignorum, indignorum, continuiſſe, maximaeque in religione corruptionis exhibuiſſe documenta; *l. c. §. XXII. p. 18.* Exſtiterunt etiam, qui hymnos ſacros colligerent, vnde *hymnaria*, ſeu *libri hymnarii* exorti; de quibus conferendus NICOL. PETRVS SIBBERN, in *ſchediaſmate, de libris Latinorum eccleſiaſticis, p. 61. ſeqq.* Quanta vero circumſpectione veteres vſi ſint, ne haereticorum hymni in hymnaria iſta irreperent, oſtendit STEPH. LE MOYNE, in *variis ſacris, tom. II. p. 1091.* Plura de hymnis veterum chriſtianorum dabunt CONR. SAM. SCHVRTZFLEISCHIVS, in *diſſertatione, de hymnis veteris eccleſiae*, aliique, laudati IO. ALB. FABRICIO, in *bibliographia antiquaria, c. XI. p. 368. ſeqq.* Indicem melodorum graecorum, de quibus LEO ALLATIVS librum promiſerat, qui tamen intercidiſſe creditur, exhibet IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. V.* LEONIS ALLATII *diſſertationibus duabus, de libris eccleſiaſticis Graecorum* ſubnexum, *p. 236. ſeq.* Pleniorem autem melodorum graecorum hiſtoriam promiſit VRB. GODOFR. SIBERVS, cuius antea laudauimus *prolegomena*. THO. SMITHI *commentatio de hymnis matutino & veſpertino Graecorum* legitur in eius *miſcellaneis*, Londini an. 1686 editis, *p. 133. ſeqq.* Hymnos & preces veteris eccleſiae latinae collegit, hymnosque notis illuſtratos edidit, GE. CASSANDER, inueniunturque in *operibus* eius, quae Pariſiis 1616 lucem adſpexerunt publicam. De *hymnorum latinae*

eccleſiae

eccleſiae collectionibus ex inſtituto agit PETRVS ZORNIVS, in *diſſ.* quae *opuſculorum* eius *ſacrorum tomo I.* exſtat, *p. 52. ſeqq.* Ex iis, quae de hymnis diximus, nemo non intelligit, fuiſſe inter chriſtianos poëtas, quamquam nonnulli in aliis quoque poëſeos generibus, ingenii vires exercuerint. Inter Graecos prae ceteris eminent, & hoc nomine celebrantur, APOLLINARIS, ſiue APOLLINARIVS, GREGORIVS Nazianzenus, EVDOCIA, ſeu EVDOXIA, Theodoſii iunioris, imperatoris, vxor, SYNESIVS, NONNVS Panoplitanus, AMPHILOCHIVS; inter Latinos C. AQVILINVS VESTIVS (ſiue VETTIVS) IVVENCVS, AMBROSIVS, quem & auctorem ferunt hymni notiſſimi: *te Deum laudamus*, qua de re praeter alios legenda peculiaris diſſertatio WILH. ERNESTI TENZELII; AVREL. PRVDENT. CLEMENS; de quibus, vt & reliquis, legenda ANDR. CHRISTIANI ESCHENBACHII *diſſertatio de poëtis chriſtianis ſacris, graecis & latinis*, in *diſſertationibus* eius *academicis*, Noribergae an. 1705, 8. iunctim editis, *p. 69. ſeqq.* De *poëtis epiſcopis* peculiaris exſtat diſſertatio HENR. MVHLII, theologi Kilonienſis celeberrimi, aut, ſi mauis, SEBAST. KORTHOLTI, ſub praeſidio MVHLII eruditorum conflictui expoſita, in qua veteres pariter ac recentiores poëtae, qui ſimul epiſcopi fuerunt, recenſentur. De APOLLINARI, NONNO, & aliis quibusdam poëtis graecis chriſtianis, adcurate, more ſuo, diſſerit IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. V. c. XVI. p. 658. ſeqq.* qui & de latinis, iisque chriſtianis, cumprimis eorum editionibus, verba facit in *bibliotheca latina, lib. IV. c. II. p. 696. ſeqq.* Exſtat & IO. GE. NEVMANNI, theologi quondam Wittebergenſis percelebris, diſſertatio, *de metaphraſtis, qui nouum teſtamentum graeco carmine expreſſerunt*, in *primitiis* eius *diſſertationum academicarum*, *p. 239. ſeqq.* Cum ea an. 1686 publice ad diſputandum proponeretur, ego reſpondentis, vt vocant, functus ſum muuere. Praetereundus hic etiam non eſt POLYC. LYSERVS, ob *hiſtoriam poëtarum & poëmatum medii aeui, decem poſt annum a nato Chriſto 400 ſaeculorum;* quae Halae Magdeburgicae 1721 lucem adſpexit publicam; qui & nouum aliquod *corpus poëtarum latinorum medii aeui* promiſit. Quod non equidem contemnendum eſt inſtitutum; cum ex hiſce interdum quaedam, quae hiſtoriae illorum temporum lucem adfundant, peti queant. Quod vero vir ille doctus, tum in *praefatione* tum in *diſſertatione de ficta medii aeui barbarie*, ſibi aliisque perſuadere adnititur, neſcio quas, elegantias in hiſce poëtis deprehendi, fruſtraque barbariem, cultusque acnitoris defectum iis obiici; id eiusmodi eſt, vt paucos forte ea in re ſibi habiturus ſit ſuffragantes. Hinc & non ſine ratione ab eo diſſentit IAC. BVRCKARDVS, de *linguae latinae, quibus in Germania per 17. ſaecula amplius vſa eſt, fatis; part. II. c. III. p. 115.* Ad hymnos denique germanicos, in noſtra eccleſia receptos, quod attinet; plurimi exſtiterunt, qui in eorum hiſtoria illuſtranda, & auctoribus incognitis eruendis, locis etiam difficilioribus explicandis, ſtudium operamque collocarunt. Quorum omnino laudandum eſt inſtitutum; cum totius eccleſiae interſit, vt non alii, quam, qui puram euangelii doctrinam continent, recipiantur, recepti autem recte ab omnibus intelligantur; quorſum notitia illorum hiſtorica ſaepe plurimum confert. Poſt CYRIACVM autem SPANGENBERGIVM, ingenii vires in hocce argumento cumprimis periclitati ſunt, GE. GOETZIVS, Ienenſis quondam eccleſiae antiſtes, IO. BENED. CARPZOVIVS, theologus Lipſienſis, GE. HENR. GOETZIVS, antiſtes Lubecenſis, IO. CHRISTOPH. OLEARIVS, eccleſiaſtes Arnſtadienſis, GE. SERPILIVS, Ratisbonenſis

nenſis antiſtes, B. GE. WALCHIVS, antiſtes Meinungenſis, IO. MART. SCHAMELIVS, paſtor primarius Numburgenſis, aliique, commemorati IO. CASP. WEZELIO, qui & ipſe haud vltimum inter eos promeretur locum; in *praefatione*, *hymnopoeographiae* eius praemiſſa. Ipſius vero huius *hymnopoeographiae, oder hiſtoriſcher Lebens-Beſchreibungen der berühmteſten Lieder-Dichter*, in qua ſecundum litterarum ordinem praecipui hymnorum auctores recenſentur, pars prima prodiit Herrnſtadii, 1719, 8. pars ſecunda ibidem an. 1722, & pars tertia an. 1724. Praecipuos etiam quosdam, qui de eccleſiae noſtrae hymnis ſcripſerunt, laudat IO. ALB. FABRICIVS, *bibliograph. antiquar. cap. XI. p. 370.*

§. XIII. Alteram propaedeumatum partem *hiſtoriam* conſtituimus, * quae iterum vel *naturalis* eſt, vel *ciuilis* ſeu *politica*, vel *eccleſiaſtica*, vel *litteraria*, vel denique ſpeciatim *philoſophica*. **

* Generatim hic quaedam de hiſtoria & arte hiſtorica, deque methodo, hiſtoriam diſcendi, legendique hiſtoricos, itemque de officio hiſtoricorum, eorumdemque virtutibus & vitiis, dici poſſent; ſed, cum ea, quae de hiſce omnibus praecipi ſolent, praecipue ad hiſtoriam ciuilem & eccleſiaſticam ſpectent, de iis ad §. *XV.* quaedam monebimus.

** Alii quidem aliter hiſtoriam diſpeſcunt. Sed vt cuique hic, quod commodiſſimum eſſe cenſet, ſequi licet; ita eam, quam propoſuimus, partitionem ita comparatam putamus, vt per eam quodlibet ad propriam ſuam ſedem, ſine confuſione, & nimia partium hiſtoriae multiplicatione, referri queat. Poterat equidem hiſtoria in *diuinam* quoque & *humanam* diuidi, vt per illam, quae in ſcriptura ſacra continetur, intelligatur. Sed, cum omnia, quae in ſacro codice narrantur, partim ad ciuilem, partim ad eccleſiaſticam hiſtoriam referri queant; ſuperuacaneum viſum eſt, nouam quamdam ideo adferre partitionem. De hiſtoria naturali, ciuili, litteraria, & ſpeciatim philoſophica, deinceps quaedam monebimus. De eccleſiaſtica autem, vtpote quae ad ipſam theologiam ſpectat, *parte II.* ex inſtituto praecipiemus. Poſſet tamen adhuc addi *hiſtoria antiquitatum*, ſpeciatim rituum atque conſuetudinum. Sunt vero antiquitates iſtae vel *eccleſiaſticae*, vel *ciuiles*, quo nomine omnes, quae non eccleſiaſticae ſunt, comprehendere licet. De eccleſiaſticis dicendi locus itidem erit, cum ipſam hiſtoriam eccleſiaſticam attingemus. Ciuiles non vnius iterum generis ſunt, & varie diſpeſci poſſunt. Cumprimis, ſi gentium varietatem ſpectes, aliae erunt Ebraeorum, aliae Graecorum, aliae Germanorum, aliae aliarum gentium. De illis, qui generatim de Ebraeorum, itemque Aegyptiorum, Perſarum, Graecorum, Romanorum antiquitatibus egerunt, diligenter IO. ALB. FABRICIVS differit, in *bibliographia antiquaria, c. I. ſeqq.* Romanarum antiquitatum ſcriptores etiam recenſet BVRC. GOTTH. STRVVIVS, in *bibliotheca antiquitatum*, quam *antiquitatum romanarum ſyntagmati* praemiſit, ſimul tamen & alia attingit. Commemorat enim & ſcriptores, qui theologiam ex antiquitatibus illuſtrarunt, quiue de antiquitatibus iuris commentatij ſunt, ſcriptores porro antiquitatum medicarum, & philoſophicarum. Immo & ſcriptores de antiquitatibus regionum particularium, &, qui ſpeciatim quaedam monumenta explicarunt. De ſcriptoribus quoque antiquitatum agit DAN. GE. MORHOFIVS, *polyhiſt. litter. lib. V. c. II.* ſed eos tantum attingit, qui de Romanorum Graecorumque antiquitatibus commentati ſunt. Praeterea

terea longe plenius copioſiusque cuncta pertractauit vir ſummus, anteaque nobis iam laudatus IO. ALB. FABRICIVS, in *bibliographia antiquaria*; in qua non tantum eos, qui generatim huius aut illius gentis antiquitates deſcripſerunt, indicat, ſed ad ſingula etiam antiquitatum ſacrarum & profanarum capita deſcendit, & praeſtantiſſimos, qui de iis egerunt, laudat auctores. Solent ad huncce locum quoque referri, qui ex nummis, itemque ex inſcriptionibus, hiſtoriam & antiquitates exponunt; ſed de hiſce deinceps ad §. *XVII.* quaedam dicemus. Antiquitatum adcuratior cognitio ad auctores veteres eo rectius intelligendos multum prodeſt. Immo & per eam ſcripturae ſacrae plurimis in locis lux egregia adfundi poteſt. Quare & theologiae cultor vtilitatem inde capiet, modo res ipſius ferant, vt ampliſſimum huncce campum ingrediatur, nec ab eo, quem praecipue ſibi conſtitutum habere debet, ſcopo nimis longe diſcedat. Cauendum etiam, ne ad minutias, resque nullius momenti, dilabamur; quod facile contingere poteſt; iisque plus, quam par erat, laboris & temporis impendamus. Repetenda, quae ſupra ad §. *IX.* de arte critica diximus.

§. XIV. Hiſtoria naturalis totum hocce vniuerſum, ſingulasque eius partes, corporumque, quae in iis continentur, indolem, ſtructuram, proprietates, & phaenomena quaeuis adcurate deſcribit. Quo ipſo dum non tantum philoſophiae naturali, ſeu doctrinae phyſicae, egregie inſeruit, ſed argumenta quoque euidentiſſima longeque pulcherrima, quibus exſiſtentia Dei contra atheos demonſtratur, ſuppeditat; neutiquam eam negligendam, aut ponendam in minimis eſſe, manifeſtum eſt. *

* In latiori ambitu ſi hiſtoriam naturalem accipias, non ea tantum, quae corporum quorumuis proprietates, effectus, & quaeuis phaenomena, ſed &, quae ſpeciatim hominum, tum ſingulorum, tum iunctim ſpectatorum, ingenia & mores deſcribit, hoc nomine venit. Prior equidem, cuius in phyſicis praecipuus vſus eſt, plerumque hoc nomine deſignatur: nec tamen poſterior hinc excludenda, quippe quae philoſophiae practicae cumprimis inſeruit. Ad priorem quod attinet, ipſe iam inter veteres ARISTOTELES ſpecimen eius dedit in *hiſtoria animalium*; quamquam & alia eius ſcripta huc ſpectent. Praeceptorem hac in re ſequutus eſt THEOPHRAST. ERESIVS, tum in aliis, tum maxime in *hiſtoria plantarum*. Porro & AELIANVS hinc inde quaedam attingit, quae huius argumenti ſunt. Ex Latinis PLINIVS vniuerſum fere rerum naturalium ambitum, mirabili breuitate, in *hiſtoria* ſua *naturali* complexus eſt, quam in compendium miſit SOLINVS, in *polyhiſtore* ſuo. In hunc vero dum *exercitationes Plinianas* conſcripſit CLAVD. SALMASIVS, omnem velut theſaurum eruditionis effudit; ſed feſtinanter nimis, vt viri docti iudicant, & ſine ordine, quem in plerisque Salmaſianis fruſtra quaeſiueris. Poſtea IO. HARDVINVS PLINII *hiſtoriam naturalem*, notis copioſiſſimis illuſtratam, quinque voluminibus, in vſum Delphini dedit, in quibus tamen eum haud raro ex CLAVD. SALMASIO ſapere, nonnullis obſeruatum eſt; etſi nullam temere occaſionem, eum vehementer perſtringendi, praetermittat. Prodiit haec editio Pariſiis 1685, 4. Noua hinc, eaque multum locupletior, quam nos exſpectare iuſſit vir doctiſſimus GE. WALLINVS, in *Lutetia Pariſiorum erudita ſui temporis*, *c. III. p. 67. ſeqq.* an 1723 lucem adſpexit. A medii aeui ſcriptoribus quod nihil lectu

dignum in hiſtoria naturali profectum ſit, mirum non eſt. Hic ipſe enim hiſtoriae huius neglectus haud vltimum inter reliquas cauſſas tenebat locum, quae obſtabant, quo minus aliud, quam meras ineptias, in doctrina phyſica proferre poſſent. Quod cum, luce quadam bonarum litterarum exoriente, intelligerent viri docti; id cumprimis ſibi elaborandum, putabant, vt hiſtoriam naturalem diligentius excolerent; cum haec vnica via eſſet, meliorem phyſicae conciliandi faciem. Signum aliquod ad bene ſperandū hic ſuſtulit FRANC. BACO VERVLAMIVS, cui praecipuus inter reſtauratores philoſophiae debetur locus; quiue non tantū paſſim in ſcriptis ſuis conſilia, huc ſpectantia, ſuppeditauit, ſed & in *hiſtoria ventorum*, itemque in *hiſtoria vitae & mortis*, exemplum aliis, quod imitarentur, reliquit. Certatim inde viri docti hiſtoriam naturalē diligentius excolere coeperunt; nec a ſingulis modo, ſed integris etiam hoc factum eſt ſocietatibus. Nota ſatis eſt, multorumque elogiis celebratur, *ſocietas regia Londinenſis*, in Anglia; *academia regia ſcientiarum*, quae Pariſiis eſt, in Gallia, *academia naturae curioſorum*, in Germania; quibus non ita pridem *ſocietas regia Berolinenſis* acceſſit. Varia hinc etiam edita ſcripta, ad phyſicam experimentalem, adeoque hiſtoriam naturalem, cumprimis ſpectantia. *Transactiones philoſophicae* anglicanae, quae haud vltimum inter ea tenent locum, non tam ſocietati, antea memoratae, quam potius HENR. OLDENBVRGIO originem debent, & adhuc continuantur; vid. CHRIST. IVNCKERI *ſchediaſma hiſtoricum de ephemeridibus & diariis eruditorum, p. 24. ſeqq.* Quid academia regia ſcientiarum, quae Pariſiis floret, hac in re praeſtiterit, docet IOAN. BAPT. DV HAMEL, in *hiſtoria regiae ſcientiarum academiae*, quam BERN. FONTENELLIVS continuauit; videatur GE. WALLINI *Lutetia Pariſiorum erudita ſui temporis, c. III. p. 78. 79.* & *c. IV. p. 98. 99. ſeqq.* Academiae naturae curioſorum in Germania *miſcellanea curioſa medico-phyſica* in omnium verſantur manibus. Societas autem regia Berolinenſis, in *miſcellaneis Berolinenſibus*, laborum ſuorum ſpecimen dedit. Nimirum tota phyſica experimentalis eo comparata eſt, vt, dum corporum naturalium proprietates inueſtigat, aut nondum cognitas detegit, hiſtoriam naturalem adcuratiorem locupletioremque nobis ſiſtat. Huius itaque loci ſunt OTTO GVERICKIVS, in *experimentis nouis Magdeburgicis de ſpatio vacuo*; ROB. BOYLE, in *experimentis & obſeruationibus phyſicis*, in *hiſtoria aeris*, aliisque ſcriptis, quae iunctim ſunt edita; CASP. SCHOTTVS, in *phyſica curioſa*; FRANC. TERTIVS DE LANA, in *magiſterio naturae & artis*, IO. CHRISTOPH. STVRMIVS, in *collegio experimentali ſiue curioſo*, aliique quam plurimi. Nec praetermittendi, qui, quae recentiori aetate a viris doctis, ad augendam locupletandamque hiſtoriam naturalem, inuenta ſunt, enarrant; quod ſingulari diligentia praeſtitit GE. PASCHIVS, de *nouis inuentis, quorum accuratiori cultui facem praetulit antiquitas*, praeſertim *c. VI. & VII.* vbi de *inuentis medicis*, itemque *phyſico-mathematico-mechanicis*, ex inſtituto diſſerit. Ipſemet etiam quaedam, quae huc faciunt, attigi in *elementis philoſ. theoret. part. I. c. I.* vbi de *phyſicae per varia inuenta incrementis* diſſerui. Fuerunt &, qui, vt viam ad phyſicam experimentalem munirent, quae alii fuſius tradiderunt, velut in compendio exhibere, conſultum duxerunt, quos inter haud vltimum locum tenet MART. GOTTH. LOESCHERVS, in *phyſica experimentali compendioſa &c. nouiſſimis rationibus & experimentis illuſtrata*, Wittembergae an. 1715, edita, 8. Quodſi omnes adferre vellem, qui hiſtoriae naturali lucem adfundunt, commemorandi

cum-

cumprimis adhuc eſſent itinerariorum quidam ſcriptores, qui ea, quae huc faciunt, obſeruarunt. Sunt enim inter eos nonnulli, qui talia non praetermittunt, immo vel maxime ad ea attendunt, vt THEVENOTIVS, MONCONISIVS, aliique. Laudandus hic prae reliquis PET. KOLBIVS, vir doctiſſimus, qui lingua germanica iter ſuum ad promontorium Africae, *caput bonae ſpei* dictum, quam diligentiſſime deſcripſit, ſpeciatim vero & ea, quae ad hiſtoriam naturalem ſpectant, magna τῆς ἀκριβείας laude, proſequutus eſt. Prodiit inſigne hocce opus Norimbergae 1719 fol. Sed plura vt addamus, inſtituti noſtri nec permittit, nec poſtulat, ratio. Vt autem hiſtoriae naturalis magna eſt iucunditas amoenitasque; ita ſine ea phyſicae tractationem ſibi non conſtare, & antea iam dictum, & nemo non intelligit. Theologiae cultori vel ideo commendanda, quod argumenta & ſapientiae, & prouidentiae diuinae, longe pulcherrima, & numero fere infinita, nobis ſuppeditet; quibus non tantum atheos ſtultitiae & impietatis conuincere, ſed animum quoque noſtrum ad laudes Numinis concelebrandas, potentiamque eius deuote venerandam, excitare poſſumus. Sed hactenus de ea hiſtoriae naturalis parte diximus, quae corporum proprietates & phaenomena quaeuis enarrat. Altera quidem, quae hominum ingenia, mores, adfectus, deſcribit, ſupereſt; ad quam ſcriptores characteriſtici, itemque, qui de moribus gentium commentati ſunt, referuntur: de quibus tamen omnibus cum alibi ſe oblatura ſit dicendi occaſio; hic pedem figimus.

§. XV. Hiſtoria ciuilis ſeu politica, dum regnorum ac rerum publicarum origines, fata, incrementa, decrementa, conuerſiones, interitus, ceteraque huc ſpectantia delineat, ad diuinam ſimul prouidentiam, luculentiſſime in hiſce omnibus ſeſe exſerentem, agnoſcendam nos manuducit. Tam arcto inſuper vinculo cum hiſtoria eccleſiaſtica eſt coniuncta, vt vix quisquam feliciter in hac progreſſurus ſit, niſi qui illam ſimul delibauerit *

* Varius equidem multiplexque hiſtoriae, ſpeciatim & ciuilis, vſus eſt: quae vero ad theologiae cultorem inde redundare commoda poſſunt, in eo praecipue conſiſtunt, quod ea, quae ſcriptura ſacra narrat, magnam inde lucem capiant, quodue hiſtoria eccleſiaſtica ſine ciuili ſibi non conſtet, & denique, quod inſigne prorſus & luculentiſſimum prouidentiae diuinae exhibeat ſpeculum. Ad primum quod attinet, in veteri teſtamento ſaepiſſime Aegyptiorum, Aſſyriorum, Babyloniorum, Perſarum, Graecorum, Romanorum mentionem fieri, neminem fugit. Quorum omnium ſi ex ſcriptoribus profanis perſpecta cognitaque nobis ſit hiſtoria; non tantum multa, quae de iis in ſcriptura ſacra traduntur, rectius intelligentur, ſed hiſtorica ſimul ſcriptorum ſacrorum narratio robur inde & firmamentum accipiet, dubiis atheorum felicius occurretur, quod ad diuinam ſcripturae ſacrae auctoritatem vindicandam, veritatemque religionis chriſtianae confirmandam, vtique plurimum valet. Hiſtoriam eccleſiaſticam ſine ciuili tractari commode non poſſe, vel inde liquet, quod plerumque res eccleſiae & rei publicae arctiſſimo vinculo inter ſe ſint coniunctae, plurimaeque ſubinde & grauiſſimae rerum conuerſiones & mutationes in imperiis contingant, quibus religio aut occaſionem, aut πρόφασιν praebet. Tertium, quod conſtituimus, caput, hiſtoriam optimum eſſe prouidentiae diuinae ſpeculum, itidem poſitum eſt extra controuerſiam, recteque id obſeruat, ac diligenter inculcat, GERHARDVS IOANNES

VOS-

VOSSIVS, de *natur. & conſtitut. art. & ſcientiar. lib. II. fine de philologia, c. XIV. §. XIII. tom. III. oper p. 56. ſeqq.* Epicurei equidem in ipſa hiſtoria ſibi deprehendere videntur, quod diuinam maxime euertat prouidentiam, dum ex ea colligi poſſe, putant, prauis hominibus haud raro ex voto rem ſuccedere, cum bonis contra aduerſa ſint omnia. Sed, hoſce magnopere falli, alibi ex inſtituto demonſtratur, ſolideque eos *l. c.* refellit VOSSIVS. Pauci interim inter hiſtoricos ita comparati ſunt, vt lectores ſuos ad agnoſcendam vbique prouidentiam diuinam ducant. Solus fere inter veteres POLYBIVS hanc laudem retulit, quod Deum praeſidem ac directorem ſingularium euentuum conſtituerit; cui ex recentioribus iungendus PHIL. MELANCHTHON, in *chronico*, quod vocant, CARIONIS, quippe cui nihil prius nihilque antiquius, quam prouidentiae diuinae vbique vel primo loco habere rationem. TITVM contra LIVIVM adeo nihil diuinae prouidentiae tribuiſſe, vt omnis plane religionis expers fuerit, orbi perſuadere voluit ipſemet omnis religionis acerrimus hoſtis IO. TOLANDVS, in *diſſertat.* quam vocat; *adeiſidaemon ſiue Titus Liuius a ſuperſtitione vindicatus.* Sed magnam hac ratione LIVIO fieri iniuriam, oſtendunt IAC. FAYVS, in *defenſione religionis, nec non Moſis, c. III. §. IV. p. 20. ſeqq.* itemque ELIAS BENOIST, *melange de remarques critiques &c. contre Mr. Tolland &c. p. 6. ſeqq.* Sed plura vt de vtilitate, ex hiſtoriarum lectione capienda, addamus, neceſſe non eſt, quam alii quoque dudum ex inſtituto euicerunt, ſimulque oſtenderunt, quo pacto nos gerere debeamus, ne fructu hiſtoriarum tractatio deſtituatur; vt DAV. CHYTRAEVS, *de lectione hiſtoriarum recte inſtituenda*; itemque SIM. GRINAEVS, de *vtilitate legendae hiſtoriae*; vterque libellus exſtat in collectione illa, quae cum IO. BODINI *methodo hiſtorica* Baſileae an. 1576 prodiit. Multa quoque egregie hac de re monent ANGELVS POLITIANVS, in *praefatione in Suetonii expoſitionem*, quae ſubiuncta eſt eius *epiſtolis p. m. 589. ſeqq.* ISA. CASAVBONVS, in luculenta *praefatione*, quam POLYBIO praemiſit, & quem antea iam laudauimus, GER. IO. VOSSIVS, *l. c.* itemque de *arte hiſtorica, c. V. tom. IV. oper p. 8. ſeqq.* Atque hi quidem, vt nec eum, quem in ciuili prudentia hiſtoriarum lectio praebet, vſum, praetermittunt; ita ex inſtituto eumdem demonſtrat IO. ANDR. BOSIVS noſter, in *ratione legendi tractandique hiſtoricos ciuilis vitae ſcopo adcommodata*, quae cum eius commentatione, de *comparanda prudentia & eloquentia ciuili*, Ienae 1699 prodiit. Eodem comparata eſt IO. HENR. BOECLERI *hiſtoria principum ſchola*, itemque *diſſertatio de vtilitate ex hiſtoria vniuerſali capienda*, praemiſſa *hiſtoriae* eius *vniuerſali*, Argentorati 1680, 8. Iungendus denique hiſce abbas de S. REAL, cuius diſſertatio de *vſu hiſtoriae*, lingua gallicana ſcripta, magno eruditorum adplauſu excepta, & *methodo ſtudii hiſtorici* LANGLETI DV FRESNOY, a IO. BVRC. MENCKENIO locupletatae, inſerta eſt.

Vt quis in ſtudio hiſtoriae rite proficiat, ad tria ei potiſſimum attendendum. Primum de methodo ſtudii hiſtorici, ordineque, legendi hiſtoricos, debet eſſe ſollicitus; tum, vt notitiam hiſtoricorum ſibi comparet, ei danda eſt opera; quinam denique boni hiſtorici characteres ſint, haud perfunctorie ei obſeruandum, inde vt condiſcat, quos ſequi & adprobare, quosue reſpuere debeat. Methodum ſtudii hiſtorici, ſeu, rite legendi hiſtoricos, nonnulli ex inſtituto oſtendunt; referre tamen huc etiam licet, qui generatim de hiſtoria, ſeu arte hiſtorica, praecipiunt. Hos inter haud vltimum tenet locum GERH. IO. VOSSIVS, cuius de *arte hiſtorica* liber tomo

quarto

Digitized by Google

quarto *operum* eius, iunctim editorum exſtat; in quo & de *hiſtoriae* & *hiſtorices* natura indoleque multa erudite & praeclare monet, & *hiſtoriae* quoque *ſcribendae praecepta* tradit. Lectu quoque digna, quae idem de prima hiſtoriae origine, ſeu quisnam primus fuerit hiſtoricus, diſputat, *c. VI. p. 10. ſeqq.* Inter eos, qui de methodo, legendi tractandique hiſtoriam ſcripſerunt, eminet IO. BODINVS, ob alia etiam ſcripta notiſſimus; in cuius *methodo hiſtorica* licet nonnulli methodum deſiderent, idemque digreſſiones ſubinde longiores, parum ad rem facientes, inſerat; opus tamen eſſe, varia & multiplici eruditione refertum, negari nequit. Lectu cumprimis dignum *c. II.* vbi de *ordine hiſtoriarum*, & *c. IV.* vbi de *hiſtoricorum delectu* diſſerit, Porro *c. VII. p. 298. ſeqq.* ſententiam eorum, *qui quatuor monarchias aureaque ſaecula ſtatuunt*, confutat; ſimul tamen mentem profanam prodit, quando ſcribit: *Valde mihi probatur Caluini non minus vrbana, quam prudens oratio; qui de libro apocalypſeos ſententiam rogatus, ingenue reſpondit, ſe penitus ignorare, quid velit tam obſcurus ſcriptor, qui qualisque fuerit, nondum conſtat inter eruditos.* Editioni, quae Baſileae 1576 prodiit, additi ſunt *duodecim eiusdem argumenti ſcriptorum tam veterum, quam recentiorum commentarii.* Ita in fronte huius editionis legitur. Non omnes tamen eiusdem plane argumenti ſunt, cum alii de hiſtoria, alii de hiſtorice, ſeu arte, ſcribendi conficiendique hiſtoriam, agant. Nimirum praeter IOAN. BODINI *methodum hiſtoricam* in haece collectione continentur: FRANC. PATRITII *dialogi decem de hiſtoria;* IO. IOVIANI PONTANI *dialogus de hiſtoria:* FRANC. BALDVINI de *inſtitutione hiſtoriae vniuerſae, & eius cum iurisprudentia coniunctione, prolegomenor. libri II.* SEBAST. FOXII MORZILLI, Hiſpalenſis, de *hiſtoriae inſtitutione liber;* IO. ANT. VIPERANI de *ſcribenda hiſtoria liber;* FRANC. ROBERTELLI, de *ſcribenda hiſtoria;* DION. Halicarnaſſaei de *Thucydidis hiſtoria iudicium*, cum praefatione ANDR. DVDITII; VBERTI FOLIETAE, de *ratione ſcribendae hiſtoriae;* & de *ſimilitudine normae Polybianae;* DAV. CHYTRAEI, de *lectione hiſtoriarum recte inſtituenda;* LVCIANI Samoſatenſis, de *ſcribenda hiſtoria;* SIM. GRINAI, de *vtilitate legendae hiſtoriae;* COELII SECVNDI CVRIONIS *de hiſtoria legenda ſententia.* Praeter hosce in aliis collectionis huius editionibus adhuc alii quidam exſtant; qui tamen non magni ſunt momenti. Sed hos ipſos, quos indicauimus, non vnius eſſe generis ac ponderis, facile intelligitur. GABR. NAVDAEVS, inter eos, qui de hiſtoriis, ordine & methodo conſcribendis euoluendisque, proprias leges tulerunt, IO. BODINVM, & FRANC. PATRITIVM, *eruditione quidem & iudicio principes audire*, adſerit, *ſed neſcio tamen,* (ita pergit) *quomodo difficiliores exſiſtunt, quam vt omnibus placere poſſint; non ſecus profecto, ac in philoſophia metaphyſici; bibliograph. polit. c. XXIV. p. 566.* in *methodis* THO. CRENII, an. 1692 editis. Commemorandus vero hic porro eſt DEGOREVS WHEAR, cuius *relectiones hyemales de ratione & methodo, legendi vtrasque hiſtorias, ciuiles & eccleſiaſticas, quibus hiſtorici probatiſſimi, non ſolum ordine, quo ſunt legendi, catenatim recenſentur, ſed doctorum etiam virorum de ſingulis iudicia ſubnectuntur &c.* recudi curauit IO. CHRISTIANVS NEV, Tubingae an. 1700, 8. Idem deinceps an. 1704 *acceſſiones* edidit, *ad Degorei Wheari relectiones hyemales, quibus partim ſcriptorum & hiſtoricorum, graecorum ac latinorum, ab auctore recenſitorum, plenior enarratio, partim aliorum, ab eo praetermiſſorum, & praecipue aequalium ſupplementum, ſecundum ſeriem ſaeculorum, affertur.* Porro & *mantiſſam ad Degorei Wheari relectiones hyema-*

hyemales adiecit, *quae rerum germanicarum ſcriptores praecipui, & cumprimis aequales, ſecundum ſaeculorum ſeriem &c. recenſentur*, Tubingae an. 1706. Immo & *acceſſionum partem ſecundam* dedit, *qua hiſtoriae germanicae particularis ſcriptores potiores exhibentur;* cum *mantiſſa de hiſtoricis gentium particularium &c.* itidem Tubingae, an. 1708. Omnium vero inſtar eſſe poteſt LANGLETVS DV FRESNOY, cuius *methodus ſtudii hiſtorici*, gallicana lingua conſcripta, vna cum *catalogo praecipuorum hiſtoricorum &c.* poſt Pariſienſem & Bruxellenſem editionem, Lipſiae quoque, cura IO. BVRC. MENCKENII, an. 1714 prodiit; poſtea, multis variisque acceſſionibus a MENCKENIO locupletata, & in linguam germanicam translata, ibidem an. 1718 publicam iterum lucem adſpexit. Cumprimis *catalogum hiſtoricorum* ita auxit & emendauit in hac editione MENCKENIVS, vt optimo iure illi ſoli tribuatur; vnde & deinceps ceu ab eo conſcriptus ſemper a nobis laudabitur. Quidquid de ſtudio hiſtorico dici poteſt, eleganter, optimoque ordine in hocce opere expoſitum; in quo adeo perpoliendo, augendoque operam admodum laudabilem MENCKENIVS poſuit; qui & ſtatim ab initio *catalogi* iſtius, *num. I. & II.* reliquos, qui aut de ratione, ſcribendi hiſtoriam, aut de methodo ordineque legendi hiſtoricos, commentati ſunt, indicat; quos adeo omnes hic enumerare ſuperuacaneum foret. Et ex hactenus quidem adlatis, qui de methodo ſtudii hiſtorici praeceperunt, nonnulli ita ſunt comparati, vt notitiam ſimul hiſtoricorum ſuppeditent, vt DEGOREVS WHEAR, &, qui eius *relectiones hyemales* auxit & locupletauit, IO. CHRIST. NEV, cumprimis autem MENCKENIVS. Sunt vero praeter hos & alii, qui comparandae hiſtoricorum notitiae inſeruiunt. De *hiſtoricis graecis* atque *latinis* egregium opus GERH. IO. VOSSIVS conſcripſit, quod operum eius *tomo IV.* exſtat. De vtrisque & in *bibliotheca* ſua *graeca* atque *latina* paſſim agit IO. ALB. FABRICIVS. Sed idem quoque vir longe doctiſſimus *ſupplementa & obſeruationes ad Voſſium de hiſtoricis graecis & latinis* dedit; quo in volumine quadripartito continentur BERNARDI A MALLINCROT *paralipomenon de hiſtoricis graecis, centuriae circiter quinque;* LVD. NOGAROLAE, *de viris illuſtribus genere Italis, qui graece ſcripſerunt;* CHRISTOPH. SANDII *notae & animaduerſiones in Ger. Io. Voſſii libros tres de hiſtoricis latinis*, & denique IO. HALLERVORDII *de hiſtoricis latinis ſpicilegium*, Hamburgi 1709, 8. Nec praetermittendus hic eſt LVD. ELLIES DV PIN, quippe qui *bibliothecam vniuerſalem hiſtoricorum* lingua gallicana edere coepit, cuius primus tantum tomus Amſtelodami 1708 prodiit, in quo, poſtquam de monumentis hiſtoricis, vt perhibentur, antediluuianis, itemque, de variis modis rerum memoriam conſeruandi, & ad poſteros propagandi diſſeruit; de antiquis Ebraeorum, Aegyptiorum, Chaldaeorum, Iudaeorum, Phoenicum, & denique Graecorum hiſtoricis, ex inſtituto agit. Eſtque eiusmodi hocce opus, vt viri docti optent, vt hoc ei continuare atque perducere ad finem licuiſſet. IO. ANDR. BOSIVS noſter, in *diſſertat. iſagog. de comparanda prudentia & eloquentia ciuili*, itemque in *ratione legendi tractandique hiſtoricos*, antea iam laudata, praecipuos itidem hiſtoricos enumerat, ſed eos, qui ad vſum vitae comparati ſunt. Sed exſtat tamen etiam eius *notitia ſcriptorum hiſtoriae vniuerſalis compendiaria*, lectu prorſus digna, cum prioribus a GEORGIO SCHVBARTO an. 1699 edita. Eos, qui Germaniae, Italiae, Hiſpaniae, ceterorumque imperiorum, regnorum, rerumpublicarum, immo regionum ac prouinciarum hiſtoriam deſcripſerunt, diligenter recenſet vir illuſtris IO. BVRC. MENCKENIVS, tum in *catalogo* iam lauda-

laudato, *methodoque ſtudii hiſtorici* LANGLETI DV FRESNOY addito, tum & in *bibliotheca Menckeniana*, quae hoc ipſo an. 1723 prodiit, *p. 242. ſeqq.* In his vel maxime ad rerum germanicarum ſcriptores attendendum eſt; cum turpe ſit, de exterorum rebus eſſe ſollicitum, dum ea ignoramus, quae domi & apud nos geruntur, & olim geſta ſunt. Facem vero etiam quamdam hic praefert MICH. HERZIVS, in *bibliotheca germanica, ſiue notitia ſcriptorum rerum germanicarum*, Erffurthi 1679 fol. edita; cui merito iungenda HERM. DIET. MEIBOMII *oratio de genuinis hiſtoriae germanicae fontibus*, Helmſtadii 1701, 4. itemque MARQVARDI FREHERI *directorium in omnes fere, quos ſuperſtites habemus, chronologos, annalium ſcriptores, & hiſtoricos, potiſſimum romani germanicique imperii*, quod acceſſionibus ac emendationibus quibusdam ad meliorem faciem reductum recudi curauit, ſimulque CASP. SAGITTARII *diſſertatiunculam, de praecipuis ſcriptoribus hiſtoriae germanicae* adiecit, vir doctiſſimus IO. DAVID KOELERVS, Altdorffi 1720, 4.

Supereſt, vt ſecundum ordinem, quem ſupra nobis praeſcripſimus, de characteribus boni hiſtorici aliquid addamus, vt eo rectius faciliusque ſelectum inſtituere queamus, condiſcamusque, quinam praeferendi reliquis ſint. Boni itaque hiſtorici laudem referet, qui de iis ſcribit, quae ſatis ſibi comperta ſunt atque explorata: deinde, qui veritatis ſtudium ſupremam ſibi ipſe ſtatuit legem, a qua numquam diſcedat; qui, minutiis, rebusque, quas ſcire nullius aut paucorum intereſt, praetermiſſis, illa ſectatur, quae digna ſunt, quorum memoria ad poſteros propagetur; porro, qui dicendi genere vtitur perſpicuo & plano, &, ad lectores recte inſtruendos apto; denique, qui de rebus, quas narrat, ſecundum rectae rationis principia iudicium ferre poteſt. Multa de hiſce omnibus dici poſſent, ſed pauca tantum obſeruaſſe iuuabit. Ita namque haec comparata ſunt, vt non tantum in hiſtoria ciuili, ſed eccleſiaſtica quoque, ac litteraria, locum inueniant. Ad primum quod attinet, omnem hiſtoricus nauare operam debet, vt adcuratiſſimam eorum, de quibus ſcribere illi animus eſt, qua omnes & ſingulas circumſtantias, notitiam ſibi adquirat. Idque longe difficilius eſt, quam plerique credunt. Raro admodum hiſtorici ea litteris conſignant, quibus ipſimet interfuerunt. Ab aliis itaque ſi accipiant, dubitandum ſemper, quanam fide illi id referant. Multo magis adhuc dubitandum, ſi ipſimet, qui res memoratu dignas geſſerunt, aut illorum adminiſtri, hoc referant. Accedit, quod illi, qui hiſtorico primam materiam ſuppeditant, haud raro a ſe inuicem maximopere diſcrepent; vnde in iſta rerum obſcurarum inueſtigatione, & verorum a falſis diſcretione, haud mediocri profecto iudicio opus eſt. Sunt, qui omne cauſſae praeſidium in ſcriptis, nomine principum ſummorumque imperantium editis, collocant, nihilque aliud, quam diplomata, aliaque eiusmodi monumenta publica, crepant. Nec abnuo, multum ea prodeſſe, vt de factis ipſis, cauſſisque, quas ſummi imperantes prae ſe ferunt, certiores reddamur; cauſſae autem internae, quas alii ſuaſorias vocant, adfectusque & conſilia arcana, cum ſummo ſtudio occultari ſoleant; haec tamen praecipuum in hiſtoria momentum trahant; parum eiusmodi ſcripta publica, in eo, quod caput cauſſae eſt, adferre praeſidii, palam eſt. Plus lucis interdum, tum in hiſce, tum in aliis, largiuntur *commentarii*, quos Galli *memoires* vocant, ſiue ab ipſis rerum memorabilium auctoribus, ſiue ab iis, qui intimiorem quamdam rerum geſtarum notitiam habuerunt, ſint compoſiti. Sed, cum antea iam obſeruatum ſit, illis, qui ipſimet ſua facta narrant, aut occaſio-

caſionem nacti ſunt, aliorum res geſtas paullo adcuratius cognoſcendi, ipſaque arcana conſilia introſpiciendi, non ſemper tuto fidem adhiberi; magna & hic opus eſſe cautione, ſi commentarii ab eiusmodi auctoribus ſint profecti, nemo non intelligit. Legendum interim de hocce ſcriptionum genere IO. BVRC. MENCKENII *ſchediaſma* (ſiue diſſertatio ſub eius praeſidio habita) *de commentariis hiſtoricis, quos Galli memoires vocant*, Lipſiae 1708. Ceterum, quando comparatio inter antiquos & recentiores hiſtoricos inſtituitur; illi eloquentia & iudicio politico hos vincere, hi autem ob ἀκρίβειαν, hoc eſt, adcuratam temporum, perſonarum, aliarumque circumſtantiarum, deſignationem, illis interdum praeferendi videntur. Inſigni exemplo hoc declarat PET. BAELIVS *diction. hiſtorico-crit. voc. Caron. lit. I.* circa finem, *p. 968.* Certe neceſſitatem iſtius ἀκριβείας hodie omnes intelligunt, etſi non omnes eamdem, ob documentorum neceſſariorum defectum, aut ex negligentia quadam, obſeruent. An hiſtorici, auctores & monumenta, quibus narrationi ſuae fidem faciant, indicare debeant? disquirit THEOD. PARRHASIVS, ſiue IO. CLERICVS, *parrhaſianor. tom. I. p. 144. ſeqq.* Licet vero hoc antiquis in more poſitum non ſit; a recentioribus tamen recte fieri, dubio caret, praeſertim, ſi cauſſae grauiſſimae, quae hoc poſtulent, adſint. Ad alterum, de quo nobis dicendum eſt, vt accedamus caput; praeclare omnino CICERO; *Quis neſcit, primam eſſe hiſtoriae legem, ne quid falſi dicere audeat; deinde ne quid veri non audeat; ne qua ſuſpicio gratiae ſit in ſcribendo; ne qua ſimultatis. Haec ſcilicet fundamenta nota ſunt omnibus; lib. II. de oratore, c. XV. p. m. 106.* At paucos admodum forte inuenies, qui ad hancce legem ſeſe componant. Nonnullis quidem aut monumentorum, vt diximus, defectus, aut negligentia, vel omnino ignorantia obſtat, quo minus, quae veritati ſunt conſentanea, ſcribant; quosdam vero prauus hic in transuerſum agit adfectus. Sunt enim omnino, qui calamum venalem habent, lucrique cupiditati veritatis ſtudium longiſſime poſtponunt, quo nomine PAVL. IOVIVS, & VICTORIVS SIRI, aliique, male audiunt; ſunt rurſus, qui aut patriae, aut ſectae cuiusdam, cui addicti ſunt, amore, excaecati, partium ſtudio laborant. PET. BEMBVM in gratiam Venetorum, ceu ciuium ſuorum, multa aliter, atque geſta ſunt, ſcripſiſſe, IO. BODINVS contendit, immo luculentiſſime probat, *meth. hiſtor. c. IV. p. m. 69. ſeqq.* Quid ſectae, quae certa in religione placita ſequitur, ſtudium valeat, NIC. SANDERI, FAMIANI STRADAE, aliorumque exempla docent. Ob ſummam contra integritatem merito laudantur, ex antiquis POLYBIVS, ex recentioribus IAC. AVG. THVANVS, atque HVGO GROTIVS. Iam, ſi quis haec, quae diximus, conſideret, ſecumque reputet, quosdam non poſſe ſcribere vera, alios non velle; non mirabitur, multa ſubinde dubia, incerta, ambigua, apud hiſtoricos occurrere, vt neſcias, vbi pedem figas. Quod & viris quibusdam doctis occaſionem dedit, de Pyrrhoniſmo hiſtorico commentandi, quod & BVRC. GOTTH. STRVVIVS fecit, in *diſſertatione* quadam *praeliminari*, ſiue *programmate*, *de Pyrrhoniſmo hiſtorico*, an. 1705 edito. Cum vero non minus per nimium amorem, & hinc ortam adulationem, quam per odium, &, quod hinc fluit, calumniandi & obtrectandi ſtudium, hiſtorici peccare ſoleant; ſunt tamen nonnulli, qui illis, qui peſſima turpiſſimaque quaevis de aliis referunt, magis fidem adhibendam, putant, quam reliquis. Hinc qui *hiſtorias arcanas*, ſeu *anecdotas* ſcribunt, iis in pretio eſſe, videas; qualem de Iuſtiniani imperatoris rebus reliquit PROCOPIVS Caeſarienſis, defendendam deinceps a NIC. ALEMANNO, im-

impugnandam a THO. RIVIO, BALTH. BONIFACIO, & IO. EICHELIO, qui & eam edidit Helmſtadii 1654, 4. Nec plane eos reiiciendos, exiſtimo; cum interdum rectius ex hiſce veritas cognoſcatur, quam ex aliis; caute tamen in iis verſandum, arbitror, cum odio non minus quam amore nimio, vt a veritate diſcedant, turpiſſimaque aliis obtrudant mendacia, mortales induci queant. Nec tertium, quod antea conſtituimus, ſilentio praetermittendum eſt caput. Non enim rerum quarumuis, ſed ſingularium, ſed illuſtrium, nos iuuat memoria, dignaque eſt, quae ad poſteros transmittatur. CICERO, hiſtorico *de rebus magnis*, *memoriaque dignis* loquendum, haud obſcure indicat; *de orator. lib. II. c. XV. p. m. 106.* Idem antea dixerat, apud Graecos eloquentiſſimos homines, *remotos a cauſſis forenſibus, tum ad ceteras res illuſtres, tum ad ſcribendam hiſtoriam, maxime ſe adplicaſſe*; ſub *illuſtrium* adeo *rerum* nomine hiſtoriam ſimul complectens, haud dubie, quod iudicaret, eam circa res illuſtres verſari. Nec ſine ratione GERH. IO. VOSSIVS hiſtoriam definiuit, per *cognitionem ſingularium, quorum memoriam conſeruari vtile ſit, ad bene beateque viuendum*; de *arte hiſtor. c. IV. p. 5.* Nec omnes tamen hoc obſeruant. Certe medii aeui ſcriptores, monachique, qui eo tempore munus hocce ſibi vindicabant, non obſeruarunt; quorum adeo ſcripta magnam partem rebus friuolis & quisquiliis referta, non ſine taedio legimus, nec alium in finem, quam vt ex ſtercore hinc inde aurum aliquod eruamus. Immo nec a recentioribus ſcriptoribus obſeruatur. Hinc tanta librorum inutilium moles, quibus eruditus orbis obruitur. Ingens volumen de gallicanarum rerum ſcriptoribus compoſuit IAC. LE LONG. Non errauero autem, ſi dixerim, in tanta turba paucos forte occurrere, qui hiſtoricorum nomen mereantur. Et neſcio, an operae pretium facturus ſit, qui in hiſtoria germanica ſtudium eius imitari velit. Nimirum, in omni genere hiſtoriae, cumprimis & litterariae, naeuus hicce deprehenditur, quod nonnulli nimis ſeduli, nullo adhibito ſelectu, cuncta, quae poſſunt, de quolibet argumento conuectent. Quid, quaeſo, iuuat, omnes de qualibet re noſſe libros, cum ſufficiat, cognitos habere praeſtantiores? Quid iuuat, eos noſſe, qui non digni ſunt, vt legantur, aut, qui pro rebus memoratu dignis, ineptias & quisquilias, aut ſaltem, quae ſcire aut nullius, aut paucorum admodum refert, nobis propinant? Scilicet eo iam deuentum eſt, vt nonnulli, egregii quid ſe praeſtitiſſe, putent, ſi opus aliquod hiſtoricum de eruditis, qui phtiſi, aut hydrope laborauerint, aut fumo tabaci vſi ſint, ſimilibusque, componant. Nec melioris commatis ſaepe ſunt, quae in ciuilis, aut eccleſiaſticae hiſtoriae ſcriptoribus occurrunt. Sed mitto reliqua, & ad quartum caput propero. Nec quisquam de eo temere dubitabit, hiſtorico vtendum eſſe dicendi genere plano & perſpicuo, & ad erudiendum lectorem apto, cum ipſe hiſtoriarum hoc poſtulet finis. Nec aliud, vt exiſtimo, ſibi voluit CICERO, quando, *genus orationis fuſum atque tractum, & cum lenitate quadam aequabili profluens, ſine iudiciali aſperitate, & ſine ſententiarum forenſium aculeis, hiſtorico perſequendum eſſe*, pronuntiat; *lib. II. de oratore, c. XV. p. m. 107.* Cauendum vero, ne & nimium verboſus ſit ſtilus, hinc & langueat, faſtidiumque adferat lectori, nec breuis nimis atque conciſus, indeque obſcuritatem contrahat. Vltimum in C. CORN. TACITO notant viri docti, miranturque merito, eum in exemplum, quod imitaretur, ſibi propoſuiſſe HVG. GROTIVM, qui & in eo TACITVM ſequutus eſt, quod & *annales* & *hiſtorias* de rebus belgicis compoſuit. Non omnia quidem ornamenta reſpuere ſtilum hiſtoricum, lubens fateor;

pus, ſiue ſyſtema hiſtoriae vniuerſalis conſulere; is auctores, qui talia dederunt, cum epicriſi indicatos inueniet in IOAN. BVRC. MENCKENII *catalogo hiſtoricorum,* aliquoties iam a nobis laudato, *num. V. p. 12. ſeqq.* qui & lexica hiſtorica, quae huc ſpectant, IO. IAC. HOFFMANNI, LVD. MORERII, PETRI BAELII, & quod noſtris auſpiciis lingua germanica prodiit, *p. 22.* commemorat. Cuiusmodi lexicorum haud contemnendum vſum eſſe, rerum harum intelligentes magno conſenſu fatentur, cum ſine multo labore, quae cognoſcere volumus, in iis inueniamus; licet iſti magnopere errent, qui ex iis ſolis ſapere cupiunt. Inter compendia, quaedam hypotheſi de quatuor ſummis imperiis, ſeu monarchiis, aſſyriaco-babylonica, perſica, graeca, & romano-germanica, ſunt ſuperſtructa; inter quae notiſſimus eſt IO. SLEIDANI de *quatuor monarchiis* libellus, cui ſingularis illa felicitas obtigit, vt a magni nominis viris, HENR. MEIBOMIO, AEG. STRAVCHIO, CONRADO SAM. SCHVRTZFLEISCHIO, aliisque, partim illuſtraretur, partim continuaretur. Sed hodie iſta prorſus exploſa eſt ſententia, cum, praeter quatuor illa, alia etiam fuerint imperia, quae, ſiue magnitudinem, ſiue durationem, ac celebritatem ſpectes, illis minime ſunt poſtponenda; nullaque adferri ratio queat, cur quatuor haecce in hiſtoria vniuerſali prae reliquis in cenſum venire debeant. Nititur praeterea fabulis illis CTESIAE de antiquitate & amplitudine imperii aſſyriaci; qua de re deinceps. Nec ex viſione illa Nebucadnezaris, quae *Dan. II. 1. ſeqq.* deſcribitur, vllum accipit praeſidium; ſiquidem in ea iſta tantum imperia ſignificantur, ſub quibus ſingularia populus iudaicus, ad Chriſti aduentum vsque, ſubiturus eſſet fata, babylonicum ſcilicet, perſicum, graecum Alexandri magni, & ſucceſſorum denique cius, in Aegypto praeſertim, & Syria. Copioſe hac de re a me dictum in *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. tom. II. per. II. ſect. V.* ad *§. I. p. 768. ſeqq.* Iam vt ad fontes ipſos hiſtoriarum progrediamur, qui iactis rite fundamentis, omnino adeundi ſunt; initium, ſi temporis ordinem ſequi velimus, faciendum ab HERODOTO, quippe quem ἱστορικῶν λόγους θ' *hiſtoriarum libros nouem* reliquiſſe, conſtat. Etſi vero illi praecipue conſtitutum ſit, bella Perſarum contra Graecos a Cyro vsque ad Xerxem deſcribere; aliarum tamen etiam gentium, vt Aegyptiorum, Lydiorum, Babyloniorum, Medorum item ac Perſarum, origines atque fata refert. Hiſtoriam autem antiquiſſimarum iſtarum gentium, Aegyptiorum cumprimis, Babyloniorum & Perſarum, ſcripturae ſacrae illuſtrandae inſeruire, antea iam obſeruauimus. Certe, ad Aegyptios quod attinet, vt HERODOTVM, aliosque, qui aliud fere agendo, illorum res attigerunt, conſulamus, eo magis neceſſe eſt, quoniam illorum, qui ex inſtituto res Aegyptiorum deſcripſerunt, tantum fragmenta quaedam ſuperſunt. Ex recentioribus quidem IO. MARSHAMVS, cuncta ex veterum monumentis colligendo, eaque in ordinem redigendo, hiſtoriae aegyptiacae iuſtam ſeriem nobis exhibere conatus eſt, in *canone chronico, aegyptiaco, ebraico, graeco*; ſed fabulis Aegyptiorum atque commentis maiorem, quam decebat, fidem adhibens, eam dynaſtias, quae apud illos celebrantur, cum ſacri codicis chronologia conciliandi rationem ingreſſus eſt, quae, vt alibi iam obſeruauimus, plus ingenii & ſubtilitatis, quam veritatis & ſoliditatis habet; quod & IACOBVS PERIZONIVS oſtendit, qui omnino hic conſulendus, in *aegyptiarum originum & temporum antiquiſſimorum inueſtigatione* &c. Lugduni Batauorum 1711. 8. edita. Licet autem

X 3 forte

forte in omnibus fidem non mereatur HERODOTVS, eo quod occaſio, cuncta adcurate inueſtigandi, illi defuit; nec tamen prorſus eius reſpuenda eſt auctoritas. Saltem eos magnopere falli, arbitror, qui CTESIAE Cnidio, in plurimis ab Herodoto diſſentienti, immo data velut opera illi contradicenti, maiorem fidem adhibent; quem ipſe iam ARISTOTELES ἀξιόπιστον eſſe negauit; *hiſtor. animal. lib. VIII. c. XXVIII.* quemadmodum & ab aliis veterum vanitatis & mendacii arguitur. Hic ipſe nimirum CTESIAS eſt, qui fabulam illam, de antiquitate & magnitudine regni aſſyriaci, aut excogitauit, aut propagauit, aliosque, ad eam amplectendam induxit. Cum enim libros 23 de *rebus perſicis* ſcripſiſſet, in eorum ſex prioribus *res Aſſyriorum* pertractauit, in vltimo horum ſeriem regum, a Nino & Semiramide vsque ad Artaxerxem, exhibens, vt auctor eſt PHOTIVS *cod. LXXII.* Sequuti ſunt eius auctoritatem, quod miramur merito, DIODORVS Siculus, qui, &c, quae de Aſſyriis dixerat, in compendium miſit, TROGVS POMPEIVS, VELLEIVS PATERCVLVS, aliique. Sed hoſce omnes in errore verſari, hodie viri docti luculentiſſime demonſtrarunt. Conferenda, quae hac de re dixi, in *hiſtor. eccleſ. veter. teſtam. tom. I.* in *prolegom.* ad *§. XIII. p. 33.* HERODOTO merito iungimus DIODORVM Siculum, in βιβλιοθήκῃ, quam vocat, ἱστορικῇ; quippe in qua itidem de rebus aegyptiacis, aſſyriacis, medicis, perſicis, aeque ac graecis, romanis, punicis, aliisque agit. Conſtabat opus hocce, cuius ſummam ipſemet in praefatione recenſet, libris quadraginta, ex quibus quindecim tantum ſuperſunt, & fragmenta quaedam apud PHOTIVM, aliosque. Quod ſi integrum exſtaret, magnam hinc inde hiſtoriae veteris teſtamenti adfundere poſſet lucem; quamquam &, quae ad nos peruenerunt, multa, quae vſui nobis eſſe queant, ſuppeditent. Illorum, qui ex Graecis de Graecorum rebus ſcripſerunt, magnus eſt numerus; quos auctores, antea laudati, qui de hiſtoricis graecis agunt, commemorant. HERODOTVM, atque DIODORVM Siculum Graecorum quoque res artigiſſe, iam monuimus. THVCYDIDES *belli peloponneſiaci* hiſtoriam deſcripſit, ſimulque internum Graeciae ſtatum ob oculos posuit. Idem de XENOPHONTE dicendum, qui *libris ſeptem de Graecorum rebus* THVCYDIDEM velut continuauit; PAVSANIAS, in *deſcriptione Graeciae* ad ſpecialia deſcendit, dumque praecipuas Graeciae res publicas deſcribit, multa ſingularia admiſcet, lucemque antiquis Graecorum rebus conciliat. Maximam vero mutationem Graecia pariter ac Aſia vniuerſa per Alexandrum magnum experta eſt, cuius res geſtas praeter PLVTARCHVM, & ARRIANVM, Q. CVRTIVS RVFVS, memoriae prodidit, de cuius aetate, quando vixerit, viri docti maximopere inter ſe diſſentiunt, quemadmodum de ipſa eius hiſtoria non vna omnium eſt ſententia. Ex libris decem, quos reliquit, duo priores deſiderantur. Alexandri vero, eiusque ſucceſſorum in Syria, Aegypto, aliisque regnis, hiſtoria, cognitu digna eſt, quod non tantum maxime illuſtrem hiſtoriae vniuerſalis periodum conſtituit, ſed quod Danielis quoque, ſanctiſſimi vatis de hiſce omnibus vaticinia, ipſaque gentis iudaicae, quae eo tempore experta eſt, fata, ſine ea intelligi nequeunt. Legendus itaque, qui vtramque hic paginam facit, POLYBIVS, Megalopolitanus, ad ciuilis prudentiae vſus etiam prae ceteris commendandus, in *hiſtoriarum*, qui ſuperſunt, *libris*, itemque *excerptis legationum*; cui & APPIANVS iungendus, in *Mithridaticis & Syriacis*. Commemorandus vero hic etiam eſt IVSTINVS, TROGI POMPEII epitomaſtes. Licet enim, quae nobis reliquit, velut pro compendio quodam hiſtoriae vniuerſalis habe-

haberi queant; cumprimis tamen in rebus macedonicis, Alexandri magni praecipue, eiusque patris Philippi, vt & ſucceſſorum, enarrandis, diligentem operam poſuit, immo & ſub nomine *hiſtoriarum Philippicarum* opus ſuum exſtare voluit. Iam ad romanam quod attinet hiſtoriam, de cuius neceſſitate nemo forte erit, qui dubitet; conſultum fuerit, initio quemdam, qui in compendio eam deſcripſit, euoluere. Inter eos, qui illud fecerunt, eminet LVCIVS ANNAEVS FLORVS, qui mira breuitate res plurimas maximasque complexus eſt, ſententiarumque grauitate & varietate lectorem ſimul inſtruit. Hoc tamen in eo nonnulli deſiderant, quod temporum rationes confundat. Iungere ei licet EVTROPII *breuiarium romanae hiſtoriae ad Valentem Auguſtum, ab vrbe condita ad illius vsque & fratris Valentiniani tempora deductum*; quod cum metaphraſi graeca PAEANII edidit CHRISTOPH. CELLARIVS. De reliquis, qui eiusmodi breuiaria ſcripſerunt, nihil addo. Princeps hiſtoricorum romanorum eſt T. LIVIVS, *eloquentiae ac fidei praeclarus inprimis*, quo elogio a CREMVTIO CORDO ornatur, apud C. CORNELIVM TACITVM, *annal. lib. IV. c. XXXIV.* quemue cum HERODOTO contendit QVINTILIANVS, *inſtit. orator. lib. X. c. I.* Qui neſcio quam *Patauinitatem* in eo notant, ipſi forte, quid *Patauinitas* ſit? ignorant. Legenda DAN. GE. MORHOFII *diſſertatio de Patauinitate Liuii*, vbi & plura de hocce auctore. Sub Auguſto ſuam edidiſſe hiſtoriam dicitur, quartoque Tiberii anno mortem obiit. Libros hiſtoriarum ſcripſit centum & quadraginta, ex quibus tantum triginta quinque ſuperſunt. Ad ea, quae in LIVIO deſunt, ſupplenda, plurima ſuppeditat PLVTARCHVS, in *vitis parallelis* paſſim, APPIANVS Alexandrinus, praeſertim in *punicis & illyricis*, SALLVSTIVS porro, in *bello Iugurthino* pariter, ac *Catilinario*, itemque C. IVLIVS CAESAR, in *commentariis de bello ciuili*, vt & de *bello gallico*. Et hi, quos vltimo loco nominauimus, praeſtantiſſimis hiſtoricis, iure meritoque adnumerantur. SALLVSTIVM ipſe C. CORN. TACITVS *rerum romanarum florentiſſimum auctorem* vocat, *annal. lib. III. c. XXX.* In CAESARE autem & ſermonem purum elegantemque, & placidi inſtar fluminis procurrentem, & maximarum vtiliſſimarumque rerum copiam, prudentiam tamen non minus ac candorem, admirantur omnes. Sunt, qui in romanae hiſtoriae lectione LIVIO praemittendum cenſent DIONYSIVM Halicarnaſſeum, ſcriptorem vtique grauiſſimum, & in romanis antiquitatibus perueſtigandis, deſcribendisque, adcuratiſſimum. Iudice nimirum IO. BODINO, *antiquitates romanas ab ipſius vrbis origine tanta diligentia conſcripſit, vt Graecos omnes ac Latinos ſuperaſſe videatur*; in *methodo hiſtorica*, *c. IV.* Ex viginti, quos reliquit, libris vndecim tantum ad nos peruenerunt, in quibus an. 312 hiſtoriam conſignatam habemus. LIVIVM atque DIONYSIVM Halicarnaſſeum merito excipit DIO CASSIVS, quippe qui in iis, quae ſuperſunt, a Qu. Metelli rebus, in Creta geſtis, incipit, atque ad mortem vsque Claudii imperatoris progreditur. Scripſit quidem hiſtoriarum libros octoginta, ab Aenae in Italiam aduentu, vsque ad caedem Heliogabali; ſed ex hiſce primi triginta quatuor periere, exſtant ſequentes viginti quinque, reliqui itidem temporum iniuria nobis erepti ſunt. Vti autem ex DIONE quaedam quaſi continuatio LIVII hauriri poterat; ita eodem quodammodo comparatus eſt P. VELLEIVS PATERCVLVS, in *libris duobus hiſtoriae romanae ad M. Vinicium conſulem*. Vniuerſam nimirum hiſtoriam romanam compendio complectitur, eamque eo vsque producit, vt primorum etiam caeſarum res geſtas exhibeat, in quibus tamen

fidem

fidem non meretur, quia in ſui aeui rebus domui auguſtae, & Seiano, turpiter adulatur. Habet ceteroquin quaedam, quae alibi non inuenias; & ob dictionem elegantem, planeque Romanam, lectu dignus eſt, non minus ac ob characteres morum, quos paſſim inſpergit; vnde IO. HENR. BOECLERO enata occaſio, *characteres politicos Velleianos* conſcribendi. Deducimur hinc ad hiſtoriam caeſarum, in qua primum praecipuumque locum tenent C. SVETONIVS TRANQVILLVS, & C. CORNEL. TACITVS. Nimirum, mutata rei publicae facie, mutata quoque eſt hiſtoriae, & hiſtoricorum, indoles. Iam enim praecipue ad caeſares, eorumque vitam, acta, mores, reſpiciendum erat, quippe a quorum nutu & voluntate pendebant omnia. Multa de his ſingularia SVETONIVS habet, ſcitu tamen non indigna. TACITVS prudentiae ciuilis cultoribus commendari ſolet; cum tamen id praecipue agat, vt prauos principum mores, artesque tyrannicas, depingat, quas cognoſcere decet, non tam, vt imitemur eas, quam, vt euitemus. Forte & ſuſpicionibus ſuis nimis indulget. Prudens tamen lector multa ex eo quae vſui eſſe queant, capiet. Longius a veterum hiſtoricorum, ſiue ſermonis elegantiam, ſiue ipſam rerum tractationem ſpectes, laude diſcedunt, hiſtoriae auguſtae, vt vocantur, ſcriptores AELIVS SPARTIANVS, VVLCAT. GALLICANVS, TREBELL. POLLIO, IVLIVS CAPITOLINVS, AELIVS LAMPRIDIVS, & FLAVIVS VOPISCVS; legendi ob temporum ſeriem, & quia meliores, ex quibus, quae iſtius aetatis ſunt, hauriri poſſint, non habemus. Interdum tamen quaedam obſeruatu digna, admiſcent. Iungendus vero iis eſt HERODIANVS, quippe qui quorumdam ex iis imperatoribus quos attigerunt, vitas & res geſtas octo libris diſerte & eleganter deſcribit. Incipit enim ab exceſſu Marci Aurelii Antonini philoſophi, telamque pertexit, donec Gordianus tertius, tredecim circiter annos natus, ad imperium perueniret. HERODIANVM merito excipit ZOSIMVS, quippe qui imperii romani delineationem deſcripſit, ab Auguſto caeſare exorſus, ad vrbem a Gothis, Alarico duce, captam, libris ſex; quorum primo imperatores ab Auguſto vsque ad Diocletianum breuiter recenſet, reliquos paullo fuſius & explicatius depingit libris quinque poſterioribus; quamquam hodie poſtrema pars libri primi deſideretur. Cum autem homo ethnicus fuerit, mirum non eſt, in imperatores chriſtianos, Conſtantinum magnum in primis & Theodoſium, valde eum iniquum fuiſſe; id quod in eo iam notarunt PHOTIVS, in *myriobib. cod. XCVIII, p. 271.* EVAGRIVS, *hiſtor. eccl. lib. III. c. XL. & XLI.* NICEPHORVS, *hiſtor. eccleſiaſt. lib. XVI. c. XLI. ſeqq.* Non defuerunt rurſus, qui cauſſam ZOSIMI agerent, vt IO. LEVNCLAVIVS, in *apologia pro Zoſimo, aduerſus Euagrii, Nicephori Calliſti, & aliorum acerbas criminationes*, quam ſuae ZOSIMI editioni etiam praemiſit CHRISTOPH. CELLARIVS. Immo nonnulli eo vsque progreſſi ſunt, vt, ZOSIMVM, in iis praeſertim, quae de vitiis Conſtantini magni dixit, reliquis omnibus, qui meliora de hocce imperatore ſcripſerunt, praeferendum, contenderent; conf. *obſeruat. Hallenſ. tom. I. obſeruat. XXII. ſeqq.* Verum, rectius illi ſentiunt, qui, media velut via incedentes, ZOSIMVM in eo, quod bona fide commemorauerit, quae minus recte a Conſtantino magno facta erant, neutiquam reprehendendum; quod autem omnes imperatoris huius actiones in malam interpretatus ſit partem, & malignum vbique erga eum animum prodiderit; id minime ferendum, aut excuſandum, multo minus laudandum, vel adprobandum, arbitrantur. A ZOSIMO ad AMMIANVM MARCELLINVM merito ſe conferet hiſtoria-

ſtoriarum cultor, qui libros 31 ſcripſit a principatu Neruae caeſaris, vsque ad Valentis, in cuius aula vixit, interitum; ex quibus cum priores libri 13 perierint, octodecim tantum ſuperſunt, in quibus a Gallo caeſare incipiens, res Conſtantii, Iuliani, Iouiani, Valentiniani, ac Valentis, quarum ipſe magnam partem inſpector, erat, ita deſcribit, vt ſermonis aſperitatem, rerum copia & praeſtantia, & in plurimis recto iudicio, compenſet. Vergentis tandem ad interitum imperii occidentalis, Gothorumque, qui finem ei attulerunt, &c, qui hos in Italia exceperunt, Longobardorum, rebus lucem adfundent IORNANDES, PAVL. WARNEFRIDI filius, diaconus, & ISIDORVS HISPALENSIS. Et IORNANDES, quidem duo reliquit opera, alterum, de *rebus geticis*, ſiue *hiſtoriam Gothorum*, quo ab ipſis gentis incunabulis, ad Vitigim vsque regem a Beliſario victum, res geſtas complexus eſt; alterum de *regnorum & temporum ſucceſſione*, totum fere ex FLORO exſcriptum, vt viri docti obſeruarunt. PAVLVS autem WARNEFRIDI filius, diaconus, praeter *hiſtoriam miſcellam* de *geſtis Longobardorum libros ſex* conſcripſit, qui vna cum IORNANDIS, antea memorati, & ISIDORI Hiſpalenſis *hiſtoria Gothorum, Wandalorum, & Sueuorum*, eiusdemque *chronico regum Wiſigothorum*, cura FRID. LINDENBROGII, eiusque obſeruationibus illuſtrati, prodierunt Hamburgi, 1611. Recte rebus ſuis conſulet, qui cum hiſce ex recentioribus coniunxerit CAR. SIGONII *hiſtoriarum de occidentali imperio libros 20. & de regno Italiae libros 15*; ſiquidem in prioribus hiſtoria, ab anno recuperatae ſalutis 283 vsque ad an. 565, in poſterioribus autem ab an. 570 vsque ad 1200 pertexitur. Qui ex Graecis imperii orientalis hiſtoriam, ſequentibus Conſtantini magni aetatem ſaeculis dederunt, *ſcriptorum Byzantinorum* nomine venire ſolent, quos inter ZOSIMVS, antea nobis iam memoratus, primum locum tenet, quem PROCOPIVS, AGATHIAS, aliique, excipiunt. Horum integrum aliquod corpus, ſplendidiſſime exſcriptum, Pariſiis prodiit. Conſulendus de illis MART. HANCKII, de *Byzantinarum rerum ſcriptoribus*, liber, Lipſiae 1677 editus; cumprimis, qui cuncta more ſuo erudite & adcurate ediſſerit, IOAN. ALB. FABRICIVS, *bibl. graec. lib. V. part. II.* ſeu *volum. VI. c. V. p. 219. ſeqq.* Cum autem pauciſſimis datum ſit, hoſce ſcriptores ſibi comparare, aut etiam legere; illis, quibus negatum eſt, adire Corinthum, quodammodo inſeruiet collectio quaedam praecipuorum hiſtoriae orientalis ſcriptorum, quae an. 1587 Francofurti, inſcripta: *hiſtoria rerum in oriente geſtarum, ab exordio mundi & orbe condito ad noſtra haec vsque tempora &c*, prodiit; in qua lingua latina exhibentur IO. ZONARAS, NICETAS ACOMINATVS CHONIATES, NICEPHORVS GREGORAS, & LAONICVS CHALCOCONDYLES, cum ſupplemento quodam rerũ turcicarum, ex variis auctoribus concinnato. Addere licebit CHRISTOPH. BESOLDI *hiſtoriam Conſtantinopolitanam, poſt auulſum a Carolo magno occidentem ad noſtra vsque tempora deductam*, editamque Argentorati 1634. 12. Ad occidentem vt reuertamur, deſtructo per Carolum magnum Longobardorum in Italia regno, Saxonibus, aliisque gentibus victis ac perdomitis, auctaque hinc Francorum mirum in modum potentia, germanicum enatum eſt imperium. Licet vero exinde & alia in Europa regna exſtiterint, quorum magna hodie adhuc eſt celebritas; in tanta tamen rerum, quae ex hocce tempore ſe offert, multitudine, quisque cumprimis patriae ſuae habere rationem debet. Ingens autem cum illorum numerus ſit, qui rebus germanicis lucem adfundere poſſunt; conſulendi ſunt, qui eorum collectiones dederunt, vt CHRIST. VRSTISIVS,

SIVS, IVSTVS REVBERVS, MARQV. FREHERVS, HENR. MEIBOMIVS, MELCH. GOLDASTVS, IO. PISTORIVS, SIM. SCHARDIVS, aliique, quos recenſet IO. BVRC. MENCKENIVS, in *catalogo hiſtoricorum*, LANGLETI DV FRESNOY *methodo ſtudii hiſtorici* adiecto, *num. XXXIX. p. 122. ſeq.* itemque IO. CHRISTIAN. NEV, in *mantiſſa ad Degorei VVheari relectiones hyemales, ſect. II. p. 7. & ſeqq.* His nuper acceſſit vir doctiſſimus IO. GE. ECCARDVS, luci publicae exponendo *corpus hiſtoriarum medii aeui &c.* quod hoc ipſo an. 1723 duobus tomis in folio Lipſiae prodiit. Licet autem medii aeui ſcriptores, ſi ſermonis elegantiam, rerumque ſelectum, prudentiam itidem ciuilem, aliasque hiſtoricorum virtutes ſpectes, cum veteribus graecis ac latinis non ſint comparandi, paucis quibusdam exceptis; lectio tamen eorum neceſſaria eſt, quod non tantum hiſtoria iſtorum temporum ciuilis, ſed & eccleſiaſtica, ex hisce fontibus ſit haurienda. Commendandum vero hic iterum MARQ. FREHERI *directorium*, ſupra iam laudatum, quippe in quo praecipuos medii aeui hiſtoricos ordine temporis ita diſpoſitos conſpicere licet, vt ſtatim, cuinam hiſtoriae parti quisque inſeruiat, pateat. Cum noua litterarum luce orbis perfunderetur, exſtiterunt quoque viri doctiſſimi, qui ad hiſtoriam ſcribendam animum adiungerent; quorum etiam nonnulli tanta id fecerunt felicitate, vt veteribus graecis ac latinis dubiam reddidiſſe palmam videantur. Quidam vero ſui temporis res geſtas litteris conſignarunt, alii praecedentium ſaeculorum hiſtoriam reuocare, aut illuſtrare, eamque aut amplioribus ſyſtematibus, aut compendiis breuioribus complecti, ſuarum duxerunt eſſe partium. Quorum cum ingens ſit numerus, commemorandus tamen prae ceteris eſt IO. SLEIDANVS, in *commentariorum de ſtatu religionis & reipublicae, ſub Carolo V caeſare lib. 26.* Valde enim memorabile eſt hocce temporis ſpatium, ob eccleſiae, quae in illud incidit, emendationem. Omnium praeterea iudicio praeſtantiſſimis hiſtoricis adnumeratur SLEIDANVS, quippe quem *hiſtoriam exacta fide & diligentia pertexuiſſe*, ipſemet IAC. AVG. THVANVS iudicat; *lib. XII. hiſtor. ad an.* 1556. Plura de inſigni hocce opere, eiusque continuatoribus, dabit CASP. SAGITTARIVS in *introduct. ad hiſtor. eccleſ. c. XI. §. XI. p. 111. ſeqq.* addatur IO. CHRIST. NEV, in *acceſſionib. ad Deg. Wheari relection. hyemal.* ad *ſect. XXV. q. 213. &* ad *ſect. XL. p. 305. ſeqq.* Alter, quem a theologiae cultoribus prae reliquis obſeruandum cenſemus, IAC. AVG. THVANVS eſt, quem *hiſtoriarum ſui temporis, ab an. 1543 vsque ad an. 1607 libros 138* reliquiſſe, conſtat; meritoque SLEIDANO ſubiungitur, quippe qui cum an. 1556 deſinit. Principem is omnium conſenſu inter recentiores hiſtoricos tenet locum. IOAN. ANDREAE BOSIO noſtro audit *ſcriptor eloquentia, doctrina, libertate, prudentia, & fide nemine inferior, praeſertim in rebus gallicis, quibus ipſe interfuit. In reliquarum enim gentium*, ita pergit, *non parem vbique fidem meretur, quia alios ſequi neceſſe habuit. Vnde factum, vt etiam ſtilus eius alicubi diuerſus deprehendatur: verba namque auctorum, quibus vſus eſt, plerumque retinuit.* Et quibusdam interiectis: *Quae ad religionis hiſtoriam pertinent, ſumma aequitate & moderatione, quamquam religioni pontificiae addictus, tractauit, eaque re multorum e papiſtis odium in ſe concitauit, adeo, vt a nonnullis idcirco politico-catholicus adpellitetur; a quibusdam etiam vt atheus atque profanus traducatur*; de *comparanda prudent. ciuil. §. XXXVIII.* Quae de variis operis huius editionibus ſcitu digna ſunt, tradit CASP. SAGITTARIVS, *introduct. in hiſtor. eccleſ. c. XII. §. XII.*

XII. p. 153. ſeqq. Duobus hiſce hiſtoricis longe praeſtantiſſimis tertium adhuc adiungo SAM. PVFENDORFIVM, cuius eximia quaedam opera exſtant, hiſtoriam ſaeculi decimi ſeptimi mirifice illuſtrantia, vt *commentariorum de rebus ſuecicis libri 26, ab expeditione Guſtaui Adolphi regis in Germaniam, ad abdicationem vsque Chriſtinae*, Vltraiecti 1686 fol. porro: *de rebus a Carolo Guſtauo Sueciae rege geſtis commentariorum libri 7* Norimbergae 1696, fol. & denque, de *rebus geſtis Friderici Wilhelmi magni, electoris Brandenburgici*, Berolini, 1695, fol. De reliquis recentioris aeui hiſtoricis, iis praeſertim, qui ad noſtra quoque tempora pertingunt, conferendus, quem ſaepe iam laudauimus, IO. BVRC. MENCKENIVS, in *catalogo hiſtoricorum*, LANGLETI DV FRESNOY *methodo ſtudii hiſtorici* ſubnexo. Ad alteram vero claſſem, ſeu eos, qui recentiori aetate, priorum ſaeculorum hiſtoriam illuſtrarunt, aut vna cum recentiori ſyſtematibus vel compendiis complexi ſunt, quod attinet; non minor quoque illorum eſt numerus; nec tamen huius loci, iſtos aut indicare, aut recenſere. De praecipuis etiam hiſtoriae vniuerſalis compendiis iam ſupra dictum. Cum vero ſemper Germaniae noſtrae habenda ſit ratio; non male rebus ſuis conſulet, qui praecipuos quosdam ex iis, qui ad eius hiſtoriam viam pandunt, euoluerit. Commendari autem prae reliquis merentur BVRC. GOTTH. STRVVII *ſyntagma hiſtoriae germanicae a prima gentis origine ad an. 1716* Ienae, 1716, 4. IAC. CAR. SPENERI *hiſtoria Germaniae vniuerſalis & pragmatica, breuiter ac perſpicue expoſita cum perpetuis notis*, Lipſiae 1716 & 17, 2. tom. 8. cuius & exſtat *notitia Germaniae antiquae*, Halae 1717, 4. edita; FRID. GLADOVII *Verſuch einer vollſtaendigen vnd accuraten Reichs-Hiſtorie von Deutſchland*, Lipſiae 1717, 4. SIM. FRID. HAHNII *vollſtaendige Einleitung zu der teutſchen Staats-Reichs-vnd Kaiſer-Hiſtorie*, Halae 1721, 4. Prima autem fundamenta ex CASP. SAGITTARII *nucleo hiſtoriae germanicae*, Ienae 1675, 12. edito, condiſcere licet.

§. XVI. Ipſius nimirum eccleſiae originem, fata, propagationem & inter tot pericula mirificam conſeruationem, exhibet hiſtoria, quae nomen inde retulit, eccleſiaſtica. Quae tamen cum ea tradat, circa quae theologia vel maxime occupatur; non tam inter propaedeumata referenda, quam potius pro illius parte haud ſane vltima habenda. *

* Hinc & de ea *parte II.* ex inſtituto dicemus.

§. XVII. Chronologia, geographia, genealogia, res nummismaria, vtrique, tum ciuili, tum eccleſiaſticae hiſtoriae lucem, quandoque haud contemnendam adfundunt. At in hiſce vtpote acceſſoriis opera ita collocanda, ne id, quod caput cauſſae eſt, negligatur. *

* Chronologiam hiſtoriae oculum recte dici, nemo dubitat. Sine ea enim obſcura, confuſa, dubia, omnia. Mirum itaque, veteres hiſtoricos de temporum rationibus adeo parum fuiſſe ſollicitos. *Priſcis hiſtoricis*, inquit IO. MARSHAMVS, *nuda fuit rerum geſtarum narratio; nec certis temporum interuallis diſtincta; nec a termino fixo deducta. In hac claſſe cenſendi ſunt Herodotus, Thucydides, Xenophon, & qui perierunt, reliqui; quorum ſcripta, antequam nata eſſet ars chronologica, prodierunt*; in *canone chronico ſec. XVI. p. 486.* Antiquiſſimam, ſimulque certiſſimam chronologiam ſcriptura nobis ſuppeditat. Ethnicorum epochae, vt Olympia-

piadum, belli Troiani, aerae Nabonaſſaraeae, vrbis Romae, longe ſunt recentiores. Diſtinctio quoque illa temporis ex mente VARRONIS, in ἄδηλον, μυθικὸν & ἱστορικὸν, ſatis arguit, antiquiſſima tempora ethnicis incognita fuiſſe. Aegyptiorum dynaſtiae, ſummaque earum antiquitas, non alio loco habendae, quam Chinenſium chronologia, ipſum mundi initium excedens. Fabulae ſunt, atque inania commenta; conf. EDVARDVS STILLINGFLEET, in *originibus ſacris, c. V. p. 139. ſeqq.* Diſputatum fuit, ſit ne codicis ebraei potius, an, quod ISA. VOSSIO, PAVLO PEZRONIO, aliisque placuit, 70 interpretum calculus ſequendus? Sed hac de re dictum in *hiſt. eccleſ. vet. teſtam. tom. I. prolegom.* §. *XX. p. 50.* Hiſtoriam chronologiae in compendio exhibet GERH. IO. VOSSIVS, de *artium & ſcientiar. natura ac conſtitut. lib. II. ſiue de philologia, c. XII. p. 53. ſeqq. & lib. III.* ſiue de *matheſi, c. XLI. p. 138.* De antiquis apud Graecos chronologis conf. IO. VVOWERIVS, de *polymathia, c. XII. §. XVI. p. 132.* Diligentiſſime omnium chronologos, iudaeos pariter ac chriſtianos, veteres, ac recentiores, enarrat vir doctiſſimus FRID. ADOLPH. LAMPIVS, in *praefatione*, quam IO. IAC. HOTTINGERI *pentadi diſſertationum biblico-chronologicarum*, Traiecti ad Rhenum, anno 1723 editae, praemiſit. Idem & iam ante eum fecerat IO. ALB. FABRICIVS, in *bibliographia antiquaria, c. VII. p. 163. ſeqq.* vbi diſtincte primum chronologiae hiſtoricae, tum & technicae, ſcriptores, recenſet. Praecipuos utriusque generis etiam ipſemet indicaui, in *prolegomenis, tom. I. hiſt. eccl. vet teſtam.* ad §. *XX. p. 49. ſeqq.* Recte autem viris doctis obſeruatum, ante HIPPOLYTVM, ſanctorum numero adſcriptum, & IVLIVM Africanum, neminem fuiſſe, qui chronicon aliquod vniuerſale, a primo rerum humanarum exordio, condere adgreſſus ſit; horum vero vtrumque chronicon ſuum ad Alexandri ſeueri tempora produxiſſe. Ex IVLIO Africano ſua fere deſumſit EVSEBIVS, cuius chronicon, παντοδαπὴ ἱστορία dictum, ab HIERONYMO in linguam latinam translatum, hic vel maxime in cenſum venit; ſed de eo, vti & IOSEP. IVSTI SCALIGERI *theſauro temporum*, in quo illud cum variis ſupplementis exhibetur, a me iam dictum in *prolegomenis* citatis, ad *§. XIV. p. 36. 37.* Inter recentiores, qui chronica vniuerſalia ſcripſerunt, SETHVS CALVISIVS haud vltimum locum tenet, SCALIGERI maxime veſtigia premens; cuius opus chronologicum, vsque ad an. 1685 continuatum, Lipſiaeque eodem an. editum, illis, qui ſe prorſus in hoc ſtudiorum genus dare nolunt, forte ſufficiet. In iis, quae ad tempora veteris teſtamenti ſpectant, vtramque facit paginam IAC. VSSERIVS, in *annalibus veteris & noui teſtamenti*, in quibus vsque ad an. Chriſti 173 ſeu templi ac rei publicae iudaicae excidium, progreditur. In chronologia technica itidem IOSEPH. IVSTVS SCALIGER eminet, in opere *de emendatione temporum*; cui dubiam reddere palmam adniſus eſt DIONYSIVS PETAVIVS, *libris 13 de doctrina temporum*, qui duobus proſtant tomis, quorum prior libris octo τὰ τεχνικὰ ſiſtit, poſterior libris quatuor ea, quae in ratione epocharum & interuallorum obſcura ſunt & controuerſa, euoluit; libro autem decimo tertio vſum ſuperiorum librorum oſtendit, & chronicon aliquod, vsque ad an. Chriſti 532 exhibet. Vtramque & hiſtoricam, & technicam chronologiam ſummatim complexus eſt idem PETAVIVS, in *rationario temporum*, ſupra nobis iam laudato. Ceteroquin inter compendia, quibus τὰ τεχνικὰ traduntur, primus locus debetur ei, quod AEGID. STRAVCHIVS concinnauit, quodque magno eruditi orbis adplauſu eſt exceptum. Cum ex varia, menſes annosque

Digitized by Google

que computandi, ratione, maximae in chronologia oriantur difficultates; obſeruandi ſunt ſcriptores, qui de menſibus annisque diuerſarum gentium ſcripſerunt; vt IO. ALB. FABRICIVS, in *menologio*, IO. SELDENVS, de *anno ciuili & eccleſiaſtico reipublicae iudaicae*; HENR. DODVVELLVS, de *veteribus Graecorum & Romanorum cyclis*, aliique laudati GOTT. STOLLIO, in *der kurtzen Anleitung zur Hiſtorie der Gelahrheit c. VI. §. XXVII.* Vt autem magnopere illorum laudandum eſt inſtitutum, qui in difficultatibus chronologicis, quae momentum aliquod trahunt, tollendis, operam ſtudiumque ſuum collocant; ita dolendum, viros praeſtantiſſimos ſubinde ad minutias dilabi, & in rebus, quas tuto ignorare licet, ingenii vires, rectius grauioribus rebus impendendas, conſumere. Exempla quam plurima apud SCALIGERVM, PETAVIVM, immo & ANTONIVM PAGI, in *critica anti-Baroniana*, SEBAST. NANVM TILLEMONTIVM, in *commentariis hiſtoriae eccleſiaſticae inſeruientibus*, aliosque, occurrunt. Idem optime monuit IO. ALB. FABRICIVS, dum, *ſimiliter*, inquit, in *chronologicis diligenter hic euitandus ſcopulus, ne in ſubtilioribus & incertis tempus & operam diutius ludamus, ſed certis & exploratis inhaerentes, in aliis ſimus verofimilitudine contenti, neque omnia ad pulniſculum excutiendo in minutiis ſudemus & angamur, ac poſt longos & inſanos aeſtus tamen cogamur denique fateri, incertiores nos eſſe, quam dudum &c. bibliograph. antiquar. c. VII. §. VIII. p. 186.*

Alter hiſtoriae oculos geographia eſt; ſine qua cum nec ſacri nec profani auctores recte intelligi queant, nemo non neceſſitatem eius cognoſcit. Antiquiſſima eius veſtigia in ſcriptura ſacra deprehenduntur. Certe luculentiſſimum eius documentum in deſcriptione itinerum populi iſraëlitici conſpicitur; *num. XXXIII.* Homeri aetate quaſi incunabula geographiae fuiſſe, STRABONEM ſequutus, adſerit GER. IO. VOSSIVS, qui & primos qui poſt HOMERVM geographiam attigerint, philoſophos fuiſſe, docet, ANAXIMANDRVM Mileſium, eiusque ciuem HECATAEVM, item DEMOCRITVM, EVDOXIVM, EPHORVM, DICAEARCHVM, aliosque. Atque de hiſce, ceterisque, qui deinceps ex inſtituto ſcriptis ſuis geographiam illuſtrarunt, ita diſſerit VOSSIVS, vt in compendio hiſtoriam geographiae exhibeat, praecipuosque auctores, tum graecos, tum latinos, laudet; de *artium & ſcientiarum natura & conſtitut. lib. II. ſiue de philolog. c. XI. p. 49. ſeqq.* item *lib. III. ſiue de matheſi. c. XLIII. p. 143. ſeqq.* Notitiam quoque ſcriptorum geographicorum ſuppeditat IO. CHRISTOPH. BECMANNVS, in *hiſtoria orbis terrarum geographica, & ciuili*; quippe qui tum veteres, graecos & latinos, tum recentiores, qui in geographia veteri occupati fuerunt, porro & nouae geographiae ſcriptores, itemque eos, qui veterem ac nouam coniunxerunt &c. ordine recenſet, *c. I. §. II. ſeqq.* Nec praetermittendus IO. ANDR. BOSIVS noſter, qui de geographis veteribus ac recentioribus, aliisque, ad notitiam geographiae litterariam ſpectantibus, adcurate diſſerit, in *introduct. generali in notitiam rerumpubl. orbis vniuerſi, c. V. p. 55. ſeqq.* & *c. XXI. p. 139. ſeqq.* vbi & geographiae, tam veteris, quam hodiernae, hiatus ac deliquia, per totum paene orbem, oſtendit. Iungendus his iterum vir ſummus IO. ALB. FABRICIVS, in *bibliographia antiquaria*, vbi *c. V. p. 121. ſeqq.* ſcriptores, veterem geographiam ac chorographiam illuſtrantes, exhibet. De antiquis geographiae ſcriptoribus etiam IO. VVOVVERIVS verba facit, de *polymathia c. XIII.* Inter veteres, & quidem graecos, eminet STRABO, qui Auguſto & Tiberio imperante floruit, & *libros XVII. de geographia* reliquit, lectu vel ideo dignos, quod

quod hiſtorica etiam varia, & quae philoſophum inſtruere poſſint, in iis occurrant. Optima editio eſt, quam THEODORVS IANSONIVS AB ALMELOVEEN dedit, Amſtaelodami 1707 fol. STEPHANVS Byzantinus, qui ſaeculo ſexto floruiſſe dicitur, primus fuit, qui lexicon aliquod geographicum in opere, quod τὰ ἐθνικὰ inſcripſit, condidit, in quo & multa, hiſtoriae & antiquitatibus illuſtrandis inſeruientia, attigit. Sed hodie tantum epitome eius ſupereſt, ab HERMOLAO quodam grammatico, qui itidem ſaeculo ſexto vixit, confecta. Prodiit cum ABR. BERCKELII commentario, & obſeruationibus IAC. GRONOVII, an. 1688 fol. LVCAE HOLSTEINII notae poſthumae ſeparatim editae ſunt, cura THEODORI RYCKII, Lugduni Batauorum 1684. Quemadmodum autem ex veteribus EVSEBIVS quoque, vt deinceps dicemus, eamdem methodum, ſecundum litterarum ordinem, geographiam tradendi, ſequutus eſt; ita ex recentioribus idem fecerunt ABR. ORTELIVS, IO. PHIL. FERRARIVS, &, qui huius lexicon auxit, MICH. ANT. BAVDRANDVS, aliique. Ad veteres vt reuertamur, ex latinis maxime commemorandus adhuc POMPON. MELA, cuius *libros III. de ſitu orbis* obſeruationibus eruditiſſimis illuſtrauit ISA. VOSSIVS; conf. PAVLVS COLOMESIVS, *bibliotheque choiſie, p. m. 179.* De PLINIO atque SOLINO, quorum vterque & geographica attigit, iam ſupra dictum. Ex recentioribus nemo forte melius de geographia antiqua meritus eſt, quam CHRISTOPH. CELLARIVS, meus quondam in academia Hallenſi collega coniunctiſſimus, in *notitia orbis antiqui*, Lipſiae an. 1701 & 1706 duobis tomis in 4. edita. Quo quidem opere pereruditо nemo temere carere poterit. De tabulis geographicis veterum, Graecorum, Latinorumque, conferre iuuabit IO. ALB. FABRICIVM, in *bibliograph. antiquar. c. V. §. IX. p. 135. ſeqq.* Medii aeui geographiam pauciores adhuc illuſtrarunt, quam veterem. Magnis hinc adhuc inuoluta eſt tenebris. Tentauit tamen aliquid non ſine omni ſucceſſu CHRISTIAN. IVNCKERVS, in *introductione ad geographiam medii aeui*, quam lingua germanica edidit, Ienae 1712, 4. Eos, qui recentioris aetatis geographiam concinnare adgreſſi ſunt, haurire licet ex IO. BVRC. MENCKENII *catalogo hiſtoricorum*, LANGLETI DV FRESNOY *methodo ſtudii hiſtorici* ſubiecto, *num. VIII. p. 22. ſeqq.* nec praetermittenda, quae in ipſa hacce *methodo c. II. §. I. p. 5. ſeqq.* de ſtudio geographico monentur. Prima geographiae, tum veteris, tum recentioris, fundamenta rectiſſime petuntur ex IO. HVBNERI *quaeſtionibus geographicis*, germanice ſcriptis, ſaepiusque recuſis, & in varias linguas translatis. Nec contemnenda etiam *geographia antiqua iuxta & noua* CHRISTOPH. CELLARII. Inter ſacrae geographiae, de qua theologiae cultorem praecipue ſollicitum eſſe oportet, ſcriptores, ſeu eos, qui locorum, in ſcriptura ſacra occurrentium, deſcriptionem dederunt, primum locum tenet HIERONYMVS, aut ſi mauis, EVSEBIVS. Quae enim hic graece ſcripſerat, ille maximam partem in libro *de locis ebraicis* latine reddidit, ſed ita, vt multa detraheret, mutaret, adderet. Exſtat non tantum inter opera HIERONYMI, ſed ſeorſim quoque, variis additamentis auctus, notisque & tabula geographica Iudaeae a IAC. BONFRERIO illuſtratus, Amſtaelodami an. 1707 prodiit. Recenſuit hanc editionem, & animaduerſionibus ſuis locupletauit, IO. CLERICVS. Adiecta quoque eſt BROCARDI, monachi ex ordine praedicatorum, *deſcriptio terrae ſanctae.* Quid viri docti tum in EVSEBIO, tum in HIERONYMO, deſiderent, a me indicatum in *prolegomenis tomi I. hiſt. eccleſ. veter. teſtam.* ad §. XX. p. 52. 53. De reliquis, qui tum medio aevo, tum recentiori aetate, Palaeſtinae deſcriptionem dederunt, nihil addo, cum praecipuos ex iis

IOAN.

Digitized by Google

IO. CLERICVS recenſeat, in *praefatione*, NICOL. SANSONII *geographiae ſacrae*, Amſtaelodami an. 1704 editae, praefixa. Inter eos,qui recentiori aetate geographiae antiquae Palaeſtinae lucem adfundere adgreſſi ſunt, eminet IO. LIGHTFOOTVS, qui in *chorographiis*, quas euangeliſtis praemiſit, aliisque ſcriptis, ex libris talmudicis multa ceteroquin obſcura, haud infeliciter explicauit, tabulasque Iudaeae & Hieroſolymae, templique confecit. Omnibus autem dubiam in hoc genere palmam reddidit HADR. RELANDVS, in *Palaeſtina ex monumentis veteribus illuſtrata*, Traiecti ad Rhenum, 1714, 4. SAM. BOCHARTVS, in *geographia ſacra*, cuius pars prior *Phaleg*, poſterior *Canaan* vocatur, id praecipue agit, vt in gentium origines inquirat. De reliquis dixi in *prolegomenis* antea *citatis*, ad §. *XX. p. 53.* Ex iis, qui geographiam eccleſiaſticam illuſtrarunt, notitiamque patriarchatuum & epiſcopatuum dederunt, nonnullos indicat IOAN. ANDR. BOSIVS, in *introduct. generali in notitiam rerum publicarum, c. XXI. §. VII. p. 143.* ſed plenius copioſiusque eos enarrat IO. ALB. FABRICIVS, in *bibliograph. antiquar. c. V. §. XVI. p. 143. ſeqq.*

Ex familiarum illuſtrium notitia, quam genealogia ſuppeditat, hiſtoriam itidem lucem quamdam accipere, dubio caret. Eius quoque ſtudium iam olim in gente ebraea floruiſſe, conſtat. Ipſemet Moſes patriarcharum ante & poſt diluuium generationes adcurate adnotauit. Vnde, quanta genealogiae antiquitas ſit, intelligitur. Sunt, qui tradunt, gentis iudaicae genealogias, poſt Moſen a viris ſanctis continuatas, maioris fidei cauſſa in templo adſeruatas fuiſſe, donec ab Herode, vt illuſtrium familiarum memoriam deleret, comburerentur; conf. IO. SELDENVS, de *ſucceſſionib. pontif. ebr. lib. II. c. III.* Id ab eo factum, ne familiae obſcuritas obiiceretur, dicunt, quamquam alii aliam cauſſam adferant. Addunt, ea re inductos Iudaeos, domeſtica familiarum documenta ſollicite adſeruaſſe; quae, cum ab aliis in dubium vocarentur, ortas hinc varias de genealogiis controuerſias; atque has eſſe μύθοις καὶ γενεαλογίαις ἀπεράντοις, a quibus vt ſibi caueat, Timotheum ſuum admoneat Paulus, *I. Tim. I, 4.* Verum ad locum huncce atque effatum Pauli quod attinet, ſunt viri doctiſſimi, qui, cum de commentis potius kabbaliſtarum, quam genealogiis Iudaeorum, loqui, contendunt; idque ex inſtituto ſibi euincendum ſumſit IO. MICH. LANGIVS, in *commentario theologico, de genealogiis numquam finiendis & fabulis iudaicis &c.* Noribergae an. 1696, 4. edito. Eadem fuit ſententia ISAACI VOSSII, contra quem diſputat, pro genealogiis proprie ſic dictis pugnans, PHIL. IAC. HARTMANNVS, de *rebus geſtis chriſtianorum ſub apoſtolis, c. XII. p. 292. ſeqq.* Quidquid eius ſit, genealogiarum Iudaeos habuiſſe rationem, negari nequit; idque non ſine Numinis ſingulari directione factum, vt credamus, par eſt, cum hac ratione euangeliſtae eo certius originem Meſſiae ex ſtirpe Dauidis demonſtrare potuerint. Nec apud Graecos, Romanos, ipſosque Germanos, neglectum prorſus genealogiae ſtudium. Quamquam, ad Germanos quod attinet, adcuratior familiarum notitia iis temporibus tribuenda ſit, quibus ludi equeſtres celebrari coeperunt; quippe ad quos nemo admiſſus eſt, quin prius, ſe pariter, ac ſuam coniugem, ſanguine nobili procreatum, teſtimonio genealogico fidem feciſſet. Conferenda cumprimis GE. SCHVBARTI, de *ludis equeſtribus*, diſſertatio. Praecipuos ſcriptores genealogicos, tum generales, tum ſpeciales, indicat, monitaque de hocce ſtudio ſalutaria ſuppeditat, IO. ANDR. BOSIVS noſter, in *introduct. generali in notitiam rerum publicarum, c. XVII. & XVIII. p. 122. ſeqq.* & BVRC. GOTTH. STRV-

STRVVIVS, in *bibliotheca hiſtorica*, *c. XXXI. §. XI. p. 789. ſeqq.* Ex inſtituto vero *hiſtoriam litterariam de fatis ſtudii genealogici apud Ebraeos, Graecos, Romanos, & Germanos, in qua ſcriptores harum gentium potiſſimi enumerantur, & totius genealogiae curſus ab orbe condito ad noſtra vsque tempora deducitur*, ſcripſit IAC. FRID. REIMANNVS, an. 1702, 8. Ad primas in hoc ſtudiorum genere ducendas lineas ſufficient GE. LOHMEIERI *tabulae genealogicae*, auctae & emendatae per *auctorem notitiae procerum imperii*, hoc eſt, IAC. WILH. IMHOFIVM; itemque IO. HVBNERI *tabulae genealogicae*, quippe quae propius adhuc ad noſtra tempora accedunt. Vſum inſignem in principum controuerſiis decidendis genealogiarum notitia praebet; quae ceteroquin in ſe ſpectata parum prodeſt, ſaepiusque vanitati tantum & ſtultitiae hominum inſeruit.

Supereſt res nummaria, quam in ſtudio hiſtorico minime negligendam, viri doctiſſimi cenſent. Antiquiſſimis nimirum iam temporibus vſitatum fuit, vt per nummos non minus, quam inſcriptiones, de quibus infra dicetur, memoria rerum pariter, ac virorum illuſtrium conſeruaretur, & ad poſteros propagaretur; quod oſtendit ISA. IAQVELOTIVS, *diſſertations ſur l'exiſtence de Dieu, diſſ. I. c. VIII. p. 93. ſeqq.* addatur LVD. IOBERTVS, in *ſcientia rei nummariae, p. 5.* Vt vero de antiquitatibus, ex nummis eruendis, ſerio cogitarent viri eruditi, ante ſaeculum decimum ſextum factum non videtur. Certe tum exſtiterunt, qui de nummo eiusque partibus ſcriberent, quos inter haud vltimus fuit GVIL. BVDAEVS, in libro *de aſſe eiusque partibus*, quem cum aliis eiusdem argumenti ſcriptis recudi curauit beatus ADAM. RECHENBERGIVS Amſtelodami 1692 in 4. Nec defuerunt, qui de re nummaria, deque nummis Graecorum & Romanorum, commentarentur, propiusque ad id, quod caput cauſſae eſt, accederent, vtilitatem, quam in antiquitatum inueſtigatione ex nummis capere licet, perſpicientes. Saeculo vero decimo ſeptimo certatim viri docti in hoc ſe dederunt ſtudiorum genus, tantusque mox exſtitit illorum numerus, vt integrae bibliothecae auctorum, qui de nummis ſcripſerunt, inſtrui poſſent. Horum vt praecipuos indicemus, primo nobis commemorandus loco eſt PHIL. LABBEVS, cuius *bibliotheca nummaria*, cum eiusdem *bibliotheca bibliothecarum*, primum Pariſiis an. 1664, 8. prodiit, deinceps ANT. TEISSIERII *catalogo auctorum, qui librorum catalogos, indices, bibliothecas &c. conſignarunt*, Geneuae an. 1686, 4. ſubiuncta eſt. In duas haecce bibliotheca diuiſa eſt partes, quarum altera *de antiquis numiſmatibus, ebraeis, graecis, romanis*, altera *de monetis, ponderibus, & menſuris*, agit. Inter auctores autem, quos adfert, minima pars eorum eſt, qui de nummis ad antiquitatis illuſtrationem egerunt. Meliora haurire licet ex CAR. PATINO, quippe qui in *introduct. ad hiſtoriam numiſmatum, c. XXIV.* ordine chronologico auctores, qui in hocce argumento ingenii vires periclitati ſint, recenſet. Cumprimis commendanda BVRC. GOTTH. STRVVII noſtri *bibliotheca numiſmatum antiquiorum*, Ienae an. 1693 edita, in qua non tantum auctores, qui de numiſmatibus ſcripſerunt, enumerat, ſed velut introductionem quamdam ad notitiam rei nummariae ſuppeditat. Sed omnium diligentiam ſuperauit ANSEL. BANDVRIVS, cuius *bibliothecam nummariam, ſiue auctorum, qui de re nummaria ſcripſerunt*, operi eius de *nummis caeſarum* adiunctam, recudi curauit IO. ALB. FABRICIVS, qui & notis quibusdam eam illuſtrauit, & doctorum quorumdam virorum de eodem argumento diſſertationes adiecit, Hamburgi 1719 in 4. Effecit itaque vir doctiſſimus, vt vix quid-

Digitized by Google

quidquam amplius circa notitiam eiuſmodi ſcriptorum deſiderari queat. Illis, qui primis rei nummariae elementis imbui cupiunt, inſeruiet maxime LVD. IOBERTI *ſcientia rei nummariae*, gallice ab auctore ſcripta, ſed deinceps in linguam latinam a CHRIST. IVNCKERO conuerſa, operamque nauante FRID. BENED. CARPZOVIO Lipſiae an. 1695 edita, gallice vero iterum, & quidem multum auctior, impreſſa Pariſiis 1715, 2. vol. 12. Vtilitatem, quam ex rei nummariae notitia capere licet, in opere de *praeſtantia & vſu numiſmatum antiquorum*, EZECH. SPANHEMIVS ita demonſtrauit, vt, iudice ANDR. MORELLIO, nihil perfectius poſt eum ſperari poſſit, in *ſpecimine rei nummariae &c. p. 29.* ANSELMVS BANDVRIVS, de SPANHEMIO verba faciens, *hoc*, inquit, *an quisquam melius intellexerit, quantum vtilitatis percipi ex veterum nummorum contrectatione poſſit neſcio*; in *bibliotheca nummaria, p. 143. 144.* Prodiit SPANHEMII diſſertatio, *de praeſtantia & vſu numiſmatum antiquorum*, primum Romae 1664. 4. deinde longe auctior Amſtelodami 1671, in 4. Tandem nouis magnisque acceſſionibus opus hocce locupletatum, & in duos tomos diuiſum eſt, quorum prior Londini 1706, alter Amſtelodami 1717, fol. lucem adſpexit publicam. Vſum, quem rei nummariae notitia, ſpeciatim in religione gentilium dilucidanda, in doctrina morali & ciuili, in hiſtoria ciuili, eccleſiaſtica, litteraria, praebet, adlegatis variorum auctorum locis, demonſtrat IO. ALB. FABRICIVS, peculiari *indice*, BANDVRII *bibliothecae nummariae* ſubiecto, *p. 235. ſeqq.* Fuerunt &, qui ex inſtituto nummorum veterum in theologia vſum oſtendere adgreſſi ſunt, quos inter praecipue nominandus VAL. ERN. LOESCHERVS, cuius *diſſertationes tres, de vſu nummorum veterum in ſtudio theologico*, exhibet eiusdem *ſtromateus, ſiue diſſertationes ſacri & litterarii argumenti &c.* iunctim Witteberg.ae an. 1723 editae. Et ſane, cum antiquitatum, quae ad ſcripturam ſacram illuſtrandam faciunt, notitiae nummi veteres inſeruiant; per eosdem ſimul locis quibusdam ſacri codicis obſcurioribus lucem interdum adfundi, negari nequit. Exempla varia ipſemet EZECH. SPANHEMIVS, in opere antea laudato, ſuppeditat. Sed id quoque dubio caret, in chronologia & hiſtoria eccleſiaſtica vſum eorumdem haud contemnendum eſſe. Certe proderit haec notitia ad illorum audaciam retundendam, qui ex nummis fabularum praeſidium ſe inueniſſe, exiſtimant. Exemplo ſingulari hoc comprobat PETRVS ZORNIVS, in *diſſ. de numis quibusdam antiquis, ex quibus Baronius, Peireſcius, aliique antiquitatem miſſae, & veritatem probare voluerunt*, quae exſtat in *opuſculorum* eius *ſacrorum tomo I. p. 41. ſeqq.* Rurſus vero & id certum, poſitumque extra controuerſiam, plus ſaepe in iſta rei nummariae ſcientia eſſe oſtentationis, quam ſolidae vtilitatis; fructuque, quem inde percipimus, laborem, qui ei eſt impendendus, neutiquam penſari. Cauendum praeterea, ne in rebus hiſtoricis plus, quam decet, nummis tribuamus. Errori, mendacio, adulationi, in illis non minus, quam in ſcriptis hiſtoricorum, locus eſt. Documento eſſe poſſunt vel illi, quibus Galli memoriam Ludouici XIV, regis ſui, ad poſteros transferre conati ſunt. Idque cur non in veterum nummis interdum contingere potuerit, nullam rationem video. Quod ſi obſeruaſſet IO. HARDVINVS, numquam, nummorum auctoritate faſcinatus, eo vsque progreſſus eſſet, vt omnium fere ſcriptorum fidem ſollicitaret, ex nummis quippe tantum ſapere geſtiens, immo pleraque tandem veterum ſcripta ſuppoſititia eſſe, ſibi perſuaderet; cuius temeritatem, prout decebat, caſtigauit MATVRINVS VEYSSIERIVS LA CROZE, vir longe doctiſſimus, in *vindiciis veterum ſcripto-*

ſcriptorum contra Io. Harduinum, Roterodami 1708 editis. De genuino nummorum in hiſtoricis vſu, neue plus, quam par eſt, illis tribuamus, deque cautione circa eos obſeruanda, ne falſis & ſuppoſititiis decipiamur, recte & eleganter nonnulla monet LANGLETVS DV FRESNOY, in *methodo ſtudii hiſtor. c. XV. §. II. p. 280. ſeqq.*

Supereſt, vt de *inſcriptionibus*, quas vocant, itemque de *diplomatibus*, ceu publicis quibusdam monumentis, aliquid addamus. Et ad inſcriptiones quidem quod attinet, inſignem earum in antiquitatibus illuſtrandis eſſe vſum, nemo temere negauerit, atque HENR. NORISIVS cardinalis, in *cenotaphiis Piſanis Caii & Lucii caeſarum*, ANT. PAGI, in *critica annalium Baronii*, aliique viri eruditi, paſſim oſtenderunt. Laudandique adeo, qui in iis colligendis operam ſtudiumque ſuum collocarunt, vt IANVS GRVTERVS, in *theſauro inſcriptionum romanarum*, IAC. SPONIVS, in *miſcellaneis eruditae antiquitatis*, aliique, laudati BVRC. GOTTH. STRVVIO, in *bibliotheca antiquitatum generali*, quam *ſyntagmati antiquitatum romanarum* praemiſit, §. *XII. p. 30. ſeqq.* Caute tamen & circumſpecte hic incedendum, recte monet LANGLETVS DV FRESNOY, in *methodo ſtudii hiſtorici*, *c. XV. §. II. p. 281. ſeqq.* cum non tantum per falſas & ſuppoſititias inſcriptiones, aeque ac nummos, decipi queamus; ſed & facile contingat, vt in earum interpretatione a vero & genuino aberremus ſenſu. Temerarium itaque nimis foret, quae ab hiſtoricis fide dignis traduntur, in dubium vocare, ſi forte cum nummo quodam, aut inſcriptione, quae, ſi vel maxime genuina ſit, dubiae tamen ſaepe eſt interpretationis, non conueniat. De diplomatibus, ſimilibusque documentis publicis, antea iam obſeruauimus, ea a quibusdam per meram oſtentationem iactari, maioremque eorum perhiberi vtilitatem, quam qua reuera gaudent. Nec tamen is ego ſum, qui, ea prorſus contemnenda, cenſeam, cum in rebus obſcuris aut dubiis lucem interdum adferre queant. Fuerunt ſane, qui fidem diplomatum ſollicitarent, plurima, ad quae ſaepe prouocatur, dubia, ſuppoſititiaque eſſe, contendentes, ac ita comparata, vt nihil certi ex iis colligere liceat. Quibus IO. MABILLONIVS obuiam ire voluit, in praeclaro *de re diplomatica*, opere, Pariſiis 1681 fol. edito, deinceps cum acceſſionibus an. 1709 recuſo, poſtquam ſupplementum an. 1704 prodiiſſet. Nec tamen omnes in ſuam ita pertrahere ſententiam potuit MABILLONIVS, quin eſſent, qui diplomatibus fidem denegare pergerent, quos inter eminet BARTHOLOM. GERMONIVS, in *diſceptatione ad Mabillonium de veteribus regum Francorum diplomatibus*, Pariſiis 1703 in 12. Sed huic iterum ſe oppoſuerunt, IVST. FONTANINVS, in *vindiciis antiquorum diplomatum aduerſus Bartholomaei Germonii diſceptationem de veteribus regum Francorum diplomatibus, & arte ſecernendi antiqua diplomata vera a falſis*, Romae 1705 in 4. THEOD. RVINARTVS, in libro: *eccleſia Pariſienſis vindicata aduerſus R. P. Bartholomaei Germon duas diſceptationes* inſcripto; DOMINIC. LAZZARINVS, in *epiſtola ad amicum Pariſienſem, pro vindiciis antiquorum diplomatum Fontanini*, & ANTONIVS quidam GATTVS in *epiſtola ad Iacobum Bernardum pro vindiciis antiquorum diplomatum*, Amſtaelodami an. 1707. Hiſce omnibus autem iterum reſpondit GERMONIVS in *diſcepationibus de veteribus regum Francorum diplomatibus, & arte ſecernendi antiqua diplomata vera a falſis*, Pariſiis 1707, 12. Singulari vtique & hic vtendum circumſpectione, nemo negauerit; cum plurimae eſſe cauſſae queant, cur in fingendis & corrumpendis diplomatibus ingenii humani vel maxime ſeſe exſerat malignitas. Ad eos quod attinet, qui diplomata exhibent, magnus exſtat illorum nume-

numerus, qui ſcriptis ſuis hiſtoricis, ſiue ad ciuilem, ſiue ad eccleſiaſticam hiſtoriam ſpectent, diplomata inſerunt. Nec praetermittunt ea, qui veterum monumenta & reliquias colligunt, vt STEPH. BALVZIVS, in *miſcellaneis*, IO. MABILLONIVS, in *analectis*, IO. LVCAS DACHERY, in *ſpicilegio*, EDMVNDVS MARTENE, AC VRSINVS DVRANDVS, in *theſauro nouo anecdotorum*, BERN. PEZIVS, in *theſauro anecdotorum nouiſſimo*, aliique, de quibus alibi erit dicendi locus. Spectat huc etiam GODEFR. GVIL. LEIBNITIVS, in *codice iuris gentium diplomatico*, cuius volumen prius 1693, poſterius 1700 in fol. prodiit; ſpectant & reliqui, qui acta publica ex inſtituto in lucem proferunt, quos omnes recenſere, huius loci non eſt. Addendus vero adhuc eſt IO. PETRVS LVDEWIG, quippe qui *reliquias manuſcriptorum omnis aeui, diplomatum ac monumentorum ineditorum adhuc*, quinque hactenus tomis dedit Lipſiae 1720, 8. qui & in praefatione omnes eos, qui diplomata exhibent, aut collegerunt, itemque, qui ad controuerſias de re diplomatica ſpectant, recenſet. Conferre etiam iuuabit, quae de diplomatibus & re diplomatica monet CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *introd. ad hiſt. theolog. litterar. notis ampliſſimis illuſtrata, prolegom.* ad §. *II. p. 10.*

§. XVIII. Hiſtoria litteraria non eſt vnius generis, ſiquidem alia eſt *hiſtoria litteratorum*, alia *hiſtoria librorum*, alia denique *hiſtoria* ipſarum *artium*, atque *ſcientiarum*. * Nec tamen deſunt, qui generatim ad hiſtoriam litterariam introductiones dederunt. **

* Scriptores, qui ad vnamquamque hiſtoriae litterariae ſpeciem pertinent, deinceps recenſebimus. Obſeruandum autem, plerumque, qui vnam partem tradunt, alteri ſimul inſeruire; eſſe &, qui duas, aut omnes omnino attingant, in quibus tamen, quid iis praecipue conſtitutum ſit, ſpectandum, niſi inter eos, qui generatim de hiſtoria litteraria praecipiunt, locum inueniant. Sic, qui vitas eruditorum deſcribunt, ſcripta quoque eorum plerumque recenſent, &, qui de libris agunt, ſubinde, quae ipſarum artium & ſcientiarum hiſtoriam illuſtrant, adferunt, & ſic porro.

** Inter eos, qui generatim ad hiſtoriam litterariam introductiones dederunt, primum locum tribuimus PETRO LAMBECIO, cuius *prodromus hiſtoriae litterariae* eruditorum manibus teritur, praeſertim, poſtquam IO. ALB. FABRICIVS eum, cum eiusdem *itinere Cellenſi*, & ALEXAND. FICHETI *arcana ſtudiorum methodo*, aliisque monumentis, recudi curauit, Hamburgi an. 1710, fol. Non tantum enim librorum, ſed ipſarum quoque artium & ſcientiarum hiſtoriae, prodromus hicce inſeruit; eoque magis dolendum, hocce opus ab auctore ad finem perductum non eſſe, quo plura exquiſitae eruditionis in eo exſtant veſtigia. Iam vero a condito mundo hiſtoriam hancce litterariam exorſus, circa iſtud tempus ſubſtitit, in quod apud Ebraeos hiſtoria iudicum, Gideonis, Abimelechi &c. apud Graecos autem expeditio Argonautarum in Colchidem incidit. Hocce namque temporis interuallum libri ſecundi capite quarto perſequitur, quod vltimum eſt. Acceſſit tamen appendix reliquorum capitum viginti nouem, quae librum ſecundum abſoluere debebant, ſciagraphiam exhibens, *ſatis quidem*, iudice CHRISTOPH. AVG. HEVMANNO, *bonam, ſed quibus ita, vt par eſt, elaborandis, nec decem quidem Lambecii ſuffecerint*; in *conſpectu reipubl. litterar. c. II. §. III.* Alterum a LAMBECIO locum merito ſibi vindicat DAN. GE. MORHOFIVS, quippe

quippe qui, vaſto animi ambitu omnem hiſtoriam litterariam complexus, eamque in *polyhiſtore* ſuo traditurus, morte praepeditus eſt, quo minus ſingula perficeret & perpoliret; ſupplente tamen, quod deerat, omnemque nauante operam, IO. MOLLERO, viro doctiſſimo, vt integrum tandem hocce opus, quantum fieri poterat, exhiberet, multorumque hac ratione ſatisfaceret votis. Et ita tandem Morhofianus ille *polyhiſtor, in tres tomos, litterarium, philoſophicum, & practicum, diuiſus*, ceu *opus poſthumum*, plena facie Lubecae prodiit 1708 in 4. Praecipua hiſtoriae litterariae capita ſummatim ſiſtit BVRC. GOTTH. STRVVIVS noſter, in *introductione ad notitiam rei litterariae & vſum bibliothecarum*, Ienae an. 1704, 8. edita, & aliquoties deinceps recuſa, variisque acceſſionibus & ſupplementis ab auctore aucta. Immo & IO. CHRISTOPH. COLERVS *analecta ad introductionem* iſtam dedit, quae cum eiusdem *de praeſenti rei litterariae ſtatu* diſſertatione hoc ipſo an. 1723, Ienae lucem adſpexerunt. Inſeruit cumprimis haec introductio illis, qui ad librorum notitiam adſpirant; ſcriptores tamen biographici etiam *c. IV.* recenſentur. Sequitur inter huius generis ſcriptores CAR. ARNDIVS, cuius *ſyſtema litterarium, idque hiſtorico - pragmaticum, praecipua ſcientiae litterariae momenta complectens*, Roſtochii an. 1714, 4. prodiit. Tribus abſoluitur ſectionibus, quarum prima eaque *iſagogica, ſcientiae litterariae genium*, vt auctori loqui placet, *inſitum & illatum* deſcribit, vbi & de ortu, progreſſu, & fatis ſcientiae litterariae verba facit; altera, eaque *biographica, virorum doctorum catalogum ordine chronologico diſpoſitum* exhibet; tertia denique, quam & *religioſam* vocat, ea quae ad hiſtoriam omnium religionum ſpectant, exponit. Nec male de hiſtoria litteraria meritus eſt IAC. FRID. REIMANNVS, dum, edito primum *tentamine introductionis ad hiſtoriam litterariam generatim ſpectatam*, Halae 1708, 8. mox *hiſtoriam litterariam Germaniae*, copioſius, quinque partibus, ſeu tomis, diuerſo tempore editis, perſequutus eſt. Exſtat & eiusdem *tentamen introductionis ad hiſtoriam litterariam antediluuianam*, Halae 1709, 8. quod, aeque ac reliqua, germanico idiomate conſcripſit. Id praecipue laudandum, quod ſpeciatim Germaniae hiſtoriam litterariam tradere, adgreſſus eſt. Cum enim ambitus hiſtoriae huius, per omnes gentes, ſaltem eas, quae litteris bonisque artibus pretium aliquod ſtatuunt, diffuſus, vnius hominis vires ſuperet; non male rei publicae litterariae conſulunt, qui vnius gentis hiſtoriam litterariam excolendam ſibi ſumunt. Eoque comparata eſt viri clariſſimi MICH. LILIENTHALII *conſultatio de hiſtoria litteraria certae cuiusdam gentis ſcribenda*, Roſtochii an. 1710 edita, in cuius praefatione ſcriptores quoque quosdam, qui de re litteraria certae gentis commentati ſunt, laudat. Elegantiſſimum eius rei ſpecimen nuper dedit ALB. THVRA, in *idea hiſtoriae litterariae Danorum*, Hamburgi 1723 edita; qua ſummatim, quidquid de re litteraria Danorum dici poteſt, complexus eſt. Idem dicendum de illis, qui non tantum certae gentis aut loci, ſed certi ſimul temporis hiſtoriam litterariam condiderunt, quod magna cum laude non ita pridem fecit GE. WALLINVS, Suecus, in *Lutetia Pariſiorum ſui temporis, hoc eſt annorum huius ſaeculi XXI. & XXII.* Norimbergae 1722 in 8. Ad eos vt reuertar, qui introductiones ad hiſtoriam litterariam, generatim ſpectatam, concinnarunt; commemorandus adhuc eſt vir doctiſſimus CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, ob *conſpectum*, quem edidit, *reipublicae litterariae, ſiue viam ad hiſtoriam litterariam iuuentuti ſtudioſae apertam*, impreſſam Hannouerae 1718 in 8. Exiguae quidem molis libellus

lus eſt, ſed elegantiſſimus, in quo plene & adcurate, optimoque ordine, cuncta, quae vniuerſum rei litterariae ambitum abſoluunt, per ſumma capita exhibentur. Atque hi praecipui ſunt, ni fallor, qui generatim hiſtoriam litterariam, certo nimirum ordine, dederunt. Neſcio enim, an adhuc addere debeam *cohortem* illam *muſarum*, quam ſub IO. GE. GRAEVII nomine edidit WOLPHERDVS VAN BVEREN, Traiecti ad Rhenum 1715. In prima enim parte hiſtoria rei litterariae, a prima mundi origine vsque ad natum Chriſtum, traditur, in altera autem ad librorum notitiam via panditur. Vt vero ieiunus admodum hic eſt libellus, erroribusque plurimis ſcatet; ita perperam GRAEVII prae ſe fert nomen. Rectius LVDOLPHO KVSTERO eum tribui, nonnulli cenſent, qui tamen, ſi vixiſſet, numquam conſenſurus fuiſſet, vt hoc modo in publicam prodiret lucem. Sunt porro & alia ſcripta, quae ſparſim, aut absque certo ordine, hiſtoriae litterariae lucem adfundunt. Praeter alia huc comparatae ſunt epiſtolae virorum eruditorum, eae ſaltem, in quibus litteraria tractantur; quarum adeo recenſionem inſtituit DAN. GE. MORHOFIVS, *polyhiſt. litterar. lib. I. c. XXIII. ſeqq.* Adieci deinde ipſe reliquas, a MORHOFIO praetermiſſas, in *praefatione, ſupplemento epiſtolarum Lutheri* praemiſſa; quibus iungendae adhuc, quas BVRC. GOTTH. STRVVIVS laudat, *introduct. adnotit. rei litterar. c. IV. §. XVIII. p. 184. ſeqq.* Spectant huc etiam libri *in ana*, in quibus virorum, doctrina & ingenio praeſtantium, argute & lepide dicta, iudiciaque de auctoribus, aliaque ad rem litterariam facientia, collecta exhibentur. Pleroſque eius generis libros recenſet, eorumque velut hiſtoriam quamdam, a prima origine deductam, pertexit IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, vir longe celeberrimus, in *praefatione*, quam *Caſaubonianis*, a ſe editis, praemiſit. Atque haec ipſa *Caſauboniana*, Hamburgi 1710, 8. edita, vberrimam ſelectiſſimarum obſeruationum ſegetem ſuppeditant, quae theologiae etiam cultorem multum iuuent. Idem deinceps argumentum, peculiari obſeruatione *de libris in ana*, tractauit MICH. LILIENTHALIVS, ita, vt a WOLFIO praetermiſſa adiiceret, in *ſelectis hiſtoricis & litterariis*, Regiomonte an. 1715, 8. *obſeruat. VI. p. 141. ſeqq.* Vt vero initio aliorum dicta & effata hunc in modum colligebantur; ita mox exſtiterunt, qui ipſimet, quae in mentem veniebant, litteris conſignabant ab ipſis, aut ab aliis deinceps edenda. Huc *Huetiana* referenda ſunt, ab ipſo quidem HVETIO non euulgata, litteris tamen ab eo commiſſa, quae hoc ipſo, quo haec ſcribo, an. 1723, lucem publicam adſpexerunt, quaeue variis obſeruationibus, quae huius loci ſunt, abundant. Quae autem NICOL. HIERON. GVNDLINGIVS edidit *Gundlingiana*, obſeruationes, ſeu diſſertationes de certis argumentis elaboratas, continent; ex quibus tamen nonnullae itidem hiſtoriae litterariae lucem conciliant. Eiusdem etiam generis ſunt *miſcellanea*, ſimiliaque ſcripta, ſi modo, quae hiſtoriae litterariae ſunt, attingant, vt: *melanges d'hiſtoire & de litterature &c.* par M. de VIGNEVL-MARVILLE, Rotterodami 1702 in 8. ne quid de *obſeruationibus ſelectis, ad rem litterariam ſpectantibus*, quae Halae prodierunt, ſimilibusque ſcriptis dicam.

§. XIX. *Hiſtoria litteratorum*, vitam & fata virorum, doctrina & ingenio praeſtantium, eorum praeſertim, quorum ſingularia aut in eccleſiam, aut rem litterariam, exſtant merita, deſcribit. Cumque adeo latiſſime pateat; hic illi cumprimis in cenſum veniunt, qui vi-

tas & fata theologorum recenſuerunt. Nec dubium, quin magnam theologiae cultoribus adferat vtilitatem; optandum ſolum, vt adcuratior ſelectus inſtitueretur, & vitae celebrium virorum, maiori, quam vulgo fieri ſolet, ſtudio conſcriberentur. *

* Fuiſſe omni tempore, inter Graecos cumprimis atque Romanos, qui virorum, virtute meritiſque praeclaris illuſtrium, vitas deſcriberent, notum eſt; quorum & in prudentia ciuili inſignis vſus conſpicitur. Idem deinceps inſtitutum ſeruarunt veteres chriſtiani, vt, illorum, qui ſanctitate prae aliis eminebant, resque religionis & eccleſiae promouerant, vitam moresque delineando, exemplum proponerent, quod alii imitarentur; idque & recentiori ſubinde factum eſt aetate, vti alibi ex inſtituto oſtenditur. Nobis vero nunc de viris, eruditionis laude florentibus, ſermo eſt; ex quorum vitis, ſi recte conſcriptae ſint, vt varia, ad litterarum ſtudia ſpectantia, ita praecipue, quae fugere, quaeue conſectari ipſimet debeamus, capere licet. Neque illi tantum, qui fuſe & copioſe eruditorum vitas litteris conſignarunt, hic in cenſum veniunt; ſed illi quoque, qui paucis verbis earumdem notitiam ſuppeditant; quos conſulere oportet, cum non ſemper, qui prius fecerunt, adſint. Magnus autem cum eruditorum hominum ſit numerus; nonnulli quidem promiſcue omnium, aut plerorumque, quorum notitiam adipiſci potuerunt, colligere vitas, pulchrum duxerunt; eoque ſpectat PAVLI FREHERI *theatrum virorum eruditione clarorum*, Noribergae 1688, fol. in quo tamen & ſelectum, & ἀκρίβειαν viri docti deſiderant, in quibusdam etiam ſterilitatem, & defectum eorum, quae vel maxime memoratu digna erant, notant. Felicius in hocce ſtadio currunt, qui quorumdam, prae reliquis eminentium, vitas deſcribunt, aut ab aliis deſcriptas colligunt. Prius ANT. TEISSIERIVS fecit, in *elogiis doctorum virorum Thuanaeis (eloges des hommes ſçauans tirez de l' hiſtoire de M. de Thou &c.)* in quibus illorum, quos THVANVS laudauit, vitam & ſcripta adcurate recenſet. Primus & ſecundus tomus Vltraiecti 1696, tertius ſeu vltimus, Berolini 1704, 8. prodiit. Spectantque huc etiam PAVLI IOVII *elogia doctorum virorum*; SCAEVOLAE SAMMARTHANI *elogia doctorum in Gallia virorum*, IANI NICII ERYTHRAEI *pinacotheca imaginum illuſtrium*, & ſi qui alii ſunt eiusdem generis. Ex his laudandus maxime ERYTHRAEVS eſt, quoniam nec vitia naeuosque virorum doctorum praetermiſit, aliaque adnotauit, quae prodeſſe poſſunt. Poſterius praeter alios GVIL. BATESIVS fecit, quippe qui *vitas ſelectorum aliquot virorum, qui doctrina, dignitate, & pietate, inclaruere*, collegit, ediditque, Londini 1681, 4. Huc vero lexica etiam illa hiſtorica vniuerſalia, IO. IAC. HOFMANNI, LVD. MORERII, &, quod noſtris auſpiciis lingua germanica prodiit, quae ſupra iam commemorauimus, comparata ſunt; quippe in quibus vitae omnis generis virorum doctorum exhibentur. Cumprimis PET. BAELII *dictionarium hiſtorico-criticum* hic locum ſibi vindicat, in quo non tantum virorum doctorum, qui prae reliquis celebritatem conſequuti ſunt, vitas adcurate deſcribit, ſed de illorum etiam meritis aut ipſemet iudicat, aut aliorum iudicia expendit, errores, qui ab iis, in vitis illorum ſententiisque referendis, commiſſi ſunt, refellit, dubia, quae occurrunt, diſcutit, ipſas denique illorum ſententias ſingulares ſub examen reuocat. GE. MATTHIAS KOENIGIVS, in *bibliotheca veteri & noua*, nomina quidem auctorum, ſecundum litterarum ordinem, exhibet, ſed de vita illorum parum

rum, aut nihil, addit; nec, in ſcriptis illorum indicandis, plenus, aut adcuratus eſt. Naeuos huius operis paſſim viri docti notant. In compendio autem vitas & ſcripta eruditorum recenſet *das compendioeſe Gelehrten Lexicon*, quod cum praefatione IO. BVRC. MENCKENII prodiit Lipſiae 1715, 8. Ad eos vt nunc progrediamur, qui certi generis eruditos deſcripſerunt; praecipue nobis illorum habenda eſt ratio, qui theologorum vitas litteris conſignarunt. Haud vltimum inter eos locum tenet HENNINGVS WITTENIVS, vtpote qui poſt ſex decades, quibus *memorias theologorum noſtri ſaeculi clariſſimorum* complexus eſt, Francofurti 1674, 8. integram deinceps earumdem *centuriam* edidit, itidem Francofurti 1685, 8. Ex programmatibus autem, & orationibus funebribus, cum cuncta congeſta ſint; quid de hocce opere quisque ſibi polliceri queat, arbitrari licet. Edidit equidem & *iureconſultorum, medicorum, philoſophorumque memorias*; ſed de his nunc non ſumus ſolliciti. Exemplum illi praeiuerat MELCH. ADAMVS, in *vitis eruditorum, cum germanorum, tum exterorum*, in quibus, praeter iure conſultos, politicos, medicos, philoſophos, cumprimis & theologos ſiſtit; quorum ipſemet vitas deſcripſit, longeque maiori cura & induſtria, quam WITTENIVS, in hocce argumento verſatus eſt; licet, in elogia effuſior, in ſcriptis recenſendis parcior, itidem neutiquam omnium ſatisfecerit votis. Preſſius VVITTENII inſtitutum ſequutus eſt HENR. PIPPINGIVS, in *ſacro decadum ſeptenario memoriam theologorum noſtra aetate clariſſimorum renouatam exhibente &c.* Lipſiae 1705 in 8. Vitas namque theologorum, quorum memoria in hocce opere conſeruatur, itidem ex programmatibus exhibet, ſeu potius progammata ipſa, in obitum theologorum iſtorum conſcripta, collegit; ſcripta tamen illorum paullo adcuratius recenſuit, indicatis ſubinde ex ephemeridibus litterariis locis, vbi illorum mentio iniicitur. Nec contemnendum prorſus iſtud programmata colligendi ſtudium; licet ſimul multa ſuperflua in iis contineantur, eaque tantum, quae elogiis inſeruiant, recenſeantur. Iungendis his GE. HENR. GOETZIVS, antiſtes Lubecenſis, ob *elogia*, quae dedit, *germanorum quorumdam theologorum*, Lubecae 1709, 8. Sed, cum plurimi adhuc ſuperſint, quorum vitae in his non exſtant; conſulendi, qui, locorum ſimul habita ratione, noſtrae eccleſiae theologos commemorarunt. Sic Helmſtadienſium memoriam celebrauit GEBH. THEOD. MEIERVS in *monumentis academiae Iuliae*, Tubingenſium IO. IAC. MOSERVS, Wurtenbergicorum MELCH. LVD. FISCHLINVS, Ienenſium IO. CHRISTOPH. ZEVMERVS, & BARTHOL. CHRIST. RICHARDVS, alii alios ab obliuione peculiaribus ſcriptis vindicare adniſi ſunt. *Theologorum Altorphinorum omnium vitas a condita academia, vna cum ſcriptorum recenſu plenius & adcuratius ad hiſtoriae eccleſiaſticae & litterariae vſum deſcriptas* nuper dedit GVST. GE. ZELTNERVS, vir longe doctiſſimus, Norimbergae 1722, 4. Immo ita dedit, vt reliquorum omnium induſtriam ſuperaret, exemplumque pulcherrimum relinqueret, ad quod, qui vitas eruditorum deſcribere adgrediuntur, merito ſe componant. Atque hi quidem, cum noſtrae eccleſiae theologos commemorent, niſi quod MELCH. ADAMVS reformatorum etiam habeat rationem; quorumdam ex his quoque vitae, ab anonymo quodam collectae, Londini prodierunt, an. 1670 in 8. Nonnullorum porro ex eidem eccleſiae addictis IO. GE. IOCHIVS exhibuit, ne quid de HENR. LVDOLPHI BENTHEMII libro: *hollaendiſcher Kirchen-und Schulen-Staat*, itemque *engellaendiſcher Kirchen- und Schulen-Staat*, dicam, in quibus, praeſertim in priori, multi, qui doctrinae & ingenii laude inter huius eccleſiae doctores prae ceteris conſpicui

cui fuerunt, vna cum ſcriptis eorum, magna diligentia recenſentur. In *bibliotheca hiſtorico-philologico-theologica Bremenſi* itidem ſubinde, tum aliorum, tum reformatae maxime eccleſiae doctorum, vitas legere licet. Romanae autem eccleſiae theologorum vitas qui cognoſcere cupit, eum LVDOV. ELLIES DV PIN *bibliothecam auctorum eccleſiaſticorum*, & quidem *tom. XVIII. & XIX*, adire oportet, in quibus & vitam, & ſcripta praecipuorum adcurate delineata inueniet. Idem vero etiam *bibliothecam auctorum eccleſiaſticorum, qui a romanae eccleſiae communione diſceſſerunt*, itidem gallicano ſermone concinnauit, Pariſiis an. 1718 quatuor tomis in 8. editam, in qua non modo praecipuos quosdam ex noſtrae & reformatae eccleſiae doctoribus, ſed ex Socinianis pariter, ac Arminianis; ita recenſet, vt ſinceritatem ſuam ſubinde demonſtret, longiusque a partium ſtudio, quam ceteroquin romanenſes ſolent, ſe abeſſe, oſtendat. Theologos denique, ex illuſtri proſapia oriundos, in ſcenam prodire iuſſit REINH. HENR. ROLLIVS, in *bibliotheca nobilium theologorum ſelecta*, Roſtochii 1709 in 8. Eos vero, qui ſpeciatim huius aut illius theologi vitam ex inſtituto deſcripſerunt, quorumue haud exiguus numerus eſt, laudat IO. CHRISTOPH. DORNIVS, in *bibliotheca theologico-critica, lib. II. c. II. §. VI. ſeqq. p. 198. ſeqq.* Nonnullos etiam, eosque praereliquis obſeruatu dignos, indicat IOACH. LANGIVS, in *inſtitutionibus ſtudii theologici litterariis, ſect. II. c. I. membr. II. §. XII. p. 112. ſeqq.*

Diſcriminis, quod intuitu ſtudiorum inter eruditos intercedit, huc vsque rationem praecipue habuimus. Sunt vero rurſus, qui ad gentium diuerſitatem reſpiciunt, &, quos aut Germania, aut Italia, aut Gallia, protulit, viros ingenio & doctrina praeſtantes, deſcribendos ſibi ſumſerunt. Quorum nonnulli, licet ad ſcripta praecipue reſpiciant, a reliquis tamen, ne ordinem, ſemel nobis conſtitutum, turbemus, commode ſeparari nequeunt. Quod & de aliis, de quibus adhuc dicemus, intelligendum eſt. Ad Germanos itaque quod attinet, eruditionis laude florentes, eorum notitiam MELCH. ADAM, HENNINGVS VVITTENIVS, aliique, quos antea commemorauimus, ſuppeditant. Ad antiquiora ſi reſpicere velimus tempora, addendus adhuc IO. TRITHEMIVS, cuius *de luminaribus Germaniae liber vnus*, ſeu *catalogus virorum illuſtrium Germaniae*, inter eius opera exſtat. Dedicatus eſt IAC. VVIMPHELINGIO, qui in ſua *proſtheſi* nonnullos, a TRITHEMIO omiſſos, adiecit. Iungendus quoque HENR. PANTALEON, in *proſopographia illuſtrium virorum totius Germaniae*; & ſi qui alii ſunt eiusdem generis. Galliae viros eruditos ANT. VERDIERIVS, & FRANC. GRVDAEVS CRVCIMANIVS, (LA CROIX DV MAINE) peculiaribus ſcriptis enarrarunt. Addantur tamen hiſce AND. SAVSSAY, de *myſticis Galliae ſcriptoribus*, PAVLI COLOMESII *Gallia orientalis*, in qua Gallorum, qui ebraeam, aliasque linguas orientales coluerunt, vitae, ſcripta, & varia de illis iudicia recenſentur, & IO. LAVNOII *academia Pariſienſis illuſtrata, ſeu regii Nauarrae gymnaſii Pariſienſis hiſtoria*, cuius pars tertia ſcriptorum 134 elogia, eorumdemque opera continet. Inter eos, qui hiſpanicorum ſcriptorum notitiam ſuppeditant, eminet NICOL. ANTONIVS, in *bibliotheca hiſpana*, cuius pars poſterior, Hiſpanos, qui ab an. MD vsque an. 1672 ſcriptis, ſiue vernacula, ſiue latina, ſiue alia lingua editis, claruerunt, exhibens, Romae an. 1672, adeoque ante priorem, prodiit. Prior enim, ſiue *bibliotheca hiſpana vetus*, poſt auctoris obitum, iuſſu & expenſis IOSEPHI SAENZ, cardinalis DE AVGVIRRE, lucem adſpexit Romae an. 1696. Luculentum profecto opus eſt, quod tum in litteraria, tum eccleſia-

cleſiaſtica hiſtoria, vſum inſignem praebet. Italorum quorumdam, qui ingenii & eruditionis laudem conſequuti ſunt, memoriam conſeruarunt PAVL. IOVIVS, in *elogiis doctorum virorum*, & IANVS NICIVS ERYTHRAEVS, in *pinacotheca imaginum illuſtrium*; quos antea iam laudauimus. Eodem ſpectant PROSPERI MANDOSII *bibliotheca romana*, *ſeu romanorum ſcriptorum centuriae*, AVGVST. OLDOINI *athenaeum romanum*, in quo tamen pontificum tantum & cardinalium ſcripta referuntur; eiusdem OLDOINI *athenaeum liguſticum*, *ſeu ſyllabus ſcriptorum Ligurum*, item *athenaeum auguſtum*, *in quo peruſinorum ſcripta publice exponuntur*; porro FRANC. ARISII *Cremona litterata*, LVD. IACOBILLI *bibliotheca Vmbriae*, ANT. MONGITORIS *bibliotheca ſicula*, &c, ſi qui alii ſunt, hiſce ſimiles. Angliae viros eruditos deſcripſit IO. BALEVS, in *catalogo ſcriptorum illuſtrium maioris Britanniae*, qui nouem ſcriptorum centuriis abſoluitur; hunc vero ſequutus eſt IO. PITSEVS, de *illuſtribus Angliae ſcriptoribus*; immo, ita ſequutus eſt, vt pleraque ex BALEO deſumeret, vt hic ſua IO. LELANDO debere creditur; conf. HENR. WHARTONVS, in *praef. ad tom. I. Angliae ſacrae, theſi XIII.* Iuuabit his iungere ANTONII WOOD *hiſtoriam & antiquitates vniuerſitatis Oxonienſis*. Quae Hibernorum in rem litterariam merita ſint, exponit IAC. WARAEVS, in *libris duobus de ſcriptoribus Hiberniae*; quae Scotorum GE. MACKENZIE, in *vitis celebriorum ſcriptorum Scotiae*, Belgarum viros eruditos celebrant VALERIVS ANDREAE DESSELIVS, in *bibliotheca belgica*, FRANC. SWEERTIVS, in *Athenis belgicis*, ANT. SANDERVS, in *libris tribus de ſcriptoribus Flandriae*, itidem *de Gandauenſibus eruditionis fama claris*, & *duobus de Brugenſibus*. Conferendus vero hic cumprimis HENR. LVDOLPHVS BENTHEMIVS, in libro, quem *de ſtatu eccleſiarum & ſcholarum Hollandiae* ſcripſit, quemue antea iam laudauimus. Singulari enim induſtria multorum virorum eruditorum Belgii foederati vitae in eo deſcribuntur. SVFFRIDI PETRI, *de ſcriptoribus Friſiae* liber ſatis notus eſt. Eos, qui ſeptentrionem eruditionis lumine collustrarunt, complexus eſt IO. MOLLERVS, in *bibliotheca ſeptentrionis erudita*, in qua ALB. BARTHOLINI *librum de ſcriptis Danorum, Norwagorum, & Islandorum*, itemque IO. SCHEFFERI, *Sueciam litteratam*, vtrumq; opuſculum hypomnematibus eruditiſſimis, aliisque acceſſionibus, auctum & illuſtratum exhibet; in praefatione autem *de gentium borealium in litteras meritis* copioſe differit. Idem quoque in *Iſagoge ad hiſtoriam Cherſoneſi cimbricae* varia, quae huius loci ſunt, attingit. Addendus ALB. THVRA, cuius *ideam hiſtoriae litterariae Danorum* antea iam commendauimus, & in qua eorum itidem, quae ad vitas eruditorum in Dania ſpectant, diligenter rationem habet; in praefatione autem reliquos, qui huic inſtituto inſeruiant, indicat. Ad Polonos quod attinet, SIM. STAROVOLSCIVS hic commemorandus eſt, cuius quippe exſtant *centum ſcriptorum polonicorum elogia & vitae*; itemque *de claris Sarmatiae oratoribus*, *liber*. Hungaros eruditos ſiſtit DAV. CZVITTINGERVS, in *ſpecimine Hungariae litteratae &c.* Atque ita praecipuos, qui certae gentis viros eruditos exhibuerunt, enarrauimus; de quibus, vti & reliquis, quos praetermiſimus, conferre iuuabit THO. ITTIGII *ſchediaſma*, *de auctoribus, qui de ſcriptoribus eccleſiaſticis egerunt*, *§. XVI. ſeqq. p. 52. ſeqq.* vbi multa de hiſce, lectu & obſeruatu digniſſima; addatur BVRC. GOTTH. STRVVII *introductio ad notitiam rei litterariae*, *c. IV. §. IV. ſeqq. p. 149. ſeqq.*

In eccleſia romana varios eſſe ordines religioſos, conſtat, qui, cum haud exiguum

um doctorum virorum numerum protulerint; qui de illorum ſcriptoribus egerunt, minime hic ſunt praetermittendi. Ab ipſis pontificibus, atque cardinalibus, ſi initium facere vellemus; commemorandum ſtatim eſſet AVGVSTINI OLDOINI *athenaeum romanum*, de quo antea obſeruauimus, quod pontificum tantum & cardinalium in eo recenſeantur ſcripta. Addendus LVD. IAC. AS. CAROLO, qui in prima *bibliothecae* ſuae *pontificiae*, Lugduni an. 1643 excuſae, parte, pontificum romanorum, a Petro vsque ad Vrbanum VIII, ſcripta enarrat. Cardinalium, qui ſcriptis inclaruerunt, notitiam ſuppeditat FRANC. MARIA TVRRIGIVS, in *tractatu de romanae eccleſiae ſcriptoribus cardinalibus*; & HENR. LVD. CASTANAEVS RVPIPOZAEVS, in *nomenclatore cardinalium*, qui ab an. Chriſti milleſimo quidquam commentati ſunt. Sed ad ipſos hoſce ordines vt accedamus; primum Ieſuitae ſe nobis offerunt, qui ſemper id omni niſu egerunt, vt reliquis dubiam redderent eruditionis palmam. De ſcriptoribus itaque huius ordinis vel ſocietatis PETR. RIBADENEIRA agit, in *illuſtrium ſcriptorum religionis ſocietatis Ieſu catalogo*; quem continuauit PHIL. ALEGAMBE, in *bibliotheca ſcriptorum ſocietatis Ieſu*; quam iterum recognouit, & vsque ad annum 1675 produxit NATHANAEL SOTVELLVS, cuius *bibliotheca Ieſuitica* Romae an. 1686 luci expoſita eſt publicae. De praedicatorum ſeu Dominicanorum ordinis ſcriptoribus illuſtribus AND. ROVETTA, ALB. LEANDER, AMBR. DE ALTAMVRA, aliique plurimi, egerunt; ſed omnium induſtriam ſuperarunt IAC. QVETIF, & IAC. ECHARD, eidem ordini adſcripti, in luculento opere, quod inſcripſerunt: *ſcriptores ordinis praedicatorum recenſiti, notisque hiſtoricis & criticis illuſtrati*, quodue duobus tomis in fol. conſtat, quorum prior anno 1719, poſterior anno 1721 Pariſiis prodiit. Inchoauit illud QVETIF, ad finem autem perduxit ECHARD; eſtque ita comparatum, vt inſignem eccleſiaſticae pariter ac litterariae hiſtoriae lucem adfundat. *Scriptores ordinis minorum* LVCAS WADDINGVS recenſuit, adiuncto illorum, qui ex eodem ordine pro fide mortem obierunt, catalogo, Romae 1650 in fol. Ad eorum, quos Benedictinus ordo, qui ſemper praeſtantiſſimis ingeniis abundauit, tulit, notitiam comparandam, plurimum conferet IO. MABILLONIVS, ipſemet maximum huius ordinis decus, in *actis ſanctorum ordinis S. Benedicti*, itemque in *annalibus* eiusdem *ordinis*. Etſi enim ex inſtituto hoc non agit in vtroque opere, vt eorum, qui eruditionis gloria floruerunt, habeat rationem; nec tamen eos praetermittit, immo non poteſt non plurima tradere, quae ad illorum adcuratiorem notitiam faciunt. Iam antea vero de *Benedictinis* commentatus erat IO. TRITHEMIVS, cuius etiam exſtat libellus de *viris illuſtribus ordinis Carmelitarum*, de quo tamen nonnulli dubitant, an TRITHEMIVM auctorem agnoſcat. Cumprimis autem hic commendanda BERNARDI PEZII *bibliotheca Benedictino-Mauriana, ſeu de ortu, vitis & ſcriptis patrum Benedictinorum e celeberrima congregatione S. Mauri in Francia libri II.* Auguſtae Vindelicorum, 1716, 8. Enimuero, cum ex congregatione iſta S. Mauri viri exſtiterint longe praeſtantiſſimi, qui in patrum ſcriptis edendis laudabilem operam poſuerunt, vel alia ingenii monumenta reliquerunt; ſingulari beneficio orbem eruditum ſibi obſtrinxit auctor doctiſſimus, dum tam exquiſitam illorum notitiam nobis ſuppeditauit. *Ciſtertienſis ordinis* ſcriptores recenſuit CAROL. DE VISCH, in *bibliotheca ſcriptorum ordinis Ciſtertienſis*, quae an. 1656 prodiit; alii aliorum adhuc ordinum ſcriptores dederunt, de quibus, vt & reliquis, a nobis praetermiſſis, con-

Digitized by Google

conferre iuuabit IOSEPH. SAENZ cardinalem DE AGVIRRE, in *praefat. tom. I. bibliothecae hiſpanae veteris* praemiſſa, *c. de bibliothecarum vtilitate, §. VII. p. 28.* cumprimis & beatum THO. ITTIGIVM, in *ſchediaſmate de auctoribus, qui de ſcriptoribus eccleſiaſticis egerunt, §. XIII. ſeqq. p. 37. ſeqq.*

Sunt, qui, in vitis eruditorum ſingularia quaedam cumprimis obſeruanda, contendunt. De *minimis in biographia attendendis* copioſe diſputat CAR. ARNDIVS in *ſyſtemate litterario, ſect. II. §. XVIII. p. 77. ſeqq.* Nec prorſus abnuo, modo ſingularia iſta momentum aliquod trahant, nobisque vſui eſſe queant. Ceteroquin enim facile in meras ineptias hiſtoria litteraria abibit. Multa eiusmodi ſingularia eruditorum, in vnum collecta, & certo ordine diſpoſita, legere licet in IO. ADAMI BERNHARDI *kurzgefaſſeter curieuſen Hiſtorie der Gelehrten*, Francofurti 1718, 8. Prae ceteris autem hic in cenſum veniunt, qui de vitiis eruditorum ex inſtituto commentati ſunt, inde vt eo rectius diſcamus, quae fugere debeamus ac euitare. Quos vt indicemus, neceſſe non eſt, cum id iam diligenter praeſtiterit IO. GOTHOFR. BVCHNERVS, in *ſchediaſmate hiſtorico-litterario, de vitiorum inter eruditos occurrentium ſcriptoribus &c.* Lipſiae 1718, 8. Inter reliqua de eruditorum vitiis ſcripta lectu digna eſt MICH. LILIENTHALII *diſſertatio hiſtorico-moralis de Machiauelliſmo litterario, ſiue de peruerſis quorumdam in republica litteraria inclareſcendi artibus*, Regiomonti, 1713, 8. Iungendae IO. BVRC. MENCKENII, *de charlataneria eruditorum declamationes duae*, Lipſ. 1715. 8. Varia & de eruditorum vitiis, praeſertim de eorumdem *paedantiſmo*, collegit CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *introd. ad hiſtor. theologiae litterar. notis ampliſſimis illuſtrata, prolegom.* ad *§. II. p. 5.* Proprium eruditorum vitium eſt *plagium litterarium*, de quo pereruditа exſtat diſſertatio IAC. THOMASII, Lipſiae an. 1672, 4. edita. Iungendus & IO. CONR. SCHVVARZII libellus, *de plagio litterario*, qui cum praefatione mea Lipſiae an. 1706 prodiit. *Syllabum* quoque *plagiariorum* dedit THEOD. IANSONIVS AB ALMELOVEEN, qui in *amoenitatibus* eius *theologico-philologicis*, anno 1694 editis, auctior legitur. Alios, qui plagii vel damnati, vel adcuſati ſunt, his addit THO. ITTIGIVS, in *ſchediaſmate de auctoribus, qui de ſcriptoribus eccleſiaſticis egerunt, §. XXVIII. p. 97. ſeqq.* Generatim de eruditorum vitiis valde conqueritur HIERON. HIRNHAIM, de *typho generis humani &c. c. XX. p. 209. ſeqq.* vbi ex inſtituto probat, *doctos plerumque malos & vitiis ſubiectos eſſe.* Idque ita ſe habere, negari profecto nequit; etſi non litterarum, ſi recte tractentur, ſed hominum, iis abutentium, culpa id fiat. Ratio inde praecipue petenda, quod, vt alibi docuimus, ſapientiam ab eruditione ſeiungant, hanc conſectantes vnice, illam ponentes in minimis. Hinc doctiores quidem per litteras, at non meliores fiunt, eoque grauius peccant, quo illuſtrius per litteras conſequuti ſunt nomen. Quo ipſo & ſibi maxime nocent, & litteris decus adferunt, efficiuntque, vt cum litteris ipſimet omnium contemtui exponantur. Immo & haud raro in alias calamitates, accedente Numinis directione, ſe coniiciunt, quas dum euitant alii, de *felicitate* & *infelicitate* litteratorum commentandi quibusdam data eſt occaſio. Plerumque enim vitiis ſuis, moribusque corruptis homines eruditi ſe infelices reddunt; licet interdum & aliae quaedam cauſſae, cuncta ſapienter diſpenſante ſupremo Numine, accedere queant. Legenda, quae ad haecce illuſtranda congeſſit THEOPHILVS SPIZELIVS, in *litterato felici*, itemque in *litterato infelici*, & deni-

denique in *litterato feliciſſimo*. Nonnullos, qui de infelicitate litteratorum commentati ſunt, iunctim edidit IO. BVRC. MENCKENIVS, in *analectis de calamitate litteratorum*, Lipſiae 1707, 12. Exhibentur in iis PETRI ALCYONII, *Medices legatus ſiue de exſilio libri duo*; IO. PIERIVS VALERIANVS, & CORN. TOLLIVS, de *infelicitate litteratorum*; IOSEPHVS denique BARBERIVS de *miſeria poëtarum graecorum.*

§. XX. *Hiſtoria librorum*, notitiam ipſorum librorum, ad omnes eruditionis partes ſpectantium, exhibet; & tum maximam vtilitatem pollicetur, cum optimi in quolibet genere libri commendantur, &, quid de iis obſeruatu dignum, commemoratur, ſimulque, quid laudandum in quolibet libro, quidue reprehendendum, ſincere & abſque partium ſtudio, indicatur. *

Librorum notitiae comparandae primo inſeruiunt, qui ex inſtituto introductiones ad hancce hiſtoriae litterariae partem dederunt. Praeter eos itaque, qui generatim ad hiſtoriam litterariam viam muniunt, de quibus ad §. *XVIII.* dictum, itemque eos, qui ſpeciatim librorum theologicorum notitiam ſuppeditant, & quos *capitis praecedentis* §. *XXII.* indicauimus, commemorandus hic eſt VAL. HENR. VOGLERVS, cuius *introductio vniuerſalis in notitiam cuiuscumque generis bonorum ſcriptorum, cum notis & augmento* HENR. MEIBOMII, iterum Helmſtadii 1700 in 4. prodiit; minimeque eſt contemnenda, etſi alii pleniora copioſioraque hodie tradant. VOGLERO iungimus HERM. CONRINGIVM, eiusdem academiae Iuliae, immo totius Germaniae, maximum decus & ornamentum, cuius recitationes academicas, inſcriptas: *commentarius de ſcriptoribus ſedecim poſt Chriſtum natum ſaeculorum*, primum plene edidit GOTTL. KRANTZIVS, cum *prolegomenis, antiquiorem eruditionis hiſtoriam ſiſtentibus & additionibus, quibus ſcriptorum ſeries, vsque ad finem ſeculi XVII. continuatur*; Wratiſlauiae 1703 in 4. In prolegomenis editor de eruditione Ebraeorum, Barbarorum, Graecorum, & Italorum diſſerit. In ipſo commentario hic ordo obſeruatur, vt in ſingulis ſaeculis indicentur primum ſcriptores eccleſiaſtici, tum philoſophi, hinc romani juris conſulti, porro medici, & tandem hiſtorici, poëtae ac oratores. Sed auctorum ſolum deſignantur nomina, libris plerumque praetermiſſis. Cumque ſumma tantum rerum capita breuiter attingantur; maiori haud dubie vſui commentarius hic eſſe poſſet, ſi alio commentario illuſtraretur. In ipſa tamen artium & ſcientiarum hiſtoria libellus hicce vſum quemdam praebere poteſt; immo, ſi quis eum ad illam hiſtoriae litterariae claſſem referre velit, me non inuito, id faciet. Non minorem fere, quam CONRINGIVS, eruditionis famam conſequutus eſt IO. HENR. BOECLERVS; cuius *bibliographiam criticam, ſcriptores omnium artium atque ſcientiarum ordine percenſentem*, poſt varia fata, *integram* tandem, *& emendatius editam, acceſſionibusque ex reliquis ſcriptis Boeclerianis auctam*, recenſuit vir doctiſſimus, deque re litteraria non vno nomine praeclare meritus, IO. GOTTL. KRAVSIVS, Lipſiae 1715, in 8. Vitam nimirum velut reddidit huic libello, maximumque decus conciliauit, KRAVSIVS, quem iam ceteroquin viri docti, ob varia auctoris hinc inde, maxime de antiquis ſcriptoribus, interſperſa iudicia, plurimi faciebant.

Commemorandi nunc porro, qui *catalogos librorum* ſcripſerunt, vtpote ad notitiam librorum comparandam vel maxime facientes. Non vna vero eademque id inſtituerunt ratione. Nonnulli tantum

tum

tum librorum titulos indicant, alii eorum ſimul argumenta enarrant, alii inſuper ſua aut aliorum iudicia adiungunt, vel etiam ea ſola proferunt, argumenta librorum praetermittentes. Praecipuos catalogorum ſcriptores iam laudauit DAN. GE. MORHOFIVS, *polyhiſt. litterar. lib. I. c. XVIII. p. 222. ſeqq.* vbi nonnullos refert, quibus in praecedenti claſſe locum adſignauimus. Nimirum diuerſa ratione ſpectatus liber mox ad hanc, mox ad aliam claſſem, referri poteſt. Iungenda, quae de catalogorum ſcriptoribus diſſerit THO. ITTIGIVS, in *ſchediaſmate de auctoribus, qui de ſcriptoribus eccleſiaſticis egerunt*, *§. XXXIV. & XXXV. p. 120. ſeqq.* Eiusmodi catalogorum, qui titulos tantum librorum indicant, maximus eſt numerus; nec tamen omnes ita comparati, vt iis tuto fidere, aut multum ex iis proficere liceat. Inter eos, qui recentiori aetate prodierunt, & theologiae cultoribus praecipue prodeſſe poſſunt, haud vltimum locum tenet *catalogus bibliothecae* IO. FRID. MAYERI, itemque THOMAE ITTIGII, vterque libris praeſtantiſſimis abundans, & ſumma induſtria confectus. *Bibliothecam Menckenianam*, ob hiſtoricorum cumprimis ſcriptorum copiam, ſupra iam commendauimus. Spectant vero huc etiam reliqui, qui bibliothecas illuſtriores deſcripſerunt; de quibus deinceps ſeorſim dicemus. Iis, qui excerpta ſimul librorum ſuppeditant, exemplum praeiuit PHOTIVS, patriarcha Conſtantinopolitanus longe notiſſimus, cuius μυριόβιβλον, *myriobiblon, ſiue bibliotheca librorum, quos legit, & cenſuit*, tum alias, tum & graece & latine Rothomagi 1653 fol. prodiit. Nimirum non tantum argumenta librorum, quos legit, indicat, ſed ſuum etiam de iis iudicium adſpergit; effecitque hac ratione, vt multorum librorum veterum notitia ad nos perueniret. SCALIGER tamen optat, vt PHOTIVS in aliis quibusdam ſcriptoribus recenſendis, quam in futilibus amatoriis libris IAMBLICHII, & aliorum, tam diligens fuiſſet, quorum referendis argumentis horas eum perdere non puduerit; *epiſt. CCCCI. p. 748.* PHOTII quodammodo CONR. GESNERVM ſequutum exemplum, THOMAS ITTIGIVS pronuntiat, quippe qui in ſua *bibliotheca* plerorumque, & inprimis veterum librorum, argumenta recenſeat, & non raro ſuas vel aliorum cenſuras addat; in *ſchediaſmate de auctoribus, qui de ſcriptoribus eccleſiaſticis egerunt*, *§. XXXI. p. 106.* Atque de hac ipſa GESNERI *bibliotheca vniuerſali*, itemque *pandectis*, quae ſecundum *bibliothecae* iſtius tomum conſtituebant, porro de iis, qui hancce *bibliothecam* GESNERI aut in compendium miſerunt, aut auxerunt, idem ITTIGIVS agit, *l. c. §. XXIX. & XXXI. p. 102. ſeqq. it. 106. ſeqq.* Conferenda &, quae diximus ad *c. praecedentis* §. *XXII.* Inſtitutum iſtud, libros ita recenſendi, vt eorum argumenta exhibeantur, & ſubinde iudicia de iis adiungantur, recentiori aetate frequentari cumprimis coepit, ex quo mos ille, ephemerides eruditorum edendi, Gallorum exemplum aliis gentibus certatim imitantibus, inualuit. Atque iſtud quidem ſcriptorum genus vel maxime ad librorum, recentiorum cumprimis, notitiam comparandam, perquam vtile, minimeque adeo hic praetermittendum eſt. Hiſtoriam equidem eiusmodi ephemeridum concinnare adgreſſus eſt CHRISTIANVS IVNCKERVS, in *ſchediasmate hiſtorico de ephemeridibus ac diariis eruditorum, in nobilioribus Europae partibus hactenus publicatis*, quod Lipſiae 1692 prodiit. Sed qui cogitauerit, quantus ex eo tempore ad noſtram aetatem vsque nouarum ephemeridum numerus in lucem emerſerit, facile intelliget, magnis acceſſionibus huncce libellum locupletari poſſe. Difficile etiam forte fuerit, omnes enumerare; praecipuae tamen recenſentur a BVRC. GOTTH.

STRVVIO, in *introduct. ad notitiam rei litterariae, c. III. §. II. ſeqq.* itemque a THO. ITTIGIO, in *ſchediaſmate de auctoribus, qui de ſcriptoribus eccleſiaſticis egerunt, §. XXXII. p. 109 ſeqq.* conf. & CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, in *conſpectu rei publicae litterariae, c. VI. §. IV. p. 83. 84.* itemque CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *introd. in hiſtor. theol. litterar. prolegom. §. VI. p. 41.* Primum autem praecipuumque inter omnes eruditorum ephemerides locum tenent *acta eruditorum Lipſienſia*, a beato OTT. MENCKENIO, an. 1682 inchoata, & a filio eius IO. BVRC. MENCKENIO feliciſſimis auſpiciis ad huncce vsque diem continuata. Per omnia ſe diffundunt artium & ſcientiarum genera, librique quocumque idiomate ſcripti, ita recenſentur, vt eorum ſumma plene, maximaque fide exhibeatur, in iudiciis, ſi qua adduntur, veritatis non minus, quam modeſtiae habeatur ratio. Germanico idiomate Lipſiae hodie prodeunt die *teutſche acta eruditorum*, itemque, *die Hiſtorie der Gelehrſamkeit vnſerer zeit.* In vtriſque praeter auctorum ſelectum, quem non omnes obſeruant, adcurata diligensque librorum laudanda eſt recenſio, omniumque merito recipiuntur adprobatione. Ad theologica ſpeciatim reſpiciunt *innocuae*, vt vocantur, *relationes*, ſeu *vnſchuldige Nachrichten von alten vnd neuen theologiſchen Sachen*, quae initio inſcriptae: *altes vnd neues aus dem Schaz theologiſcher Wiſſenſchaffien*, prodierunt, hodie autem ſub epigraphe: *Fortgeſezte Sammlung von alten vnd neuen theologiſchen Sachen*, continuantur. Inſtitutum quidem minime improbandum, cum in aliis ephemeridibus, quae ad theologiam, ſpeciatim controuerſias & certamina theologorum, ſpectant, aut plane praetermittantur, aut tantum ſparſim attingantur. Curatiorem tamen & librorum & rerum ſelectum, animumq; a partium ſtudiis alienum, viri docti in iis deſiderant; optantque, vt eorum auctores in cenſendis diiudicandisque libris a minutiis ſibi temperarent, maioremque in perſequendis iis, quae ſalutaria ſunt & profutura, adhiberent diligentiam. Non ita pridem etiam vir doctiſſimus IO. CHRISTOPH. COLERVS edere coepit *auserleſene theologiſche Bibliothec*, *oder grundliche Nachrichten von denen neueſten vnd beſten theologiſchen Büchern vnd Schrifften*, cuius *bibliothecae* partes ſeptem hactenus prodierunt; quaeue ita comparata eſt, vt theologiae cultoribus plurima adferre commoda queat. De ephemeridibus, quae in Gallia hodie euulgantur, legendus GE. WALLINVS, in *Lutetia Pariſiorum erudita ſui temporis, c. VII. p. 130. ſeqq.* Inter eas, quae in Belgio lingua gallicana prodeunt, eminet IO. CLERICI *bibliotheca antiqua & hodierna*, qua eiusdem *bibliotheca ſelecta*, vti per hanc *bibliotheca vniuerſalis* continuatur. De reliquis, quarum haud exiguus adhuc ſupereſt numerus, vt quidquam addamus, noſtri non patitur inſtituti ratio. Ad illos potius pergimus, qui aliorum de variis ſcriptoribus collegerunt iudicia atque cenſuras, vel ſuas etiam de illis protulerunt. Quo nomine cumprimis commemorandus eſt ADR. BAILLETVS, ob *iudicia eruditorum de primariis auctorum ſcriptis*, gallico idiomate ſcripta, ſed ad finem non perducta; quorum *pars prima* Pariſiis 1685 lucem adſpexit publicam. Non ab omnibus aeque probatus eſt hicce eius labor; immo cenſorem acerrimum expertus eſt AEGID. MENAGIVM, in libro, cuius inſcriptio: *Anti-Baillet, ou critique du livre de M. Baillet intitulé: ingement des ſçavans &c.* Hagae Comitum, an. 1688 duobus tomis in 8. BAILLETO hinc occaſio data eſt ſcribendi: *des ſatyres perſonnelles traité hiſtorique & critique de celles qui portent le titre d'* ANTI, Pariſiis 1689 in 8. Qui liber, cum varia ſcripta polemica percenſeat, theologiae quoque culto-

Digitized by Google

cultoribus minime negligendus eſt. Continuauit quodammodo BAILLETI *iudicia* GIBERTVS, in *iudiciis eruditorum de auctoribus, qui de rhetorica egerunt &c.* tribus tomis, qui Pariſiis 1713, 16, 19 prodierunt. Variorum etiam de plurimis ſcriptoribus antiquis & nouis iudicia collegit THOMAS POPE BLOVNT, in *cenſura celebriorum auctorum &c.* Londini 1690 in fol. primum edita, recuſa Geneuae 1694 in 4. IOAN. denique BONA, cardinalis, operi ſuo *de pſalmodia* notitiam auctorum, quorum a ſe facta eſſet mentio, praemiſit, in qua non tantum nomina auctorum & librorum recenſet, ſed de plerisque etiam iudicium ſuum ſubnectit.

Non praetermittenda vero hic eſt ipſa bibliothecarum celebriorum notitia; quippe quae ingentes praeſtantiſſimorum librorum, aut manuſcriptorum, aut typis impreſſorum, nobis pandunt theſauros. Atque nonnullos quidem, qui de *bibliothecis* & *re bibliothecaria* egerunt, iunctim edidit IOACH. IO. MADERVS; quam collectionem, addita HERM. CONRINGII de *bibliotheca Auguſta, quae eſt in arce Wolfenbuttelenſi*, ad IO. CHRISTIANVM LIB. BARONEM A BOINEBVRG, epiſtola, recudi curauit IOAN. ANDR. SCHMIDIVS, Helmſt. 1702 in 4. Sequuta mox eſt *de bibliothecis noua acceſſio, collectioni Maderianae adiuncta*, ab eodem venerabili viro edita an. 1703; in qua RICHARDI A BVRI *philobiblon*, GABR. NAVDAEI *diſſertatio de inſtituenda bibliotheca*; THEOPHILI SPIZELII *diſſertatio de bibliothecis, ſacris bibliothecarum illuſtrium arcanis detectis*, praemiſſa CHRISTOPH. HEIDMANNI *oratio de bibliotheca Iulia*, HERMANNI ab HARDT *oratio de memorabilibus bibliothecae Rudolpheae*, CASP. SAGITTARII *oratio de bibliotheca Ienenſi*, & IVLII PFLVGK *epiſtola ad Seckendorffium de bibliotheca Budenſi*, continentur. De ſcriptoribus, ad rem bibliothecariam ſpectantibus, ex inſtituto agit DAN. GE. MORHOFIVS, *polyhiſt. litter. lib. I. c. XVII. p. 203. ſeqq.* vbi & illuſtriores bibliothecas, &, qui eas deſcripſerunt, recenſet. Germaniae bibliothecas praecipuas commemorat BVRCARD. GOTTH. STRVVIVS, in *introduct. ad notitiam rei litterariae c. I.* Praeter Germaniae etiam Italiae, Galliae, Hiſpaniae, Angliae &c. celebriores bibliothecas in compendio exhibet IOACH. LANGIVS, in *inſtitutionibus ſtudii theolog. litterariis, ſect. II. c. II. membr. I. p. 123. ſeqq.* De bibliotheca Vindobonenſi *commentariorum tomos octo* edidit PET. LAMBECIVS, ab an. 1665 vsque ad 1679, multa eruditione refertos, & codicum manuſcriptorum egregiam notitiam ſuppeditantes. In compendium deinceps hocce opus miſit, vt ſimul codices manuſcriptos, a LAMBECIO nondum memoratos, adderet DAN. NESSELIVS, qui eidem bibliothecae Vindobonenſi poſt LAMBECIVM praefuit, in *breuiario & ſupplemento commentariorum Lambecianorum, ſiue catalogo aut recenſione ſpeciali codicum manuſcriptorum graecorum, nec non linguarum orientalium, auguſtiſſimae bibliothecae caeſareae*; Vindobonae & Norimbergae 1690. Vtriusque rurſus operis, & Lambeciani & Neſſeliani, ſummam quamdam dedit IAC. FRID. REIMMANNVS, in *bibliotheca acroamatica theologica, iuridica, medica, philoſophica, hiſtorica & philologica, comprehendente recenſionem ſpecialem omnium codicum manuſcriptorum, graecorum, ebraicorum &c. auguſtiſſimae bibliothecae caeſareae Vindobonenſis &c.* Hanouerae 1712 in 8. Ad Pariſienſium bibliothecarum notitiam comparandam facit DAN. MAICHELII *introductio ad hiſtoriam litterariam de praecipuis bibliothecis Pariſienſibus &c.* Cantabrigiae primum edita, deinde recuſa Lipſiae an. 1721. in 8. Quo in libello elegantiſſimo multa lectu digna occurrunt. Iungere licet GE. WALLINVM, in *Lutetia Pariſiorum erudita ſui temporis, c. VI. p. 114. ſeqq.* vbi itidem de bibliothecis Pariſienſibus verba facit. Haec

Haec ipſa vero bibliothecarum conſideratio nos ducit ad diſcrimen librorum obſeruandum, dum alii manuſcripti ſunt, alii typis impreſſi. Quae enim codicibus manuſcriptis abundat maxime, reliquis etiam praeſtantior copioſiorque cenſetur. Quare &, qui bibliothecas adeunt, id maxime agere ſolent, vt ex iis eiusmodi codicum manuſcriptorum ſibi comparent notitiam; quae tamen illis cumprimis vſui eſſe poteſt, qui artis criticae periti ſunt, & meliores emendatioresque veterum ſcriptorum dare volunt editiones. Sunt vero etiam, qui codicum manuſcriptorum ediderunt catalogos, quorum nonnullos recenſet DAN. GE. MORHOFIVS, *polyhiſt. litterar. lib. I. c. VII. p. 56. ſeqq.* qui & alia, quae de iis obſeruatu digna ſunt, monet. PETRI LAMBECII *commentarios de bibliotheca Vindobonenſi* ad manuſcriptorum codicum notitiam vel maxime facere, antea iam ſignificauimus. Ad codicum manuſcriptorum theologicorum cognitionem comparandam ſpectat THEOPHILI SPIZELII libellus, inſcriptus: *ſacra bibliothecarum illuſtrium arcana retecta, ſiue manuſcriptorum theologicorum, in praecipuis Europae bibliothecis exſtantium, deſignatio &c.* Auguſtae Vindelicorum 1668 in 8. *Bibliothecam Vffenbachianam manuſcriptam, ſeu catalogum & recenſionem manuſcriptorum codicum, qui in bibliotheca* ZACH. CONRADI AB VFFENBACH, *Traiecti ad Moenum adſeruantur*, Halae 1720 editam, ſupra iam commendauimus. Et merito quidem. Non tantum enim plurimi codices ebraei, graeci, alii, hic exhibentur, ſed adcurate etiam recenſentur, multaque lectu obſeruatuque digna ex iis adferuntur, & illuſtrantur. Priores operis huius claſſes IO. HENR. MAIVM, virum clariſſimum, reliquas ipſum doctiſſimum theſauri huius poſſeſſorem recenſuiſſe, conſtat. Iungenda hiſce omnino *bibliotheca Coisliniana, olim Segueriana, ſiue manuſcriptorum omnium graecorum, quae in ea continentur, adcurata deſcriptio &c.* auctore BERNH. DE MONTFAVCON. Ita namque codices manuſcripti recenſentur, vt ſingulorum notitia ſuppeditetur, aetas cuiusque indicetur, vetuſtiorum ſpecimina exhibeantur, aliaque adnotentur, quae, vt ad palaeographiam graecam pertinent, ita artis criticae & antiquitatis cultoribus non poſſunt non longe eſſe gratiſſima. Immo & *anecdota* varia inſerta ſunt, ex eadem bibliotheca deſumta, cum eiusdem auctoris interpretatione latina. Ad libros impreſſos quod attinet, cum in iis editionum haberi ratio ſoleat; ad harum vero adcuratiorem diiudicationem rei typographicae, ipſorumque typographorum celebrium, notitia plurimum conferat; minime, ex quibus haec hauriri poteſt, ſunt negligendi. Sed otium hic nobis fecit BVRC. GOTTH. STRVVIVS, in *introductione ad notitiam rei litterariae, c. V. p. 193. ſeqq.* vbi ex inſtituto *de origine typographiae, typographis, bibliopolis, & correctoribus typographiae*, agit. Hiſtoriam typographiae breuiter quidem, ſed adcurate, exhibet, celeberrimosque ſimul typographos commemorat, IOACH. LANGIVS, in *inſtitutionibus ſtudii theologici litterariis, ſect. II. c. II. membr. II. p. 153. ſeqq.* Inter eos, qui de artis typographicae inuentione ſcripſerunt, eminet WILH. ERN. TENZELIVS, *im diſcours von Erfindung der loeblichen Buchdrucker-Kunſt in Teutſchland &c.* Gothae 1700 in 12. Aliud rurſus inter libros intercedit diſcrimen, dum quidam raritate ſe commendant, alii autem vbiuis ſunt obuii. Sed de raritate librorum ſupra iam diximus, ad *c. praecedentis §. XXIII.* vbi & eos, qui de libris raris egerunt, indicauimus. Ex argumento ſi librorum diſcrimen aeſtimes, id maxime hic in cenſum venit, quod nonnulli impia, obſcoena, ſimiliaque contineant, quae ignorare praeſtat, quam ſcire; ſed de hiſce itidem *l. c.*

§. XXIV.

§. *XXIV.* iam verba fecimus, ſimulque de *indicibus librorum prohibitorum & expurgandorum* diſſeruimus. Praeterea & hoc obſeruandum, quod quorumdam librorum auctores latitare cupiant, iisque adeo aut nulla, aut falſa praefigant nomina, vnde *anonymorum* & *pſeudonymorum* vberrima ſeges; in quibus detegendis viri docti ſtudium ſuum collocarunt, quos inter eminet VINCENT. PLACCIVS, in *theatro anonymorum & pſeudonymorum &c.* poſt auctoris demum obitum, cum praefatione IO. ALB. FABRICII, & vita auctoris ab eodem ſcripta, edito Hamburgi 1708 in fol. Exhibentur ſimul in hocce volumine IO. DECKHERRI *coniecturae de ſcriptis adeſpotis, pſeudepigraphis & ſuppoſititiis*, PAVLI VINDINGII *epiſtola ad Deckherrum de ſcriptis nonnullis adeſpotis*, PETRI BAELII *ad Theodorum Ianſonium ab Almeloueen de ſcriptis adeſpotis epiſtola*, FRID. GEISLERI *diſſertatio de nominum mutatione & anonymis ſcriptoribus*, IO. FRID. MAYERI *epiſtolica diſſertatio ad Vincentium Placcium, anonymorum & pſeudonymorum farraginem indicans.* Iungendi his porro ADR. BAILLETVS, qui lingua gallicana *de ſcriptoribus ſub alieno nomine latentibus* librum edidit; CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, in *ſchediaſmate de libris anonymis & pſeudonymis &c.* PET. DAHLMANNVS, in *dem Schauplaz der maſquirten Gelebrten*, aliique, de quibus THO. ITTIGIVS, in *ſchediaſmate de auctoribus, qui de ſcriptoribus eccleſiaſticis egerunt, §. XXVII. p. 93. ſeqq.* itemque BVRC. GOTTH. STRVVIVS, in *introductione ad notitiam rei litterar. c. IV. §. XI. p. 167.* Saepius denique contingit, vt eiusdem nominis ſcriptores inter ſe confundantur, vnde errores, variaque in re litteraria incommoda. Hiſce obuiam ire voluit vir doctiſſimus IO. MOLLERVS, in *homonymoſcopia hiſtorico-philologico-critica, ſiue ſchediaſmate* παρεργικῷ *de ſcriptoribus homonymis quadripartito*, Hamburgi 1697 in 8. In eo namque partim in homonymorum ſpecies, atque multitudinis cauſſas, partim in παροράματα ex eorum confuſione orta, partim in cautelas, quibus praecaueri poſſit confuſio, partim denique in ſubſidia, quibus bibliotheca ſcriptorum homonymorum concinnari queat, inquirit.

§. XXI. *Hiſtoria* denique ipſarum *artium* atque *ſcientiarum* reliquas hiſtoriae litterariae partes, etſi neutiquam contemnendas, vtilitate & pretio vincit. Plurimum enim profecto refert, vt in reliquis eruditionis partibus, ita & in ſingulis, ex quibus integrum veluti theologiae corpus componitur, cuiusque perſpectam habere originem, progreſſus, fata, incrementa, decrementa, promotores, impugnatores, ſectas, harumque hypotheſes & fundamenta, & quae reliqua ſunt eiusdem generis maximam ipſis dogmatibus, horumque adcuratiori tractationi, lucem adfundentia. *

* Inſignem prorſus ex ipſa artium & ſcientiarum hiſtoria ad omnes, qui ad ſolidam eruditionem adſpirant, redundare vtilitatem, quilibet, qui paullo adcuratius cuncta conſiderauerit, facile intelliget. Ad ipſum enim nucleum haecce litterariae hiſtoriae pars pertinet, cum reliquae veluti circa corticem verſentur. Eo magis mirandum, pauciores fere in illa, quam in his, elaboraſſe. Extiterunt equidem, qui certarum eruditionis partium, linguarum, latinae, graecae, ebraeae, rhetorices, poeſeos, logicae, metaphyſicae, ceterarumque, originem, fata, progreſſus, deſcriberent; quorum nonnullos ſupra laudauimus, reliquos ſuis deinceps adteremus locis,

locis, in compendio etiam praecipuos indicat CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, in *conſpectu reipublicae litterariae, c. V. p. 65. ſeqq.* Sed, qui plene omnium ac ſingularum artium ac ſcientiarum hiſtoriam dederit, mihi non innotuit; immo, ne theologiae quidem, etſi de quarumdam eius partium hiſtoria viri docti fuerint ſolliciti, vt ſuo loco docebimus. Referre tamen huc quodammodo licet FRANC. BACONIS DE VERVLAMIO *de dignitate & augmentis ſcientiarum libros nouem*, tum alias, tum & Argentorati 1654 editos. Saltem, quid in ſcientiis artibusque praeſtitum ſit, quid adhuc praeſtandum reſtet, inde condiſcere licet. Immo *lib. II. c. IV. p. m. 91.* ideam quamdam hiſtoriae litterariae proponit, quae omnium artium ac diſciplinarum originem, progreſſus, fata, complectatur. *Argumentum*, inquit, *non aliud eſt, quam vt ex omni memoria repetatur, quae doctrinae & artes, quibus mundi aetatibus, & regionibus floruerint. Earum antiquitates, progreſſus, etiam peragrationes per diuerſas orbis partes (migrant enim ſcientiae non ſecus ac populi) rurſus declinationes, obliuiones, inſtaurationes commemorentur. Obſeruetur ſimul per ſingulas artes inuentionis occaſio & origo; tradendi mos & diſciplina; colendi & exercendi ratio & inſtituta. Adiiciantur etiam ſectae & controuerſiae maxime celebres, quae homines doctos tenuerunt; calumniae, quibus patuerunt; laudes & honores, quibus decoratae ſunt. Notentur auctores praecipui, libri praeſtantiores, ſcholae, ſucceſſiones, academiae, ſocietates, collegia, ordines, denique omnia, quae ad ſtatum litterarum ſpectant.* Magnam quidem hiſtoriae huius partem exhauſit, ſed totum tamen eius ambitum complexus non eſt, GERH. IO. VOSSIVS, de *artium & ſcientiarum natura & conſtitutione libris quinque*, antea ſeorſim, deinceps autem *operum* eius *tomo III.* iunctim editis; qui & in aliis ſcriptis ſuis paſſim attingit, quae huius loci ſunt. In compendio omnium eruditionis partium hiſtoriam exhibuit HENR. CORN. AGRIPPA, in libello notiſſimo, de *incertitudine & vanitate omnium ſcientiarum & artium*, quem ſi quis obſeruationibus illuſtraret, fontesque, ex quibus ſua deſumſit, indicaret, & inepta quaedam ac profana, quibus auctor ingenii ſui vanitatem demonſtrauit, demeret; haud contemnendum vſum praebere poſſet. Earum partium, quae ad philologiam, ipſamque hiſtoriam, pariter ac philoſophiam ſpectant, hiſtoriae, lucem egregiam adfudit vir doctiſſimus GOTTL. STOLLIVS, in libro elegantiſſimo, *kurtze Anleitung zur Hiſtorie der Gelahrheit* dicto, editoque Halae 1718 in 8. Etſi enim id quoque agat, vt libros in qualibet parte praeſtantiores laudet, deque iis varia, memoratu digna, adferat; minime tamen ea praetermittit, quae ipſarum artium ac ſcientiarum hiſtoriae inſeruiunt. Eamdem etiam attingunt, aut, quae ad eam faciunt, ſimul tradunt, nonnulli ex iis, qui aut generatim hiſtoriam litterariam tractant, quos ſupra laudauimus, cumprimis PET. LAMBECIVS, in *prodromo hiſtoriae litterariae*, aut litterarum per omnia ſaecula fata enarrant, quorſum HERM. CONRINGII *commentarium de ſcriptoribus ſedecim poſt Chriſtum natum ſaeculorum*, ſpectare, ſupra iam obſeruauimus. Atque idem breuiter, ſed eleganter, facit CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, in *conſpectu reipublicae litterariae, c. IV.* vbi *de ortu & progreſſu ſtudiorum litterariorum* agit *p. 25. ſeqq.* conf. & DAN. GE. MORHOFIVS, *polyhiſt. litter. lib. I. c. II. p. 9. ſeqq.* Non vero praetermittendus eſt GE. PASCHII tractatus *de nouis inuentis, quorum adcuratiori cultui facem praetulit antiquitas &c.* cuius editio ſecunda Lipſiae an. 1700 in 4. prodiit. Plurima enim, quae ad hiſtoriam artium & ſcientiarum pertinent, in eo ex inſtituto & diligenter traduntur. Idem cen-

cenſendum de ſcriptoribus quibusdam, qui ſcholarum & academiarum hiſtoriam litteris conſignarunt; cumprimis de HERM. CONRINGII *diſſertationibus*, quas *de antiquitatibus academicis* conſcripſit; quarumue editio altera, vna cum *ſupplementorum eiusdem argumenti libro vno*, Helmſtadii an. 1674 lucem adſpexit publicam. Recte namque de hocce opere in ipſa eius fronte dicitur, quod eodem *rei publicae litterariae omnis aeui ſtatus illuſtretur.* Inter reliquos maxime commemorandus eſt CAESAR EGASSIVS BVLAEVS, ob *hiſtoriam vniuerſitatis Pariſienſis*, quam ſex tomis in folio complexus eſt, quorum primus an. 1665, vltimus, ſeu ſextus, an. 1673 prodiit. Quanto nimirum haecce academia reliquas omnes & antiquitate & celebritate vincit, quantoque plures in ea vixerunt viri docti, quorum olim magna & in eccleſia, & in re publica litteraria fuit auctoritas; tanto maiorem rerum variarum, eccleſiaſticae pariter ac litterariae, artium etiam ipſarum ac ſcientiarum, hiſtoriae lucem conciliantium, in illa deprehendere licet copiam.

§. XXII. Ad hancce ſcientiarum & artium hiſtoriam ſpectat & *hiſtoria philoſophica*; cuius ideo ſpeciatim mentionem facere viſum, quod inſigni ſeſe prae reliquis commendet vtilitate. Sine ea enim ipſa non tantum philoſophiae tractatio feliciter non procedet; ſed intimos etiam haereſium, variorumque errorum, qui & olim turbarunt eccleſiam, & hodie adhuc turbant, fontes recludit, rationemque adeo, eo facilius ſolidiusque eos refellendi, monſtrat.

* Philoſophos ipſos hiſtoriae philoſophicae notitia carere non poſſe, vel inde liquet, quod haud dubie optima philoſophandi ratio ſit eclectica. In hac autem nemo rite proficiet, niſi qui aliorum philoſophorum adcurate cognitas exploratasque habuerit ſententias, inde vt, quam reliquis praeferre debeat, perſpicere & diiudicare queat. Has vero vnde rectius certiusque condiſcet, quam ex hiſtoria philoſophica? Accedit, quod, qui ſine libris, ex ſola rerum contemplatione, ſapere videri volunt, haud raro magnopere falluntur, dum, noui quid ſe inueniſſe aut excogitaſſe, ſibi perſuadent, quod tamen veteribus dudum fuit perſpectum. Ad theologos autem quod attinet, per vniuerſam fere hiſtoriam eccleſiaſticam philoſophica lucem ſuam diffundit, vt non errent, qui vtramque coniungendam, cenſent, nec illam ſine hac recte tractari poſſe. Atque haereſes quidem pleraſque ex philoſophorum placitis ortas, aut robur ac praeſidium inde accepiſſe, exemplis quam plurimis demonſtrari, ſi opus eſſet, poſſet. Non minus vero in patrum ſcriptis illuſtrandis inſignem hiſtoria philoſophica vſum praebet; cum ſaepiſſime ad dogmata & placita veterum philoſophorum reſpiciant. Oſtendetur hoc ſuo loco ex inſtituto, cum de theologia patrum verba faciemus. Speciminis loco eſſe poſſunt, quae MICH. MOVRGVES, ſocietatis Ieſu theologus, copioſe adfert, in libro, quem inſcripſit: *Plan theologique du Pythagoriſme & des autres ſectes ſçavantes de la Grece, pour ſervir d'eclairciſſement aux ouvrages polemiques des peres contre les payens &c.* Amſtelodami 1714 2. tomis in 8. Si quis autem per amoeniſſimos hiſtoriae philoſophicae campos animum circumferre velit, illi primum conſulendi, qui ſcriptorum huc facientium notitiam ſuppeditant. Inter hos vero ſtatim nobis occurrit IO. IONSIVS, cuius *de ſcriptoribus hiſtoriae philoſophicae libros quatuor*, magno in pre-

tio ſemper habitos, denuo recognouit, atque ad praeſentem aetatem vsque perduxit, IO. CHRISTOPH. DORNIVS, Ienae 1716 in 4. Vocem *philoſophiae* a IONSIO in latiori ambitu accipi, a nonnullis obſeruatum eſt; ſiquidem non tantum ſcriptores, qui de philoſophis, ſed & de muſicis, poëtis, grammaticis, & aliis, egerunt, recenſeat, ipſemet etiam *lib. II. c. XVIII.* & *lib. III. c. I.* opus ſuum *de ſcriptoribus hiſtoriae eruditae* adpellitet. Monet hoc vir doctiſſimus CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, qui & addit, poſſe hocce opus *hiſtoriam litterariam antiquam* vocari, in *actis philoſophorum, part. I. num. VII. p. 168.* vbi de eodem ex inſtituto diſſerit. Atque idem vir eruditiſſimus HEVMANNVS vel primo hic commemorandus erat loco; quippe qui in *actis* iſtis *philoſophorum,* quae lingua germanica per partes edit, non tantum hiſtoriam philoſophicam mirifice illuſtrat, ſed & ſubinde ſcriptorum ei inſeruientium notitiam ſuppeditat. Neutiquam vero etiam hic eſt praetermittendus vir ſummus IO. ALB. FABRICIVS, cuius quippe *bibliotheca graeca,* vt ingentem rerum praeſtantiſſimarum copiam continet, ita plurima ad hiſtoriam philoſophicam, pariter ac auctores, qui de ea quidquam memoriae prodiderunt, adcuratius pernoſcendos, ſpectantia, exhibet. Vt enim olim inter Graecos philoſophiae ſtudium maxime floruit; ita inter eos plurimi exſtiterunt, qui hiſtoriae philoſophicae lucem adfunderent. Nobis vero nunc id tantum relictum eſt, vt praecipuos, qui in hocce argumento ingenii vires periclitati ſunt, quiue a theologiae cultoribus ignorari non debent, indicemus. Atque ab iis vt ordiamur, ex quibus, ceu fontibus, veterum philoſophorum hiſtoria haurienda eſt, primo ſtatim loco nobis occurrit DIOGENES LAERTIVS, cuius *de vitis, dogmatibus, & apophthegmatibus clarorum philoſophorum libri decem,* ſaepius quidem, ſed omnium optime adcuratiſſimeque, variis inſuper doctiſſimorum virorum adnotationibus & obſeruationibus ornati, Amſtaelodami an. 1692 duobus tomis in 4. prodierunt. Licet vero interdum maiorem iudicii vim in DIOGENE viri docti deſiderent; ſumma tamen diligentia, quidquid de philoſophis, eorumque vitis, & dogmatibus, memorabile eſt, eum congeſſiſſe, negari nequit; vt adeo eo nemo carere queat, qui hiſtoriae philoſophicae pleniorem ſibi comparare cupit cognitionem. Plura non addo, cum, quae de eo ſcitu digna ſunt, diligenter expoſuerit CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, in *actis philoſoph. part. II. num. V. p. 321. ſeqq.* DIOGENI iungimus PLVTARCHVM, cuius ſcripta integrum velut oceanum rerum pulcherrimarum, cumprimis & earum, quae hiſtoriae philoſophicae inſeruiunt, ſiſtunt. Ea, quae ſpeciatim huius loci ſunt, indicat IO. IONSIVS, de *ſcriptoribus hiſt. philoſoph. lib. III. c. VI. p. 22. ſeqq.* addatur IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. IV. c. XI. p. 329. ſeqq.* PHILOSTRATVS, in *vita Apollonii Tyanenſis,* IAMBLICHVS, in *libro de myſteriis,* itemque *de vita Pythagorae,* PORPHYRIVS de *abſtinentia ab animalibus necandis,* itemque *de vita Pythagorae,* licet ſpecialia tractent, multa tamen, quae generatim hiſtoriae philoſophicae lucem accendant, adſpergunt. SVIDAS in *lexico* hinc inde quaedam tradit, quae itidem non prorſus ſunt negligenda. Nec praetermittendus EVNAPIVS SARDIANVS, in *vitis philoſophorum & ſophiſtarum,* quippe in quibus PLOTINI, PORPHYRII, IAMBLICHI, aliorumque quorumdam, quos ignorare non decet, vitae deſcribuntur.

Ad recentiores quod attinet, commemorandi nobis cumprimis, qui, generatim hiſtoriam philoſophicam compendio quodam aut ſyſtemate complecti, conati

nati ſunt. Primus, ni fallor, qui eiusmodi quid adgreſſus eſt, GEORG. HORNIVS fuit, cuius *hiſtoriae philoſophicae libri ſeptem, quibus de origine, ſucceſſione, ſectis, & vita philoſophorum ab orbe condito ad noſtram aetatem agitur*, Lugduni Batauorum an. 1655 prodierunt. Fallit vero lectorem ſtatim inſcriptio, dum hiſtoriam, *ad noſtram aetatem perductam*, promittit, cum tamen veterem tantum tradat. Multa etiam in hocce libro eſſe ſuperuacua, & ad rem ipſam parum facientia, multa rurſus omiſſa, quae adferri debuiſſent, multa parum adcurate dicta, oſtendit CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, in *actis philoſoph. part. VI. num. V. p. 1039. ſeqq.* Delineationem quamdam hiſtoriae philoſophicae exhibet GERH. IO. VOSSIVS, in *libris duobus de philoſophia & philoſophorum ſectis*, qui *operum* eius *tomo III.* exſtant, & ſeorſim quoque cum continuatione & ſupplementis IO. IAC. RYSSELII editi ſunt, Lipſiae an. 1690, & iterum Ienae an. 1705. Inſtitutum quidem, ſupplendi & continuandi VOSSII librum, laudandum erat; non omnium tamen votis auctor ſatisfecit. ABR. GRAVII *hiſtoria philoſophica continens veterum philoſophorum, qui quidem praecipui fuerunt, ſtudia & dogmata, modernorum quaeſtionibus in primis exagitata*, quae Franekerae an. 1674 prodiit in 8. eo praecipue ſpectat, vt veterum philoſophiam a contemtu recentiorum vindicet. *Antiquorum*, inquit in dedicatione, *in eo philoſophiam a modernis ſciolis laceratam irriſamque, inſtitui, in quantum veritas ibidem tradita permittat, iis praecipuorum philoſophorum placitis, quae diſputationibus frequenter occupantur, vindicare.* Quod dum facit, dogmata veterum quorumdam philoſophorum, vt PYTHAGORAE, PLATONIS, aliorumque fuſe perſequitur, cumprimis per integrum librum quartum, eumdemque vltimum, de philoſophia Ariſtotelica copioſe differit. Exſtat & eiusdem GRAVII *ſpecimen philoſophiae veteris, in qua nouae quaedam oſtenduntur*; Franekerae an. 1673 in 8. In eo REN. CARTESII quaedam philoſophemata, e. g. de dubitatione, cum veterum philoſophorum placitis confert; multa ſimul congerit, quae hiſtoriae philoſophicae inſeruiunt; cumprimis per totum librum primum hiſtoriam quamdam ſcepticiſmi ex inſtituto tradit. PETRI SYLVANI REGII, aut potius REGIS, *diſcurſus philoſophicus, in quo hiſtoria philoſophiae antiquae & recentioris recenſetur*, cuius verſio latina (gallice namque auctor ſcripſerat) an. 1705 ſine loci mentione, prodiit, inter optimae notae compendia merito refertur; &, licet ob breuitatis ſtudium multa praetermittat, multa tamen longe rectius meliusque, quam reliqui, docet. Quae in eo laudanda pariter ac deſideranda ſint, exponit CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, in *actis philoſoph. part. VI. num. VI. p. 1061. ſeqq.* Omnium induſtriam ſuperauit THOMAS STANLEIVS, in *hiſtoria philoſophiae*, quam anglicana lingua conſcripſit. Huius eam partem, quae de *philoſophia orientali* agit, in ſermonem latinum tranſtulit, & *notis ad oracula Zoroaſtris*, itemque *indice philologico* ornatam, an. 1690 edidit IO. CLERICVS, quam deinceps *operum* ſuorum *philoſophicorum tomo ſecundo* adiunxit. Tandem vero B. GOTTFR. OLEARIVS integrum hocce opus ex anglicana lingua in latinam conuerſum, ſubinde & emendatum, variisque diſſertationibus & obſeruationibus auctum, edidit Lipſiae an. 1711 in 4. & ita multorum votis ſatisfecit. Nec vllum eſt dubium, quin verſio haecce textui originali multis nominibus ſit praeferenda. Laudanda equidem diligentia STANLEII, qua omnia, quae potuit, congeſſit, ac in certum ordinem diſpoſuit; multa tamen aliis, adcuratiori ratiocinatione cuncta inueſtigantibus, eum reliquiſſe, certum eſt; conf. iterum HEVMANNVS, in *actis*

actis philoſoph. part. III. num. VII. p. 523. ſeqq. vbi de hocce opere ex inſtituto agit.

Longe maior illorum eſt numerus, qui certam hiſtoriae philoſophicae partem commentationibus ſuis illuſtrarunt. Solet philoſophia in veterem & recentiorem diſpeſci; & illa iterum in Ebraeorum & gentilium; vti horum rurſus vel barbarica eſt, vel graecanica. De Ebraeorum philoſophia ipſemet ex inſtituto egi, in *introductione ad hiſtoriam philoſophiae Ebraeorum*, quae iterum an. 1720 in 8. prodiit. Eſtque haec editio non tantum multis acceſſionibus auctior, ſed & in quibusdam luculentius, quam in priori, mentem meam explicaui. Saepe etiam in *hiſtoria eccleſiaſtica veteris teſtamenti*, quae huius argumenti ſunt, attigi. De barbarica, vt vocari ſolet, philoſophia generatim ſpectata, commentati ſunt OTTO HEVRNIVS, in *antiquitatum philoſophiae barbaricae libris duobus*, Lugduni Batauorum, an. 1600 in 12. editis, itemque beatus CHRIST. KORTHOLTVS, in *tractatu de origine, progreſſu & antiquitate philoſophiae barbaricae, chaldaicae, perſicae, aegyptiacae, indicae, & gallicae*, Ienae 1660 in 4. Reliquos, qui tum generatim de philoſophia barbarica, tum ſpeciatim de philoſophia Chaldaeorum, Perſarum, Indorum, Phoenicum, Arabum, & Sabaeorum, itemque Aegyptiorum ſcripſerunt, recenſet CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, in *actis philoſophorum, part. VIII. num. I. p. 173. ſeqq.* qui & *num. II. p. 205. ſeqq.* de ipſa barbarie, & *part. XI. num. I. p. 660. ſeqq.* de Aegyptiorum philoſophia agit. Ad graecanicam priusquam tranſeamus philoſophiam, de italica, ſeu Pythagoraea, aliquid dicendum eſt; quam nonnulli ad barbaricam adhuc, alii autem ad graecanicam referunt. Eius cumprimis vel ideo habenda eſt ratio, quod fontibus antiquarum quarumdam haereſium detegendis, & patrum ſcriptis illuſtrandis, vel maxime inſeruit; id quod vel ex MICH. MOVRGVES libro: *plan theologique du Pythagoriſme &c.* antea iam laudato, patet. De Pythagora, eiusque ſcriptis, conſulere IO. ALB. FABRICIVM iuuabit, *bibl. graec. lib. II. c. XII. p. 455. ſeqq.* qui & Pythagoriſcorum, apud veteres memoratorum, elenchum exhibet *c. XIII. p. 490. ſeq.* Scriptores autem hiſtoriae Pythagoricae diligenter recenſet CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, in *actis philoſoph. part. II. num. VI. p. 367. ſeqq.* item *part. IV. p. 751. ſeqq.* & *part. IX. p. 487. ſeqq.* Commendandus autem hic prae reliquis IO. SCHEFFERI liber, *de natura & conſtitutione philoſophiae italicae ſeu Pythagoricae*; Vpſaliae an. 1664, 8. & Wittebergae, 1701 in 8. Nec contemnenda IO. SCHILTERI *diatriba de diſciplina Pythagorica*, eiusdem *manuductioni philoſophiae moralis ad iurisprudentiam* ſubnexa. Spectant quoque huc in *analectis* meis *hiſtoriae philoſophicae* diſſertatio de *peregrinationibus Pythagorae*, item *de καθάρσει Pythagoraeo-Platonica*, vt & de *κενῷον philoſophica*. Inter Graecos primum occurrunt *ſeptem* ſic dicti *ſapientes*; qui, an ob virtutis ſtudium, an vero ideo, quod poëtae fuerint, ita vocati ſint? nunc non diſceptabo; philoſophos, eo ſenſu, quo hodie vox iſta accipitur, non fuiſſe facile, conceſſerim. Nonnulla, quae ad eos pertinent, attigi, & praecipua illorum effata obſeruationibus quibusdam illuſtraui, octo diſſertationibus, in academia Hallenſi an. 1699 propoſitis; quae iunctim, inſcriptae: *ſapientia veterum, hoc eſt, dicta illuſtriora ſeptem Graeciae ſapientum, diſſertationibus aliquot academicis explicata*, proſtant. Ex inſtituto etiam de ſeptem hiſce Graeciae ſapientibus diſſerit, & ſcriptores, ad eorum hiſtoriam ſpectantes, recenſet CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, in *actis philoſoph. part. X. num. I. p. 494. ſeqq.* Solet ceteroquin graecanica

canica philoſophia in poëticam, Ionicam, & Eleaticam, diſpeſci. De poëtis Graecorum cum ſupra dictum ſit, hic nihil addimus. Ad Ionicam ſectam referuntur THALES Mileſius, ANAXIMANDER, ANAXIMENES, ANAXAGORAS, & ARCHELAVS, cuius diſcipulus fuit SOCRATES. De THALETE legendus IO. ALB. FABRICIVS, *bibl. graec. lib. I. c. XXXV. p. 236. ſeqq.* qui & de reliquis, immo plerisque Graecorum philoſophis ante SOCRATEM, *lib. II. c. XXIII. p. 795. ſeqq.* agit. Illis, qui primam Ionicae ſectae claſſem conſtituunt, THALETI, ANAXIMANDRO, & ANAXIMENI, a nonnullis atheiſmus exprobrari ſolet; quod, quo iure fiat? diſputaui in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtitione, c. I. §. X. p. 29. ſeqq.* Ex Ionica ſecta SOCRATES prodiit, qui ſepoſita naturalium rerum contemplatione, ad formandos componendosque mores animum adpulit; cumque exemplo, quae docebat, confirmaret, ſapientiſſimi viri conſequutus eſt laudem, maximumque adeo decus philoſophiae conciliauit. Veteres certatim eius mentionem faciunt; *memorabilia* autem eius ſeu ἀπομνημονεύματα, conſcripſit XENOPHON, ex quibus tum dogmata SOCRATIS, tum modum eius diſputandi & docendi, condiſcere licet. Ex recentioribus CARPENTARIVS *vitam Socratis* lingua gallicana conſcripſit, quam in linguam germanicam transtulit CHRIST. THOMASIVS. De *genio Socratis* pereruditа exſtat beati GOTTFR. OLEARII diſſertatio, THO. STANLEII *hiſtoriae philoſophiae* inſerta, *part. III. cap. VI. p. 130. ſeqq.* Atheiſmi crimen perperam obiectum SOCRATI, a me oſtenſum, in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtitione, c. I. §. XI. p. 25. ſeqq.* IO. IONSII *hiſtoriam Socraticam*, cum viri huius doctiſſimi fatis interceptam, merito cum IO. ALB. FABRICIO dolemus, qui tamen & ipſe de SOCRATE, ſcriptisque, quae ei a nonnullis tribuuntur, non minus ac de AESCHINE ac CEBETE, genuinis SOCRATIS diſcipulis, diligenter diſſerit *biblioth. graec. lib. II. cap. XXII. p. 825. ſeqq.* Nonnulla, huc ſpectantia, etiam attingit HEVMANNVS, in *actis philoſoph. part. I. num. IV.* & *V. p. 103. ſeqq.* item *part. III. num. III. p. 472. ſeqq.* Celebritas SOCRATIS effecit, vt ex eius ſchola magna philoſophorum turba prodiret, quorum nonnulli nouas iterum condiderunt ſectas. Ab ARISTIPPO namque *Cyrenaici*, a PHAEDONE Elienſi, *Eliaci*, ab EVCLIDE Megarenſi, *Megarici*, a PLATONE *Platonici & peripatetici*, ab ANTISTHENE, *Cynici & Stoici*, originem ducunt. ARISTIPPVS, ceterique Cyrenaici vulgo male audiunt, quod teſte DIOGENE LAERTIO, *lib. II. ſect. LXV. & LXXXVII.* ſummum bonum in voluptate corporis conſtituerint. Vir tamen quidam doctus cauſſam ARISTIPPI egit, in *Ariſtippo philoſopho Socratico*, Halae 1719 in 4. edito. Ex hacce ſchola Cyrenaica fuit THEODORVS, cognomine ἄθεος dictus, & BION BORISTHENITES, de quibus dictum in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtitione, c. I. §. XVII. p. 47. ſeqq.* Inter Megaricos STILPON prae ceteris celebris fuit, de quo itidem, cum & ipſe inter atheos referri ſoleat, *l. c. p. 49.* verba feci.

Maiorem celebritatem reliquae, quae ex SOCRATIS ſchola originem trahunt, conſequutae ſunt philoſophorum ſectae. Et Cynicorum quidem conditorem fuiſſe ANTISTHENEM, notum eſt. Stoicos rurſus a Cynicis prognatos, neminem fugit. ZENO namque Cittieus, a quo Stoici, CRATETIS Thebani, philoſophi Cynici, fuit diſcipulus. Hinc IVST. LIPSIVS, cum obſeruaſſet, Stoicos etiam *Zenonios* adpellatos, addit: *& cur non Cynici? nam reuera ſunt paene iidem.* Et iterum: *dogmata conſentiunt, in vita & cultu aliquid mutant; manud. ad philoſophiam Stoicam, lib. I. diſſ. XIII. p. 36.* Nimirum, Cynici

nici

nici reſpuebant omne decorum, quod admittebant Stoici. Non defuerunt, qui vitam Cynicam commendarent,[1] quod & MAXIMVS TYRIVS fecit, *diſſ. XXI. de vita cynica*. Scriptores de philoſophia cynica veteres ac recentiores laudat CHRIST. AVG. HEVMANNVS, in *actis philoſophor. part. XII. num. III. p. 899*. Sed, ad Stoicos quod attinet, non apud Graecos modo, ſed & cumprimis apud Romanos magnam eorum philoſophia obtinuit auctoritatem. Ex quo enim philoſophiae apud Romanos aditus concedebatur, praecipui praeſtantiſſimique fere quique Stoicorum ſequebantur diſciplinam. Certe PANAETIVS, qui primus Romae philoſophiam docuiſſe creditur, Stoicus fuit. Vnde &, iure conſultos veteres eidem ſectae addictos, eo minus dubitandum, quo luculentiora eius rei veſtigia in illorum ſcitis deprehendiſſe ſibi nonnulli viſi ſunt. Legenda EVERARDI OTTONIS, *de Stoica veterum iuriſconſultorum philoſophia oratio*, Duisburgi 1715 in 4. conf. & IO. SCHILTERI *praxis artis analyticae in iure, c. I. §. XVII. p. 14. ſeqq.* Atque hinc, quod nec iure conſultis plane negligenda ſit Stoica philoſophia, patet. Theologiae vero cultoribus eius notitiam neceſſariam eſſe, vel inde intelligitur, quod non tantum Marcionitae, aliique haeretici, ex Stoicorum fontibus ſua irrigauerint arua, ſed quidam etiam ex ipſis patribus, cumprimis CLEMENS Alexandrinus, ἀπάθειαν Stoicorum incaute amplectendo, eam ad myſticos, quos vocant, theologos propagauerint. Legenda, quae hac de re diſſerit IAC. THOMASIVS, in *originibus hiſtoriae philoſophicae & eccleſiaſticae, §. L. ſeqq. p. 95. ſeqq.* In ſcriptis Stoicorum, quae ſuperſunt SENECAE, EPICTETI, M. AVRELII ANTONINI imperatoris & philoſophi, multa egregie & ſplendide dicta occurrunt, quaeque ſingularem vim, ad excitandam fouendamque virtutem, habere videntur. Sed, ſi principia ſimul conſiderentur, quibus ſuperſtructa ſunt, aut ex quibus fluunt; pleraque non tantum lubrica, ſed & plane impia deprehenduntur. Nocent itaque, meritoque damnantur, in ſyſtemate Stoicorum ſpectata; ſed extra illud conſiderata, proſunt, recteque laudantur. Intelligere hoc licet ex *diſſertationibus* meis *quatuor, de erroribus Stoicorum in philoſophia morali*, quae in *analectis hiſtoriae philoſophicae* exſtant. Addantur, quae dixi in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtitione, c. I. §. XVIII. p. 51. ſeqq.* Cum non ſemper vita Stoicorum illorum dogmatibus reſponderet, non ſemel illis exprobrata fuit hypocriſis. Quo nomine & acriter eos perſtringit HORATIVS, tum alibi, tum *lib. II. ſat. III.* conf. FRID. RAPPOLTVS, *comment.* ad *lib. II. ſermon. c. IX. p. 310. ſeqq.* Immo iam PLVTARCHVS περὶ στωικῶν ἐναντιωμάτων, *de Stoicorum repugnantiis*, librum ſcripſit, qui *tomo II.* operum eius, *p. 1033. ſeqq.* exſtat, in quo oſtendit, nec vitam Stoicorum cum ipſorum dogmatibus, nec dogmata eorum inter ſe conuenire. Non minus vero & id vitio datum, quod dialecticis ſubtilitatibus, vocabulorumque nimis inhaererent minutiis. Nec tamen dubium[1], quin inter eos viri eſſent cordati, qui, vt ab omni virtutis ſimulatione alieni erant, ita nec pueriles iſtos circa voces luſus probabant, quemadmodum de EPICTETO AVLVS GELLIVS refert, quod a vero Stoico *vulgus aliud nebulonum hominum* ſeiunxerit, *qui ſe Stoicos nuncuparent, atraque verborum & argutiarum fuligine ob oculos audientium iacta ſanctiſſimae diſciplinae nomen ementirentur*; *noct. atticar. lib. I. c. II. p. m. 3.* Inter recentiores, qui de Stoicorum philoſophia ſcripſerunt, eminet IVSTVS LIPSIVS, cuius noti ſunt *manuductionis ad Stoicam philoſophiam libri tres*; & totidem *phyſiologiae Stoicorum*; vtrique & inter opera eius exſtant, & ſeorſim editi Pariſiis 1604 in 8.

Sed

Sed, dum nimio Stoicorum, praeſertim SENECAE, amore excaecatus, id vnice egit, vt Stoicorum placita cum religionis chriſtianae dogmatibus conciliaret; non potuit non ſaepius illorum peruertere ſententiam, taliaque iis tribuere, quae a genuina illorum mente plane abhorrent. Sic, cum de fato, omnis reuera impietatis radice, diſſerit, lectori perſuadere adnititur, Stoicos per *fatum* nihil aliud, quam ipſam intellexiſſe prouidentiam diuinam. Cumque obſeruaſſet, doctrinam de fato ab aliis *fatidicam anum Stoicorum* dictam, ſtatim addit: *Sed ades, noſtra anus, ades, amanda nobis, ſuper omnes Veneres, & Venerum amores. Te aſſerimus &c. phyſiolog. Stoic. lib. I. diſſ. XI. p. 22.* Merito itaque hoc nomine LIPSIVM atro notat lapillo IAC. THOMASIVS, qui, *Stoici fati malignitatem* demonſtraturus, *hic rem ipſam*, inquit, *non explicare modo, ſed firmare quoque documentis placet, praeſertim cum Lipſius dogmati deteſtando ſuum optime, optime, acclamet, lib. I. phyſiol. Stoic. diſſ. XII. p. 25. & aſperum de Deo ſermonem Stoicorum etiam vero, vt putat, ſenſu, miteſcere iubeat, p. 27. In quo fecit, quod mali ſolent hiſtorici, qui vitiis principum adulantur: ipſe ſibi nec ſatis conſtans, nec nimis fidens &c.* de *exuſtione mundi Stoica, diſſ. XIII. p. 166.* Et ſane haec ipſa viri doctiſſimi de *Stoica mundi exuſtione* exercitatio vel primum praecipuumque inter ſcripta, quae de Stoica philoſophia prodierunt, promeretur locum; cum nemo adcuratius in veram & genuinam Stoicorum mentem inquiſiuerit. Non Stoicae vero tantum, ſed Platonicae etiam, Ariſtotelicae, ac Epicureae philoſophiae hiſtoriam mirifice in eadem hacce commentatione illuſtrat; veramque ſimul rationem, hiſtoriam philoſophicam tractandi, exemplo pulcherrimo monſtrauit. Reliquos ſcriptores, ad hiſtoriam philoſophiae Stoicae ſpectantes, diligenter enarrat CHRISTOPH. AVG. HEMANNVS, in *actis philoſoph. part. IV. num. VII. p. 730. ſeqq.* & *part. VII. num. IV. p. 161. ſeqq.* item *part. IX. num. VII. p. 478. ſeqq.* add IOAN. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. IV. c. VII.* vbi de EPICTETO, & eiusdem *libri c. XXIII.* vbi de M. AVRELIO ANTONINO agit.

Ad PLATONEM nunc accedimus, cui vel primus praecipuusque inter SOCRATIS diſcipulos debetur locus. Vitam eius DIOGENES LAERTIVS, *lib. III.* aliique veterum deſcripſere; ex recentioribus, vt reliquos, qui opera eius ediderunt, taceam, MARSIL. FICINVS, in *vita Platonis*, quam verſioni latinae operum eius praemiſit, in qua & ſingulares eius virtutes celebrat, addita breui *de moribus eius apologia*. RENATVS quoque RAPINVS, dum comparationem Platonis & Ariſtotelis inſtituit, vtriusque vitam exhibet, *tom. I. oper. p. 280. ſeqq.* Scripta Platonis, eosque, qui de Platone eiusque philoſophia aliquid litteris conſignarunt, diligenter recenſet IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. III. c. I. p. 7. ſeqq.* qui & Platonicorum notitiam ſuppeditat, *c. III. p. 52. ſeqq.* Magna olim Platonicae philoſophiae, non apud ethnicos ſolum, ſed & ipſos chriſtianos, fuit auctoritas; & apud hos cum Ariſtotelica, dubia velut palma, concertauit. Plurimi patrum non tantum Platonem ipſum valde laudarunt, ſed & philoſophiam eius, ceu conſentientem maxime cum religionis chriſtianae ſcitis, amplexi ſunt, non ſemper caute ſatis vera a falſis diſcernentes. Hinc errores, ex nimio Platonicae philoſophiae ſtudio orti, illis ſubinde exprobrati, quorum tamen eos immunes fuiſſe probare voluit BALTVS, ſocietatis Ieſu theologus, in *defenſe des ſaintes peres accuſez de Platoniſme*; Pariſiis an. 1711. in 4. Sed hac de re ſuo loco, cum de theologia patriſtica agemus, ex inſtituto dicetur. IVSTINVS porro martyr, CLEMENS Alexandrinus, ORIGENES, EVSEBIVS, CYRILLVS Alexandrinus, aliique, Platonem ab Ebraeis quae-

Digitized by Google

quaedam accepiſſe, tradiderunt; quos ex recentioribus quidam ſequuti ſunt; immo nonnulli omnino adſeruerunt, Platonem ex libris Moſis & prophetarum quaedam hauſiſſe, quos in Aegypto viderit. Repugnant vero alii, &, Platonem nihil ab Ebraeis accepiſſe, contendunt. Legenda viri doctiſſimi IAC. LENFANT *diſſ. de quaeſtione: an Pythagoras atque Plato notitiam librorum Moſis & prophetarum habuerint? dans la bibliotheque germanique, tom. II. art. V. p. 124. ſeqq.* Conferenda, quae ipſemet hac de re dixi in *hiſt. eccleſ. veter. teſtam. tom. II. per. II. ſect. VI.* ad *§. XIII. p. 1066.* Nonnulla quoque, quae huc ſpectant, attigi in *inſtit. theol. dogmat. lib. II. c. I.* ad *§. LVI. p. 437. ſeqq.* Non tantum autem CLEMENS Alexandrinus, aliique veterum, philoſophiae Platonicae cum chriſtiana religione conſenſum oſtendere conati ſunt; ſed & ex recentioribus idem nonnulli ex inſtituto facere adgreſſi ſunt, quos inter eminent AVG. STEVCHVS EVGVBINVS, in *libris de perenni philoſophia*, BESSARION cardinalis, *libris quatuor in calumniatorem Platonis*, MVTIVS PANSA, *tractatu de oſculo ſeu conſenſu ethnicae & chriſtianae philoſophiae.* Sed ſunt rurſus alii, qui longe aliter ſentiunt, eiusque philoſophiam toto, quod aiunt, caelo a religionis chriſtianae diſſentire dogmatibus, contendunt. Inter ipſos certe patres fuere, qui non adeo praeclare de Platone ſentirent; ex recentioribus autem cumprimis huc referendus IO. BAPT. CRISPVS, Gallipolitanus, cuius de *Platone caute legendo diſputationum libri XXIII. in quibus triplex rationalis animi ſtatus ex propriis Platonis principiis corrigitur, & catholicae eccleſiae ſanctionibus expurgatur &c.* Romae prodierunt an. 1594 in fol. Cumque liber iſte ſit rariſſimus, paucisque, qui eum laudant, viſus; rem haud dubie multis gratiſſimam fecit CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, dum adcuratiorem eius notitiam ſuppeditauit, immo ſummam exhibuit, in *actis philoſophorum, part. XII. num. V. p. 921. ſeqq.* conf. & IAC. BRVCKERVS, in *hiſtoria philoſophica doctrinae de ideis, ſect. 1. not.* ad *§. V. p. 34.* Fuerunt praeterea, qui, vt variarum haereſeon, ita etiam pſeudo-theologiae myſticae originem in Platone ſibi inueniſſe viſi ſunt. Eoque cumprimis ſpectat EHREGOTT DAN. COLBERGII liber, *chriſtianiſmus Hermetico-Platonicus* dictus, germanicaque lingua ſcriptus, quem deinde ſequuti ſunt alii. Qui, an ſemper ex ipſo Platone probare poſſint, quae pro eius placitis venditant, valde dubito. Huc & comparata eſt MICH. GOTTLIEB. HANSCHII *diatriba de enthuſiaſmo Platonico*, Lipſiae an. 1716 in 4. edita; quippe in qua de reditu vltimo animae humanae in eſſentiam diuinam agit. Solet namque haec Platoni ſententia tribui, quod docuerit, animam humanam ex eſſentia diuina ortam ad eam iterum tandem reuerti; vnde, ceu ex primo fonte, multi fanaticorum a quibusdam deriuantur errores. Et, Platonicos eiusmodi quid adſeruiſſe, dubio caret. Ex Platone ipſo nullum hactenus prolatum teſtimonium vidi, quo iſtud demonſtrari queat; vti iam a me obſeruatum, in *inſtitut. theol. dogmat. lib. II. c. II.* ad *§. XVI. p. 483.* Et ita quoque, quod ὡς ἐν παρόδῳ moneo, in aliis ſe rem habere, deprehendi. Multa pro dogmatibus Platonicis habentur, quae apud Platonis equidem ſectatores inueniuntur, ſed, quorum in ipſo Platone vix veſtigium reperias. Fuerunt porro, qui & atheiſmum Platoni obiicerent. Certe, ab hacce impietate doctrinam eius liberari non poſſe, exiſtimauit NIC. HIERON. GVNDLINGIVS, *otiorum*, lingua germanica editorum, *part. II. c. III. p. 86.* Sed defenſionem Platonis in ſe ſuſcepit IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, de *atheiſmi falſo ſuſpectis, ſect. II. §. XII. p. 37. ſeqq.* qui & in *Manichaeiſmo ante Manichaeos, ſect. II. §. XXXIV. p. 142. ſeqq.*

erudite

erudite cauſam eius egit. Denuo tamen ſententiam ſuam propugnauit GVNDLINGIVS, in *der neuen bibliotheque, part. XXXI.* ſeu *tomo IV. num. I. p. 1 ſeqq.* Addenda, quae & ipſe hac de re diſputaui, in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtitione, c. I. §. XIII. p. 29. ſeqq.* conf. & IAC. BRVCKERVS, in *hiſtoria philoſophica doctrinae de ideis, ſect. I.* ad *§. IV. p. 41. ſeqq.* Platonem magna ſubinde laborare obſcuritate, viris doctis obſeruatum eſt, exemploque doctrinae de ideis comprobat, quem iam laudauimus, IAC. BRVCKERVS, *l. c. ſect. I. §. III. p. 19. ſeqq.* qui & in cauſſas eius rei inquirit. Cognouerunt forte hoc, viamque ad eum intelligendum faciliorem reddere voluerunt, qui introductiones ad doctrinam philoſophi huius dederunt, aut eam in compendio exhibuerunt. Huc comparata eſt ALCINOI εἰσαγωγὴ τῶν δογμάτων Πλάτωνος, *in Platonis doctrinam introductio*; de qua IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. IV. cap. XXIII. num. XIII. XIV. p. 40. ſeqq.* Immo idem FABRICIVS ALBINI Platonici *introductionem in Platonis dialogos* primum in lucem edidit, inſeruitque *bibliothecae* ſuae *graecae, lib. III. c. II. p. 42. ſeqq.* Introductionis loco etiam quodammodo eſſe poteſt CLAVDII FLEVRII *diſſertatio de Platone*, gallicana lingua ſcripta, eiusdemque *tractatui, de delectu & methodo ſtudiorum*, ſubiecta. IAC. BRVCKERI libellum elegantiſſimum, qua *hiſtoriam doctrinae de ideis* exhibuit, Auguſtae Vindelicorum an. 1723, 8. ſi his adiecerim, non valde errauero. Quemadmodum enim doctrina de ideis praecipuum fere totius philoſophiae Platonicae caput conſtituit; ita auctor, dum eius hiſtoriam adcurate recenſet, reliqua fere, quae momentum aliquod trahunt, ſimul attingit, ita, vt cuncta ſingulari luce perfundat. Ad hiſtoriam denique philoſophiae Platonicae illud pertinet, quod, cum hactenus Ariſtoteles principatum velut in chriſtianorum ſcholis obtinuiſſet, circa medium ſaeculi decimi quinti, eo ipſo tempore, cum noua litterarum lux oriretur, exſtiterint inter Graecos, qui, duce & anteſignano GE. GEMISTO PLETHONE, Platonicam reuocare philoſophiam, & Ariſtotelicae praeferre, conati ſunt, repugnantibus acriter ex eadem gente aliis. Ingens hinc inter vtrosque & memorabile exortum eſt certamen, quod adcurate & eleganter deſcribit IO. BOIVINVS, cuius hac de re diſſertatio exſtat *dans les memoires de litterature tirez de regitres de l'academie royale des inſcriptions & belles lettres &c. tom. IV.* ſecundum editionem Amſtaelodamenſem *p. 481. ſeqq.* Eamdem diſſertationem in linguam germanicam transtulit, notis quibusdam illuſtrauit, & epicriſi auxit CHRIST. AVG. HEVMANNVS, in *actis philoſoph. part. II. num. II. p. 537. ſeqq.* Atque iſti quidem, qui hac de re inter ſe diſputabant, vti ceu manifeſtum euidensque adſumebant, maximopere vtrumque philoſophum, Platonem & Ariſtotelem, ab altero diſſentire; ita non deerant, tum eo tempore, tum deinceps, qui eos conciliare inter ſe, orbique perſuadere vellent, amice eos inter ſe conſpirare; quibus iam olim PORPHYRIVS atque HIEROCLES exemplum praeiuerant. Atque huc etiam SCIPIONIS AGNELLI *diſceptationes de ideis in tres libros diſtributas*, editasque Venetiis an. 1615 ſpectare, oſtendit IAC. BRVCKERVS, in *hiſtoria philoſophica doctrinae de ideis, ſect. I.* ad §. *V. p. 74. ſeqq.* vbi de hocce libro multa obſeruatu digna legere licet.

Platonis diſcipulus fuit ARISTOTELES; ſed qui a magiſtro diſſenſit, ſectamque adeo peculiarem conſtituit. Vitam eius praeter DIOGENEM LAERTIVM, aliosque, AMMONIVS, ſiue IO. PHILOPONVS, ſcripſit, quem graece & latine, vna cum anonymi *vita Ariſtotelis ex vetere translatione* edidit PET. IO. NVNNESIVS, qui & anonymi iſtam vitam Ariſto-

telis adnotationibus, ſiue *ſcholiis locupletiſſimis & doctiſſimis, quibus accurate de Ariſtotelis vita, moribus, philoſophandi ratione, ſcriptis, auditoribus, ſucceſſoribusque diſputatur*, illuſtrauit. Ita namque in inſcriptione editionis Helmſtadienſis legitur. Subiunctum nimirum hocce opus eſt eiusdem NVNNESII *inſtitutioni peripateticae philoſophiae, ſeu de recte conficiendo curriculo peripateticae philoſophiae, deque docentis ac diſcentis officio, conſilio*, cui etiam adnexa eſt eiusdem auctoris *oratio de cauſſis obſcuritatis Ariſtotelis earumque remediis.* Haec omnia Helmſtadii iunctim recuſa ſunt, an. 1667 in 4. De aliis, qui vitam Ariſtotelis ex veteribus ſcripſerunt, NVNNESIVS agit, in *notis ad anonymum, p. m. 18.* vbi DIONYSII Halicarnaſſei maxime laudat *epiſtolam ad Ammaeum, qui diſtinctius*, inquit, *& circumſcriptius, quam ceteri, vitam Ariſtotelis perſequutus eſt.* Spectat huc etiam anonymi cuiusdam *vita Ariſtotelis*, quam graece exhibet AEG. MENAGIVS, in *obſeruationibus ad Diogenis Laertii lib. V ſect. XXXV. p. 201.* Ex recentioribus commemorandus cumprimis eſt FRANC. PATRICIVS; qui, licet inter aduerſarios hoſtesq; Ariſtotelis haud vltimum locum teneat; hiſtoriam tamen Ariſtotelis & philoſophiae Ariſtotelicae egregie illuſtrauit. Exſtant nimirum *diſcuſſionum eius peripateticarum tomi quatuor, quibus Ariſtotelicae philoſophiae vniuerſa hiſtoria & dogmata, cum veterum placitis collata, eleganter & erudite declarantur*, Baſil. 1581 fol. Speciatim autem primus tomus huius loci eſt, in quo *de Ariſtotelis vita, moribus, libris, auditoribus, ſectatoribus, expoſitoribus, interpretibus, ſectis, philoſophandi ratione, libris tredecim* copioſe differit. Ex reliquis commendandus adhuc eſt HERM. CONRINGIVS, quem recentioris ſcholae peripateticae maximum decus merito dixeris, in *orationibus duabus de Ariſtotele eiusque philoſophia*, Helmſt. 1663 in 4. Iungendus RENATVS RAPINVS, quem *tom. I. oper. p. 280. ſeqq.* vtriusque philoſophi, Platonis & Ariſtotelis, vitam exhibere, antea iam monuimus. Ex IO. IONSII *diſſertationibus de hiſtoria peripatetica* prima tantum lucem adſpexit Hamburgi 1652 in 4. recuſa cum IO. LAVNOII libro de *varia Ariſtotelis in academia Pariſienſi fortuna*, ſtudio & opera IO. HERMANNI AB ELSWICH, Wittembergae an. 1720 in 8. Scripta Ariſtotelis adcurate & diligenter, more ſuo, recenſet IO. ALB. FABRICIVS, *bibl. graec. lib. III. c. VI. p. 109. ſeqq.* Vt vero de ipſa Stagiritae philoſophia non omnes idem ſentiunt; ita etiam de moribus eius, vitaeque, quam tenuit, ratione, diſcrepantes exſtant virorum doctorum ſententiae. Grauiſſimis vitiis obrutum fuiſſe Ariſtotelem, ex inſtituto demonſtrat FRANC. PATRICIVS, in *diſcuſſionib. peripatet. tom. I. lib. I. p. 6.* it. *p. 11. 12.* & PET. GASSENDVS, in *exercitationib. paradoxic. aduerſus Ariſtoteleos, exercitat. III. p. 53. ſeqq.* Paucis cuncta, quae ei obiiciuntur, complectitur REN. RAPINVS, *loco* antea *citato, p. 311.* Immo & inter atheos haud vltimum tenere locum Ariſtotelem, viri docti obſeruarunt. Ex inſtituto hoc egit VALERIANVS MAGNVS, in libro de *atheiſmo Ariſtotelis*, quem FORTVNII LICETI libro, de *pietate Ariſtotelis aduerſus Deum & homines*, oppoſuit. Sequuti ſunt & alii, qui atheiſmum Stagiritae exprobrarunt; nec ſine ratione, vti a me oſtenſum in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtitione, c. I. §. XV. p. 39. ſeqq.* Rem omnem adcurate confecit, qui ſolide & diligenter hoc argumentum tractauit, IO. GE. WALCHIVS, in *exercitatione hiſtorico-philoſophica, de atheiſmo Ariſtotelis*, quae in *parergis* eius *academicis* exſtat, *p. 198. ſeqq.* Syſtema ipſum Ariſtotelis atheiſmo fauere, poſitum eſt extra controuerſiam; nec tamen etiam errare, qui in hocce philoſopho atheiſmum practicum reprehendunt, idem demonſtrat

WAL-

WALCHIVS, *l. c. cap. IV. p. 353. ſeqq.* Eo magis mirandum, fuiſſe olim, qui Ariſtotelem ſanctorum, immo beatorum in caelo triumphantium numero adſcriberent, de quibus verba feci in *hiſtor. eccleſiaſt. vet. teſtam. tom. II. per. II. ſect. VI.* ad *§. XIII. p. 1973.* Non minus lepidus illorum error eſt, qui, Ariſtotelem Iudaeum fuiſſe, contendunt, ſi non gente certe diſciplina ac religione, aut qui, eum ex Salomonis libris profeciſſe, ſibi perſuadent; quorum commenta & recitat, & reiicit, quem iam laudauimus, WALCHIVS, *l. c. cap. I. §. III. p. 202. ſeqq.* Variam philoſophiae Ariſtotelicae fuiſſe fortunam, conſtat, & ex inſtituto ediſſerit IO. LAVNOIVS, in libro notiſſimo, de *varia Ariſtotelis in academia Pariſienſi fortuna.* Veteres eccleſiae chriſtianae doctores non adeo aequo in eum fuiſſe animo, oſtendit LAVNOIVS, *c. II.* De ſcholaſtica philoſophia, quae ex Ariſtotelica, ſed corrupta, originem traxit, deinceps dicemus. Inter eos, qui genuinam Ariſtotelis mentem introſpexiſſe, verumque eius ſyſtema, ſcholaſticis ignoratum, reſtituiſſe creduntur, eminet AVERROES, a quo ſecta *Auerroiſtarum* orta. Deinceps vero & in Italia quidam exſtiterunt, qui illud ita amplexi ſunt, vt nec ab eius impietate abeſſe viderentur, vt ANDR. CAESALPINVS, & CAESAR CREMONINVS, aliique, de quibus dictum in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtitione, c. I.* ad *§. XXIV. p. 137. ſeqq.* Praeter hos & plures alii in genuina Ariſtotelis philoſophia reſtituenda elaborarunt; quemadmodum nec rurſus deerant, qui acriter eidem ſe opponerent, vt FRANC. PATRICIVS, SEBAST. BASSO, DAV. GORLAEVS, PET. GASSENDVS, aliique, cumprimis REN. CARTESIVS, cum tota ſchola Carteſiana; per quam magna in orbe philoſophico contigit mutatio, vt deinceps dicemus. Recentioribus Ariſtotelicae philoſophiae fatis lucem egregiam adfudit IO. HERM. AB ELSWICH, in *ſchediaſmate de varia Ariſtotelis in ſcholis proteſtantium fortuna,* IO. LAVNOII libro de *varia Ariſtotelis in academia Pariſienſi fortuna,* quem recudi fecit, praemiſſo, Wittembergae an. 1720 in 8. Atque ſunt haec eiusmodi, quae ignorari non debent, cum ipſius eccleſiae, immo theologiae, fatis eo rectius intelligendis inſeruiant. Singularem nonnulli philoſophiae Ariſtotelicae in eo quaeſiuerunt ἰξοχὴν, quod nullae ex ea prognatae ſint haereſes. Sed, errare eos, oſtendi in commentatione *de haereſibus ex philoſophia Ariſtotelico-ſcholaſtica ortis, tom. I. obſeruationum ad rem litterariam ſpectantium, obſeruat. XV. p. 173. ſeqq.* Ceterum, licet philoſophia Ariſtotelica non ſit in omnibus probanda, multo minus ſequenda; non tamen omnia in ea ſunt reiicienda. Iuuabit itaque ſummam eius perſpectam habere, idque vt eo facilius obtineamus, eos conſulere, qui viam nobis ad illam muniuerunt, vt PET. IO. NVNNESIVS, in *peripateticae philoſophiae inſtitutione,* quam antea iam laudauimus, cumprimis autem MICH. PICCARTVS, qui omnibus praeferendus eſt, in *iſagoge ad lectionem Ariſtotelis, hoc eſt hypotypoſi totius philoſophiae Ariſtotelis &c.* quam *iis partibus, quibus deficiebat, auctam, & notis plurimis altera vice illuſtratam, atque ad vſum in theologia applicatam,* edidit IOAN. CONRAD. DVRRIVS, Altdorffi 1665 in 8.

Supereſt inter graecanicorum philoſophorum ſectas *Eleatica*; in qua qui primam conſtituunt claſſem, XENOPHANES Colophonius, PARMENIDES, MELISSVS, ZENO Eleates, exemplum praeiuerunt SPINOZAE, vti a me obſeruatum, in *theſ. de atheiſmo & ſuperſtitione, c. I. §. XIX. p. 55. ſeqq.* Agit quoque de Eleaticis philoſophis IOAN. ALB. FABRICIVS, *bibl. graec. lib. II. c. XXIII. p. 795. ſeqq.* vbi & de HERACLITO verba facit. Ex eadem ſchola LEVCIPPVS ac DEMOCRITVS atomi-

ſticam philoſophandi rationem introduxerunt, quam etiam ſequutus eſt EPICVRVS. Vt autem illi, mundum ex fortuito atomorum concurſu conſtruentes, Dei in eo producendo & conſeruando operam minus neceſſariam eſſe, exiſtimabant; ita hic eum equidem in ſyſtema ſuum introduxit, ſed ad mortem tantum, vt videtur, euitandam, ſimulque talem, qui nulla rerum humanarum cura tangeretur. Vitam & dogmata Epicuri copioſe deſcribit DIOGENES LAERTIVS, *libro decimo*, quem integrum notis ſuis illuſtrauit PET. GASSENDVS, exſtatque operum eius *tomo V*. Idem & de vita & moribus Epicuri libros octo ſcripſit, qui itidem *tomo V.* operum eius exhibentur *p. 196. ſeqq.* Id namque vir ille doctiſſimus ſibi datum credidit, vt Epicuri philoſophiam reſtauraret; quod ea tamen ratione fecit, vt tolleret, aut emendaret, quae in ea religioni chriſtianae aduerſantur. Hinc & in compendio doctrinam Epicuri ſiſtit in *ſyntagmate philoſophiae Epicuri*, quod & aliquoties ſeorſim editum, & in operibus eius *tom. III. p. 1. ſeqq.* exſtat. IAC. quoque RONDELLVS de *vita moribusque Epicuri* librum gallicana lingua ſcripſit, qui & latine, ſimulque auctior, prodiit Amſtaelodami an. 1693 in 12. in quo euincere voluit, prouidentiam diuinam haud quaquam ab Epicuro in dubium vocatam. Sed magnopere eum falli, a me oſtenſum in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtitione, c. I. §. XIX. p. 68.* Ceterum ſcripta ipſius Epicuri adcurate recenſet IO. ALB. FABRICIVS, *bibl. graec. lib. III. c. XXXIII. p. 805. ſeqq.* auctores vero, qui de Epicuro, eiusque philoſophia, commentati ſunt, CHRISTOPH. AVGVST. HEVMANNVS, in *actis philoſoph. part. X. num. IX. p. 637. ſeqq.* Atque hactenus quidem eos, qui inter graecanicos philoſophos aut certam quamdam ſectam conſtituerunt, aut eamdem ſequuti ſunt, commemorauimus.

Cum vero tandem nonnulli animaduerterent, nullam eſſe ſectam, quae vbique veritatem ita adſequuta ſit, vt omnia eius tuto adprobare fas eſſet dogmata; exſtiterunt, qui contenderent, ex omnibus, quod optimum, veritatique maxime conſentaneum ſit, eligendum eſſe. His POTAMON Alexandrinus philoſophus exemplum praeiuit. Enimuero, licet & ipſi ſectarum conditores quodammodo eclectici fuerint; dum tamen, a diſcipulis omnia ſua probari, voluerunt, ab hiſce eclecticae philoſophiae origo deriuari nequit. Cum autem de Potamone pauca admodum nobis innotuerint; mirum non eſt, nec de aetate eius, ſeu, quando vixerit, viros doctos inter ſe conuenire. Adcuratiſſime omnium in eam inquiſiuit CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, in *actis philoſophor. part. II. num. V. p. 330. ſeqq.* & *part. V. num. III. p. 848. ſeqq.* Hiſtoriam eclecticae philoſophiae diligenter perſequutus eſt beatus GOTTFR. OLEARIVS, in *diſſert. de philoſophia eclectica*, THO. STANLEII *hiſtoriae philoſophiae* ſubiuncta, *p. 1205. ſeqq.* vbi *c. II.* quid Potamoni occaſionem dederit ſcholae eclecticae conſtituendae, eleganter ediſſerit, *c. III.* autem de iis, qui poſt Potamonem electiuam philoſophiam coluere, verba facit; conf. & IO. ALB. FABRICIVS, *bibliotb. graec. lib. III. c. XXXIII. §. VIII. p. 824.* Eclectici vero pariter ac ſectarii, licet maximopere a ſe inuicem diſſentirent, in eo tamen conſentiebant, ea, quae pro veris certisque habebant, dogmata, vera quoque atque certa eſſe, adeoque omnes *dogmaticorum* nomine veniebant. Opponebantur iis *ſceptici*, vel, vt ab auctore praecipuo vocabantur, *Pyrrhonii*; ad quos & Academici quidam proxime accedebant, qui, omnia conuellere, atque in dubium vocare, deque omnibus in vtramque diſputare partem, hoc demum veram ſummamque putabant eſſe ſapientiam. Quo vsque Academici cum ſcepticis conſenſerint,

rint, GERH. IO. VOSSIVS docet, *de philoſophorum ſectis, c. XII. ſeqq.* qui & *c. XX.* de Pyrrhoniis, ſeu ſcepticis, agit. De PYRRHONE, ceteriſque ſcepticis, conferendus IO. ALB. FABRICIVS, *bibl. graec. lib. III. c. XXXIII. p. 818. ſeqq.* de SEXTO EMPIRICO idem *lib. IV. c. XVIII. p. 509. ſeqq.* Atque ex SEXTI quidem huius EMPIRICI *Pyrrhonianarum inſtitutionum libris tribus*, ceteriſque ſcriptis, quorum elegantiſſimam editionem eidem IO. ALB. FABRICIO debemus, quae Lipſiae an. 1718 in fol. prodiit, ſcepticorum ſophiſticationes, methodumque diſputandi, cognoſcere licet. Hiſtoriae ſcepticorum ABR. GRAVIVM, in *ſpecimine philoſophiae veteris in qua nouae quaedam oſtenduntur*, & quidem per integrum *librum primum*, lucem adfundere, ſupra iam obſeruauimus. Idem quoque PET. DAN. HVETIVS fecit, in *tractatu philoſophico de imbecillitate intellectus humani (de la foibleſſe de l' Eſprit humain)* hoc ipſo an. 1723 Amſtelodami edito, *lib. I. c. XIV. p. 95. ſeqq.* Quo in libro dum vir, cetera ſummus, ſcepticorum cauillationes ita produxit, vt animum ad ſcepticiſmum, ſaltem philoſophicum (nam fidei videri vult agnoſcere certitudinem) pronum demonſtraret; ipſemet, de intellectus imbecillitate ſcribens, eamdem memorabili exemplo confirmat. Praecipua etiam quaedam hiſtoriae ſcepticiſmi momenta ipſemet attigi, in *diſſ. de ſcepticiſmo morali*, quae in *analectis hiſtoriae philoſophicae* exſtat. Recentiores quosdam ſcepticos, ex ipſo etiam ſcholaſticorum grege commemorat PETRVS DE VILLEMANDY, in *ſcepticiſmo debellato, c. IV. p. 32.* quo in libro fundamenta ſcepticiſmi ſolidiſſime euertuntur. Quo vsque Academici ac ſceptici inter atheos referendi ſint? diſputaui in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtitione, c. I. §. XIV. p. 32. ſeqq.* De FRANC. SANCHEZI libro, *de multum nobili & prima vniuerſali ſcientia, quod nihil ſcitur*, deque FRANC. MOTHAEO VAYERIO, itemque PET. BAELIO, qui recentiori aetate ſcepticorum cauſſam egerunt, videatur GOTTLIEB STOLLIVS, in *der kurtzen Anleitung zur Hiſtorie der Gelahrheit, part. II. c. I. §. LXXXIV. ſeqq. p. 81. ſeqq.*

De Romanorum philoſophia vt hic ſpeciatim agamus, neceſſe non eſt, cum, qui ex illis animum ad philoſophandum adpulerunt, vnam ex graecanicis ſectis amplexi ſint. Legere interim iuuabit PAGANINI GAVDENTII librum, *de philoſophiae apud Romanos initio & progreſſu*; qui, cum rarior eſſet, recuſus eſt in *noua rariorum ſcriptorum conlectione*, & quidem *faſciculo ſecundo*, qui Halae 1717 in 8. prodiit. Nec de veterum chriſtianorum, aut patrum, nunc quidquam addemus philoſophia; cum nobis conſtitutum ſit, in ſequentibus, cum de theologia patriſtica agemus, de ea verba facere. Ad ſcholaſticos itaque nos conuertimus, qui, cum ab Arabibus praecipue, apud quos ſaeculo octauo philoſophia Ariſtotelica efflorescere coeperat, eamdem accepiſſent; mirum in modum corruptam, ac deprauatam, variisque commentis auctam, propagarunt & cum theologia, eaque itidem ſatis iam inquinata, coniunxerunt. Et ſcholaſticorum quidem iſtorum notitiam ſuppeditant, qui de ſcriptoribus eccleſiaſticis agunt; nec deſunt, qui de illorum theologia praecipiunt, de qua & nos ſuo loco dicemus. Philoſophiae ſcholaſticae hiſtoriam qui ex inſtituto ſcripſerit, mihi non innotuit; quod, vt fieret, optandum, cum inter tot ineptias & quisquilias nonnulla tamen, memoratu valde digna, occurrant. Multa, quae huc ſpectant, tradit ADAM. TRIBBECHOVIVS, in libro ſingulari *de doctoribus ſcholaſticis & corrupta per eos diuinarum humanarumque rerum ſcientia*; cuius editio ſecunda Ienae an. 1719 prodiit, cui, praeter alia acceſſit CHRISTOPH. AVG. HEVMANNI prae-

praefatio, qua *de origine, adpellatione, natura atque* κεφαλῇ *theologiae atque philoſophiae ſcholaſticae diſputatur.* Nec aliena plane ab hoc loco eſt IAC. THOMASII commentatio *de theologia ſcholaſtica & eius initio*, quae exſtat in CHRIST. THOMASII *hiſtoria ſapientiae & ſtultitiae tom. III. p. 225. ſeqq.* Idem vir doctus alibi quoque paſſim quaedam tradit, quae hiſtoriae philoſophiae ſcholaſticae lucem adfundunt. Sic oratio, quae inter *orationes* eius iunctim editas duodecima eſt, de *ſecta nominalium* agit, *p. 241. ſeqq.* Originem controuerſiae, inter ſcholaſticos valde agitatae, *de principio indiuiduationis*, exponit *praefatio XLIII.* inter praefationes itidem iunctim editas, *p. 246. ſeqq.* De *cauſſis ineptiarum barbari aeui ſcholaſtici* verba facit *praef. LXXXII.* inter easdem praefationes, *p. 542. ſeqq.* Iungendus hiſce DAN. GE. MORHOFIVS, *polyhiſt. tom. II. lib. I. c. XIII. & XIV. p. 73. ſeqq.* vbi in priori capite de ſcholaſticis in genere, in ſpecie de *nominalibus*, in poſteriori autem de *realibus* diſſerit. Nec legiſſe poenitebit quemquam, quae de nominalium ac realium controuerſiis erudite in medium adfert IAC. BRVCKERVS, in *hiſtoria philoſophica doctrinae de ideis, ſect. II. §. IV. p. 198. ſeqq.*

Ad recentiora denique ſi progredimur tempora, cum, pulſis, quae orbi incubuerant, tenebris, noua lux bonarum litterarum oriretur, noua quoque philoſophiae, ſed non ſemper vna, exſtitit facies. Pleroſque namque cum ſcholaſticarum ineptiarum taedium cepiſſet, nonnulli quidem vnam ex veteribus ſectis Graecorum reſtaurare, & velut poſtliminio reuocare, conati ſunt; Platonicam alii, alii Ariſtotelicam, alii rurſus aut Pythagoraeam, aut Stoicam, aut Epicuraeam. Ariſtoteles tamen prae reliquis omnibus caput extulit, cum eius propugnatores numero reliquos vincerent, in quibusdam etiam ſcholis cathedras occuparent; licet quoque haud pauci initio Platoni nomina ſua darent. Legendum IO. HERMANNI AB ELSWICH *ſchediaſma*, ſupra nobis iam laudatum, *de varia Ariſtotelis in ſcholis proteſtantium fortuna.* Hoſtes & impugnatores philoſophiae Ariſtotelicae ſupra iam indicaui. Addenda, quae de eiusdem DAN. GE. MORHOFIVS diſſerit, *polyhiſt. tom. II. lib. I. c. XII. p. 65. ſeqq.* Quidam contra nouam plane viam ingreſſi ſunt, eoque nomine inter eclecticos referri poſſunt, vt FRANC. BACO DE VERVLAMIO, HIERON. CARDANVS, THOMAS CAMPANELLA, aliique. Conferenda, quae de iis in compendio tradit GOTTL. STOLLIVS, in *der kurzen Anleitung zur Hiſtorie der Gelahrheit, part. II. c. I. §. LXXXVIII. ſeqq. p. 87. ſeqq.* Alii omnino nouas ſectas condiderunt, vt PETRVS RAMVS, cuius haereſis cum magnum initio ſtrepitum daret, & Ariſtotelicae philoſophiae interitum minari videretur, mox euanuit; conf. IOAN. HERM. AB ELSVVICH, in *ſchediaſm. de varia Ariſtotelis in ſcholis proteſtantium fortuna, §. XXI. p. 54. ſeqq.* Ex inſtituto autem hiſtoriam philoſophiae Ramaeae perſequitur IO. GE. WALCHIVS, in *hiſtoria logicae*, quae in *parergis* eius *academicis* exſtat, *lib. II. c. I. §. III. ſeqq. p. 611. ſeqq.* Maiori ſucceſſu nouam ſectam condidit REN. CARTESIVS, effecit certe, vt ex eo tempore Ariſtotelica philoſophandi ratio ſenſim euileſceret. Hiſtoriam philoſophiae Carteſianae ſummatim exhibet IO. TEPELIVS, in *hiſtoria philoſophiae Carteſianae*, Norimbergae 1674, 12. Vitam Carteſii luculentiſſime copioſiſſimeque lingua gallicana deſcripſit ADR. BAILLETVS, Pariſiis 1692, duobus voluminibus in 4. ex qua compendium aliquod anno ſequenti in 12. prodiit. Immo antea quoque PET. BORELLVS vitam Carteſii delineauerat, Pariſiis 1666 in 8. Inter eos, qui Carteſianam philoſophiam impugnarunt, haud vltimum locum tenet

PET.

PET. DAN. HVETIVS, in *cenſura philoſophiae Carteſianae*, Pariſiis 1689 edita, deinceps aliquoties recuſa; cui ſe oppoſuerunt IO. EBERH. SCHVVELINGIVS, in *exercitationibus cathedrariis, in P. D. Huetii cenſuram philoſophiae Carteſianae*, Bremae 1690 in 8. IO. SCHOTANVS, in *cenſura Huetiana*, Franecquerae 1691 in 8. & ANDR. PETERMANNVS, in *philoſophiae Carteſianae aduerſus cenſuram Petri Dan. Huetii vindicatione &c.* Lipſiae an. 1706 in 4. LVDOVICVS DE LA FORGE, MALEBRANCHIVS, PET. SYLVANVS REGIS, aliique ſyſtematis cauſſarum occaſionalium patroni, a genuinis ſcholae Carteſianae alumnis pro pſeudo-Carteſianis habentur. Domeſticis hiſce Carteſianorum controuerſiis lucem egregiam adfundit IAC. GOVSSETIVS, in libro, quem inſcripſit: *Cauſſarum primae & ſecundarum realis operatio rationibus confirmatur, & ab obiectionibus defenditur. De his apologia fit pro Renato des Cartes, aduerſus diſcipulos eius pſeudonymos;* Leouardiae 1716 in 4. Atheiſmum haud ſemel Carteſio obiectum, conſtat; dixique hac de re in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtitione c. I.* ad §. *XXV. p. 152. ſeqq.* Reſuſcitata eſt haec controuerſia noſtra aetate inter IO. REGIVM & RVARDVM ANDALAM, genuinae philoſophiae Carteſianae ſtatorem & vindicem. Ediderat REGIVS tractatum, inſcriptum: *Carteſius Spinozae praelucens*, cui cum ANDALA ſe oppoſuiſſet, REGIVS iterum edidit: *Carteſium verum Spinoziſmi architectum,* Franequerae 1719 in 8. ANDALA denuo cauſſam ſuam tuente, in *Carteſio, vero Spinoziſmi euerſore, & phyſicae experimentalis architecto*; Franequerae 1719 in 4. Licet autem tam ſtrenue pro Carteſio pugnet, non tamen negat, ex ſchola Carteſiana prodiiſſe, qui atheiſmi rei ſunt, quamuis eos non tam *pſeudo-Carteſianos,* quam *clandeſtinos philoſophiae Carteſianae hoſtes,* dici velit. Nimirum in *examine ethicae Geulingii*, Franequerae an. 1716 edito, non tantum ARNOLDVM GEVLINGIVM ipſum, ſed in praefatione quoque, praeter BENEDICTVM DE SPINOZA, BVRCHERVM DE VOLDER, in hanc claſſem refert, immo nec de ISAACO NEVTONO, GEORG. GVIL. LEIBNITIO, IO. LOCKIO, & IO. CLERICO adeo praeclare ſentit, quod in quibusdam a Carteſio diſceſſerint. Neque eſt, vt hoc adeo aegre ferat, cum hodie nimis euidens ſit, eclecticam philoſophandi rationem ſectariae praeferendam; vnde & paucos fere inueniet, qui in omnibus cum Carteſio faciant. Licet vero hinc etiam, quaenam hodie ſit philoſophiae facies, intelligere. Ariſtotelico-ſcholaſtica vbiuis fere proſcripta, niſi quod hinc inde apud romanenſes regnet. Nec illorum, qui cum RVARDO ANDALA in Carteſii verba iurarunt, adeo magnus numerus eſt. Plerique eclectici ſunt. Ob ſingulares autem quasdam opiniones prae reliquis celebrantur: MALEBRANCHIVS, PETRVS POIRET, IO. LOCKIVS, quem IO. CLERICVS in plerisque ſequitur, PET. BAELIVS, GOTTFR. GVIL. LEIBNITIVS, cuius veſtigia CHRIST. WOLFIVS premit. Ex his priores duo, eiusmodi principia, quae enthuſiaſmo faueant, LOCKIVS & CLERICVS talia, quae rationaliſmo (voce in ſignificatione theologica accepta) patrocinentur, BAELIVS & LEIBNITIVS, quae ad fataliſmum ducant, fouere, creduntur. Sed haec, & reliqua, quae ſunt eiusdem generis, vlterius proſequi, huius loci non eſt.

Atque ita praecipua hiſtoriae philoſophicae momenta, atque fontes, ex quibus hauriri debeat, indicauimus. Vt rite & feliciter in ea verſemur, ſequentia obſeruare, haud abs re fuerit. Cum varia in illa occurrant notatu digna, ad ipſa tamen dogmata praecipue eſt reſpiciendum. Quare, qui haec quam diligentiſſime exponunt,

ſione idearum, errorum variorum matre, euitata, proponenda, plurimum facere, nemo, niſi iſtarum rerum plane ignarus, negauerit. *

* De philoſophia, eiusque aut neceſſitate, aut in theologia vſu, non vna omnium ſemper fuit ſententia. Inter veteres eccleſiae doctores TERTVLLIANVS non adeo praeclare de ea ſentire videtur, ſiquidem philoſophos *haereticorum patriarchas* vocauit, de quo illius effato peculiares ERN. SAL. CYPRIANI, & B. ADAMI RECHENBERGII exſtant diſſertationes. De HIERONYMO, aliisque, qui itidem, philoſophiae cum religione chriſtiana non conuenire, exiſtimarunt, alibi dicemus. Cum beatus MART. LVTHERVS circa reformationis eccleſiae initium ineptias philoſophiae ſcholaſticae conſideraret, erroresque, ex Ariſtotelica quoque philoſophia ortos, perpenderet; temperare ſibi non potuit, quin omnem philoſophiam proſcriberet & damnaret. Quo nomine & paſſim apud romanenſes male audit, atque inter hoſtes philoſophiae numeratur. Qui vero cauſſas, quae LVTHERVM, vt eo vsque progrederetur, induxerunt, rite ponderauerit; facile videbit, hoc ei vitio verti non poſſe. Praeterea, quod de ethica Ariſtotelis dixit, eam inimicam eſſe gratiae diuinae, atque fouendis Pelagianorum erroribus plane adcommodatam, longe veriſſimum certiſſimumque eſt, &, niſi ab harum rerum plane ignaris, negari nequit; vt alibi ex inſtituto oſtenditur. In controuerſiis deinceps, quae Luthero cum fanaticis interceſſerunt, vir beatus intellexit, philoſophiae vſu nos carere non poſſe; vnde, accedentibus forte & aliis cauſſis, aliter ſentire coepit, eamque iterum commendauit. Rem omnem adcurate expoſuit CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, in *actis philoſoph. part. X. num. III. p. 579. ſeqq.* conf. & IO. HERM. AB. ELSWICH, *de varia Ariſtotelis in ſcholis proteſtantium fortuna, §. VIII. ſeqq.* Ad Lutheri deinceps auctoritatem prouocauit DAN. HOFFMANNVS, qui, cum ipſemet philoſophiam magno in honore habuiſſet, deinceps eam, ceu opus carnis, & ſacris litteris contrarium, damnare coepit, ſuffragantes ſibi habens IO. ANGELVM WERDENHAGENIVM, & IO. MVLLERVM, aliosque. Acriter tum in academia Helmſtadienſi, alibique, hac ſuper re dimicatum fuit. Inter ſcripta vero, quibus pro philoſophia, eiusque vſu, pugnabatur, eminent ALB. GRAVERI liber de *vnica veritate*, & IAC. MARTINI *ſpeculum rationis*, lingua germanica conſcriptum. Hiſtoriam huius certaminis praeter alios refert IO. HERM. AB ELSWICH, *de varia Ariſtotelis in ſcholis proteſtantium fortuna, §. XXVII. ſeqq. p. 76. ſeqq.* conf. & IO. GE. WALCHII *hiſtoria logicae, lib. III. c. II. §. VI.* in *parergis* eius *academicis, p. 846.* Non procul ab his, qui philoſophiam omnem reiiciunt, abſunt, qui *philoſophiam* quamdam *chriſtianam* introducere voluerunt. Aut enim vtrumque lumen, rationis & reuelationis, turpiter confundunt, aut, dum omnia ex reuelatione deriuare volunt, quae ad forum rationis ſpectant, reuera omnem philoſophiae vſum tollunt. Ex inſtituto contra eos diſputat CHRIST. THOMASIVS, in *introductione ad philoſophiam aulicam, c. II. §. XL. ſeqq. p. 61. ſeqq.* Qui rationem, ſeu philoſophiam, cum reuelatione, ſeu ſcriptura ſacra, ita committunt, vt altera alteri plane repugnet; alterutram reiicere, neceſſe eſt. Admittere enim ceteroquin deberent, contradictoria ſecum conſiſtere poſſe, quod omnium confeſſione abſonum. Qui ergo ex hisce rationem non reiiciunt, ſcripturam, ſeu reuelationem, reiicere, patet. Eamque ſi PETRO BAELIO tribuamus ſententiam, nullam ei faciemus iniuriam. Dum enim ſemper rationem reuelationi opponit; id eum agere, vt, reiecta ratione & philo-

ſophia, ſolam obtinere reuelationem, velit, nemo temere ſibi perſuadebit. Recte vero in hacce quidem cauſſa contra eum diſputat G. G. LEIBNITIVS, in *diſcurſu de conformitate fidei & rationis*, quem *tentamini* ſuo *Theodiceae* praemiſit. Idem argumentum & alii tractarunt, cumprimis PET. DAN. HVETIVS, in *quaeſtionibus Alnetanis de concordia rationis & fidei;* in quibus tamen nonnulli forte plus ingenii, quam iudicii, deprehendent. In tota hacce quaeſtione, de philoſophiae ac theologiae conſenſu ac diſſenſu, duo ſedulo obſeruanda ſunt. Primum quidem, philoſophiam in ſe ſpectandam eſſe, prout rectae rationis ſcitis nititur, non autem, prout in hac aut illa ſecta deprehenditur; tum vero, eam, ſi cum theologia conſentire debet, intra terminos limiteſque, quos ratio ipſa praeſcribit, eſſe coërcendam. Prius parum penſi habent, qui aut Platonicam, aut Ariſtotelicam, aut aliam quamdam philoſophiam, cum ſcriptura ſacra conciliare volunt, ſique aliter finem ſuum conſequi nequeunt, aut philoſophorum, aut ſcripturae ſacrae mentem corrumpunt. Syncretiſmus huc ille philoſophicus pertinet, quem iam, ceu noxium, & ad veritatem deprauandam prorſus comparatum, ad §. *praecedentem* proſcripſimus; ex inſtituto autem de eo diximus, remque omnem exemplis illuſtrauimus, in *obſeruationibus de ſyncretiſmo philoſophico, tom. III. obſ. XII. ſeqq. p. 218. ſeqq.* Poſterius illi negligunt, qui rationis & philoſophiae regnum eo vsque dilatant, vt theologiam ac ſcripturam ſacram ei prorſus ſubiiciant, nihil admiſſuri, quod cum rationis decretis non conuenit. Quo ipſo dum rationis ac philoſophiae imperium ſtabilire volunt; ſubinde eorum, quae ratio ipſa docet, ſe plane immemores demonſtrant. Exemplum praebent BENEDICTVS DE SPINOZA, in *tractatu*, quem vocat, *theologico-politico de libertate philoſophandi;* IO. TOLANDVS, in libro, quo *chriſtianam diſciplinam myſterii* eſſe *expertem*, probare voluit; ANT. COLLINVS, in *diſcurſu de libertate cogitandi*, aliique, eo vsque abrepti, vt ea, quae ratio ipſa praeſcribit, in minimis ponant. Rationi vero etiam plus, quam decet, tribuunt Sociniani, & qui ex IAC. ARMINII ſchola prodierunt, omnes denique, qui hodie rationaliſtarum, & latitudinariorum nomine veniunt, quos omnes commemorare, nimis longum foret. Cum Carteſiana philoſophia caput erigeret, ab eius aduerſariis ſubinde illi obiectum fuit, quod per eam, quae ex reuelatione innoteſcunt, labefactarentur. Praeter alios hoc euincere voluit. SAM. MARESIVS, *de abuſu philoſophiae Carteſianae ſurrepente & vitando in rebus theologicis & fidei.* Interim magnam ſcholae Carteſianae inuidiam conflauit auctor *exercitationis paradoxae: philoſophia ſcripturae interpres;* quem LVD. MEIERVM, medicum Amſtelodamenſem, fuiſſe, poſtea innotuit; cui non tantum GISB. VOETIVS, SAM. MARESIVS, aliique Carteſianae philoſophiae oppugnatores, ſed ex ipſis etiam eius propugnatoribus, ad adprobatae ſententiae profanae ſuſpicionem a ſe amoliendam, ABR. HEIDANVS, CHRISTOPH. WITTICHIVS, FRANC. BVRMANNVS, PET. ALLINGA, & alii, ſeſe oppoſuerunt, ſeque iſta paradoxae exercitationis aſſerta neutiquam probare, teſtati ſunt. Dum vero etiam LVD. WOLZOGENIVS huic certamini acceſſit, rem neutiquam ſerio contra auctorem exercitationis paradoxae egiſſe, viſus eſt; caſtigatus ideo a IO. VAN DER WAYEN. Legendi, qui haec fuſius enarrant, MELCH. LEYDECKERVS, in *continuat. hiſt. eccleſiaſt. Ge. Hornii, art. I, p. 8. ſeqq.* HENR. LVDOLPHVS BENTHEMIVS, in *dem hollaendiſchen Kirchen-vnd Schulen-Staat, part. II. c. II. §. V. p. 60. ſeqq.* IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, in *Manichaeiſmo ante Manichaeos, ſect. III. §. XII, p. 159.*

p.359. Vtrumque itaque hocce extremum, & eorum, qui philoſophiam plane reiiciunt, & eorum, qui eius limites vltra, quam decet, proferunt, caute euitare noſtrates docent, qui de vſu & abuſu philoſophiae praecipiunt, vt beatus IO. GERHARDVS, in *methodo ſtudii theologici, part. II. ſect. II. c. I. & II. p. 93. ſeqq.* itemque IO. MVSAEVS, *de vſu principiorum rationis & philoſophiae in controuerſiis theologicis.* Huc & comparata eſt BALTH. MEISNERI *philoſophia ſobria*, quippe in qua legitimum philoſophiae vſum demonſtrare voluit; qui & de ipſa hacce quaeſtione ſtatim circa initium ex inſtituto agit. Atque ex hiſce auctoribus, quem in ſingulis theologiae partibus philoſophia vſum habeat, cognoſcere licet; quod & aliunde ſatis conſtat.

§. XXIV. Vt caute, & recto tramite, hic incedamus, ſequentes obſeruare iuuabit regulas: vtilia & profutura vbique conſectanda ſunt, nec vanis inanibusque inhaerendum ſpeculationibus; * ex ipſa naturae conſideratione ſapere, hoc demum eſt philoſophari; ** naturae interpretes ſeu philoſophi, ita audiendi, vt nullius in verba iuremus, ſed, cunctis adcurate conſideratis ponderatisque, retineamus, quae veritati maxime conſentanea deprehendimus; *** recentiores ita conſulendi, ne contemnamus veteres; * non ſtatim id pro optimo habendum eſt ſyſtemate, in quo cuncta bene cohaerent, ſed quod phaenomenis praecipuis explicandis ſufficit, dubiaque non ſecat, ſed ſoluit; ** falluntur, qui, omnium omnino rerum ſe reddere poſſe rationem, exiſtimant, &, eiusmodi ſyſtema ſe inueniſſe, iactitant, in quo rationi nihil ignotum aut imperuium relinquatur; *** cauendum, ne rationi plus, aut minus, quam decet, tribuamus; * de ſententia philoſophi cuiusdam tum demum iudicandum, ſi integrum eius ſyſtema perſpectum habeamus; ** notiones vnius diſciplinae caute ad aliam ſunt transferendae. ***

* Scholaſtici doctores hoc nomine male audiunt, & merito quidem, quod ſubtilibus quidem, ſed vanis, inanibus, ludicris ſpeculationibus, & theologiam, & philoſophiam conſpurcauerint. Nec ſine ratione cum aranearum telis illorum philoſophia comparatur, in quibus ſubtilitatem admirantur omnes, vtilitatem nemo inuenit. Reiecta itaque merito a ſapientioribus fuit, atque exploſa. Eo magis vero mirandum, exſtitiſſe noſtra aetate viros doctos, qui, contemplationibus ſuis metaphyſico-mathematicis plus, quam decebat, indulgendo, eamdem poſtliminio reductam voluerunt philoſophandi rationem. Quos quidem vt ſuo facile abundare patior ſenſu; ita mihi illi demum ſapere videntur, qui, quid ad veram hominum felicitatem, tum quae huius, tum quae futurae vitae eſt, proſit, quaerunt, & ad eam adquirendam, omnem veritatis inueſtigationem, omnemque philoſophiam comparatam eſſe volunt. Sapientiae pulchriorem, quam ingenii ſubtilis, laudem eſſe, arbitror, praeſertim, ſi hoc in ea incidat, quae vſu carent.

** Supra hoc iam inculcatum, cum duplicem omnis verae eruditionis fontem conſtitueremus, *librum naturae*, & *librum ſcripturae*. Repetendum vero hic fuit, quod liber naturae, tum generatim ſpectatae, tum ſpeciatim humanae, praecipua

 qua-

quadam ratione ad philoſophiam referatur, immo omnem velut materiam philoſopho ſuppeditet. Ex ſolis autem aliorum qui ſapit libris, cognoſcit equidem, quaenam aliorum ſint opiniones, ipſam rerum naturam perſpectam non habet. Iam vero in rerum ipſarum, non opinionum aut ſententiarum, notitia, veram & eruditionem, & philoſophiam conſiſtere, notum eſt. Idque de omnibus philoſophiae intelligendum eſt partibus, phyſica, ethica, logica, ceteriſque. Namque qui intellectus humani, & voluntatis, & adfectuum indolem ex naturae humanae conſideratione didicit, is demum & in logica, & in ethica rite proficiet. Nec curioſa multum hic conquirenda ſunt experimenta, aut longinquae ſuſcipiendae peregrinationes, cum in iis, quae quotidie omnibus hominibus ſe offerunt, largiſſima optimarum obſeruationum ſeſe offerat ſeges.

*** Cum nemo mortalium id ſibi tribuere queat, quod errori non ſit obnoxius; experientia quoque docuerit, nullum vmquam exſtitiſſe philoſophum, quantumuis & ingenio & doctrina praeſtantem, qui non ſubinde grauiter lapſus ſit; ſtolidum prorſus atque ineptum foret, vnius ita ſe tradere auctoritati, vt nihil aliud aut verum, aut falſum eſſe, exiſtimemus, quam quod ille, tale eſſe, iudicauerit. Omni prorſus libertate, immo omni rationis vſu, ſe ipſi priuant, qui iſtud faciunt. Indigni denique ſunt philoſophorum nomine; cum omnis illorum cognitio non euidenti rerum demonſtratione, ſed auctoritate eius, quem ſequuntur, nitatur. Quae cum ita ſint, non temere quiſquam erit, qui non, rationibus omnibus probe ſubductis, tandem agniturus ſit, eclecticam philoſophandi rationem ſectariae multum praeferendam eſſe; quam adeo praeſtantiſſimi quique philoſophi ſemper ſunt ſequuti. Pluribus, quod dixi, euincunt ediſſeruntque IO. CHRISTOPH. STVRMIVS, in *exercitat. de philoſophia ſectaria & electiua*, itemque, de *auctoritate interpretum naturae*, quae in *philoſophia* eius *electiua*, cum aliis diſſertationibus an. 1698 in 8. editae ſunt; itemque ARNOLDVS WESENFELDIVS, in *diſſertationibus quatuor de philoſophia ſectaria & electiua*, Francofurti 1694 in 4. Hiſtoriam vero philoſophiae eclecticae a GOTTFR. OLEARIO, in *diſſert. de philoſophia eclectica*, exhiberi, iam ad *§. praecedentem* obſeruauimus.

* Licet enim veteres non ſemper rem acu tetigerint, multo minus caecum aliquod obſequium promereantur; ſaepe tamen talia proferunt, quae minime ſunt contemnenda, & quibus meliora a recentioribus tradita non ſunt, vel tradi poſſunt. Accedit, quod, qui recentiorum tantum delectantur ſcriptis, ſaepe in eam deducantur opinionem, plane noui quid a recentioribus excogitatum aut inuentum eſſe, cum tamen idem veteribus iamdudum cognitum fuerit atque perſpectum. Quo ipſo ſuam turpiter produnt inſcitiam. Conſtitutum itaque haud ſine ratione ABR. GRAVIO, tum in *hiſtoria philoſophica*, tum in *ſpecimine philoſophiae veteris*, *in qua nouae quaedam oſtenduntur*, fuit, demonſtrare, ea, de quibus diſputandi CARTESII philoſophia, recentiori aetate, occaſionem dedit, veteribus minime fuiſſe ignota. De vtroque hocce libro iam ad §. *praecedentem* dictum. Ita ergo plane arbitror, veteres non niſi ab iis contemni, qui illos numquam legerunt. Diſſenſum autem a veteribus nemo contemtum interpretari debet.

** Qui adcurate philoſophari volunt, ſolent de principio quodam eſſe ſolliciti, ex quo concluſiones, quo vſque ambitus iſtius principii patet, rite deriuentur. Et eiuſmodi quidem concluſionum cum principio connexionem *ſyſtema* vocant. Cumprimis itaque eiuſmodi ſyſtemata ita comparata eſſe debent, vt omnia, quae in eo occur-

occurrunt, phaenomena, ſecundum principia, quae adſumſerunt, euidenter explicari queant. Id vero eſt, ad quod non omnes attendunt. Plerique in eo ſubſiſtunt, ſi ſyſtema, quod excogitarunt, rite cohaereat, aut connectatur. Quodſi phaenomena, quae occurrunt, ſecundum iſtud ſyſtema ſuum explicare nequeant, ea omnino negare, aut vocare in dubium, immo interdum euidentiſſima quaeque impugnare non dubitant, ne ſyſtema, quod ſibi tantopere placet, deſerere cogantur. CARTESII ſyſtema ſatis apte cohaerere, nemo negauerit. At, qui exiſtimauerit, per illud omnia naturae phaenomena explicari poſſe, magnopere errauerit. Conſideret tantum, qui eius rei periculum facere cupit, an generatio hominis per illud luculenter poſſit explicari? Non poſſe, viderunt viri acutiſſimi, qui naturam plaſticam, aut ſimile quid in ſubſidium vocarunt. Actiones & operationes brutorum aliud argumentum praebeat. Interim audacter bruta in meras machinas commutanda potius erant, quam vt ſyſtematis imperfectio agnoſceretur. Noſtra aetate viri quidam docti *ſyſtema dynamiſticum* amplexi ſunt, in quo ipſi materiae vis quaedam agendi tribuitur. Si oſtendatur, hoc fauere atheis; parum hoc curant, ne noui inuenti gloria priuentur. Et ita in reliquis ſeſe res habet.

*** Laudandi ſunt citra controuerſiam, qui eorum inuenire rationes adlaborant, quorum ratio reddi poteſt. At, non minus falluntur, qui, omnium rerum & effectuum naturalium inueniri rationes poſſe, ſibi perſuadent. Dantur enim etiam myſteria naturae. Animam hominis, ceu ſpiritum, agere in corpus, & viciſſim a corpore adfici, negari nequit, etſi modum, quo hoc fiat, nemo explicare valeat. Vnde hactenus *ſyſtema*, quod vocatur, *influxus*, recte retinetur. Diſplicet tamen illud nonnullis, non aliam ob cauſſam, quam, quod nihil admittere volunt, cuius reddere rationem nequeant; hinc alii ad *ſyſtema cauſſarum occaſionalium*, alii ad *ſyſtema harmoniae praeſtabilitae*, ſeſe recipiunt; cum tamen vtrumque longe maioribus obnoxium ſit difficultatibus. Legenda, quae hac de recte monet IO. GE. WALCHIVS, in *den Gedancken vom philoſophiſchen Naturell, c. III. §. VI. p. 112. ſeqq.*

* Si enim plus, quam decet, ei tribuamus, reuelatio diuina tandem pedibus conculcabitur, omnisque philoſophia noſtra in *rationaliſmum* ac *naturaliſmum* abibit; ſin minus, quam decet, facile in *fanaticiſmum* ac *enthuſiaſmum* degenerabit. Prioris exemplum IO. LOCKIVS exhibet, in cuius philoſophia quaenam deſideranda ſint, in compendio PET. POIRETVS indicat, in *operibus poſthumis, ſect. V. p. 172. ſeqq.* poſterioris ipſemet POIRETVS, cuius ſententiam tum ex aliis eius ſcriptis, tum ſummatim ex *vera* eius *methodo inueniendi verum*, tribus eius libris, *de eruditione ſolida, ſuperficiaria, & falſa*, adiecta, intelligere licet. Regulas vero eius, in quibus methodum inueniendi verum conſtituit, ſub examen reuocauit, easque ad enthuſiaſmum ac fanaticiſmum ducere, probauit CHRIST. THOMASIVS, in *praefatione*, ſeu *diſſertatione praeliminari* altera, quam POIRETI *libris tribus de eruditione ſolida, ſuperficiaria, & falſa*, praemiſit. Conferenda tamen, quae iterum regeſſit POIRETVS, in *operibus poſthumis, ſect. I. p. 94. ſeqq.* vbi id agit, vt lectori perſuadeat, ſe *non reiicere rationis vſum*, ſed tantum *moderare*.

** Veroſimile enim, philoſophum ea ſemper docere, quae ſyſtemati ſuo ſunt conformia. Non ſemper tamen hoc procedere, adeoque caute admodum hic incedendum, iam ad §. *praecedentem* monuimus.

*** Saepe nimirum contingit, vt, ſi quis

quis arte quadam aut ſcientia imbutus ad philoſophandum accedat, notiones animo ſemel impreſſas deponere nequeat; quas ſi deinceps ad res alias, quibus non conueniunt, transferat, non poteſt non multiplex inde oriri errorum occaſio. Muſicum quemdam, refert TVLLIVS, cum ad philoſophiam animum adiunxiſſet, cuncta ex harmonia deducere voluiſſe; meminique quemdam, eidem arti addictum, noſtra exſtitiſſe aetate, qui eadem ratione controuerſias inter noſtrae & reformatae eccleſiae addictos componere voluit. Mathematicis ſaepe hoc contingit, vt, dum, & methodum mathematicam, & notiones, huic ſcientiae proprias, in aliis quoque eruditionis partibus locum inuenire, ſibi perſuadent, in vana atque inania incidant commenta, aut omnino in errores grauiſſimos praecipites ruant. Scio, quemdam ex arithmetica, alium ex ſtathmica cuncta deriuare voluiſſe, eo euentu, vt omnium ludibrio ſe exponerent. Habent quaelibet artes & ſcientiae ſua obiecta, quae cum aliis non ſunt confundenda, hinc & notionibus ac ideis, iis propriis, adcurate inhaerendum. Lucem quamdam hic dabunt, quae monui in *theſibus philoſophicis de notionum moralium ac ciuilium ad alias diſciplinas translatione caute inſtituenda*, in *ſyntagmate diſſ. theol. p. 525. ſeqq.*

§. XXV. Ad ſingulas philoſophiae partes ſi deſcendamus, primum ſe nobis offert *inſtrumentalis*, inque ea *logica* ſpeciatim ſic dicta. Haec vero, cum ad veritatem inueniendam viam pandat, eamque ab erroribus diſcernere doceat; quis dubitet, theologiae cultori eam eſſe neceſſariam, ſiquidem longe maioris momenti eſt, in rebus, ad ſalutem aeternam ſpectantibus, a recto non aberrare tramite, quam in reliquis omnibus. Quod, vt generatim de logica longe eſt certiſſimum, ita ſpeciatim in recentiorum commentationibus logicis nonnulla occurrunt, quae haud perfunctorie perſpecta habere, illorum intereſt, qui ad theologiam cuncta referunt. *

* Rem fere ſuperuacaneam facerem, ſi logicae in theologia non tam vtilitatem inſignem, quam neceſſitatem, demonſtrare vellem. Nemo enim, niſi rerum omnium imperitus, de ea dubitare poteſt. Si namque logica ars eſt, inueſtigandi inueniendique veritatem; quis putet, theologum ea carere poſſe, qui totus in eo eſt, vt verum a falſo diſcernat? Si ratione vti recte docet, quis, quaeſo, cautius & circumſpectius ratione vti debet, quam theologus? Si intellectus vitiis medetur, quem de intellectu ſuo, ne in maximi momenti rebus decipiatur, emendando, magis ſollicitum eſſe decet, quam theologum? Sed, quod in theologia aeque ac reliquis eruditionis diuinae humanaeque partibus nemo ſine logicae praeſidio rite proficere queat; id quidem apud omnes ſana mente praeditos poſitum eſt extra controuerſiam. In eo autem quam plurimi errant, quod logicam ſcholae tantum, non autem vitae, inſeruire, velint; cum tamen in vitae quotidianae commerciis non minus, quam in diſputationibus, aliisque exercitationibus ſcholaſticis, aut, quae eruditis propriae ſunt, homines ratione ſua recte vti debeant. Hinc ſaepe contingit, vt viri eruditiſſimi, qui in ſchola maximum ingenii acumen oſtendunt, cum ad huius vitae negotia accedunt, adeo ratione ſua vti neſciant, vt omni interdum vi intellectus deſtitui videantur. Sed haec ἐν παρόδῳ. Hiſtoriae logices inſeruiunt PET. RAMI *ſcholae dialecticae*, praeſertim ex *libris viginti* primus; BARTHOL. KECKERMANNI

liber *de logica*, qui in opere eius *de artium & ſcientiarum natura ac conſtitutione* quartus eſt, praeſertim *c. VIII. tom. III.* operum *p. 212. ſeqq.* PET. GASSENDI *libri duo de logicae origine & varietate*, qui partem primam *ſyntagmatis* eius *philoſophici* ſpectant, & *tom. I.* operum eius leguntur, ERN. RAPINI *reflexions ſur la logique &c.* Nonnulla & ipſe delibaui in *praefatione*, quam *artis cogitandi* editioni, quae Halae 1704 prodiit, praemiſi. Omnium autem diligentiam ſuperauit IO. GE. WALCHIVS, in *hiſtoria logicae*, quae in *parergis* eius *academicis*, an. 1721 editis, exſtat, vbi & reliquos, qui in hocce argumento ingenii vires periclitati ſunt, laudat.

De origine, primoque logicae inuentore multa viri docti diſputant; plerique autem vana nobis inaniaque commenta narrant, dum de Adami, Noachi, aliorumque patriarcharum, aut gentium barbararum, logica multum differunt, vſum rationis, quem nonnulli *logicam naturalem* vocant, a recte ratiocinandi praeceptis, ſeu *logica*, quam vocant, *artificiali* plerumque non ſatis diſtinguentes. Apud Graecos primos logicae natales quaerendos, dubio caret; apud quos licet diuerſi ſint, quibus haecce gloria vindicatur, plerique tamen pro ZENONE Eleate pugnant, quem dialecticam inueniſſe auctor eſt ARISTOTELES, apud DIOGENEM LAERTIVM, *lib. IX. ſect. XXV.* confirmante hanc ſententiam ipſomet DIOGENE, in *prooem. ſect. XVIII.* ſuffragantibus PET. RAMO, in *ſcholis dialect. lib. I. c. III.* PET. GASSENDO, de *origine & varietate logices c. I.* GERH. IO. VOSSIO, *de natura & conſtitut. artium & ſcientiarum, lib. IV.* ſiue *de logica. c. VIII. §. I.* Primas ergo lineas artis huius cum duxiſſet ZENO; ſenſim deinceps incrementa ſumſit, donec opera ARISTOTELIS ad pleniorem ſyſtematis faciem exſurgeret. Hic enim, vt de reliquis philoſophiae partibus, ita & de logica praeclare meritus eſt, quod plurima eius ſcripta teſtantur; ex quibus cum nonnulla deperdita ſint, ſequentia ad nos peruenerunt: κατηγορίαι *categoriae* ſiue *praedicamenta*; ita enim, non vero περὶ κατηγοριῶν hunc librum dicendum, viris doctis obſeruatum eſt; περὶ ἑρμηνείας, *de interpretatione*, nominum ſcilicet ac verborum, adeoque & enuntiationum vi ac ſignificatione; ἀναλυτικῶν προτέρων βιβλία β', ὑστέρων βιβλία β' *analyticorum priorum libri duo*, itemque *analyticorum poſteriorum libri duo*; quorum priores de ſyllogiſmo, poſteriores de demonſtratione praecipiunt; τοπικῶν βιβλία η' *de locis*, vnde argumenta probabilia petuntur, *libri octo*; περὶ σοφιστικῶν ἐλέγχων βιβλία β' *de ſophiſticis elenchis* ſiue argumentationibus *libri duo*. Atque haec quidem Stagiritae ſcripta logica iunctim edita *organi* nomine veniunt, eo, quod dialecticam ὄργανον ὀργάνων, *inſtrumentum inſtrumentorum*, ab eo adpellatam, conſtat, ſoletque illi praefigi PORPHYRII *iſagoge in categorias*. De quibusdam inter hosce libros diſputatur equidem, an Ariſtotelis ſint? ſed hodie inter viros doctos fere conuenit, eos omnino genuinos eſſe. At eum in finem ab Ariſtotele conſcriptos, vt hocce ordine, quo in organo comparent, diſpoſiti, integrum logicae ſyſtema exhiberent, quod plurimi ſibi perſuadent, perperam adſeritur; licet non deſint, qui ordinis huius ac diſpoſitionis rationem commenti ſint. Eos, qui ex veteribus ſingulos hosce libros commentariis, aut adnotationibus, illuſtrant; laudat IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. III. c. VI. p. 209. ſeqq.* Ex *organi* editionibus graecolatinis optima eſt, quae ex IVLII PACII a Beriga recenſione, cum eius verſione & ſcholiis Francofurti an. 1598, 8. prodiit. Recentiorum, qui in organon ſcripſerunt, ingens eſt numerus; nec operae pretium omnes noſſe. *Commentarios*, inquit IOAN.

mnes noſſe. *Commentarios*, inquit IOAN. ALB. FABRICIVS, *recentium ſcriptorum in organon, & logicae peripateticae ſcriptores enumerare, difficile fuerit, & plenum taedii, vt ſi quis telas aranearum percenſere adgrediatur; biblioth. graec. lib. III. c. VI. p. 117.* Idem ſimul recte obſeruat, in editionibus quibusdam operum Ariſtotelis, vt Du Valliana, itemque ab ANT. POSSEVINO, aliisque, plerosque, etſi nec diſtincte nec adcurate ſatis, enumerari; laudat hinc praecipuos, vt IAC. FABRVM, FRANC. TOLETVM, collegium Conimbricenſe, IAC. SCHEGKIVM, reliquos. Iam ſi de ipſa Ariſtotelis logica iudicium ſit ferendum, nonnulla in ea recte tradi, meritoque retineri, nemo temere negauerit; nec tamen deeſſe, quae iure in ea deſiderentur, viri docti dudum oſtenderunt. In compendio ea exhibet IO. GE. WALCHIVS, in *hiſtor. logicae lib. II. c. I. ſect. I. §. VIII. p. 529. ſeqq.* Iungenda &, quae contra logicam peripateticam diſputat PET. GASSENDVS, in *exercitationibus paradoxicis aduerſus Ariſtoteleos, exercitat. V. ſeqq. p. m. 100. ſeqq.* De logica Platonicorum, Stoicorum, Epicureorum, aliorumque philoſophorum, nihil addo, cum omnia, quae de hiſce dici poſſunt, ſummo ſtudio exhauſerit IO. GE. WALCHIVS, *l. c. §. II. ſeqq.* itemque §. *XI. ſeqq.* qui & ibidem de interpretibus Ariſtotelis, tum graecis, tum latinis, itemque de logica GALENI & PORPHYRII verba fecit, §. *XXII. ſeqq.*

Apud Romanos cum reliquis philoſophiae partibus logicam quoque cultam fuiſſe non eſt, quod dubitemus; VARRONEM autem primum fuiſſe, qui latino ſermone logicam conſcriberet, ſine fundamento dicitur. Nec rectius de CICERONE id adſeritur; niſi *topica* eius huc referre velis, in quibus dialecticam quamdam exhibet; quae tamen ad vſum eloquentiae prorſus ſunt comparata. Ex ſcriptis vero TVLLII *dialecticam Ciceronianam* congeſſit ADAMVS BVRSIVS. Id ex CICERONE pariter ac A. GELLIO conſtat, Stoicorum logicam Romanis maxime placuiſſe, quorum & ceteroquin plurimi apud eos fiebat philoſophia. Legenda FRID. RAPPOLTI diſſertatio de *logica Gelliana.* Hinc & iure conſulti Romani Stoicorum philoſophiam, ſpeciatim dialecticam, maxime ſequebantur; quod inter ſiniſtra iurisprudentiae Romanae fata refert IO. SCHILTERVS, in *praxi artis analyt. in iure, p. 14.* Iam ad chriſtianos ſi transeamus, veteris eccleſiae doctoribus dialectica Ariſtotelis maxime inuiſa erat, eo, quod haeretici quidam eadem ad impugnandam veritatem abuterentur. Plerique etiam re ipſa oſtendebant, ſe artis recte ratiocinandi non adeo peritos eſſe. Vnde colligere licet, eos non adeo magnum logicae ſtatuiſſe pretium. Inter AVGVSTINI equidem opera exſtant duo libelli, alter: *principia dialecticae,* alter, *categoriae decem ex Ariſtotele decerptae*, dictus; ſed vtrumque perperam Hipponenſium huic praeſuli tribui, viri docti dudum iudicarunt; conf. GVIL. CAVE, in *hiſtor. litter. ſcriptor. eccleſ. ſec. IV. p. 170.* IOANNEM verò DAMASCENVM dialecticam ſcripſiſſe, conſtat, quam inter opera eius iunctim edita primo collocauit loco MICH. LE QVIEN, qui & in *praefatione* ad eamdem praeclare admodum de ea ſentit. *Sed & ipſa*, inquit, *noſtri auctoris dialectica tanti momenti eſſe videtur, vt adfirmare non dubitem, eum, qui illam legere contemſerit, nedum in Damaſceni, ſed in aliorum quoque orientalis eccleſiae magiſtrorum theologia hoſpitem prorſus fore. In ea quippe, tametſi vel pluſculum fortaſſis prolixa videatur, expoſitionem colligit vocum omnium, quas ſancti patres graeci, ſiue diſputando aduerſum haereticos, ſiue apud catholicos fidei doctrinam enucleando, adhibuerunt; atque eas inſuper, quibus haeretici, gentilium philoſophorum placitis imbuti, in ſuam ſimpli-*

ſimpliciorumque perniciem abutebantur &c. Alii autem exiſtimant, philoſophiae cultores hacce DAMASCENI dialectica facile carere poſſe. Exſtiterunt deinceps inter Graecos MICHAEL PSELLVS, iunior, & GEORG. PACHYMERES, quorum ſcripta logica paſſim celebrantur. In eccleſia latina ANICIVS MANLIVS TORQVATVS SEVERINVS BOETHIVS, qui ſexto poſt Chriſtum natum ſaeculo ineunte vixit, vt Ariſtotelicam primum philoſophiam excitauit, ita ad logicam quoque eius viam variis commentationibus aperuit. Non tantum enim in Ariſtotelis *categorias*, librum *de interpretatione*, *analytica priora & poſteriora*, itemque in libros *topicorum* & *elenchorum ſophiſticorum* ſcripſit, ſed *introductionem* quoque *ad categoricos ſyllogiſmos*, & alia eiusdem generis compoſuit. Cum vero mox gentium barbararum incurſiones litterarum ſtudia in occidentali pariter ac orientali imperio obſcurarent, & denſa caligo orbem vniuerſum opprimeret; in Arabia ſaeculo octauo noua lux exorta eſt, cum litterarum, praecipue philoſophiae, ſtudium, ibi efflorеſceret. Prae reliquis autem Ariſtotelem auide arripuerunt; dumque in eius ſcripta logica inciderent, hancce philoſophiae partem ſibi cumprimis excolendam ſumſerunt, ſed ita, vt, ingenio ſuo nimis indulgentes, nec Stagiritae vbiuis aſſequentes mentem, vanis inanibusque commentis omnia contaminarent. Placuit haecce Ariſtotelico-arabica philoſophandi ratio multis etiam Iudaeis, in Africa atque Hiſpania degentibus, quorum nonnulli ex eo tempore illam ita ſequuti ſunt, vt ſcripta quoque logica Ariſtotelis in linguam ebraeam ſeu rabbinicam transferrent. Nonnulla hac de re dixi in *introductione ad hiſtor. philoſophiae Ebraeorum, p. 169.* Plenius autem logicae fata, tum apud Arabes, tum apud Iudaeos, indicatis ſimul, quae huc ſpectant, ſcriptis enarrat IO. GE. WALCHIVS, in *hiſtor. logicae lib. II. c. I. ſect. II. §. IV. ſeqq. p. 570. ſeqq.* Ex philoſophia Ariſtotelico-arabica cum ſua hauſerint ſcholaſtici; facile, qualis illorum logica fuerit, intelligitur. Nec enim vlla philoſophiae pars aptior erat, in qua ſubtiliſſimum ingenii acumen exercerent, quam logica. Hanc itaque nugis, ineptiis, logomachiis, quaeſtionibusque friuolis, mirum in modum impleuerunt. Cumque ad rationis vſum legitimum logica vera comparata eſſe debeat; in hacce ita ſe gerebant, vt omnem quandoque eiuraſſe rationis vſum videri queant. Latiſſimus mihi hic ſeſe aperiret campus, de IO. RVCELINO, ſiue ROSCELINO, PETRO ABAELARDO, ALBERTO magno, THOMA DE AQVINO, GVIL. OCCAMO, aliisque regni ſcholaſtici heroibus, eorumque ſcriptis logicis, dicendi; ſed, cum valde dubitem, an hodie quisquam ſit, qui hisce ſcholaſticorum deliciis delectetur, iis non immorabimur. Certamina *nominalium* ac *realium*, de vniuerſalibus, docent, quanta animorum contentione de rebus friuolis inter ſe concertauerint; ſed de his iam ad §. *praecedentem* dictum. Vitia logicae ſcholaſticae exhibet BARTHOL. KECKERMANNVS, *praecogn. log. tract. II. c. II. §. XL.*

Cum per bonarum litterarum reſtaurationem omnes philoſophiae partes meliorem faciem reciperent; nec deerant, qui in emendanda logica ſtudium operamque ſuam collocarent. Et nonnulli quidem id agebant, vt a ſcholaſticorum barbarie eam repurgarent, vt LAVRENT. VALLA, RVD. AGRICOLA, LVD. VIVES, MARIVS NIZOLIVS, aliique, quorum ſcripta huc ſpectantia, vti ſatis nota ſunt; ita iisdem recenſendis ſuperſedere poſſumus. Quae PETRVS RAMVS excitauit certamina philoſophica, ad logicam maxime ſpectabant. Sed de his iam ad §. *praecedentem* dictum, vbi auctores, qui philoſophiae Ramiſticae hiſtoriam tradunt, & ſcripta

 quo-

quoque huc ſpectantia recenſent, laudaui. Plurimi autem exſtiterunt, qui pro retinenda logica Ariſtotelica pugnarent; quamquam & inter hos quaedam intercedat diuerſitas. Non nulli namque ſcholaſticam doctrinam ſectati ſunt, ita, vt eam ex Ariſtotele, aliisque veterum, emendarent, illuſtrarent, & vſui magis attemperarent; alii contra, vni Ariſtoteli adhaerentes, veram genuinamque eius logicam reuocabant, eamque vnice admittendam, contendebant. Ad priorem claſſem PHIL. MELANCHTHON, IO. STVRMIVS, IAC. ZABARELLA, auctores *collegii Conimbricenſis*, aliique, referendi ſunt; ad poſteriorem autem prae reliquis BARTHOL. VIOTTVS, ob *libros quinque de demonſtratione*, recuſos Helmſtadii an. 1661 curante ANDR. FROELINGIO, & deinceps an. 1685 opera & ſtudio HENR. WIDEBVRGII; IO. BAPT. MONLORIVS, ob commentarios in *libros priorum analyticorum*, qui a philoſophiae peripateticae ſectatoribus magno in pretio habentur; MELCH. ZEIDLERVS, ob *analyſin poſteriorem*, ſiue *de variis ſciendi generibus & mediis, eo perueniendi, libros tres*; IO. NELDELIVS, ob librum *de vſu organi Ariſtotelici*; IVLIVS PACIVS, non tantum ob editionem *organi*, quam antea iam commendauimus, ſed & ob *inſtitutiones logicas*; MICH. PICCARTVS, ob *organon Ariſtotelicum in quaeſtiones & reſponſiones redactum*, aliique. Atque hi quidem omnes, licet in quibusdam a ſe inuicem diſſentirent, in eo tamen conueniebant, ſupra Ariſtotelem ſapere, fas non eſſe; idque adeo tantum agebant, vt nouam ſubinde lucem dictis Stagiritae adfunderent, ea luculentius proponerent, & quo pacto ad meliores vſus transferri poſſent, oſtenderent. Longe vero aliam viam ingreſſus eſt FRANC. BACO DE VERVLAMIO, in *nouo*, quod vocat, *organo*, an. 1620 primum edito, deinceps operibus eius, iunctim excuſis, inſerto. Ad inuentionem ſcilicet eorum, quae hactenus cognita & explorata non fuerant, in rebus praecipue naturalibus, hocce organon ſuum comparatum eſſe voluit, adeoque, reiecto ſyllogiſmo, qui huc parum faciat, inductionem potius commendauit, quae a ſingularibus gradatim procedat ad generalia. RENATVS quidem RAPINVS in nouo hocce organo praecipue reprehendit, quod *nimis metaphorice* conſcriptum ſit, nec bonae methodi in eo obſeruentur leges; *reflexions ſur la logique*, §. *VIII. tom. II. oper. p. 382.* quod nec ego negauerim. Fatendum tamen ſimul, multa obſeruatu digniſſima in eo occurrere. Cumprimis vero laudandus eſt VERVLAMIVS, quod primus doctrinam de *praeiudiciis exuendis* in logica tractauerit, cum per ea maximum cognoſcendae veritatis impedimentum exſiſtat. Per *idola* enim, quae vocat, *mentis*, & quorum, quatuor claſſes conſtituit, nihil aliud, quam praeiudicia intelligit. Quae autem paullo obſcurius hac de re dixit, clarius exponit PET. GASSENDVS, *de origine & variet. logicae, cap. X.*

VERVLAMIVM excepit RENATVS CARTESIVS, maiorique cum ſucceſſu nouam quamdam philoſophandi rationem introduxit. In logica hoc ei proprium, quod, primum per dubitationem vniuerſalem mentem ab omnibus erroribus ac praeiudicatis opinionibus purgari, voluerit, vt, ad veritatem capiendam aptior reddita, incipiendo a principio iſto: *cogito, ergo ſum*, inoffenſo deinceps pede in reliquis veritatibus inueſtigandis progredi poſſet. Peccaſſe tamen eum, quod de iis etiam dubitauerit, aut philoſophiae ſuae alumnos dubitare voluerit, de quibus ſine ſtultitia aut impietate dubitare non licet, dudum viris doctis obſeruatum eſt. Deinde, doctrinam de demonſtratione quatuor regulis complexus eſt, quarum prima eſt, quod nihil, ceu verum, admittere debeamus, quod non, certo & euidenter verum eſſe,

eſſe, cognoſcimus. De hiſce in diſſertatione *de methodo* agit, quemadmodum & in *meditationibus de prima philoſophia*, quae huc pertinent, attigit; quibus tamen PET. GASSENDVS, in *diſquiſitione metaphyſica, ſeu dubitationibus & inſtantiis aduerſus Renati Carteſii metaphyſica & reſponſa*, eiusmodi dubia oppoſuit, ad quae, vt CARTESIVS ipſe nihil regeſſit, ita nihil ſolidi regeri poſſe, viri docti iudicarunt. Alii, CARTESIVM reuera nihil noui protuliſſe, contenderunt, regulasque inſuper eius haſce ita comparatas eſſe, vt nec ſufficiant, nec ſine grano ſalis admitti queant. Fatendum interim, exemplo ſuo effeciſſe Carteſium, vt alii ex eo tempore certatim, abiecto auctoritatis praeiudicio, paullo liberius philoſophari inciperent; vnde magna ad doctrinam quoque logicam facta eſt acceſſio. Ex ſectatoribus Carteſii, illi, qui integra philoſophiae ſyſtemata condiderunt, vt ANTONIVS LE GRAND & PETRVS SYLVANVS REGIS, nec logicam neglexerunt. Ex inſtituto vero IO. CLAVBERGIVS *logicam veterem & nouam* ſcripſit, in qua *modus inueniendae ac tradendae veritatis in geneſi ſimul & analyſi facili negotio exhibetur*; quamue multis aliis praeferendam exiſtimo, ſiquidem haud pauca, quae vſui eſſe nobis poſſunt, in ea egregie traduntur. Compendium deinceps eius aliquod, *logica contracta* inſcriptum, prodiit. Magno hinc eruditorum adplauſu excepta eſt *ars* illa *cogitandi*, quae gallice primum conſcripta, deinceps in linguam latinam translata, ſaepius recuſa eſt. Sitne ANT. ARNALDVS, an PETRVS NICOLIVS, an alius quis, eius auctor, viri docti inter ſe diſputant. Quidquid, in veteri ac recentiori logica eximium, auctor iſte eleganter complexus eſt, cunctaque exemplis ſelectiſſimis illuſtrauit; nec magni momenti ſunt, quae a nonnullis in logica hacce deſiderantur. Pluribus de ea mentem meam expoſui in *praefatione*, quam editioni, quae an. 1704 Halae Saxonum prodiit, praemiſi. Atque haec ipſa editio reliquis, quae ante eam latino ſermone lucem adſpexerunt, plenior eſt, hinc & merito praeferenda. NIC. MALEBRANCHIVS, in opere *de inquirenda veritate*, gallice ſcripto, ſaepius edito, ſed in linguam quoque latinam a viro celeberrimo LENFANT translato, multa, quae ad intellectus humani indolem adcuratius introſpiciendam pertinent, excogitauit; at non ſemper rem acu tetigit. Quantopere imaginationis vis exorbitans vim iudicii ſufflaminet, recte oſtendit; ipſemet tamen imaginationi eo vsque indulſit, vt ad enthuſiaſmum accederet. Nihil abſurdius aut ineptius eſt, quam cum ſibi aliisque perſuadere voluit, homines immediate omnia in diuina cognoſcere eſſentia. Nec id probandum, quod matheſeos, ſpeciatim algebrae, ſtudium, vnicam illam viam eſſe, exiſtimauit, qua intellectum humanum perfici, & ad veritatem inueniendam aptum reddi exiſtimauit. Idem equidem ſibi perſuadent, qui eamdem viam ingreſſi, mathematicis principiis, vt vniuerſam philoſophiam, ita ſpeciatim logicam ſuperſtruunt; quos inter eminet EHRENFR. WALTHER A TSCHIRNHAVS, in *medicina mentis*, Amſtaelodami 1687 & Lipſiae 1695, edita; GOTTFR. GVIL. LEIBNIZIVS, in *obſeruatione de cognitione veritatis & ideis*, quem CHRIST. WOLFIVS ſequitur, in *den vernünfftigen Gedancken von den Kraefften des menſchlichen Verſtandes, vnd ihren richtigen Gebrauch in Erkaentnis der Wahrheit*. Nec ego negauerim, matheſeos, ſpeciatim algebrae vſum aliquem in intellectu excolendo, & ad veritatem inueſtigandam aptum reddendo, eſſe poſſe; quamuis, ſi dicendum, quod res eſt, illud exercitationi potius, quam ipſi matheſi aut algebrae, tribuendum videatur. Ipſa tamen methodus mathematica neutiquam ad alias ſcientias aut artes ad-

adplicari poteſt, vt ab aliis luculentiſſime eſt demonſtratum. Accedit, quod, ſi notiones mathematicas promiſcue ad alia obiecta transferamus, non poſſint non grauiſſimi inde oriri errores, vt iam ad §. *praecedentem* obſeruauimus. Inter recentiores philoſophos haud vltimum locum tenet IO. LOCKIVS, cui inſigne illud de *intellectu humano* opus, anglicana lingua ab eo conſcriptum, editumque primum Londini 1690 ſaepe deinceps recuſum, in linguam quoque gallicanam ac latinam conuerſum, exiſtimationem haud vulgarem apud rerum harum intelligentes peperit. Et licet naeuis ſuis non deſtituatur, ſicuti nihil omni ex parte conſummatum reperitur, nec omnia eius admitti adſerta queant; ſingulare tamen ingenii acumen in eo admirantur omnes. Placuerunt mihi prae reliquis, quae de variis idearum ſpeciebus diſſerit; quam quippe doctrinam, quae tum in arte ratiocinandi, tum in interpretatione, inſignem vtilitatem praebet, nemo expoſuit luculentius. Inter *opera diuerſa (oeuvres diverſes)* LOCKII, quae gallicano idiomate 1710 prodierunt, exſtat quoque libellus *de la conduite de l' Eſprit dans la recherche de la verité*, *p. 141. ſeqq.* lectu digniſſimus. Varias enim licet tantum obſeruationes ſine certo ordine exhibeat; in his tamen quaedam occurrunt, quae perpendiſſe poenitebit neminem. IO. CLERICVM, in *logica* ſua, quae primum inter opera eius philoſophica, aliquoties iam edita, tenet locum, plurima LOCKIO debere, conſtat, nec ipſe vir doctiſſimus diffitetur. Cum vero & alios interdum ſequutus ſit, quaedam etiam ex ſuo ingenio adiecerit, cuncta etiam concinno ordine diſpoſuerit, & eleganti ſermone propoſuerit; ſtolidum foret, plagii crimen ideo illi obiicere. Quin potius laudandus, quod quaedam multo clarius extulit, quam LOCKIVS ipſe, indeque effecit, vt omnes eorumdem vſum perſpicerent. Quae CHRIST. THOMASIVS in rationali philoſophia, ſeu logica praeſtitit, ſatis nota ſunt, conſtantque tum ex eius *introductione ad philoſophiam aulicam*, tum ex *introductione ad logicam*, itemque *praxi logicae*; ex quibus vltimi iſti libri, germanice ab eo ſcripti, in linguam latinam translati ſunt; primus autem, latine ab eo ſcriptus, conuerſus eſt in linguam germanicam. Eclecticam cum vir doctiſſimus ſequatur philoſophandi rationem, non modo logicae Ariſtotelico-ſcholaſticae, ſed & Carteſianae naeuos detexit, atque perſtrinxit. De GOTTL. GERH. TITII *arte cogitandi*, IOACH. LANGII *medicina mentis*, EPHR. GERARDI *delineatione philoſophiae rationalis*, CROVSAZII logica, *ſyſteme des reflexions* inſcripta, NIC. HIERON. GVNDLINGII *via ad veritatem*, IO. IAC. SYRPII noſtri *ſynopſi philoſophiae rationalis*, itemque *inſtitutionibus philoſophiae rationalis eclecticae*, aliorumque ſcriptis logicis, legiſſe iuuabit IO. GE. WALCHII *hiſtoriam logicae*, *lib. II. c. I. ſect. III. §. XXI. ſeqq. p. 661. ſeqq.* qui & *§. XXIII. p. 692. ſeqq.* ANDR. RVDIGERI, philoſophi noſtra aetate clariſſimi, ſingularia in hanc artem merita commemorat; addatur GOTTL. STOLLII *kurze Anleitung zur Hiſtorie der Gelahrheit*, *part. II, c. II. §. XXII. ſeqq. p. 136. ſeqq.*

Specialiori quadam ratione huius loci eſſe videntur, qui *logicas*, quas vocant, *ſacras* conſcripſerunt. Quorum vt neutiquam reprehendendum eſt inſtitutum, ita non admodum neceſſarium videtur. Nec vero ita hoc eſt capiendum, ac ſi aliam logicam theologi, aliam iure conſulti, rurſus aliam philoſophi habeant; ſed, quod praecepta, omnibus communia exemplis ex ſcriptura ſacra, vel variis theologiae partibus petitis, illuſtrent. Defuncti autem hoc labore ſunt ex reformatae eccleſiae theologis ANDR. GER. HYPERIVS, in *topica theologica*, IO. HENR. ALSTEDIVS, in *logica theologica*, ex noſtratibus PHIL. ZEISOLDVS, in *logica ſacra noui teſta-*

Digitized by Google

teſtamenti, SAL. GLASSIVS, in *logica ſacra*, quae delineationem ſaltem operis, quod ab auctore perfici non potuit, continet, a GOTTF. OLEARIO, antiſtite quondam Arnſtadienſi, edita, aliique, laudati IAC. GVIL. FEVRLINO, viro clariſſimo, in diſſertatione ſeu programmate de *logicis paradigmaticis*, *theologicis*, *iuridicis*, aliisque. Cum vero quaeritur, num logica recentior, ſeu prout noſtra aetate a viris praeſtantiſſimis tractatur, theologiae cultorum rationibus conueniat? ita quidem exiſtimo, non prorſus negligendos, qui logicam Ariſtotelico-ſcholaſticam tradunt, non, quod multum proſint, ſed quod turpe ſit, communia iſta ignorare; cumque in finem beati FRIDEM. BECHMANNI noſtri *inſtitutiones logicas*, vel aliud quoddam eiusmodi ſyſtema, euolui poſſe; at ipſam logices notitiam ex recentiorum, qui eclecticam philoſophiam ſequuntur, ſcriptis omnino eſſe hauriendam. Enimuero haec maximam partem ita comparata ſunt, vt non tantum, quae in logica Ariſtotelico-ſcholaſtica vtilia ſunt, reiectis ſuperuacaneis, retineant; ſed multa ſcitu digniſſima, maximeque neceſſaria, tradant, quae in illa fruſtra quaeras. Exempli loco eſſe poteſt doctrina de ideis, itemque de praeiudicatis opinionibus, plerorumque errorum, etiam in theologicis, fontibus. De vtraque cum copioſe & adcurate plerique recentiorum diſſerant, in logica contra Ariſtotelico-ſcholaſtica altum eſt ſilentium. Nimirum ad doctrinam de ideis quod attinet, antea iam obſeruauimus, plurimum tum ad recte ratiocinandum, tum ad aliorum etiam ſcripta interpretanda, prodeſſe, ſi quis naturam, indolem, & varietatem idearum cognitam ac perſpectam habet. Hac nimirum qui probe imbutus eſt doctrina, operam dabit, vt ipſemet de rebus omnibus, quarum cognitionem ſibi vtilem eſſe iudicat, claras ac diſtinctas, quantum fieri poteſt, animo concipiat ideas; quod reuera initium eſt omnis ſolidae eruditionis. Hac praeterea qui incedit via, facile quoque errores plurimos, tum in iudiciis, tum in ratiociniis ſuis euitabit. Quantam vero in aliorum ſcriptis interpretandis haec doctrina adferat vtilitatem, exemplis elegantiſſimis oſtendit IO. CLERICVS, in *arte critica*, *part. II. ſect. II. p. 498. ſeqq.* Nec nullum profecto momentum trahit quaeſtio de origine idearum, de qua ſaepe, acriterque, interdum & ſubtiliter nimis, & ſine neceſſitate, inter viros doctos, cumprimis inter NIC. MALEBRANCHIVM, atque ANT. ARNALDVM, diſputatum fuit. Hiſtoriam huius controuerſiae adcurate & diligenter exhibet IAC. BRVCKERVS, in *hiſtoria philoſophica doctrinae de ideis*, *ſect. III. §. II. p. 239. ſeqq.* Iungenda IOAN. HENR. KREVSCHNERI *diſſertatio de origine idearum in mente humana*; &, quae de hiſtoria huius doctrinae diſſerit IO. GE. VVALCHIVS in *hiſtoria logicae*, *lib. II. c. II. §. XVIII. p. 745. ſeqq.* Quae de praeiudicatis opinionibus ex animo eiiciendis, vt ad veritatem perſpiciendam aptus reddatur, recentiores praecipiunt, a theologiae cultoribus haud perfunctorie obſeruanda, nemo, niſi rerum omnium ignarus, abnuet. Si enim in aliis, certe in iis, quae ad aeternam mortalium ſalutem ſpectant, praeiudicatarum eiusmodi opinionum, ad mentem excaecandam, & a veritatis cognitione auertendam, magna vis eſt ac efficacia. Nec tamen alibi maiori cum periculo, quam in hiſce, erratur. Auctores, qui vtiliſſimum hocce rationalis philoſophiae caput pertractarunt, vt laudemus, neceſſe non eſt, cum haud temere quisquam ex recentioribus logicae ſcriptoribus ſit, qui hoc non attingat; nec deſunt, qui de eo ex inſtituto egerunt, quorum nomina IO. GE. VVALCHIVS recitat, in *hiſtoria logicae lib. II. c. II. §. XXXIX. p. 796. ſeqq.* Eos vero praetermittere nequeo, qui ſpeciatim quantum

tum in theologia damnum praeiudicia adferant, oſtenderunt; id quod duo praeſtantiſſimi eccleſiae noſtrae fecerunt theologi CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS & B. IOAN. HENR. BARTHIVS. Et illius quidem duae proſtant *diſſertationes de praeiudiciis theologicis*, quarum *prior eorundem cauſſas atque remedia generaliori tractatione euoluit, poſterior vero regulas tradit, in veritate diuina diſpenſanda, praeiudiciisque theologicis refellendis, obſeruandas*, editae in *primitiis* eius *Tubingenſibus*, *1718* in 4. Huius autem *diatribe theologica de praeiudiciis, qua ſunt veritatis impedimenta, aliquot diſputationibus academicis ventilata*, Argentorati ſine anni mentione prodiit. Multa in hiſce exſtant monita ſalutaria, quae ſi omnes admitterent, dubium non eſt, quin errorum grauiſſimorum peccatorumque longe minor futura ſit copia. Sed, quam facile eſt, eleganter & egregie de praeiudicatis hiſce opinionibus ſcribere, tam difficile eſt, eas ex animo eiicere; aut, ſi hoc quoque fiat, media regiaque incedere via, ne, dum praeiudicia auctoritatis euitamus, in alterum extremum procurrentes, in praeiudicia praecipitantiae incidamus; quod ſubinde viris doctis, magnoque ingenio praeditis, contingere, experientia docet. Referre huc etiam licet, qui de erroribus, errorumque cauſſis & origine, commentati ſunt, vt THOM. BROVVNE, in *pſeudo-doxia epidemica*, & IOAN. DE HISPANIA, in libro, gallicana lingua ſcripto, ſed cum reliquis eius operibus in germanicam tranſlato, de *erroribus popularibus*; cumprimis autem ABR. HEIDANVS, cuius de *origine erroris libri octo* Amſtelodami 1678 in 4 prodierunt. Sed in his quid laudandum, quid deſiderandum ſit, vt exponamus, inſtituti ratio non permittit.

§. XXVI. Idem de *hermeneutica*, ceu altera philoſophiae inſtrumentalis parte, dicendum. Scripturae enim ſacrae diligens perſcrutatio, legitimaque interpretatio, cum vtramque fere in theologia recte perdiſcenda faciat paginam; principia & regulas hermeneuticas nemo ignorare debet, niſi qui ſero nimis, oleum, quod aiunt, operamque ſe perdidiſſe, conqueri cupit. Atque haecce quidem principia regulasque, generatim ſpectatas philoſophia tradit; quo pacto autem rite & prudenter ad ſacras litteras adplicandae ſint, id vero theologia oſtendit. *

* Recentiores philoſophiae prae Ariſtotelico-ſcholaſtica ἐξοχή, quam ad §. *praecedentem* adſtruximus, in eo quoque conſpicitur, quod in illa doctrina de interpretatione, de cuius tum in aliis eruditionis partibus, tum maxime in theologia, ſumma neceſſitate nemo ſanae mentis dubitauerit, diligenter exculta fuit, quae in hac prorſus neglecta iacuit. Agnouit hoc magni nominis inter noſtrates theologus IO. CONR. DANHAVERVS. Cum enim praeclare monuiſſet, magnopere eos falli, qui, omnes artes ac ſcientias ad eum perfectionis gradum deductas, exiſtimant, vt nihil addi poſſit; pergit: *Hac itaque via facta ſperemus poſſe reperiri, quod vel occultum adhuc eſt, vel in promiſcuis auctorum chartis diſperſum per ſiparium adhuc ſe praebet conſpiciendum; hermeneuticam videlicet, quam in libris περὶ ἑρμηνείας Ariſtoteles incepit, non tractauit aut abſoluit, σὺν θεῷ tradituri ſumus, & prolixius expoſituri, adeoque fines organi Ariſtotelici adiectione nouae ciuitatis aucturi*, in *idea boni interpretis & malitioſi calumniat. part. I. ſect. I. prooem. artic. I. §. II. p. 4*. Patet inde, ante DANHAVERVM non fuiſſe, qui hermeneuticae praecepta plene & ordine expoſuerit;

fuerit; patet quoque inde, quid de Ariſtotelis libro περὶ ἑρμηνείας exiſtimauerit. Et ſane, doctrina de propoſitionibus, quam ibi Stagirita tractat, vel maxime ad hermeneuticam ſpectat; neutiquam tamen eam totam abſoluit. Nimis praeclare forte de hocce Ariſtotelis libro ſentiunt, qui, eum, cum illum ſcriberet, *non in atramento, ſed in mente calamum tinxiſſe*, putant, vt ISIDORVS ait, *lib. II. origin. c. XXVII.* Nec tamen & FRANC. SANCTIO quiſquam temere ſuffragabitur, librum hunc Ariſtotelis nomine indignum eſſe, pronuntianti; *lib. I. Mineruae, c. V.* Eos, qui eumdem commentariis ſuis & adnotationibus illuſtrarunt, vt ex Graecis AMMONIVM, MAGENTINVM, MICH. PSELLVM, ex Latinis APVLEIVM, & SEVERINVM BOETHIVM, ex Arabibus AVERROEM; ex recentioribus THOMAM AQVINATEM, IAC. SCHEGKIVM, AVGVST. NIPHVM, commemorat IO. ALB. FABRICIVS, *bibliothec. graec. lib. III. c. VI. p. 112.* Qui deinceps Ariſtotelicam, aut Ariſtotelico-ſcholaſticam, ſequuti ſunt philoſophandi rationem, itidem vlterius progreſſi non ſunt, quam vt doctrinam de propoſitionibus in logicis ſuis pertractarent; ne id quidem ſatis perſpicientes, quod maior eius in interpretatione, quam recte ratiocinando, vſus ſit. Defectum itaque huncce ſuppleuerunt recentiores, plenius copioſiusque doctrinam de interpretatione pertractando, ſed &, quae de propoſitionibus tradi ſolent, ad debitum locum, hermeneuticam, referendo, quam a logica, ſpeciatim ſic dicta, recte diſtinxerunt; quod & a me in *elementis philoſophiae inſtrumentalis* factum eſt. Inter primos, qui genuina principia doctrinae huius de interpretatione propoſuerunt, praeter IOAN. CONR. DANHAVERVM, qui hac laude defraudandus non eſt, HVGO GROTIVS fuit, qui ea attulit, vt oſtenderet, quo pacto in legum ac pactorum interpretatione verſandum ſit; *lib. II. de iure belli & pacis, c. XVI.* quem deinceps SAM. PVFENDORFIVS, de *iure naturae & gentium lib. V. c. XII.* aliique iuris naturalis ſcriptores, ſequuti ſunt. Hinc vero nonnulli recentiorum in logicis ſuis etiam de interpretatione agere coeperunt. Qui ex inſtituto hanc doctrinam generatim ſpectatam pertractauerit, mihi non innotuit, praeter IO. A FELDE, in opere *de interpretatione*, qui tamen ob nimium ſubtilitatis ſtudium eam magis obſcuraſſe, quam illuſtraſſe, cenſetur. Referre autem huc etiam licet PETRI DAN. HVETII de *interpretatione libros duos*, quorum prior eſt de optimo genere interpretandi, poſterior de claris interpretibus, Pariſiis 1661, in 4. & Stadae 1680 in 8. Eorum, qui ſpeciatim de ſcripturae ſacrae interpretatione egerunt, maior eſt numerus. Sed de hiſce dicetur, cum de theologia exegetica verba faciemus. Quo pacto ad ſcriptores profanos inſtituenda ſit adplicatio, oſtendit IO. HENR. ERNESTI, in *compendio hermeneuticae profanae, ſeu praeceptis nonnullis de legendis ſcriptoribus profanis.* IO. CLERICVM, in *arte* ſua *critica*, itidem, quae ad hermeneuticam ſpectant, attingere, non mirabitur, qui ſecum cogitat, quod per *artem criticam* intelligat *artem intelligendorum veterum ſcriptorum, ſiue numeris adſtricta, ſiue ſoluta oratione vtentium, & dignoſcendi, quaenam eorum genuina ſcripta ſint, quae ſpuria.* Dubitari etiam omnino poſſet, annon hermeneutica ad grammaticam potius, voce in latiori ſignificatione accepta, quam ad philoſophiam, referenda ſit? praeſertim, cum veteres partem grammaticae conſtituant, quam *exegeticen* vocant. Verum, cum *exegetice*, vt recte GERH. IOAN. VOSSIVS monet, de *natura & conſtitutione artium & ſcientiarum, lib. II.* ſiue de *philologia, c. V. §. IV. p. m. 42.* ſolum tradat vocum ſignificationem; arti interpretandi, ſeu hermeneuticae equidem inſeruit, eam autem non abſoluit. Plurima contra cum ad herme-

neuticam requirantur, quae non aliunde, quam ex philoſophiae fontibus deriuari queunt; philoſophiae inſuper, & quidem inſtrumentalis, ſit, veritatem non tantum ex rerum conſideratione inuenire, ſed ex aliorum quoque ſcriptis eruere; nemo dubitauerit, quin recte ad hanc referatur.

§. XXVII. Nec de tertia inſtrumentalis philoſophiae parte, ſeu *ratione, veritatem inuentam cum aliis communicandi*, vllum eſſe poteſt dubium. Theologiae enim ideo operam nauamus, vt alios iterum erudire, & ad agnitionem veritatis perducere queamus. Subinde etiam per diſputationes veritas contra aliorum inſultus defendenda eſt & propugnanda. Vtrumque is demum recte feliciterque peraget, qui rationem methodumque & docendi & diſputandi edoctus rite fuerit. *

* Hinc nonnulli hancce philoſophiae inſtrumentalis partem *methodologiam*, ſiue *methodum didacticam*, adpellitant. Nimirum a methodo inueniendi, quae vel *ſynthetica* eſt, vel *analytica*, methodum docendi, ſeu veritatem cum aliis communicandi, diſtinguere decet. Ariſtotelici docendi methodum & prudentiam ad παιδείαν etiam referre ſolent, qua ceteroquin & diſcendi methodus deſignabatur, vti ſupra ad §. I. huius capitis monuimus. IACOBVS MARTINI, cum obſeruaſſet, vocem παιδείας nec per *eruditionem*, nec per *peritiam* commode verti, addit: *quare vel graecum* (verbum) *retinendum in illa Ariſtotelica translatione, vel pluribus verbis, docendi diſcendique peritia forſan non incommode poterit adpellari.* Docet porro, alibi ab Ariſtotele vocari τρόπον τῆς ἐπιστήμης, a Platonicis autem, vt PROCLVS in *Timaeum* auctor ſit, λογογραφίαν; in *praefatione paediae*, de qua ſtatim dicemus, praemiſſa. Et Ariſtoteles quidem paſſim τῆς παιδείας meminit; in libris quoque *poſteriorum analyticorum*, quae huius loci ſunt, attingit. Vnde &, qui hoſce libros commentariis illuſtrarunt, aut ceteroquin Ariſtotelicam philoſophiam amplectuntur, ſubinde de paedia verba faciunt, &, de ratione docendi, ex mente magiſtri, quaedam praecipiunt; conf. MELCH. ZEIDLERI *analyſis poſterior, lib. III. c. V. §. IX. p. 724. ſeqq.* Nemo autem, mea quidem opinione, luculentius, ſecundum Ariſtotelicam nimirum diſciplinam, hac de re egit, quam, quem antea iam laudauimus, IAC. MARTINI, in *paedia, ſeu prudentia in diſciplina generali*, an. 1631 in 8. ſine loci mentione edita, & vel ob exemplorum, quibus cuncta illuſtrat, copiam, laudanda. Iungere ei licebit ABR. CALOVIVM, qui tamen ſcholaſticam potius, quam Ariſtotelicam philoſophandi rationem ſequitur, in *tractatu nouo de methodo docendi & diſputandi*, qui in *operibus* eius *philoſophicis*, Lubecae 1651 iunctim editis, exſtat. Ad methodum docendi Ariſtotelicam illud quoque pertinet, quod ea vel *exoterica* fuerit, vel *acroamatica*; vnde & diſcrimen librorum Ariſtotelis exotericorum & acroamaticorum fluxit. Legendi hac de re OCTAV. FERRARIVS, in *libris duobus de ſermonibus exotericis*, MELCH. ZEIDLERVS, *de gemino veterum docendi modo exoterico & acroamatico*, aliique, laudati IO. ALBERTO FABRICIO, *bibl. graec. lib. III. c. VI. p. 176. & bibliogr. antiquar. c. XIX. §. V. p. 606.* Sunt, qui putant, duplicis huius methodi originem a diſciplina arcani repetendam, apud Aegyptios, hinc & Pythagoraeos, aliosque vſitata, qua ſapientiae arcana ſelectis tantum quibuſdam diſcipulis committebantur. Ita quidem MICH.

PICCAR-

Digitized by Google

PICCARTVS, in *iſagoge in lectionem Ariſtotelis, c. X. §. XII. p. 70. ſeqq.* De diſciplina autem arcani, prout non tantum apud gentilium philoſophos, ſed & apud Iudaeos pariter ac veteres chriſtianos in vſu fuit, legenda, quae differit CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, *diſſertat. poſter. de praeiudiciis theologicis, §. XIII. p. 149. ſeqq.* Quae IO. CONR. DVRRIVS, ad MICH. PICCARTI *loc. cit. p. 87. ſeqq.* adfert, vt vſum duplicis iſtius methodi exotericae & acroamaticae in theologia oſtendat, adcuratiorem forte promerentur diſcuſſionem. Ceterum, licet, qui Ariſtotelicam philoſophandi rationem ſequuntur, quando de paedia praecipiunt, doctrinam de methodo docendi quoque attingere ſoleant; plerumque tamen tot ambagibus vtuntur, totque ſe ipſi inuoluunt anfractibus, vt maximum ſubinde lectoribus adferant taedium. Planiorem contra facilioremque hic aperiunt viam recentiores, qui in logicis ſuis de prudentia docendi, vel veritatem cum aliis communicandi, agere ſolent, quod ex Carteſii ſectatoribus cumprimis IO. CLAVBERGIVS fecit, in *logica veteri & noua, part. II. p. 126. ſeqq.* quem deinceps & alii ſequuti ſunt. Praecipua etiam, quae hac de re dici poſſunt, ipſemet complexus ſum, in *elementorum philoſophiae inſtrumentalis parte tertia.* Vt autem, quae de methodo docendi traduntur, a theologiae cultoribus vel maxime obſeruanda ſunt; cum praecipuum theologi munus ſit, docere, & ita alios ad veritatis agnitionem perducere, etſi, pro auditorum diuerſitate, diuerſa hoc fiat ratione; ita, quin idem de methodo diſputandi dicendum ſit, nemo dubitare poterit. Nec enim in vlla eruditionis parte aut frequentiores ſunt diſputationes, aut magis neceſſariae; cum veritatis, a qua ſalus hominum pendet, poſſeſſio inter alia & hac ratione conſeruanda, & contra varios ſecus ſentientium inſultus defendenda ſit. Non tantum, qui logicas dederunt, aut ſpeciatim de methodo docendi praecipiunt, diſputandi ſimul artem tradere ſolent, ſed extiterunt etiam, qui ex inſtituto de ea agerent, vt ANDR. KESLERVS, in *methodo diſputandi*, CONR. HORNEIVS, in libro de *proceſſu diſputandi*, IO. CONR. DANHAVERVS, in *idea boni diſputatoris & malitioſi ſophiſtae*, IACOB. THOMASIVS, in *proceſſu diſputandi*, aliique, laudati IO. GEO. WALCHIO, in *hiſtoria logicae, lib. II. c. II. §. XLVII. p. 811. ſeqq.*

§. XXVIII. *Ontologia*, quam alii *metaphyſicam* vocant, quamue itidem ad inſtrumentalem philoſophiam referre ſoleo, vel hoc nomine hic in cenſum venit, quod iam pridem moris ſit, dogmata theologica, compendii cauſſa, & ad euitandas ambages, terminis, ex metaphyſicorum ſcholis petitis, exprimere. Quod &, ſi ſobrie & circumſpecte fiat, minime eſt vituperandum. Nec contemnenda ſunt axiomata, ſeu principia metaphyſica; magni quippe momenti dogmatibus confirmandis, euidenterque demonſtrandis, ſubinde inſeruientia. *

* Vt eo rectius de vtilitate & pretio ontologiae ſeu metaphyſicae ſtatui queat, nonnulla, ad eius fata & hiſtoriam ſpectantia, praemittenda ſunt. Licet vero nemo, quantum mihi conſtat, plenam quamdam atque exactam metaphyſicae hiſtoriam ſcripſerit; lucem tamen haud contemnendam dabit IAC. THOMASIVS, in *hiſtoria variae fortunae, quam diſciplina metaphyſica iam ſub Ariſtotele, iam ſub ſcholaſticis, iam ſub recentibus experta eſt*; *erotematibus* eius *metaphyſicis* ſubnexa; in qua id praecipue agit, vt diſcrimen metaphyſicae Ariſtotelicae & ſcholaſticae exponat, &, vnde factum

ctum ſit, vt ſcholaſtici a vera & genuina Ariſtotelis mente diſceſſerint, ediſſerat. Prodiit equidem nuper SAM. FRID. BVCHERI *hiſtoria metaphyſicae ex manuſcripto Io. Hermanni ab Elswich eruta*; at ea nudam quamdam deſignationem, ſeu σκιαγραφίαν continet, hoc eſt, ſceleton, carne & ſanguine deſtitutum. Commendanda itaque potius IO. CHRIST. LANGII *diſſ. acad. qua ſummas inter laudationes ac vituperationes olim hodieque verſanti doctrinae metaphyſicae, ſepoſito partium ſtudio, ea, quae iuſta ſunt viſa, modeſte adſeruntur;* quippe in qua varia, ad hiſtoriam etiam metaphyſicae ſpectantia, ſuppeditat, cumprimis §.XXX. vbi & alios, qui hocce argumentum attingunt, laudat. Origo metaphyſicae vulgo ad ipſum Ariſtotelem refertur. Et fatendum ſane, eo modo, quo ipſe in libris metaphyſicorum varia complexus eſt, neminem ante eum illam tractaſſe. Separatim vero ſi ſpectentur, nemo tam ignarus rerum omnium eſt, qui negauerit, alios etiam ante eum philoſophos ſubinde de Deo, ceu ente omnium ſupremo, de rerum principiis, de ſcientiis, de variis vocum ſeu terminorum ſignificationibus, diſſeruiſſe. Quaedam tamen ex his, cum logicae potius ſeu dialecticae ſint propria, ad metaphyſicam referri ſolent, & poſſunt, ſi vocem ita accipere velis, vt accipi ſolet, cum de metaphyſica Ariſtotelis ſermo eſt. Vnde ſimul patet, quid de metaphyſica PLATONIS cenſendum, de qua in compendio diſſerit CLAVD. FLEVRIVS, in *diſſertat. de Platone*, tractatui eius, *de ſelectu & methodo ſtudiorum* ſubnexa, *p. m. 256.* Licet autem hac ratione metaphyſicae origo ab Ariſtotele deriuari queat; de ipſo tamen nomine *metaphyſicae* hoc non eſt intelligendum, quippe quod apud eum non legitur. Iam antiquiſſimis interim temporibus libros Ariſtotelis, qui ſub hocce nomine exſtant, ita dictos fuiſſe, eamque adpellationem vel a THEOPHRASTO, vel a vetuſtiſſimis Ariſtotelis interpretibus, primum vſurpatam, viris doctis obſeruatum eſt; conf. MICH. PICCARTVS, in *Iſagog. in lectionem Ariſtotelis, c. XXVI. p. 259.* Quam hodie metaphyſicam vocamus, ab ipſo Ariſtotele *philoſophiam primam*, ἐπιστήμην θεολογικήν aliaque ratione nuncupatam, conſtat, & idem PICCARTVS, *l. c. §. VII. ſeqq. p. 261. ſeqq.* docet. Quando vero Stagirita metaphyſicam per *ſcientiam entis quatenus ens* definiuit; tum eum *per ens quatenus ens*, ens primum, ſeu ſubſtantiam primam, hoc eſt, ipſum Deum, intellexiſſe, praeſtantiſſimi eius interpretes, &, quibus mens ſententiaque philoſophi maxime perſpecta fuit, contendunt. Vnde colligas, conſtitutum Ariſtoteli fuiſſe, in metaphyſica de Deo agere; quod equidem & fecit, ſed ita, vt doctrina de Deo & intelligentiis longe minimam operis huius partem conſtituat, cum maximam contra in terminorum explicatione, & doctrina de ſcientiis, de principiis, ſimilibusque conſumat. Ingenti praeterea hoſce libros metaphyſicorum non tantum laborare obſcuritate, ſed & ſummam rerum omnium in iis deprehendi confuſionem, fatentur omnes. Immo, vt aliquem rerum nexum in iis inueniret, ipſum librorum immutare ordinem conſultum duxit SAM. PETITVS, *lib. IV. miſcellan. c. IX.* quem etiam hac in re ſequitur IAC. THOMASIVS, in *hiſtor. metaphyſ. §. X. p. 71.* Idem quoque vir doctiſſimus ſummam iſtorum librorum exhibet. *§. XI. ſeqq. p. 72. ſeqq.* quod & MICH. PICCARTVS facit in *Iſagog. in lectionem Ariſtotelis, c. XXVII. p. 263. ſeqq.* itemque REN. RAPINVS, *dans ſes reflexions ſur la metaphyſique, §. II. tom. II. operum, p. 434. ſeqq.* Praecipuos illorum, qui commentariis ſuis hoſce Ariſtotelis metaphyſicorum libros illuſtrarunt, recenſet IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. III. c. VI. p. 148. ſeqq.* Eminet inter Graecos ALEXANDER Aphrodi-

Digitized by Google

phrodiſeus, de quo PET. IO. NVNNESIVS pronuntiat, quod vnica norma interpretum Ariſtotelis eſſe debeat, *introduct. in philoſophiam peripatet. c. II. p. 30.* Ex recentioribus autem ERN. SONERVS, philoſophus quondam Altdorffinus celeberrimus, omnibus praeferri ſolet. Mirandum, tot viros doctos, tam immenſos, in libris hiſce obſcuriſſimis confuſiſſimisque illuſtrandis, exantlaſſe labores; poſt quos vix demum intellexerunt, quid ſibi voluerit Ariſtoteles de rebus, quas longe facilius, longeque rectius, ipſimet cognoſcere potuiſſent, ſi modo mentem & cogitationes ſuas ad earum conuertere voluiſſent conſiderationem.

Veteris eccleſiae chriſtianae doctoribus inuiſam admodum fuiſſe Ariſtotelis philoſophiam, ſupra iam monuimus. Mirum itaque non eſt, metaphyſicae quoque Ariſtotelicae nulla apud eos deprehendi veſtigia; niſi IO. PHILOPONVM huc aduocare velis, quem ex Ariſtotelicae philoſophiae abuſu in tritheiſmum prolapſum, notum eſt, & cuius in *libros metaphyſicorum Ariſtotelis* commentarii exſtant. SEVERINVM BOETHIVM in eccleſia latina Ariſtotelis excitaſſe philoſophiam, conſtat, & ſupra quoque nobis obſeruatum eſt; at pleraque eius ſcripta philoſophica ad logicam ſpectant. Ad metaphyſicam quae faciant, inter ea non inuenio, niſi librum *de vnitate & vno*, item: *an omne quod eſt, bonum ſit?* huc referre velis. Attigit tamen ſubinde, quae ſunt argumenti metaphyſici; vnde ſcholaſtici definitionem *aeternitatis*, itemque *perſonae*, & alia ex eo retinuerunt; & haud raro ad illum prouocant. Cum in occidentali deinde imperio litterae fere exſtinguerentur, apud Graecos non tantum litterarum ſtudia floruiſſe, ſed fuiſſe etiam apud eos, qui magnum metaphyſicae pretium ſtatuerent, perſuadere nobis adnititur SAM. FRID. BVCHERVS, in *hiſtoria metaphyſicae ex manuſcripto Io. H m. ab Elswich maximam partem eruta, §. XIII.* *Nec defuiſſe*, inquit, *apud eosdem, qui metaphyſicae amantiſſimi erant, ſuo poſt alios exemplo probat Ioannes Damaſcenus*, & *quem, Colomeſio in operibus p. 703. teſte, eſt imitatus Leontius Cyprius.* At PAVL. COLOMESIVS id non dicit, quod vir doctus illi tribuit, immo metaphyſicae ne verbo quidem meminit. Ita namque loquitur: *Leontius Cyprius locos theologicos ſcripſit, de quibus in haec verba Franciſcus Turrianus libro primo de hierarchicis ordinationibus miniſtrorum eccleſiae, c. XII. Ioannes Damaſcenus libris tribus* παράλληλα *ſcripſit. Fecerunt & hoc ante eum alii, quos ille imitatus eſt, vt Leontius Cyprius duobus voluminibus, altero* τῶν θείων, *quod nondum ad manus meas venit, altero* τῶν ἀνθρωπίνων, *quod venit.* Nihil hic de metaphyſica. Nec *ſacra parallela* IO. DAMASCENI, quae *operum* eius *tomo ſecundo p. 279. ſeqq.* ex edit. MICH. LEQVIEN exſtant, metaphyſicam, ſed locos theologicos, ex ſcripturae ſacrae & patrum dictis congeſtos, continent. Sed hoc ὡς ἐν παρόδῳ. Cum ad Arabes litterarum ſtudia tranſiiſſent, in Ariſtotelicam eos maximo impetu ſe dediſſe philoſophiam, conſtat. Cumprimis praeter logicam, metaphyſica Ariſtotelis placuit, in qua ingenii exercerent vires, in quam etiam AVERROIS aliorumque exſtant commentarii. Atque ab his ſua tandem acceperunt doctores ſcholaſtici; ipſum tamen Ariſtotelem ſaepe non rectius intelligentes, quam Arabes caeci ipſi, caecorumque ductores. De Arabum iſta philoſophia alibi iam diximus; iungenda vero, quae de ea diſſerit ADAM. TRIBBECHOVIVS de *doctoribus ſcholaſticis &c. c. III. p. 120.* Cumprimis autem in metaphyſica a ſententia magiſtri diſceſſerunt, eam in ſcientiam entis abſtracte conſiderati commutantes, quod Ariſtoteli numquam in mentem venit. Qua ratione

ratione id factum, exponit, vt iam diximus, IAC. THOMASIVS, in *hiſtoria metaphyſicae*, §. XXVI. Recenſere ſcholaſticos illos, praeſertim veteres, ſeu qui ante eccleſiae reformationem vixerunt, neceſſe non eſt, nec noſtri id fert inſtituti ratio. Pauci ſunt, ſi modo vllus, ex iis, qui nominis quamdam conſequuti ſunt celebritatem, qui non in hocce campo, illorum ingenio, ad inanes ſubtilitates proniſſimo, valde accommodato, vires ſuas demonſtrare voluerint. Inter eos, qui poſt eccleſiae emendationem vixerunt, eminent PETR. HVRTADVS DE MENDOZA, GABR. VASQVEZ, FRANC. SVAREZ, FRANC. DE OVIEDO, RODERIC. DE ARRIAGA, CHRYSOST. IAVELLVS, PETR. FONSECA, aliique; quorum nonnulli, dum integros *philoſophiae*, quos vocant, *curſus* ediderunt, metaphyſicam in illis ſimul exhibuerunt, alii autem ſeorſim de metaphyſica commentati ſunt. De plerisque illorum agit DAN. GE. MORHOFIVS, *polyhiſt. tom. II. lib. I. c. XIV. p. 83. ſeqq.* In noſtra eccleſia initio non adeo magnum metaphyſicae ſtatuebatur pretium; ſiquidem, qui in doctrina caeleſti ab erroribus romanenſium repurganda reſtituendaque laborabant, horumque ſucceſſores, in tradenda theologia ſcripturae ſacrae potius, quam philoſophicarum ſubtilitatum, habebant rationem. Cum vero Ieſuitae, ceu neo-ſcholaſtici, in controuerſiis theologicis omnia terminis metaphyſicis inuoluerent, vt imperitioribus caliginem obfunderent; noſtrates velut neceſſitatem quamdam ſibi impoſitam putarunt, metaphyſicam in ſubſidium vocandi, vt iisdem cum aduerſariis pugnarent armis. Hinc itaque metaphyſices ſtudium apud noſtrates quoque effloreſcere coepit, quod ex eo praeſertim tempore, quo colloquium Ratisponenſe cum GRETSERO, TANNERO, HAGERO, habitum eſt, factum eſſe, IO. HERMANNVS AB ELSWICH exiſtimat, de *varia Ariſtotelis in ſcholis proteſtantium fortuna*, §. XXVI. p. 75. Ingens inde exſtitit illorum numerus, qui aut compendia, aut ſyſtemata metaphyſica ediderunt, quorum plerique ſcholaſticorum preſſerunt veſtigia, pauci ipſum Ariſtotelem ducem ſecuti ſunt. Inter illos eminet CHRISTOPH. SCHEIBLERVS, cuius *metaphyſica* inter reliqua eius *opera philoſophica* exſtat, iunctim edita Francofurti 1665 in 4. Sequutus autem eſt SCHEIBLERVS praecipue FRANC. SVAREZIVM, niſi quod cuncta ad purioris theologiae placita adcommodauerit. Vnde & GISB. VOETIVS eum equidem prae reliquis commendat, ſed *cum hac* inquit, *praemonitione, nimis illum indulgere ſuae theologiae praeiudiciis*; in *exercitiis & bibliotheca ſtudioſi theologiae, lib. II. c. XIII. p. 461.* CORNELII porro MARTINI, HENNINGI ARNISAEI, CASP. EBELII, & ſi eos ſpectes, qui Ienenſem noſtram academiam ornarunt; DAN. STAHLII, VALENT. VELTHEMII, aliorumque ſcripta metaphyſica ſatis nota ſunt. Inter melioris notae compendia haud vltimum locum tenent IAC. THOMASII *erotemata metaphyſica*, recuſa Lipſiae 1705 in 8. in quibus ſcholaſticorum equidem methodum ſequitur, ſed, vt in parte ſpeciali ab eadem diſcedat; cuius inſtituti ſui rationem ipſemet in praefatione reddit. Nec contemnenda beati CHRIST. DONATI, quem & ego olim in metaphyſicis audiui, *metaphyſica vſualis*. Wittenbergae 1682 in 8. edita. Ex reformatae eccleſiae doctoribus hic maxime commemorandus eſt CLEMENS TIMPLERVS, cuius quippe *ſyſtema metaphyſicum* ſaepe ab aliis adlegatur. ABRAHAMVS tamen CALOVIVS illud aeque ac ALSTEDII, MACCOVII, BVRGERSDICII, & aliorum ſcripta metaphyſica, inter ea refert, *quae non tam lectione digna ſunt, quam examinatione & caſtigatione*; in *paedia theol. ſect. II. artic.*

tic. l. c. II. p. 117. immo &, quod mireris, ipſe GISB. VOETIVS non tantum ſatis frigide TIMPLERVM laudat, ſed & *opiniones* eius *aliquot minus ſolidas* vocat, ac SCHEIBLERVM illi praeferendum iudicat; in *exercit. & biblioth. ſtudioſi theol. lib. II. c. XIII. p. 461.* Vt autem, iſti omnes ſcholaſticam tradendi metaphyſicam maximam partem imitati ſunt rationem; ita inter eos, qui ab Ariſtotele diſcedere ſibi religioni ducunt, eminet CHRIST. DREIERVS, cuius *ſapientia*, ſiue *philoſophia prima*, ex Ariſtotele, eiusque optimis commentatoribus conſcripta, Regiomonti 1644 in 8. prodiit, & genuinis peripateticis maximo in pretio erat. Quemadmodum vero rem plane ſuperuacaneam ſuſcepturus eſſem, ſi omnia ſcripta metaphyſica recenſere vellem; ita praetermittendi tamen non ſunt, qui vſum metaphyſicae in theologia oſtenderunt, vt IO. SCHARFFIVS, in *metaphyſica exemplari*, cuius & nota eſt *theoria tranſcendentalis philoſophiae*, ANDR. KESLERVS in *metaphyſica Photiniana*. ABR. CALOVIVS, in *metaphyſica diuina*, quae in *ſcriptis* eius *philoſophicis* exſtat, iunctim editis Lubecae 1651 in 4. IO. HENR. POSEVVITZIVS, in *metaphyſica theologica*; quibus ex recentioribus iungendi FRANC. ALB. AEPINVS, in *compendio metaphyſicae ad theologiam adplicatae*, & CONR. DIET. KOCHIVS, in *metaphyſica exemplis theologicis illuſtrata &c.*

Inter eos, quibus ſcholaſtica metaphyſicam tractandi ratio placuit, nonnulli, ne plane Ariſtotelem deſerere viderentur, doctrinae de ente abſtracte ſpectato, eiusque attributis, ſubiunxerunt doctrinam de Deo & angelis, ceu partem ſpecialem metaphyſicae; contra mentem Ariſtotelis, vt oſtendit IAC. THOMASIVS, in *hiſtoria metaphyſ. §. XXXVIII.* Praeter alios etiam hoc fecit CHRISTOPH. SCHEIBLERVS, in *metaphyſica* ſua, quam antea laudauimus. Sed rectius haec a ſe inuicem ſeparantur; cum ſcholaſticorum metaphyſica, ceu lexicon aliquod philoſophicum, ad philoſophiam inſtrumentalem iure referatur; doctrina autem de Deo & ſpiritibus principalis philoſophiae partem haud vltimam conſtituat, vt itidem THOMASIVS *l. c.* docet. Idem quoque illis obſeruatum, qui ex RENATI CARTESII ſchola hance philoſophiae partem attigerunt. Sub *metaphyſicae* enim nomine doctrinam de Deo & ſpiritibus, ſeu theologiam naturalem ac pneumaticam, doctrinam vero de ente abſtracte ſpectato ſub nomine *ontoſophiae* vel *ontologiae* tractare ſolent. Ipſe quidem CARTESIVS, in *meditationibus de philoſophia prima*, primum de iis, quae in dubium vocari poſſunt, tum de natura mentis humanae, hinc de Deo, quod exſiſtat, itemque de vero & falſo, & ſic de reliquis agit. ARNOLDVS porro GEVLINGIVS, in *metaphyſica* ſua, de Deo & attributis diuinis diſſerit; quod & CORNEL. BONTEKOE facit, cuius *metaphyſica* cum eiusdem libro de *motu*, *& oeconomia animali*, vt & GEVLINGII *phyſica vera*, Lugduni Batauorum an. 1688 prodiit. Alii tamen ſub *theologiae naturalis* nomine de rebus diuinis agunt, vt dicemus in ſequentibus. Doctrinam vero de ente abſtracte ſpectato, eiusque attributis, IO. CLAVBERGIVS, in *ontoſophia noua*, IO. CLERICVS, in *ontologia* ſua, exhibent. Fuerunt etiam alii, qui nouam plane viam in tractanda metaphyſica ingreſſi ſunt. Haud vltimus inter eos eſt THO. CAMPANELLA, vir ingenio quidem pollens, ſed ad παράδοξα pronus. Exſtant eius *vniuerſalis philoſophiae, ſiue metaphyſicarum rerum, iuxta propria dogmata, partes tres, libri XVIII.* ceu operum eius tomus quartus, editi Pariſ. 1638 in fol. In his multa ſingularia profert, multa etiam, quae ceteroquin ad logicam, phyſicam, & theologiam naturalem ſpectant. Quid ſibi in hocce opere conſtitutum

Digitized by Google

tum fuerit, ipſemet hunc in modum profitetur: *Propterea ego Thomas Campanella poſtquam omnes ſectas philoſophorum & ſophiſtarum, & religiones, & leges diuinitus & humanitus traditas, & ab impuro daemone hominibus prauis inſinuatas, & ſcientias, & artes cunctas rite percurri, ſtatui de vera ſapientia ſermones ſcribere, vnde quilibet poſſit & ſcientias examinare ex libro Dei, & connexiones earum per encyclopaediam introſpicere, & falſitates, & veritates deprehendere. Idcirco de principiis rerum primis & finibus, atque de ſcientiarum fundamentis erit doctrina haec, quam metaphyſicam appellamus, propterea quod phyſicos excedit, & communem philoſophiam, propterea quod circuit omnes, & ad primas cauſſas erigitur & ad ſupremam, vnde cauſſationem & cognitionem omnium gradatim contuemur.* Dum in ſequentibus etiam rationem exponit, cur Ariſtotelis metaphyſica ſibi non ſatisfecerit; ſimul, quid ipſemet prae aliis peculiare habeat, indicat. *Nec Ariſtoteles*, inquit, *nobis praeripuit hunc laborem; nam cum vellet metaphyſicam tradere, nihil minus quam metaphyſicam docuit. Neque enim probat principia & fines rerum, neque ſcientiarum, neque connexiones, & de ente, & de communibus entitatis, non loquitur philoſophice, ſed tanquam grammaticus, qui dictionarium facit, & vocis ſignificata diſtinguit, ſicut patet in quarto ſuae metaphyſicae. Neque ordinatim iuxta ſeriem aliorum ex aliis, ſed confuſe tanquam qui tradit grammaticam, & non deriuationes naturales. Item ſupra principia primalitates & realitates entis non adducit, quae ponimus nos potentiam, ſapientiam, & amorem; neque de nihilo, ex quo & ente cuncta ſecunda entia fiunt; neque de magnis influxibus, per quos fiunt; neque de rerum deriuantia ab ente primo, neque de reuerſione ad idem. Quinimmo excludit ideas, per quas fit deriuatio &c. lib. I. c. I. §. 4. 5.* Perſpicere hinc licet, ſtatuere CAMPANELLAM ſupra principia, primalitates, quas vocat, & realitates entis, potentiam, ſapientiam & amorem; item, omnia entia ſecunda ex nihilo & ente fieri; primalitatum tres eſſe magnos influxus, neceſſitatem, fatum, & harmoniam; omnia ab ente primo deriuari, & ab idem reuerti, &c. Quae ſpeciminis inſtar eſſe poſſunt, vt, cuiusmodi reliqua ſint, intelligatur. Poſt CAMPANELLAM commemorandus eſt HENR. MORVS, vtpote qui in *enchiridio* ſuo *metaphyſico, ſiue de rebus incorporeis ſuccincta & luculenta diſſertatione*, cuius tamen pars prima tantum prodiit, quae *tomo I.* operum eius philoſophicorum, *p. 133. ſeqq.* exſtat, ſingularia multa protulit. Ipſa eius inſcriptio nos docet, quod in ea *de exiſtentia & natura rerum incorporearum* agatur, quodue *quamplurima mundi phaenomena ad leges Carteſii mechanicas obiter expendantur, illiusque philoſophiae & aliorum omnino omnium, qui mundana phaenomena in cauſſas pure mechanicas ſolui poſſe ſupponunt, vanitas falſitasque detegatur.* Metaphyſicam ſcholaſticorum hic non inuenias, quippe quam auctor explodit, & maximam partem ad logicam ablegat; ipſe contra per metaphyſicam *artem* intelligit, *recte contemplandi res incorporeas, quatenus e lumine naturae facultatibus noſtris innoteſcunt; cap. I. p. 141.* Plurima quoque admiſcet, quae alii forte ad phyſicam retulerint; certe in experimentis variis adducendis copioſus eſt. Nec omnia placebunt omnibus, inter quae & illud eſt, quod enti generatim ſpectato, hinc & ſpiritibus, extenſionem quamdam tribuit, *c. XXVIII. p. 317. 318.* immo per extenſum immobile ipſum Deum intelligit, *c. VIII. p. 168. ſeqq.* Addere his poſſem IO. CARAMVELEM, ob nouam, quam excogitauit, linguam metaphyſicam, in *noua dialecto metaphyſica*, an. 1681 in fol. edita. Sed dignae non ſunt nugae iſtae, quibus recenſendis immoremur. Legi poſſunt apud GE. PASCHIVM, in *inuentis nou-antiquis, c. II. §. XV. p. 51. ſeqq.*

De

De vtilitate & pretio metaphyſicae non vna omnium eſt ſententia. Quidam plus, quam decet, illi tribuunt, quod eo praeſertim tempore factum, quo tota theologia vocibus ex metaphyſicorum ſcholis depromtis, ita inuoluta fuit, vt veram eius ac genuinam faciem vix quisquam cognoſceret. Atque ex reformatae quidem eccleſiae doctoribus BARTHOL. KECKERMANNVS eo vsque progreſſus eſt, vt diceret: *Deus lucem ſpiritus ſancti per duas illas plane diuinas diſciplinas, metaphyſicam & logicam in mentibus hominum vult accendere*; *lib. I. ſyſtem. theol. c. IV. p. 57.* Quo nomine merito vapulat IO. GERHARDO noſtro, in *methodo ſtudii theolog. ſect. poſterior. c. II. p. 108.* Huncce vero metaphyſicae abuſum cum alii tum in ſcholaſticis, tum in quibusdam proteſtantium theologis animaduerterent; ad alterum extremum procurrentes, metaphyſicam prorſus damnarunt, & ex ſcholis eiectam voluerunt. Nihil nunc de anabaptiſtis, Quakeris, & aliis eiusdem generis hominibus dicam, qui, licet generatim philoſophiam reiicerent, ſubinde tamen, metaphyſicam praecipue ſibi inuiſam eſſe, teſtati ſunt. PETR. RAMVS, cum adſeclis ſuis, cum nouam philoſophandi rationem introducere vellet, in metaphyſicam cumprimis inſurrexit, Ariſtotelicam praeſertim intelligens. Hinc in *praefatione ad ſcholas metaphyſicas*, theologiam Ariſtotelis *impietatem omnium impietatum* vocat. Qua in re non magnopere errat. Nec tamen inde ſequitur, metaphyſicam ipſam reiiciendam. Cum DAN. HOFFMANNVS, vti ſupra §. *XXIII.* dictum, omnem philoſophiam reiiceret ac damnaret; inter illos, qui eamdem amplectebantur ſententiam, VVENCESLAVS quoque SCHILLINGIVS fuit, qui magno animi impetu metaphyſicam ſpeciatim adgreſſus eſt, eumque in finem non tantum *conſiderationem de notitiis naturalibus, vanitatibus metaphyſicis oppoſitam*, ſed & tractatum, ſequenti ratione inſcriptum, edidit: *eccleſiae metaphyſicae viſitatio, concionibus metaphyſicalibus nouem exquiſitiſſimis diſcutiens praecipuos articulos metaphyſicos, & ad vnguem demonſtrans, quo eiuratae impietatis, vanitatisque deploratae, metaphyſici doctores delabantur, ad metaphyſicas ſpeculationes myſteria coelitus patefacta violentiſſime detorquendo ac exigendo metaphyſice.* Quo in libro adfectum potius ſuum, quam veritatis ſtudium, auctorem prodidiſſe, viris doctis obſeruatum eſt. In mitiorem tamen de eo partem pronuntiat, librumque hunc multa minime contemnenda continere, iudicat IO. CHRIST. LANGIVS, in *diſſert.* antea *citata, §. XXX. p. 45.* Cumprimis vero adhuc commemorandus eſt GVIL. AMESIVS, haud incelebris reformatae eccleſiae theologus, qui peculiarem *diſputationem theologicam aduerſus metaphyſicam* ſcripſit, eaque multorum in ſe concitauit animos. Prae reliquis autem metaphyſicae cauſſam contra eum egit CASP. EBELIVS, in *apologia pro veritate primae philoſophiae aduerſus Ameſium.* Eſt tamen obſeruandum, quod AMESIVS praecipue metaphyſicam Ariſtotelis impugnet. ABR. CALOVIVS illi opponit GISB. VOETIVM, itidem reformatae eccleſiae theologum, in *exercit. & biblioth. ſtudioſi theologiae lib. I. c. IV. p. 30.* metaphyſicae vtilitatem neceſſitatemque multis verbis celebrantem; in *paedia theolog. ſect. II. art. I. c. II. p. 115.* De Ameſio, aliisque, qui metaphyſicam reiecerunt, legendus etiam ADAM. TRIBBECHOVIVS *de doctoribus ſcholaſticis, c. VII. p. 349. 350.* Num a Guſtauo Adolpho, Succiae rege, metaphyſica in regno Sueciae prohibita ſit? diſputat GE. PASCHIVS, in *inuentis nou-antiquis, c. II. §. XIV. p. 47.* & IO. CHRIST. LANGIVS, *loc. cit. §. XXX. p. 45.* Noſtra aetate dignitatem iſtam, atque auctoritatem, quam olim metaphy-

taphyſica in theologorum pariter ac philoſophorum ſcholis obtinuit, multum imminutam, negari nequit. Eiusque rei cauſſam nonnulli partim in iuris naturalis aliarumque litterarum culturam diligentiorem, partim in theologorum quorumdam, verae pietatis ſtudium ſerio vrgentium, ac commendantium, inſtitutum conferunt. Verum, legitimum ſobriumque metaphyſicae vſum hac ratione ſublatum, dici nequit. Quodſi nonnulli a vanis ſcholaſticae metaphyſicae ſubtilitatibus ad meliores litteras traducti ſunt, & theologia a ſuperfluis inanibusque vocibus repurgari coepit, ſimulque didicerunt, theologiam, quae meris ſpeculationibus abſoluitur, omnique deſtituitur praxi, parum prodeſſe; id enimuero pro felicitatis, qua noſtra tempora gaudent, parte reputandum, cenſeo. Ad rem ipſam vero quod attinet, ſi de vſu pretioque metaphyſicae recte ſtatuere velimus; primum quidem, quid hoc nomine nobis veniat, perpendendum. Si ipſa denotetur theologia naturalis, quam a nonnullis metaphyſicam vocari, antea obſeruauimus; nemo ſanae mentis eam vituperauerit. Id quod de vera, & ex rectae rationis principiis deriuata, theologia naturali intelligimus. Ariſtotelis enim metaphyſicam hocce nomine indignam eſſe, nemo negabit, niſi cui verum eius ſyſtema plane ignotum ſit; quod ab atheiſmo non multum abeſſe, hodie viri docti luculenter euicerunt. Sin quis ſcholaſticorum metaphyſicam, ſeu doctrinam de ente abſtracte conſiderato, quam recentiores *ontologiam* vocant, intelligat; tum quidem, ſi ea in ſe ſpectetur, non video, quemnam illa vſum habeat. At intuitu aliarum eruditionis partium, praeſertim theologiae, vſu minime contemnendo gaudet, modo voces, quas nobis ſuppeditat, ſobrie ac circumſpecte, & non, niſi neceſſitate quadam vrgente, adhibeantur. Nec poenitet me, quod, in *elementis* meis *philoſophiae inſtrumentalis*, ontologiam philoſophiae inſtrumentali adiunxerim, & pro lexico quodam philoſophico habuerim. Non enim errare, qui ita ſentiunt, demonſtrauit IAC. THOMASIVS, in *hiſtoria metaphyſicae §. XVI. ſeqq.* Largimur tamen, quod idem vir doctiſſimus docet, eiusmodi lexicon eſſe, quod ſpeciem quamdam ſcientiae prae ſe ferat. Immo & id largimur, axiomatum & principiorum metaphyſicorum in aliis diſciplinis itidem inſignem prorſus vſum eſſe, & ad alias veritates demonſtrandas plurimum valere. Sed rurſus de iis principiis hoc eſt accipiendum, quae hoc nomine digna ſunt, quorum non adeo ſunt multa. Quaedam enim pro principiis venditantur, quae nihil minus ſunt, quam principia. Legi interim merentur DAN. STAHLII *regulae philoſophicae*. Vt ergo hunc in modum legitimum metaphyſicae vſum admittimus; ita, abuſum eo diligentius euitandum, merito cenſemus, quo is eſt ſubinde grauior. Ipſos namque atheos non alibi magis, quam in metaphyſica, inuenire, quibus impia ſua dogmata inuoluant, vel BENEDICTI DE SPINOZA exemplo conſtat.

Nonnulli denique, ontologiae, ſeu ſcholaſticae metaphyſicae, naeuos ac defectus, conſiderantes, & quam parum in ea ſit, quod tam ſplendido nomini, aliiſque, quibus ornari ſolet, elogiis reſpondeat, perpendentes, de ea emendanda, & ita in priſtinum locum reſtituenda, cogitationes ſuſceperunt. Nonnulla huc ſpectantia PET. POIRETVS in medium attulit, de *erudit. ſolida, ſuperficiaria, & falſa, p. 171. & 270.* Sed G. G. LEIBNITIVS quoque de *primae philoſophiae emendatione commentationem* edidit, cuius ſummam recenſet GE. PASCHIVS, in *inuentis non-antiquis, c. II. §. XV. p. 49.* Idem quoque in mentem venit IO. CHRIST. LANGIO, in *diſſertatione* aliquoties nobis iam *laudata.*

Digitized by Google

ta. Ita namque tractandam metaphyſicam cenſet, vt in ea primo-prima totius theoreticae philoſophiae, & vere rationalis cognitionis fundamenta, ponantur, §. *XI. ſeqq.* Sed, quod apud alios intra vota & conſilia ſubſtitit, & vltra σκιαγραφίαν, vel delineationem quamdam, productum non eſt; id ſingulari prorſus induſtria & dexteritate praeſtitit vir longe doctiſſimus IO. IAC. SYRBIVS noſter, in *inſtitutionibus philoſophiae primae nouae & eclecticae*, quae an. 1719 lucem adſpexeruut publicam. Tribus iſtae abſoluuntur partibus, quarum prima illi *architectonica* eſt, praeter *theologiam philoſophicam, omnis eruditionis fundamenta, principia, & methodum ex ipſius hominis conſideratione deriuata*, exhibens; altera vero *metaphyſica, philoſophiam occultam*; tertia denique *ontologia, notionum philoſophicarum vulgo vſitatiorum explicationem* ſiſtens. In prima itaque parte poſt prooemium, de *natura & partibus hominis* agit, *c. I.* de *Deo ceu fine hominis ſummo*, *c. II.* de *ſtudiis hominum in genere*, *c. III.* de *ſtudio ſapientiae, hoc eſt, philoſophiae, in ſpecie*, *c. IV.* de *idea, reliquisque fundamentis logicis*, *c. V.* de *deſiderio, reliquisque fundamentis moralibus*, *c. VI.* de *motu, ſeu fundamentis phyſicis*, *c. VII.* In altera parte ſeu philoſophia occulta, quam ſpeciatim *metaphyſicam* vocat, poſt prooemium, de *natura & conſtitutione metaphyſicae*, diſſerit de *ſpiritibus eorumque exiſtentia, eſſentia, attributis, & operationibus in genere*, *c. I.* de *variis ſpirituum generibus*, *c. II.* de *his, quae de Deo ſunt occulta*, *c. III.* de *occultis animae humanae*, *c. IV.* de *diuinatione huiusque variis generibus*, *c. V.* de *magia*, *c. VI.* de *occultis corporum naturalium*, *c. VII.* In parte denique tertia, ſeu *ontologia*, cuius ſuccinctam quamdam dat delineationem, poſt prooemium, de *ente & eius inferioribus* verba facit *c. I.* de *non ente, eſſentia, exiſtentia, huiusque oppoſito*, *c. II.* de *affectionibus entis vnitis, vno, vero, bono*, *c. III.* & ſic porro. Ita ſane philoſophia prima, ſeu metaphyſica, voce in latiori ambitu accepta, longe alia, & amoeniori quidem facie, prodit, quam qua in ſcholaſticorum libris conſpicitur. Secundum quam ſi conſideretur, nemo ſanae mentis de eius aut vtilitate, aut praeſtantia, dubitabit.

§. XXIX. Philoſophiae theoreticae pars prima, ſeu *phyſica*, dum ad intima naturae nos ducit penetralia, & *opera creationis*, ex quibus, Deum eſſe, ipſa ratio colligit, *Rom. I, 20.* adcuratius conſiderare docet, talia tradit, quae neſcire neminem fas eſt. * Nonnulla inſuper, ſpeciatim doctrina de homine, quae praecipue noſtram attentionem prouocare debet, per pleras que eruditionis theologicae quoque partes, ita ſe diffundunt, vt in his ſine illorum notitia rite proficere non liceat. ** Rerum denique naturalium, quae in ſacris litteris commemorantur, explicationi hinc lux adfunditur. ***

* Magnam eſſe doctrinae naturalis, ſeu phyſicae, iucunditatem, multiplicemque vtilitatem, fatentur omnes, qui vel primis eam deguſtarunt labiis. Inter reliqua autem, quibus ſe commendat, praecipuum eſt, quod in ſtructura, diſpoſitione, vſu, conſeruatione, propagatione, corporum naturalium, infinitam Numinis & potentiam, & ſapientiam & benignitatem cognoſcere & admirari licet; vnde validiſſima ſimul, ad inſaniam atheorum coercendam, ſuppeditantur arma. Hinc & in tractatione phyſicae, cauſſae efficientis primariae ac principalis neutiquam

quam praetermittenda eſt conſideratio, vt vulgo fieri ſolet. Nec ferendum etiam, quod finium inueſtigationem ex phyſica proſcripſerit REN. CARTESIVS; quo nomine tum aliis vapulat, tum ſpeciatim IO. RAYO, in libro, *exiſtentia & ſapientia Dei manifeſtata in operibus creationis*, dicto, *part. I. p. 28. 29. ſeqq.* Ex inſtituto vtilitatem, quam ex doctrina naturali capere licet, oſtenderunt ROB. BOYLE, in *exercitat. de vtilitate philoſophiae naturalis & experiment.* & RVARD. ANDALA, in *orat. de praeſtantia, vtilitate & iucunditate phyſices.* Quodſi quidam ex hocce ſtudio plus damni, quam emolumenti, accipiunt; ipſorum haud dubie contingit culpa, dum non recte, & ita, vt decet, in eodem verſantur. Idque illorum exemplo patet, qui cauſſis proximis inueſtigandis ita inhaerent, vt de prima, ſeu Deo, non ſint ſolliciti, quiue mechaniſmo plus, quam par erat, tribuunt, in eam tandem praecipites lapſuri ſententiam, mundum huncce, omniumque in eo corporum, ſibi conſtare rationem, etiamſi Deus quam longiſſime remoueatur. Quo ipſo, a ſupremo ſtultitiae gradu non procul ſe abeſſe, demonſtrant. Hiſtoriam doctrinae phyſicae haurire licet ex DAN. GE. MORHOFII *polyhiſt. tom. II. lib. II.* per integrum, qui in hac philoſophiae parte omnium diligentiſſime verſatus eſt. Plurima quoque, quae huc ſpectant, tradit GE. PASCHIVS, in *inuentis nou-antiquis, c. VI. & VII.* In compendio praecipua momenta exhibui, in *element. philoſoph. theoret. c. I.* addatur IO. GE. WALCHIVS, in *dem Entwurff der allgemeinen Gelehrſamkeit, lib. III. c. III. §. XI. p. 169.* Praecipuos ſcriptores phyſicos, tum generales, tum ſpeciales indicat IVL. BERNH. VON ROHR, in *der phyſicaliſchen Bibliotheck &c.* Lipſiae 1724, 8. Si quis in ſtudio phyſicae recte procedere cupit, illi, mea quidem ſententia, initium faciendum ab hiſtoria naturali, quorſum & phyſica experimentalis pertinet. De principiis enim, ſeu hypotheſibus phyſicis, quaenam ceu veroſimiliores aliis praeferendae ſint, vt iudicium ferre queat; diſpiciendum, quaenam ita comparatae ſint, vt phaenomenis corporum naturalium aut omnibus, aut plerisque explicandis ſufficiant. Phaenomena itaque omnia, vt hoc rite fieri queat, adcurate nobis cognita eſſe debent. Non aliunde vero, quam ex hiſtoria naturali, cognita eſſe poſſunt. De ſcriptoribus autem hiſtoriae naturalis, adeoque & phyſicae experimentalis, iam ſupra ad §. *XII.* huius capitis ex inſtituto diximus. Maximopere itaque mihi illorum inſtitutum placet, qui, phyſicam methodo analytica potius, quam ſynthetica, tradendam, putant, deſcribendo ſtructuram & proprietates corporum, & hinc ad principia ſeu hypotheſes progrediendo; quam ideo & ipſe in *elementis* meis *philoſophiae theoreticae* ſequutus ſum.

Hiſtoriae itaque naturalis, atque adcuratiſſima corporum huius vniuerſi, quantum fieri poteſt, ſi quis inſtructus ſit notitia; tum quidem recte ad hypotheſes veterum pariter ac recentiorum philoſophorum perluſtrandas ac examinandas ſeſe conferet, vt eam, quam reliquis praeferendam exiſtimet, eligat. Latiſſimus hic ſeſe mihi aperiret campus, dicendi de principiis phyſicis ſcholae Ionicae, & qui ex ea prodierunt, PLATONIS ac ARISTOTELIS, itemque Stoicorum, ſcholae porro Eleaticae, ſpeciatim DEMOCRITI, PARMENIDIS, & EPICVRI, ipſius quoque PYTHAGORAE, HERACLITI itidem, HIPPOCRATIS, aliorumque. Sed haec omnia ex ſcriptoribus hiſtoriae philoſophicae, quos ſupra laudauimus, haurire licet, vt iis recenſendis immorandum nobis non ſit. Iungenda, quae de hiſce omnibus copioſe diſſerit DAN. GE. MORHOFIVS, *polyhiſt. tom. II. lib. II.* vbi de philo-

Digitized by Google

philoſophia naturali Aegyptiorum, Chinenſium, & Indorum, Pythagorae, Graecorum, ſpeciatim Democriti & Epicuri, Stoicorum, Pyrrhoniorum, & ſcepticorum, philoſophorum ſcholae Ionicae, Platonis denique & Ariſtotelis, ex inſtituto verba facit, *c. IV. ſeqq.* vsque ad *XII.* In compendio etiam praecipua exhibet IO. BAPT. DV HAMEL, de *conſenſu veteris & nouae philoſophiae*, praeſertim *libro primo*, itemque GOTTL. STOLLIVS, in *der kurtzen Anleitung zur Hiſtorie der Gelahrheit, part. II. c. IV.* §. *I.* ad *XX. p. 221. ſeqq.* Multa quoque, quae huius loci ſunt, adfert THO. BVRNETIVS, in *archaeologia philoſophica, ſiue doctrina antiqua de rerum originibus*, praeſertim *libro primo.* Sed cum cuncta fere ad ſuam hypotheſin ſtabiliendam trahat, adcuratiori quandoque examine ac diſcuſſione opus eſt. De Ariſtotelis phyſica hoc ſolum ὡς ἐν παρόδῳ moneo, cum formae, quas vocant, ſubſtantiales, vtramque in ea paginam faciant, non omnibus forte conſtare, vnde eas acceperit. Obſeruandum itaque, PLATONEM ideas ſtatuiſſe, a diuina eſſentia ſeparatas, ceu rerum ſenſibilium exemplaria atque formas, quas quidem ideas ſeu formas Deus, mundum ex materia aeterna conditurus, ex ſe produxerit, & propria, ſibique conſtanti, ſubſtantia donauerit, vt eas in condendis rebus ſenſibilibus intueretur, quemadmodum pictores expreſſam imaginem intueri ſolent, vt eius ſimilitudinem forment. Haſce ideas, ſeu formas, ceu per ſe & ſeparatim exſiſtentes, reiecit quidem, & mirum in modum exagitauit Ariſtoteles; admiſit tamen, prout materiae ſunt immerſae, & cum ea coniunctae. Hinc itaque formae iſtae ſubſtantiales. Legenda, quae erudite hac de re monet IAC. BRVCKERVS, in *hiſtoria philoſophica doctrinae de ideis, ſect. I.* §. *IX. p. 136. ſeqq.* De patrum, ſeu veteris eccleſiae doctorum, phyſica nunc nihil addo; cum alibi de illorum eruditione philoſophica ex inſtituto dicendi ſe nobis oblatura ſit occaſio. A ſcholaſticis doctoribus, quos ab Arabibus Ariſtotelicam philoſophiam accepiſſe, ſupra docuimus, in doctrina naturali praeter nugas & ineptias nihil exſpectandum erat. Praeterquam enim, quod ab Ariſtotele, quem ne recte quidem intelligebant, non diſcederent, adeoque ſe ipſi rationis vſu in rerum naturalium inueſtigatione priuarent; hiſtoriam quoque naturalem, ceu genuinum phyſicae fundamentum, negligebant. Chemiae autem ſtudio per Arabes in Europam propagato, exſtiterunt nonnulli, qui ſupra ſaeculi captum ſaperent, & in intimiores naturae receſſus penetraſſe viſi ſunt, praeſertim cum etiam matheſeos artiumque mechanicarum quadam imbuti eſſent peritia. Id vero iſtius aetatis hominibus adeo inſolens viſum, vt in magiae venirent ſuſpicionem. Celebres maxime hoc nomine ſunt ROGERVS BACO, Anglus, ordinis Franciſcanorum monachus, qui ſaeculo decimo tertio vixit, & ob eruditionem ſingularem *doctor mirabilis* dictus eſt; ALBERTVS magnus, magni nominis ſcholaſticus, qui itidem eodem ſaeculo decimo tertio floruit, & ARNOLDVS DE VILLANOVA, qui circa annum 1300 magnam famam celebritatemque, inter chemicos conſequutus eſt, artemque, viliora metalla in aurum transmutandi, nouiſſe perhibetur. De BACONO legendus praeter alios GE. PASCHIVS, in *inuentis nou-antiquis, c. VI.* §. *XXIV. p. 399. & c. VII.* §. *IV. p. 527.* alibique, qui & de ALBERTO magno verba facit, *c. VII.* §. *XLIII. p. 694.* item §. *XV. p. 580. ſeqq.* De ARNOLDO autem de VILLANOVA, qui & inter haereticos referri ſolet, recenſente errores, quorum reus agitur, NAT. ALEXANDRO, *hiſt. eccleſ. tom. VII. p. 102.* Conferre iuuabit OLAVM BORRICHIVM, in *conſpectu ſcriptor. chemicor.* §. *XXII.* Nec egomet

met eum praetermiſi, cum praecipuos enarrarem, qui artem, metalla viliora in aurum transmutandi calluiſſe feruntur, in diſſertatione *an alchemiſtae ſint in republica tolerandi?* §. *XII. p. 521. ſeqq.* Ibidem etiam de RAYM. LVLLIO, qui ARNOLDI fuit diſcipulus, a me dictum.

Cum per bonarum litterarum reſuſcitationem noua lux oriretur; exſtiterunt quidem initio viri docti, vt ſupra quoque dictum, qui ſordes ſcholaſticorum a philoſophia abſtergere, eamque elegantiori ſpecie ornatam exhibere adniſi ſunt. Parum tamen hi opera ſua ad rei ſummam profecerunt, nec rerum naturalium inueſtigationi multum adfuderunt lucis. Quam PETR. RAMVS ſuſcepit philoſophiae emendationem, ad dialecticam praecipue ſpectabat, quamquam nonnulla etiam in phyſicis attigerit. Certe exſtant *ſcholarum eius phyſicarum libri octo in totidem acroamaticos libros Ariſtotelis*, Pariſiis 1565 in 8. editi. Oppoſuit autem ſe ei, in hac quidem philoſophiae parte, praecipue GEO. LIEBLERVS, in *epitome philoſophiae naturalis*, ex qua iterum compendium aliquod fecit IO. PLANCVS, editum Noriberg. 1621 in 8. Amplius quid molitus eſt BERNHARD. TELESIVS, cuius de *rerum natura, iuxta principia propria libri IX. vna* cum PHILIP. MOCENICI, Veneti, *vniuerſalium inſtitutionum, ad hominum perfectionem, quatenus induſtria parari poteſt, contemplationibus quinque*; & ANDR. CAESALPINI, Aretini, *quaeſtionum peripateticarum libris quinque*, an. 1588 ſine loci mentione, excuſi ſunt. Primus namque hicce fuit, qui Ariſtotelis, quod hactenus omnes premebat, excutere iugum auſus eſt, nouaque rerum naturalium commentus eſt principia, calorem & frigus; in quibus PARMENIDEM maxime ſequutus cenſetur, quem itidem duo rerum principia, ignem, ſiue caelum, & terram, ſtatuiſſe perhibent. Cum TELESIO in quibusdam fecit FRANC. PATRITIVS, cuius *diſcuſſiones peripateticas* ſupra commendauimus. Opus namque edidit, inſcriptum: *noua de vniuerſis philoſophia libris quinquaginta comprehenſa; in qua Ariſtotelica methodo non per motum ſed per lucem & lumina ad primam cauſam adſcenditur; deinde noua quadam ac peculiari methodo tota in contemplationem venit diuinitas; poſtremo methodo Platonica rerum vniuerſitas a conditore Deo deducitur &c.* Venetiis 1593, in fol. Legendus de eo PETR. BAELIVS, qui & obſeruat, conſtare hocce opus libris LXIX, licet in fronte quinquaginta tantum librorum mentio fiat; *diction. hiſtorico-crit. voce Patritius, p. 2322.* Quaedam nimirum TELESII adprobat, vt tamen in aliis ab eo diſcedat. Idem de THOMA CAMPANELLA cenſendum, quippe qui TELESIVM paſſim defendit, propriam tamen ſibique peculiarem, vt in reliquis, ita & in phyſicis, philoſophandi habet rationem. Huius vero loci liber eſt, quem *de ſenſu rerum & magia* ſcripſit, in quo id agit, vt omnibus rebus, etiam iis, quae anima deſtituuntur, ſenſum tribuat. Nimirum, cum in effectibus ſenſum deprehendiſſe ſibi videretur, ideo, eumdem & cauſſis principiisque, & elementis, adeoque rebus omnibus, tribuendum, putabat. Commemorandus hic etiam eſt HIERON. CARDANVS, cum CAMPANELLA vel hoc nomine comparandus, quod magno quidem, ſed ad paradoxa prono, praeditus fuerit ingenio. Inter ea, quae phyſici argumenti compoſuit, ſcripta, eminent *libri XXI de ſubtilitate & varietate rerum.* Gloriam, quam inde forte conſequi poterat, cum ei inuideret IVL. CAES. SCALIGER, vir ſane doctus, ſed impotentis animi, & ambitione lymphatus, *exercitationes* ſuas *exotericas de ſubtilitate ad Hieronymum Cardanum* ſcripſit, tum alias, tum & Francofurti 1612 in 8. excuſas; quibus CARDANVS iterum *actionem primam in calumniatorem librorum de ſubtilitate* oppoſuit. Iniquiſſime

quiſſime SCALIGERVM cum CARDANO egiſſe, ſaepe ſophiſmatibus pugnare, reprehendere, quae non reprehendenda erant, viris doctis obſeruatum eſt. Non itaque ſine ratione Cardanum in quibusdam vindicat IO. SPERLINGIVS, in *meditationibus ſuper ſubtilitates Scaligeri.* Exſtant etiam RVDOLPHI GOCLENII *aduerſaria ad exotericas aliquot Iulii Caeſaris Scaligeri exercitationes*, Marpurgi 1694 8. Interim non negandum, multa lectu digna in iſtis SCALIGERI *exercitationibus* occurrere, praeſertim multa eum adferre, quae hiſtoriae naturali illuſtrandae inſeruiunt. Magnae hinc olim auctoritatis liber hicce fuit, vt nemo philoſophus cenſeretur, qui eum non legiſſet; hodie autem fere negligitur, certe a pauciſſimis legitur.

Fuiſſe iam ante bonarum litterarum παλιγγενεσίαν, qui arte chemica ad naturae arcana detegenda vterentur, iam antea obſeruauimus. Horum deinceps veſtigia preſſit THEOPHRASTVS PARACELSVS, ſtudiumque chemicum reſuſcitauit, nec arti modo medicae, ſed doctrinae quoque naturali, nouam conciliare faciem, adgreſſus eſt. Tria hinc chemicorum principia, ſal, ſulphur, & Mercurius, celebrari coeperunt; in quae cum omnia corpora reſoluantur, ex iis quoque ea compoſita eſſe, concludebant, qui hancce philoſophandi ſequebantur rationem. Quidquid ſit de vita moribusque PARACELSI, de quibus in diuerſa abeunt, qui de eo ſcripſerunt; virum fuiſſe artis chemicae peritiſſimum, cuius non profecto nulla in artem medicam exſtent merita, negari nequit. Sunt, qui, a BASIL. VALENTINO eum chemicae artis notitia imbutum, tradunt. Num inter eos, qui artem, tranſmutandi metalla ignobiliora in aurum, tenuerunt, referendus ſit, diſputaui in *exercitat. an alchemiſtae in republ. tolerandi? §. XVIII. p. 538. ſeqq.* Ibidem etiam euici, perperam eum a quibuſdam magiae adcuſari, & ad ea, quae HERM. CONRINGIVS illi obiicit, reſpondi. A magiae crimine eum quoque liberat GABR. NAVDAEVS, in *apologia magnorum virorum in magiae ſuſpicionem deductorum, p. m. 278. ſeqq.* Vocat ibi Paracelſum *magnum in philoſophia, medicina, & religione haereſiarcham*, recteque obſeruat, magna ſcripta eius laborare obſcuritate, idque propter peregrina, quibus vſus eſt, nomina, cuiusmodi ſunt, *ens pagoycum, cagaſtricum, cherionium, leſſas, ieſadaeh, trarames, ſtannar, perenda, relloleum.* Optandum, vt a rebus theologicis manus abſtinuiſſet. Has enim dum ita tractauit, vt chemicos conceptus ad eas transferret, ſimul tamen bona malis admiſceret; non tantum ipſemet a recto diſceſſit tramite, ſed & alios, vt idem facerent, induxit, pro quodam hinc fanaticorum patriarcha habendus. Certe, VALENT. WEIGELIVM, IAC. BOEHMIVM, aliosque, ex eius prodiiſſe ſchola, notum eſt. Inter diſcipulos eius ac ſectatores referrem *fratres roſeae crucis*, niſi hodie conſtaret, ſocietatem illam, quae olim tantum ſtrepitum dedit, fuiſſe confictam, & nullibi terrarum exſtitiſſe. Occaſio tamen inde quibuſdam enata fuit, alchemiſticum ſtudium cum panſophia chemica ſerio defendendi, quod cumprimis a MICH. MAIERO factum, in libro, *ſilentium poſt clamores* inſcripto. Dixi plura hac de re in *exercitat. an alchemiſtae in republica tolerandi? §. XVI. p. 535. ſeqq.* Chemicum vero ſtudium ex eo tempore magis effloruit, plurimosque, inter medicos praecipue, defenſores nactum eſt, ac propugnatores; quamquam nec deeſſent, qui illud reiicerent ac repudiarent. Inter illos OLAVS BORRICHIVS eminet, qui cum arte chemica meliorum litterarum atque antiquitatum peritiam ſingularem coniunxit, cuiusue exſtat *de ortu & progreſſu chemiae diſſertatio*, Haffniae 1668 in 4. itemque *Hermetis, Aegyptiorum & chemicorum ſapientia, ab Hermanni Conringii animaduerſionibus vindicata*,

dicata, Hafniae 1674. HERMANNI autem CONRINGII, qui acriter philoſophiae & medicinae chemicae ac Paracelſicae ſe oppoſuit, de *Hermetica medicina libri duo*, iterum auctiores emendatioresque lucem adſpexerunt Helmſtadii 1669, in 4. cui editioni ſubiunctus eſt *apologeticus aduerſus calumnias & inſectationes Olai Borrichii* Videtur vero CONRINGIVS in Paracelſum paullo iniquior; quamquam nonnulla iure in eo reprehendat. Vtriusque & CONRINGII & BORRICHII ſcripta lectu digna, cum eruditione inter ſe certent, & hiſtoriam artis chemicae inueſtigaturis facem praeferant. Inter eos, qui ſecundum principia, quae vocant, hermetica, phyſicam tradere in animum induxerunt, haud vltimus eſt HENR. NOLLIVS, cuius *naturae ſanctuarium, quod eſt phyſica Hermetica* Francofurti 1619 in 8. excuſum eſt. Cumprimis commemorandus nobis adhuc eſt DAN. SENNERTVS, medicus quondam longe celeberrimus, qui chemicae artis in medicina vſum primus in academia Wittebergenſi adprobare & commendare auſus eſt, ſimulque de rebus naturalibus aliter, quam vulgo fiebat, philoſophari coepit. Teſtantur hoc eius ſcripta, *epitome* ſcilicet *ſcientiae naturalis*; item: *de chemicorum conſenſu & diſſenſu cum Ariſtotelicis & Galenicis*, vt &: *hypomnemata phyſica*. Veſtigia eius in quibuſdam preſſit, immo & defenſionem contra aduerſarios, quos expertus eſt, ſuſcepit IO. SPERLINGIVS, cuius *inſtitutiones phyſicae*, ſaepius editae, multorum adprobationem olim conſequutae ſunt. Profitetur, ſe in iis eclecticam ſequi philoſophandi rationem; in plurimis tamen non multum ſupra ſcholaſticos ſapit, qui eo tempore philoſophiae regnum vbique fere adhuc tenebant. Ob concinnum & elegans dicendi genus multis etiam Inſtitutiones iſtae placuerunt; quemadmodum & eiusdem *anthropologia phyſica*, Wittebergae 1647 edita, hinc inde laudatur. SENNERTO pariter ac SPERLINGIO praeter alios ſe acriter oppoſuit IO. FREITAGIVS, medicinae in academia Groeningenſi profeſſor, cuius *nouae ſectae Sennerto-Paracelſicae, recens in philoſophiam & medicinam introductae, qua antiquae veritatis oracula, & Ariſtotelicae ac Galenicae doctrinae fundamenta conuellere, & ſtirpitus eruderare moliuntur nouatores, detectio & ſolida refutatio*, Amſtelodami 1637 in 8 prodiit. Quo in libro auctor non ſcribere, ſed furere videtur. Praemiſit ei *apologiam ad orbis chriſtiani academias, & ſigillatim Wittenbergicam, omnesque ibi & alibi veteris & indubitatae veritatis adſertores & patronos*, quam hiſce inchoat verbis: *Vsque adeo inimicus & otii & bonarum horarum prodigus fui, vt ad affanias & inanias Sennerto-Sperlingianas paucis pro re nata reſpondere non dubitauerim &c.* Legenda, ſed expendenda quoque, quae de hocce Sennerti & Freitagii certamine obſeruat PET. BAELIVS, *diction. hiſtor. crit. voc. Sennertus, p. m. 2701.* Diſputatum cumprimis fuit, de origine formarum, quas vocant, ſubſtantialium, quas non e potentia materiae educi, nec in materiam induci, ſed cum materia traduci, ſeu per traductionem propagari, cum SENNERTO adſerebat IO. SPERLINGIVS; conf. huius *inſtitutiones phyſic. lib. I. c. III. quaeſt. I. & ſeqq. p. 76. ſeqq.* Cum vero ſimul de origine animae humanae oriretur quaeſtio; noua inde orta ſunt certamina, SPERLINGIO, quocum & IAC. THOMASIVS aliique faciebant, pro traduce pugnantibus, Ienenſibus contra, IO. ZEISOLDO, DAN. STAHLIO, aliisque, creationem animae adſerentibus. Sed haec huius loci non ſunt. Nonnulla, quae huc ſpectant, dixi in *inſtitut. theol. dogmaticae, lib. II. cap. II.* ad *§. XVI. p. 496.*

Quae ex chemicorum induſtria in phyſicam redundant commoda, in eo praecipue conſiſtunt, quod per varia eorumdem experi-

Digitized by Google

experimenta, ad proprietates corporum adcuratius pernoſcendas, hiſtoriamque adeo naturalem, quaedam facta eſt acceſſio. Qui vero ad hiſtoriam naturalem animum adiungunt, eamque experimentis augere & amplificare ſtudent; illi demum veram rectamque viam ingredi cenſendi ſunt, qua phyſices ſtudium promoueri, & in maius meliusque prouehi, queat. Exemplum hiſce praeiuit FRANC. BACO DE VERVLAMIO, cui adeo praecipua reſtauratae doctrinae phyſicae gloria debetur, quem deinceps ſequuti ſunt alii, nouis indies experimentis nouam quoque lucem rerum naturalium inueſtigationi adfundentes. Sed de hiſce omnibus ſupra dictum ad §. *XIV.* huius capitis, cum de hiſtoria naturali, eiusque ſcriptoribus ageremus. Eo facilius deinceps fuit, noua quaedam ſyſtemata condere, quod RENATVM CARTESIVM praecipue feciſſe, conſtat. Qua hic inceſſerit via, ipſemet nos in *diſſertat. de methodo* condocet. Ex reliquis eius ſcriptis ad phyſicam ſeu philoſophiam naturalem ſpectant *principia philoſophiae; meteora; de paſſionibus animae;* & *tractatus de homine.* Ex diſcipulis vero eius & ſectatoribus nonnulli quidem, dum integra philoſophiae ſyſtemata, eius hypotheſibus ſuperſtructa, condiderunt; non potuerunt non phyſicam ſimul attingere, vt ANTON. LE GRAND, & PET. SYLVANVS REGIS, de quibus ſupra quoque dictum; alii autem ſeorſim phyſicam, ſeu doctrinam naturalem ſecundum hypotheſes Carteſii tradiderunt, quod praeter HENR. REGIVM, in *fundamentis phyſices*, IAC. ROHAVLTIVS fecit, in *tractatu phyſico*, cum *animaduerſionibus* ANTONII LE GRAND, & auctoris *tractatu mathematico de arte mechanica*, Amſtelodami 1700 in 8. edito. Prodiit etiam Londini 1710 cum adnotationibus SAM. CLARKII. IOANNIS quoque CLAVBERGII huc referenda *phyſica*, Amſtelodami 1664 in 4. excuſa. Fuerunt etiam, qui ipſius CARTESII ſcripta phyſica commentariis illuſtrarent. Sic RVARDI ANDALAE, qui principem hodie inter genuinos Carteſii ſectatores locum tenet, *paraphraſis* exſtat *in principia philoſophiae Renati des Cartes*, Franecquerae 1711 in 4. De phyſica autem, ſeu doctrina naturali CARTESII, viri docti, & a partium ſtudio alieni ita cenſent, multa quidem ingenioſe ab eo eſſe excogitata, quae magnam veri ſpeciem habeant, apteque ſatis ſyſtema eius cohaerere; fundamentis tamen parum ſolidis eſſe ſuperſtructum. Legenda cumprimis HENR. MORI *epiſtola, quae apologiam complectitur pro Carteſio, quaeque introductionis loco eſſe poterit ad vniuerſam philoſophiam Carteſianam; tom. I. operum* eius *philoſophicorum, p. 107. ſeqq.* vbi breuiter, ſed neruoſe & adcurate, quae in ſyſtemate phyſices Carteſianae reprehendenda ſint, indicat. Eodem, quo Carteſius nouum illud molitus eſt philoſophiae aedificium, tempore, Democrito-Epicuream philoſophandi rationem iterum reuocauit PET. GASSENDVS, ingenii laude Carteſio nihil concedens, doctrinae forte ſuperior. Ita vero Epicurum ſequutus eſt, vt, quae ab eo perperam dicta eſſent, nec admitti vlla ratione poſſent, corrigeret ac emendaret. *Phyſica* eius ampliſſimum doctrinae naturalis ſyſtema exhibet, *operumque* eius, iunctim editorum, *tom. I. & II.* exſtat, quamquam & in *notis ad lib. X.* DIOGENIS LAERTII, aliisque ſcriptis, ea attingat, quae huius loci ſunt. Compendium aliquod ex iis lingua gallicana concinnauit BERNIERIVS, an. 1684 ſeptem tomis in 12 excuſum. Idem & in gratiam Anglorum GVALT. CHARLETONVS fecit, vt tamen ipſemet quaedam adderet, in *phyſiologia Epicuro-Gaſſendo-Charletoniana*, edita Londini 1654 in fol. Quantumuis autem plurimi & CARTESII & GASSENDI merita in

in doctrinam naturalem laudarent; pauci tamen fuere, qui vnum ex hiſce ducibus ita eligerent, vt ab eius diſcedere in quibusdam placitis religioni ſibi ducerent. In horum referendi numerum WOLFERD. SENGVERDVS, in *philoſophia naturali*, in qua vt plurimum GASSENDVM ſequitur, DE STAIR, in *phyſiologia noua experimentali*, FRANC. BAYLE, in *inſtitutionibus phyſicae*, aliique. Cum autem Carteſius ſecundum principia mathematica & mechanica doctrinam naturalem tractare incepiſſet, eaque in re plurimi eius ſequuti eſſent veſtigia; ISA. NEVTONVS conſultum duxit, principia haecce mathematica, quorum in phyſica vſus eſt, colligere, eaque rite demonſtrare. Eo namque eius *philoſophiae naturalis principia mathematica*, Londini primum 1687 edita, comparata ſunt. Fuerunt etiam ex Anglis praecipue, qui eius exemplum imitarentur; ſed cum ob ſubtilitatem a pauciſſimis intelligeretur, GVIL. IAC. S' GRAVESANDE *phyſices elementa mathematica, experimentis confirmata, ſiue introductionem ad philoſophiam Newtonianam*, euulgauit, cuius tomus primus Lugduni Batauorum 1720 in 4. prodiit. Tractationem tamen in hocce opere fini ſeu ſcopo, quem auctor prae ſe tulit, non prorſus reſpondere, quibusdam obſeruatum eſt; cum experimentis equidem cuncta confirmet, ipſis vero demonſtrationibus Newtonianis parum aut nihil lucis adſundat. Cum porro in mechanica illa ac mathematica phyſicam tractandi ratione cuncta ad leges motus redeant; de ipſa motus origine grauis exorta eſt diſputatio. Ex natura enim indoleque materiae cum is deriuari nequeat; extiterunt omnino, qui, a Deo ipſo omnem motum immediate effici, contenderent; cumque adeo cauſſis ſecundis omnem agendi vim denegarent, ortum hinc eſt ſyſtema, quod vocatur, cauſſarum occaſionalium. Quae ad hiſtoriam huius controuerſiae ſpectant, paucis exhibui in *inſtitut. theol. dogmat. lib. II. c. II.* ad *§. XLVIII. p. 563. ſeqq.* Id tantum addimus, vt difficultatibus, quae hic ſe vtrimque offerunt, ſe expediret, nouam quamdam viam ingreſſum eſſe G. G. LEIBNITIVM, dum, potentiam quamdam ſe mouendi materiae denegari non poſſe, exiſtimauit, quamue *vim actiuam*, a *potentia nuda* diſtinctam, adpellitauit. Exſtant hac de re varia eius ſchediaſmata, quibus ſententiam ſuam explicauit, illuſtrauit, confirmauit, in *actis eruditor. Lipſ. an. 1694. menſ. Mart.* item *an. 1695. menſ. April.* nec non *1698. menſ. Septembr. p. 427. ſeqq.* Sed ex inſtituto eum refutauit RVARDVS ANDALA, in *diſſertat. philoſophica, in qua vera ſubſtantiae notio vindicatur, ſimulque confutatur vis actiua, a G. G. L. cuilibet ſubſtantiae, tam corporeae quam ſpirituali, in ſpecimine dynamico attributa*, quae prima eſt *in diſſertationum philoſophicarum pentade*, Franecquerae 1712 in 4. edita. Fuerunt vero & alii, qui, cum intelligerent, per ſolas leges mechanicas cuncta naturae phaenomena explicari non poſſe, perperamque, & contra genuinam eius notionem, materiae ipſi vim quamdam, ſe mouendi, tribui, quae & ad atheorum impietatem ſtabiliendam facile trahi poteſt ſententia; rurſus eidem atheiſmi periculo ſe exponere, qui, omnem immediate a Deo proficiſci motum, contendunt; principium aliquod actiuum, diuerſum a Deo, ab eo tamen dependens, admittendum cenſuerunt, quod IO. BAPT. HELMONTIVS *archeum*, HENR. MORVS, *principium hylarchicum*, alii *ſpiritum naturae*, alii aliter adpellitarunt. Et HENRICVS quidem MORVS *principium* ſuum *hylarchicum*, quod ipſemet *ſpiritum naturae* vocat, in *enchiridio metaphyſico*, inculcat; cumque IO. CHRISTOPH. STVRMIVS nonnulla ei oppoſuiſſet, defenſionem eius ſuſcepit, in *ſcholiis* ad *enchiridium* iſtud *metaphyſicum*, *c. XIII.*

Digitized by Google

c. XIII. ſect. IV. tom. I. operum, p. 219. ſqq. De hocce principio ſuo ipſemet MORVS ita pronuntiat: *principium hoc nec conſictum eſt, nec nouum & inauditum, niſi nomen ſolummodo intelligas; rem enim ipſam agnouerunt antiqui philoſophi, Pythagoras, Plato, ipſeque Ariſtoteles ſub nomine τῆς φύσεως, vt quando toties inculcat τὴν φύσιν οὐδὲν μάτην ποιεῖν naturam nihil facere fruſtra, quod intelligendum eſt omnino de hoc ſpiritu naturae, quem & principium hylarchicum adpello; l. c. p. 231.* De reliquis ſpiritus vniuerſalis adſertoribus DAVIDE VAN DER BECKE, HIER. HIRNHAIM, ARN. BACHIMIO, IO. MARCO MARCI A KRONLAND, HENR. NOLLIO, IO. AMOSO COMENIO, IO. BAYERO, a me dictum in *introduct. ad hiſtor. philoſoph. Ebraeorum*, ad *§. XXXVI. p. 318. 319.* item ad §. *XLVIII. p. 458.* Addendus, qui noſtra aetate eamdem ſententiam amplexus eſt, & non ſine ingenii acumine defendit, CHRIST. THOMASIVS, *im Verſuch vom Weſen des Geiſtes oder Grund-Lehren ſowohl zur natürlichen Wiſſenſchafft als der Sitten-Lehre*, Halae 1699 in 8. Immo nec ipſe procul ab hac abeſſe ſententia videtur DAN. GE. MORHOFIVS. *Supponendum eſt*, inquit, *impoſſibile eſſe omnium phaenomenorum naturalium mathematicas dare demonſtrationes, quamquam adlaborandum ſit, vt eas, quoad eius fieri poſſit, habeamus. Si omnium inter ſe ſectarum principia conferamus, in vno aliquo, incognito ſcilicet principio, deficiunt, quod naturae plus quam corporeae & ſpiritualis eſſe probabilibus argumentis colligitur, non vero ita demonſtratur, vt ſatisfacere plenae cognitioni poſſit*; *polyhiſt. tom. II. lib. II. c. XIX. p. 285.* Nec praetermittendus hic eſt celeberrimi nominis noſtra aetate philoſophus ANDR. RVDIGERVS, vtpote qui, principia mechanica non tantum non ſufficere, quippe ex quibus non veritas, ſed poſſibilitas tantum rei innoteſcat, ſed ſi ſola adhibeantur, omnino ad atheiſmum ducere, demonſtrauit in *phyſica diuina, recta via, eademque inter ſuperſtitionem & atheiſmum media, ad vtramque hominis felicitatem naturalem atque moralem ducente*, Francofurti ad Moenum 1716 in 4. Nimirum *diuinam* hancce phyſicam vocat, eo, quod principia, quibus ſuperſtructa eſt, ſine idea Dei ſibi non conſtant, & ad exiſtentiam eius agnoſcendam ducunt. Summam eius exhibet IO. GE. WALCHIVS, in *dem Entwurff der allgemeinen Gelehrſamkeit, lib. III. c. III.* §. *XXX. p. 177.*

Licet autem iſti, quos hactenus commemorauimus, in plurimis, immo ipſis principiis, maximopere a ſe inuicem diſſentirent; in eo tamen magna conſenſione conſpirabant, Ariſtotelicam ſcholaſticamque phyſicam explodendam prorſus ac eliminandam eſſe. Et ſcholaſticorum quidem commenta adeo illepida erant, vt non eſſet, qui illorum defenſionem ſuſcipere vellet, aut, ſi quis hoc faceret, haud dubie omnium ſe exponeret ludibrio. At genuini Ariſtotelis ſectatores, vt per ipſam bonarum litterarum reſtitutionem magnam hinc inde obtinuerant auctoritatem; ita acriter ſubinde repugnabant, ne imperio iſto, quod ſibi vindicabant, priuarentur. Ingens exſtat illorum numerus, qui aut in libros Ariſtotelis phyſicos commentati ſunt, aut ſecundum principia eius ſyſtemata vel compendia phyſica condiderunt, quos quidem recenſere omnes ſuperuacaneum fuerit. Breuiter ſi quis ſcire aueat, cuiusmodi ea ſint, quae in doctrina naturali ab iis exſpectanda, vel FLAMINII CICONIAE Vicentini *quaeſtiones naturales, in quibus iuxta Ariſtotelis principia multa diligenter pertractantur, & ſumma facilitate diſputantur contra Robertum Iuuenatem*, Hanouiae 1594 editas, aut ſimilem libellum adeat. Fatendum tamen, nonnullos principia quidem phyſices Ariſtotelicae retinuiſſe, ſed

Digitized by Google

ita, vt recentiorum non negligerent inuenta atque experimenta, quin potius iisdem ad hypotheſes ſuas illuſtrandas & confirmandas vterentur. Commendandus hoc nomine eſt HONOR. FABRI, cui & hoc proprium eſt, quod non ſcholaſticorum aut Arabum placita ſequatur, ſed de vera & genuina ipſius Ariſtotelis mente fuerit ſollicitus; quamquam non deſint, qui putant, eum ſubinde referre, non tam quid dixerit Stagirita, ſed quid dicere debuerit. Prodiit *phyſica* eius Lugduni 1669 & 70 in 4. De beati FRIDEMANNI BECHMANNI noſtri *ſyſtemate phyſico*, in vſum gymnaſii Gothani ab eo concinnato, editoque ſine auctoris nomine Ienae 1664 in 8. eodem modo cenſendum, quod genuina Ariſtotelis principia concinne & breuiter exhibeat, recentiorum tamen inuenta & ſententias haud raro adferat, vt a ſe dictis lucem conciliet. Quemadmodum autem horum, aliorumque, qui eadem via incedunt, labores eo tendunt, vt Ariſtotelicae philoſophiae vtcumque conſeruetur auctoritas; ita eodem comparatum eſt illorum inſtitutum, qui veteris ac recentioris phyſicae conſenſum, ſi non in omnibus, certe in quibuſdam, demonſtrare conati ſunt. Id vero cumprimis ſibi datum credidit IO. BAPT. DV HAMEL, in opere notiſſimo, *de conſenſu veteris & nouae philoſophiae*; quod *duobus* conſtat *libris*; in priori *Platonis, Ariſtotelis, Epicuri, Carteſii, & aliorum, de principiis rerum naturalium placita excutiuntur, ac phyſica generalis pene tota pertractatur*; in poſteriori *de elementis agitur, & chymicorum principiis, nec non de mixtione, & diſſolutione corporum, vbi chymia fere vniuerſa explicatur.* Ita ſummam eorum, quae tractat, auctor ipſe exprimit. Editio, qua ego vtor, Oxoniae prodiit 1669 in 8. Idem vir doctiſſimus alias adhuc ad doctrinam naturalem ſpectantes commentationes edidit, tandemque integrum philoſophiae ſyſtema, ſeu *philoſophiam veterem ac nouam, ad vſum ſcholae accommodatam, in regia Burgundia olim pertractatam*, cuius tomus poſterior *phyſicam*, tum *generalem*, tum *ſpecialem* continet, luci publicae expoſuit. Prodiit primum an. 1678, recuſa autem eſt Noribergae an. 1682 duobus tomis in 4. HAMELIVM in hocce argumento ſequutus eſt DAN. GE. MORHOFIVS, quippe qui de *conſenſu & diſſenſu veterum & recentiorum, eorumque conciliatione* ex inſtituto diſſerit, *polyhiſt. tom. II. lib. II. c. XVIII. p. 279. ſeqq.* Caute vero & circumſpecte in iſta philoſophorum conciliatione incedendum, ne illorum, quos in harmoniam redigere cupimus, peruertamus ſententias, & aliquid, quod iis forte in mentem non venit, illis tribuamus, patet ex iis, quae ſupra de ſyncretiſmo philoſophico ex inſtituto diſſeruimus. Nonnulli tamen ad inuidiam tantum declinandam conſenſum Ariſtotelis cum recentioribus demonſtrare adgreſſi ſunt, cum viderent, ſe illorum, qui veteribus, ſpeciatim Ariſtoteli, omnia tribuebant, euitare aliter odium non poſſe. Quos inter IO. CHRISTOPH. STVRMIVM, virum de naturali doctrina praeclare meritum, referre nullus plane dubito. In *phyſicae* enim *conciliatricis per generalem pariter ac ſpecialem partem conaminibus, ſuccinctis aphoriſmis adumbratis*, Norimbergae 1687 in 12. euulgatis, id quidem agere videtur, vt conſenſum Ariſtotelis & Carteſii oſtendat; virum tamen iſtum doctiſſimum in pleriſque Carteſii ſequutum placita, manifeſtum eſt. Cum vero eo tempore magno ſe expoſiturus fuiſſet periculo, ſi Ariſtotelis prorſus reieciſſet auctoritatem; vnicum hoc ſupererat, vt oſtenderet, Carteſium eadem docere, quae docuerit Ariſtoteles. Quo ipſo vt ſibi quidem conſuluit, ita, an veritati conſuluerit, quaeri adhuc poſſet. Inter optima interim phyſices compendia citra controuer-

ſiam

Digitized by Google

ſiam libellus hicce STVRMII referendus eſt, vti *phyſica* eius *electiua*, ſiue *hypothetica*, cuius tomus primus Norimbergae an. 1697 in 4. prodiit, inter maioris molis ſyſtemata eumdem locum occupat. Licet autem STVRMIVS ſubinde Carteſium ſequatur; non tamen vbique hoc fecit, adeoque illis adnumerandus eſt, quibus eclectica philoſophandi ratio placet. Quam in claſſem & plerique illorum referendi ſunt, quos aut cum Carteſio, aut cum Gaſſendo, ita facere antea diximus, vt in quibusdam ab iis diſcedere ſibi religioni non ducant. Iungendus autem omnino eſt IO. CLERICVS, cuius *phyſica operum* eius *philoſophicorum* tomum tertium & quartum conſtituit, & vel hoc nomine commendanda, quod methodo analytica incedat, vti ſupra iam obſeruauimus. Eclecticam philoſophandi rationem, vt alias, ita & in phyſicis mihi probari, *elementa* mea *philoſophiae theoreticae* teſtantur, ex quibus ſi prima ſcientiae naturalis fundamenta tirones hauſerint, recte forte rebus ſuis conſulent.

Nimis inſtituti noſtri eſſemus immemores, niſi illorum quoque iniiceremus mentionem, qui in doctrina naturali aut ſcripturae ſacrae ſequi ſe ductum profitentur, aut ſuorum cum ea conſenſum principiorum prae ſe ferunt, & hinc, ſe aut Moſaicam quamdam, aut chriſtianam tradere phyſicam, contendunt. Magna tamen iſtorum hominum eſt diuerſitas. Plerique namque placitis, quae iam antea ex philoſophis hauſerunt, aut animo ipſimet conceperunt, Moſis atque ſcripturae ſacrae aptare verba non dubitant; alii autem, dum ſcripturae ſoli inhaerere videntur, aut lumen rationis cum lumine reuelationis confundunt, aut nihil dicunt, ex quo doctrinae naturali lux inſignis adfundatur. Sic ad eos, qui ad priorem claſſem referri poſſunt, quod attinet; ſecundum mentem Ariſtotelis narrationem Moſis de creatione explicare voluit IO. ZEISOLDVS, de *conſenſu & diſſenſu Ariſtotelis cum ſcriptura ſacra*; ſecundum Carteſii hypotheſes IO. AMERPOEL, in *Carteſio Moſaizante*; ſecundum corpuſcularis philoſophiae principia EDMVNDVS DICKINSON, in *phyſica veteri & vera*. Ad ſui porro ingenii commenta Moſaicam narrationem pro lubitu flexerunt THOM. BVRNETIVS, & GVIL. WHISTONVS, in *noua telluris theoria*, DETLEVVS CLVVERIVS, in *geologia ſacra*, aliique. Qui theoſophorum nomen ſibi vindicant, prae reliquis Moſaici haberi cupiunt, cum tamen aut chemicorum ſimul principia admittant, aut alia admiſceant, quae nec Moſi, nec aliis ſcriptoribus ſacris in mentem venerunt. Referendi huc ROB. FLVDDIVS, in *philoſophia Moyſaica &c.* item in *microcoſmi & macrocoſmi hiſtoria phyſica*, IAC. BOEHMIVS, in *myſterio magno*, aliisque ſcriptis, AEGID. GVTHMAN, in *Offenbahrung goettlicher Maieſtaet*, QVIRINVS KVHLMANN, in *dem neubegeiſterten Boehmen*, aliique, qui ſuis plerumque ita ſe inuoluunt tenebris, vt occultare potius, quam recludere, arcana naturae videantur. In eo etiam fere conſentiunt, quod ſpiritum quemdam naturae ſtatuunt; quem ſimiliter admittunt, qui itidem prae reliquis Moſaici videri volunt, CONR. ASLACHVS, in *phyſica & ethica Moſaica*, IO. AMOS COMENIVS, in *phyſicae ad lumen diuinum reformatae ſynopſi*, IO. BAYERVS, in *oſtio, ſeu atrio naturae*, & ſi qui alii ſunt eiusdem generis. Eos, qui philoſophiam quamdam chriſtianam introducere cupiunt, plerumque lumen rationis & reuelationis confundere, ſupra iam obſeruauimus. Pateque inde, idem de phyſica ſeu doctrina naturali intelligendum. Subinde etiam ſplendido hocce nomine recepta tantum ſcholae dogmata tegunt, & talia proferunt, quae ſi vel maxime vera ſint, parum tamen luminis doctrinae naturali adfundunt. OTT. CASMANNI, qui *coſmopoeiam*

poeiam & vranographiam chriſtianam, & alia eiusdem generis quam plurima edidit, exemplo hoc comprobaui in *introduct. ad hiſtor. philoſ. Ebr.* ad §. *XXXVI. p. 315. ſeqq.* Lectu tamen prae reliquis digna eſt LAMB. DANAEI *phyſice chriſtiana, ſiue chriſtiana de rerum creatarum origine & vſu diſputatio*, quippe in qua nonnulla minime contemnenda occurrunt. Tertia editio Geneuae prodiit 1580 in 8. Exſtat & eiusdem *phyſices chriſtianae pars altera, de rerum creatarum natura*, edita iterum Geneuae 1582 in 8. Illorum vero inſtitutum, qui phyſicam ita tractant, vt ſimul oſtendant, quo pacto ſapientia potentiaque Numinis ex operibus naturae intelligatur, maximopere laudandum eſt. De IO. RAYI libro: *exiſtentia & ſapientia Dei manifeſtata in operibus creationis*, dicto, alibi agimus. Eodem etiam quodammodo ſpectat LVD. GRANATENSIS *philoſophia chriſtiana, de admirabili opere creationis, & quomodo per creaturas ad creatoris agnitionem perueniatur*; Ingolſtadii 1650 in 8. Nec ſine ratione huc referuntur, qui *phyſicas diuinas* ſcripſerunt, hoc eſt, tales, quae ad exiſtentiam, potentiam & ſapientiam Numinis agnoſcendam nos ducant. Quo nomine ANDR. RVDIGERI *phyſicam diuinam* ſupra iam laudauimus. Commemoranda vero vel maxime adhuc eſt viri clariſſimi IO. FRID. WVCHERERI *delineatio phyſicae diuinae*, quae Ienae 1720 prodiit, & qua cuncta, quae huc comparata ſunt, eleganter & neruoſe complexus eſt, atque demonſtrauit, veram ſapientiam ſine rerum naturalium adcurata cognitione eſſe non poſſe.

** Vaſti ambitus eſſe phyſices ſtudium, praeſertim ſi quis ad ſpecialia deſcendere velit, nemini ignotum eſſe poteſt, niſi qui numquam illud delibauit. Plerisque hinc in generalioribus iſtis ſubſiſtendum, de quibus hactenus a nobis dictum. Eoque etiam, quos laudauimus, auctores ſpectant. Si quis, qui ſpecialia, ſingulasque adeo phyſicae partes attigerunt, noſſe auet, is DAN. GE. MORHOFII adeat *polyhiſtorem tom. II. lib. II.* vbi per integram *partem ſecundam, p. 299.* eos, qui huc pertinent, recenſet. Idem facit BVRC. GOTTH. STRVVIVS, *biblioth. philoſ. c. V.* §. *X. ſeqq. p. 78. ſeqq.* Licet autem omnibus conceſſum non ſit, animum per ſingulas phyſices partes circumferre; adcuratiori tamen doctrinae de homine cognitione nemo carere poterit. Haec enim per moralem quoque philoſophiam, ipſamque theologiam, ac iurisprudentiam, latiſſime ſe diffundit. Maiori itaque, quam reliqua omnia, diligentia in phyſica tractari debebat; quod non omnes obſeruant. Ego certe, operae me feciſſe pretium, puto, quod in *elementis* meis *philoſophiae theoreticae* primo ſtatim loco de ea egi. Fuerunt hinc etiam, qui ex inſtituto hocce naturalis doctrinae caput pertractarent. IO. SPERLINGII *anthropologiam* ſupra iam commemorauimus. RENATI quoque CARTESII *tractatus de homine*, notis perpetuis a LVDOVICO DE LA FORGE illuſtratus, vna cum eiusdem CARTESII libro de *formatione foetus*, inter reliqua eius opera exſtat. Referre huc & eiusdem de *paſſionibus animae* librum licet, quem qui pro eius optimo habent, adfectu quodam praepediti haud dubie grauiſſimos, quos in eodem admiſit, errores non perſpiciunt. Et in ipſa quoque de homine doctrina, cum cuncta ex principiis mechanicis explicare vellet, falſamque de mente notionem animo concepiſſet, non poterat non in varia praecipitia ruere. Patet hinc, quid de illis cenſendum, qui, iisdem principiis inſiſtentes, de homine ſcripſerunt; quorum nonnullos recenſet BVRC. GOTTH. STRVVIVS, in *biblioth. philoſoph. c. V.* §. *X. p. 79.* quibus non immorabimur. Corporis humani notitiam adcuratiorem, eius ſtructuram deſcriben-

do,

do, ſuppeditant ſcriptores anatomici, quos recenſere noſtri non permittit inſtituti ratio. Facere tamen nequeo, quin vehementer laudem IO. GOTHOFR. BERGERI *phyſiologiam medicam, ſiue de natura humana librum bipartitum*, eleganter non minus, quam ἀκριβῶς ſcriptum, qui & omnium inſtar eſſe poteſt. Prodiit Wittembergae an. 1702 in 4. Theologiae cultores de anima potius, ſeu mente humana, ſollicitos eſſe oportet. Commemorandus itaque hic iterum eſt LVDOVICVS DE LA FORGE, ex cuius quippe *libro de mente humana*, quid ſcholae Carteſianae hic placeat, condiſcere licet. Dum autem, qui hanc ſequuntur philoſophandi rationem, mentem, vt par eſt, pro ſpiritu habent, aut ſpiritus notionem tantum in cogitatione conſtituunt; non poſſunt non in magnas ſe coniicere difficultates, vt operationes, in quibus mens & corpus concurrunt, aut mens in corpus agere videtur, explicent. Ad tria nimirum, quae hic occurrunt, virorum doctorum ſententiae reuocari ſolent ſyſtemata, quorum primum vocatur *ſyſtema influxus*, alterum *ſyſtema adſiſtentiae*, ſiue *cauſſarum occaſionalium*, & tertium denique *ſyſtema harmoniae praeſtabilitae*, cuius inuentor fuit G. G. LEIBNITIVS. Primum ideo nonnulli admittere nolunt, quod capere nequeant, quo pacto ſpiritus in corpus agat, aut a corpore patiatur. Premitque haec difficultas cumprimis Carteſianos, qui putant, clare & diſtincte ſe percipere, quid ſit ſpiritus, ſi dicant, eum eſſe ſubſtantiam cogitantem. Cum vero longe rectius philoſophentur, qui fatentur, minime nobis ita cognitam ſpiritus eſſentiam, vt negare queamus, eum in corpora agere, & rurſus a corpore aliquid pati; nondum ſufficiens ratio adeſt, ſyſtema influxus reiiciendi; praeſertim cum reliqua, longe maiora ſecum coniuncta habeant incommoda. In ſyſtemate enim adſiſtentiae, ſeu cauſſarum occaſionalium, Deus immediate omnem motum, adeoque quidquid homines aut dicunt, aut cogitant, aut agunt, efficere creditur; quod eiusmodi eſt, vt vix ſine impietate cogitari poſſit. Syſtema denique harmoniae praeſtabilitae, quidquid etiam dicant, aut in quamcumque ſe vertant partem, eius defenſores, cum libertate humanae voluntatis conciliari nequit. Propugnauit hanc ſententiam CHRIST. WOLFIVS, qui, vt in aliis, ita & hac in re LEIBNITII veſtigia premit, in *den vernunfftigen Gedancken von Gott, der Welt, und der Seele des Menſchen, c. V. §. 765. ſeqq. p. 224. ſeqq.* itemque GE. BERN. BVLFFINGERVS, in *commentatione*, quam vocat, *hypothetica, de harmonia animi & corporis humani maxime praeſtabilita ex mente illuſtris Leibnitii*, Tubingae 1723 in 8. Cumque nonnulla eidem oppoſuiſſet IOACH. LANGIVS, in *cauſſa Dei & religionis naturalis aduerſus atheiſmum &c. tractat. ſect. I. argum. I. §. III. p. 102. ſeqq.* defenſionem eius iterum in ſe ſuſcepit CHRIST. WOLFIVS, in *luculenta commentatione de differentia nexus rerum ſapientis & fatalis neceſſitatis, nec non ſyſtematis harmoniae praeſtabilitae & hypotheſium Spinozae &c. ſect. II. §. XVIII. ſeqq. p. 57. ſeqq.* Reſpondit vero non tantum ad haec LANGIVS, ſed fuſius adhuc, quid in hocce ſyſtemate harmoniae praeſtabilitae deſiderandum ſit, & quorſum tendat, expoſuit, in *modeſta diſquiſitione noui philoſophiae ſyſtematis de Deo, mundo, & homine, & praeſertim de harmonia commercii inter animam & corpus praeſtabilita &c. c. II. p. 67. ſeqq.* Continuatum deinceps & aliis ſcriptis idem certamen; quae recenſere omnia, huius loci non eſt. De ortu etiam animae humanae, eiusque propagatione, variae exſtant philoſophorum pariter ac theologorum & ſententiae & concertationes; hinc & ſcripta varia. Sed praecipua,

quae

Digitized by Google

quae de hocce capite dici poterant, iam attigi in *inſtitution. theol. dogmat. lib. II. c. II.* ad *§. XVI. p. 479. ſeqq.* Hiſtoriam doctrinae de immortalitate animae itidem exhibui in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtitione, c. III.* ad *§. II. p. 251. ſeqq.* Inter ſcriptores de immortalitate animae eminent IOACH. HILDEBRANDVS, de *immortalitate animae rationalis ex ſolo lumine naturae apodicticis & topicis rationibus liquido oſtenſa*, EBERH. SCWELINGIVS, in *mente immortali*, VINC. PLACCIVS, in *demonſtratione ſolida immortalitatis animae humanae ex ſolo lumine naturae facta*, quam lingua germanica ſcripſit, KENELMVS DIGBAEVS, de *immortalitate animae*; aliique, de quibus in iisdem *theſibus de atheiſmo & ſuperſtit.* dictum, *c. VII.* ad *§. II. p. 164.* Sollemne eſt, vt homo *microcoſmus* vocetur; quod etſi per analogiam quamdam admitti queat, caute tamen & non ſine grano ſalis hoc accipiendum, recte nonnulli monent. *Hominem haud commode dici microcoſmum*, peculiari, eaque lectu digna, *diſſertatione ad Gen. I, 26. & ex eo Gregorii Nyſſeni duas orationes in hunc locum, eiusdemque librum de opificio hominis c. XVI.* euicit IO. CHRISTOPH. BECMANNVS, Francof. ad Viadrum 1716 in 4.

*** Hinc & viri quidam docti in eo operam ſtudiumque ſuum collocarunt, vt ſcripturae ſacrae quaedam loca ex ſcientia naturali illuſtrarent. Atque generatim quidem hoc fecerunt FRANC. VALLESIVS, in *philoſophia ſacra*, VAL. HENR. VOGLERVS, de *rebus naturalibus ac medicis, quarum in ſcriptura fit mentio*, IO. DE MEY, in *phyſiologia ſacra.* In veſtigiis naturalis doctrinae, in libro Iobi occurrentibus, eruendis ac explicandis diligentiam ſuam probauit IO. IAC. SCHEVCHZERVS, in *phyſica Iobi*, quam lingua germanica conſcripſit. De animalibus, quorum in ſcriptura ſacra mentio iniicitur, exſtat SAM. BOCHARTI *hierozoicon*, ſummo ſtudio conſcriptum opus, quod merito theſaurum quemdam exquiſitae & profundae eruditionis dixeris. Epitomen eius dedit IO. HENR. MAIVS, in *breui & accurata animalium in ſacro cumprimis codice commemoratorum hiſtoria*, in qua interdum & BOCHARTVM emendauit. Iam antea WOLFG. FRANZIVS *hiſtoriam animalium ſacram* ſcripſerat, quam ampliſſimis commentariis illuſtrauit IO. CYPRIANVS, theologus quondam Lipſienſis. Mitto reliquos, qui idem argumentum tractarunt; cum iſti, quos commemorauimus, ſufficere queant. De arboribus, herbis, plantis, aromatibus, quorum in ſacris litteris mentio iniicitur, agunt HENR. VRSINVS, in *arboreto biblico*, cui iungitur *phytologia ſacra, herbarius ſacer, & hortus aromaticus*; THOM. BROWNE, in *obſeruationibus de plantis, in ſacra ſcriptura memoratis*; ADR. COQVIVS, in *hiſtoria ſacra plantarum, arborum, & herbarum ſacrae ſcripturae.* De gemmis ſacris poſt EPIPHANIVM περὶ τῶν δώδεκα λίθων commentatus eſt MATTH. HILLERVS de *duodecim gemmis in pectorali ſummi pontificis*, & iam ante eum FRANC. RVEVS, de *gemmis aliquot, iis praeſertim, quarum fit mentio in apocalypſi &c.* Atque hi praecipui quidam ſunt ex magno illorum numero, qui τὰ φυσικὰ in ſcriptura ſacra occurrentia illuſtranda ſibi ſumſerunt. Reliquos recenſet IAC. LE LONG, *bibl. ſacr. tom. II. part. II. art. IX. p. 1045. ſeqq.* vbi poſtquam plurimos, qui generatim de phyſica ſacra ſcripſerunt, ordine enumeratos videas, qui de aquis ſupra-caeleſtibus, de paradiſo terreſtri, de diluuio, de fabrica arcae Noae, de gigantibus, de longaeuitate vitae, de morbis biblicis, de lapidibus pretioſis, de arboribus & plantis biblicis, de animalibus, de metallogia ſacra, & ſic porro, egerunt. Nonnullos etiam, qui huius loci ſunt, indicat, & erudite

dite de vſu & abuſu phyſices ſeu ſcientiae rerum naturalium in ſcripturae ſacrae interpretatione praecipit vir clariſſimus IO. IAC. RAMBACHIVS, in *inſtitutionibus hermeneuticae ſacrae, lib. III. c. IV. §. VIII.* vsque ad *XII. p. 473. ſeqq.*

§. XXX. Altera philoſophiae theoreticae pars, ſeu *theologia naturalis*, dum de Deo & ſpiritibus ea tradit, quae ratio de illis cognoſcere poteſt, principia ſuppeditat, quae, ceu certiſſima, poſitaque extra controuerſiam, in theologia reuelata adſumuntur. Immo eiusmodi haec ſunt, vt certa inde criteria fluant, quibus veram reuelationem a falſa quodammodo diſcernere licet. Simul tamen paedagogiam quamdam, ad reuelationem inueſtigandam & agnoſcendam, exhibet. Denique & arma validiſſima ſubminiſtrat, quibus atheorum reprimi ac coërceri furor poteſt. *

* Quam nos hic *theologiam naturalem* vocamus, alii *pneumaticam* adpellitare ſolent. Hoc enim nomine eam philoſophiae partem intelligunt, quae de ſpiritibus, tum creatis, tum increato illo, ſeu Deo, agit; quemadmodum rurſus nonnulli *theologiae naturalis* nomine non modo doctrinam de Deo, ſed & de ſpiritibus, quos ſcripturae ſtylo angelos vocamus, comprehendunt. Ex veterum mente haecce de Deo doctrina *metaphyſica* dicenda foret; ſaltem Ariſtoteli conſtitutum fuiſſe, in metaphyſica de eo agere, ſupra iam obſeruauimus. Qua ratione vero ſcholaſtici, contra mentem Ariſtotelis, omiſſa de Deo doctrina, conſiderationem entis abſtracte ſpectati ad metaphyſicam retulerint; nonnulli tamen ex iis doctrinam de Deo & ſpiritibus metaphyſicae ſubiunxerint, quam rurſus ſeparauerint alii; ibidem expoſuimus. Atque ab hiſce quidem, qui ſeparauerunt, illorum inſtitutum deriuandum, qui ſub *pneumaticae* aut *theologiae naturalis* nomine eamdem pertractarunt. Sunt porro, qui theologiam naturalem ita tradunt, vt ſimul ad cultum, quo homines ex rectae rationis praeſcripto Deum proſequi debent, reſpiciant; quo pacto ad philoſophiam practicam referenda fuerit; quemadmodum & nonnulli, quae de religione naturali praecipi poſſunt, & ſolent, in iuriſprudentia naturali attingunt; quod & SAM. PVFENDORFIVS fecit, in libello *de officio hominis & ciuis*, cuius exemplum ſequuti ſunt alii. Nec reprehendendi ſunt, qui hoc faciunt; quamuis nec videam, quid obſtet, quo minus, quae de Deo ipſo, eiusque attributis, vt & reliquis ſpiritibus, ex lumine rationis nobis innoteſcunt, in ſe ſpectata, in philoſophia theoretica tractari queant; quod & a me factum, in *elementis philoſophiae theoreticae, part. VI.* Atque tum de cultu Numinis, qui ex eius cognitione non poteſt non fluere, ſeorſim in philoſophia practica, ſpeciatim iuriſprudentia naturali, recte praecipietur.

Vt a ſpiritibus creatis ordiamur, licet veteribus vox *pneumatica* incognita fuerit, frequentiſſima tamen ſpirituum, ſeu, vt illi vocabant, daemonum, geniorum, ſeu ſubſtantiarum, inter Deum ſupremum, & homines, mediarum, apud eos occurrit mentio. Aegyptiorum, Chaldaeorum, aliarumque gentium orientalium ſcholas hac doctrina perſonuiſſe, notum eſt. Nec de Pythagoraeis, Platonicis, aliisque philoſophis quisquam dubitat, quod daemones, ſeu ſpiritus admiſerint. De variis daemonum generibus, eorumdemque variis ac mirificis operationibus, ex mente veterum Chaldaeorum, cumprimis & Platonicorum, differit, vt haud obſcure etiam ea adprobet, MICH. PSELLVS, iunior

nior ſcilicet ille, qui ſaeculo vndecimo floruit, in *dialogo* περὶ ἐνεργείας δαιμόνων, *de operationibus daemonum*, Pariſiis 1615 in 8. edito. Legenda quoque, quae de Chaldaeis congeſſit THOM. STANLEIVS, in *hiſtoria philoſophiae orientalis*, ſiue *hiſtor. philoſoph. lib. XIII. ſect. II. c. IX. p. 1127.* addatur TOB. PFANNERVS, in *ſyſtemate theologiae gentilis purioris, c. VI. p. 170. ſeqq.* De geniis CENSORINVS agit *de die natali, c. III.* multaque de iis collegit HENR. LINDENBROGIVS, ad *h. l. p. 18. ſeqq.* Nec praetermittendi, qui de genio Socratis ſcripſerunt, vt PLVTARCHVS, *de genio Socratis*, APVLEIVS, *de Deo Socratis*, & ex recentioribus prae reliquis GOTTFR. OLEARIVS, in *diſſertat. de genio Socratis*, quae inſerta eſt THOMAE STANLEII *hiſtoriae philoſophiae, p. 130. ſeqq.* conf. & IO. ALB. FABRICIVS, *bibliograph. antiquar. c. VIII. §. XXVII. p. 279. ſeqq.* Non autem dubitandum, quin pleraeque gentes per traditionem, vt alia, ita hanc quoque doctrinam a primis conditoribus ſuis, vt hi a Noacho, humani generis reſtauratore, acceperint. Recte ita cenſet GERH. IO. VOSSIVS, *de origine & progreſſu idololatr. lib. I. c. VI.* Accedente deinceps ſuperſtitione, ſpiritus illi, ſeu daemones, pro diis habiti, minoribus ſcilicet, & ſupremi Dei miniſtris. Superſtitio porro iſta per ſpectrorum adparitiones, oracula, praeſtigias magicas, oſtenta, quibus futura portendi, exiſtimabant, mirum in modum augebatur, atque incrimenta capiebat. In eo ergo vt gentilium philoſophi, paucis, vt ſtatim dicemus, exceptis, conueniebant, dari daemones atque genios; ita plurimi tamen eorum, ipſi praeſertim Platonici, corpora illis ſubtilia, ſeu vehicula, aeque ac animabus hominum, tribuebant. Legenda, quae hac de re diſſerit PETR. GASSENDVS, *ſyntagm. philoſ. Epicur. ſect. II. c. VI. p. 301. ſeqq.* Quo ipſo ad magicam ſuperſtitionem viam ſternebant. Qui non alias, quam corporeas, aut materiales, ſubſtantias admittebant, non poterant non ſpirituum & exiſtentiam, & operationes, negare. Hinc EPICVRVS, eos, qui, genios ſibi adparere, commemorant, aut mentiri & fingere, aut melancholicos eſſe, exiſtimabat, taleſque, vt aerumnoſum corpus ipſis tum ſuſpendat, tum ad extraordinaria deflectat imaginationem; vid. PET. GASSENDVS, *ſyntagm. philoſ. Epicur. ſect. II. c. VI. p. m. 295.* De ARISTOTELE, num ſpiritus finitos, ſeu daemones, admiſerit? diſputatur. Admiſiſſe, & talia de iis douiſſe, quae ſcripturae ſacrae prorſus ſint conſentanea, ſibi aliiſque perſuadere adnititur IO. ZEISOLDVS, de *Ariſtotelis cum ſcriptura ſacra conſenſu &c. diſputat. IV. p. 107. ſeqq.* De intelligentiis quidem ſubinde loqui Stagiritam, conſtat. Has vero cum non tantum ſingulis orbibus praefecerit, ſed &, neceſſario cum iis vinculo colligatas, exiſtimauerit; illas eodem loco, quo ſpiritus, angeli, daemoneſque apud nos ſunt, habendas, non temere quiſquam, niſi quem intempeſtiuum, Ariſtotelem cum ſcriptura ſacra conciliandi, ſtudium excaecauit, crediderit. Idque recte etiam obſeruatum GERH. IO. VOSSIO, de *idololatr. gentilium, lib. II. c. XLI.* Addenda, quae ipſemet hac de re dixi in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtitione, c. III.* ad §. *III. p. 272.* Quoſdam ethnicorum non tantum daemones ſeu genios admiſiſſe, ſed, nonnullos inſuper malos, alios bonos eſſe, cognouiſſe, oſtendit TOB. PFANNERVS, in *ſyſtem. theol. gentilis purioris, c. VI. ſeqq. p. 174. ſeqq.* Ab ethnicis ſi ad chriſtianos tranſeamus, hi quidem de exiſtentia & operationibus ſpirituum, ſeu angelorum, tum bonorum, tum malorum, ob diuinarum litterarum auctoritatem, dubitare non poterant. Plurimi tamen veteris eccleſiae doctorum, Platonicae ſcholae placitis imbuti, corpora

ra ſubtilia & aetherea angelis tribuebant. Id namque IVSTINVM martyrem, ATHENAGORAM, IRENAEVM, CLEMENTEM Alexandrinum, TERTVLLIANVM, LACTANTIVM, aliosque, facere, conſtat. Pluribus hoc confirmant DION. PETAVIVS, *dogm. theol. tom. III. lib. I. de angelis, c. II.* PET. DAN. HVETIVS, *Origenian. lib. II. c. II. quaeſt. V. §. VIII. p. 71.* NIC. LE NOVRRY, *diſſertat. in Tatian. c. II. §. III.* Nonnulla & ipſemet hac de re dixi in *inſtitut. theol. dogmat. lib. II. c. II.* ad *§. LVII. p. 602.* Scholaſticorum qualis in hocce capite doctrina fuerit, ex ea, quam vbique ſequuti ſunt, philoſophandi ratione, facile cognoſcitur. Vanis, inanibus, ridiculis quaeſtionibus compleuerunt omnia. Hinc apud eos diſputatum: *vtrum angelus ſit compoſitus ex materia & forma? vtrum angeli differant numero vel ſpecie? vtrum motus angeli fiat in inſtanti? vtrum anima hominis & angelus ſint vnius ſpeciei?* & quae alia ſunt eiusdem generis ſatis lepida; conf. CHRISTOPH. BINDERI *ſcholaſtica theologia, c. II. p. 32.* Cum eccleſia, praeſertim occidentalis, ſub romanorum epiſcoporum imperio in deteriora prolapſa eſſet, cum ſumma veritatis diuinae corruptione, maxima vt circa alia, ita & circa angelos bonos, ſuperſtitio homines inuaſit; quippe quos cultu proſequi religioſo non dubitarunt. Ab antiquis haereticis, qui praeter alia & huius erroris praecipuum fundamentum a ſchola Platonica acceperant, ſuperſtitionem iſtam deriuandam, docui *inſtit. theolog. dogmat. lib. II. c. II.* ad *§. LV. p. 589.* Apud ethnicos equidem nec deerant, qui malorum ſpirituum, quos tamen ipſi pro malis non habebant, opera, ad aliquid obtinendum vti, non dubitabant; hinc & incantationibus eos flectere, & ad obſequendum ſibi adducere, partem ſapientiae interpretabantur. Inde *magia* apud Aegyptios, Chaldaeos, Perſas, Graecos, aliasque gentes olim vſitata; qua & praeſtantiſſimos philoſophos, Pythagoram, Empedoclem, Democritum, aliosque, imbutos fuiſſe, nonnulli prodiderunt. Quorum licet in ſe defenſionem ſuſcipiat GABR. NAVDAEVS, non tamen ſine ratione monet PETR. BAELIVS, gentilium animis longe aliam magiae inſediſſe notionem, quam chriſtianorum, idque non ſatis perpendiſſe NAVDAEVM; *reſponſe aux queſtions d' un provincial, tom. I. p. 339.* Cum enim hodie magia pro crimine habeatur, quod maximam adfert infamiam; non perinde de ea cenſebant ethnici. Daemones illos, quos flectere ac in ſuas pertrahere partes adnitebantur, vt eorum vterentur opera, non pro malis, ſed pro bonis habebant; etſi, ſi quid obtinebant, non a bonis, ſed a malis obtinebant. Praeterea ſacrificiis, ritibus, caerimoniis, aliaque ratione flectere, ſibique conciliare deos, daemonesque, adeo apud ethnicos turpe non erat, vt pro parte religionis, ſapientiaeque, haberetur. Rectiora equidem deinceps, cum profligato ethniciſmo, religio chriſtiana magnam terrarum orbis partem occupaſſet, edocti ſunt mortales; tantum tamen abeſt, vt impius ille furor penitus exſtingui potuerit, vt inter ipſos chriſtianos exſtiterint, qui eumdem propagarent. Hinc & legibus variis ac canonibus eccleſiaſticis eidem obuiam eundum fuit; de quibus videatur MATTH. BLASTARES, in *ſyntagmate alphabetico rerum omnium, quae in ſacris canonibus comprehenduntur,* in GVIL. BEVEREGII *pandectis p. 173.* Immo, ſi quibusdam credimus, adeo hocce crimen inter chriſtianos incrementum ſumſit, vt de magis ſagisque talia narrentur, quae apud ethnicos audita non ſunt. Legenda, quae hac de re obſeruat PETR. BAELIVS, *dans la reſponſe aux queſtions d' un provincial tom. I. c. XXXVII. p. 327. ſeqq.* Dubium vero non eſt, quin plurima, quae de ſagis magisque traduntur, inter figmenta inania,

 turpiſſi-

turpiſſimaque referenda ſint. Poſtquam enim mos inualuit, magiam, aut certam eius ſpeciem, pro haereſi venditandi, & qui eius ſuſpecti erant, ad formidandum inquiſitionis tribunal rapiendi, quod ſubinde factum PHILIP. A LIMBORCH docet, *hiſtor. inquiſit. lib. I. c. XVIII.* romanique pontifices, &, qui ab illorum ſtabant partibus, criminis iſtius imputatione innocentes quoslibet, ſibi inuiſos, opprimere & tollere e medio conſultum ducebant; non deerant, qui in illorum gratiam magiae crimen exaggerabant, taliaque fingebant, quae huic illorum inſeruire poterant inſtituto. Cuius rei illuſtre documentum auctor libri, *malleus maleficarum* dicti, praebet. Huic autem tyrannidi dum ſe opponebant alii, in ſuſpicionem, ac ſi ſpirituum aut exſiſtentiam, aut operationes negarent, aut omnino magiae ſuſcipere patrocinium vellent, adducti ſunt. Facile ſane fieri poteſt, vt, dum quidam vident, conficta eſſe, quae de hominum innocentum artibus magicis dicuntur, reliqua omnia, quae de magia traduntur, in dubium vocent, & hinc vlterius tandem ad ſpirituum & operationes, & ipſam exſiſtentiam negandam, adducantur. Inter eos, qui receptam eo tempore de magia ſententiam impugnabant, praeter ANDR. ALCIATVM, celebrem iure conſultum, erant auctor libri: *malleus iudicum*, quem *malleo maleficarum* oppoſitum, cenſent; IO. WIERVS, de *praeſtigiis daemonum*, aliique. Et WIERO quidem THOM. ERASTVS *dialogo de lamiis & ſtrigibus* obuiam iuit; IO. quoque BODINVS *libris quatuor de magorum daemonomania*, WIERI refutationem ſubiunxit. Atque hiſce adhuc MART. DELRIO addendus, qui in *diſquiſitionum magicarum libris ſex* receptam doctrinam ita propugnauit, vt abſona quaeuis atque inepta de magis ac ſagis commenta calculo ſuo adprobaret. Copioſius haec ediſſerui in *inſtitution. theol. dogmat. lib. II. c. II.* ad *§. LV. p. 586. 587.* Atque erant haec ita comparata, vt aliis, praeſertim ex philoſophorum ordine, occaſionem, vlterius progrediendi, poſſent ſuppeditare. Hos inter primum PETR. POMPONATIVM referre licet, ob librum *de incantationibus*; quippe in quo iis, quae de artibus magicis vulgo narrantur, fidem denegauit; ſoletque etiam alias ob cauſſas inter atheos numerari; repugnantibus tamen aliis, vti dictum in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtitione*; *c. I.* ad *§. XXIV. p. 116. ſeqq.* Mirum vero non eſt, magicas eum negaſſe artes, cum ex Auerrhoiſtarum fuerit numero, qui genuina Ariſtotelis conſectabantur principia, hinc & ſpiritus, eo, quo nos facimus, ſenſu non admittebant. Intelligentias enim, quas Ariſtoteles orbibus praefecit, a ſpiritibus, quos angelos vocamus, plane diuerſas fuiſſe, antea iam obſeruauimus. Nec credibile, alios eum ſpiritus ſtatuiſſe, ſiquidem intelligentiam, quam infimo orbi praeeſſe, finxit, intellectus munere omnibus in hominibus fungi, voluit; animas eorum, aeque ac brutorum, materiales ac mortales ſtatuens.

Ad recentiores ſi nos conuertamus philoſophos, primum ſe nobis offert Epicureae philoſophiae ſectator THOMAS HOBBESIVS, qui, cum non alias, quam corporeas, ſeu materiales admitteret ſubſtantias, ſpiritibus in ſuo ſyſtemate locum concedere non potuit. Dictum de eo in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtitione*, *c. III. §. III. p. 277.* BENEDICTVM DE SPINOZA ſpiritus, ſeu angelos, admiſiſſe, vix quisquam exiſtimabit, cui doctrina eius ſatis perſpecta eſt & explorata. Immo ipſe haud obſcure hoc negat, dum, quidquid de ſpectris, ſeu ſpirituum adparitionibus narratur, in dubium vocat; *epiſt. LVI. LVIII. LX.* Admittere tamen eum ſpiritus finitos debuiſſe, immo, dum non admiſit, eum oſtendiſſe, quod ſuum ipſemet non ſatis intellexerit ſyſtema, orbi perſuadere adniti-

adnititur PETRVS BAELIVS, in *dictionar. hiſtoric. & critic. voc. Spinoza, lit. M. & P. p. 2780. ſeqq.* Sed, inanem irritumque eſſe huncce viri docti conatum, oſtendi in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtit. c. III.* ad *§. III. p. 273. ſeqq.* Immo, an vllus atheus, quodcumque demum amplectatur ſyſtema, ſerio ſpiritus finitos admittat, valde dubito; licet non negem, eiusmodi ſpirituum exſiſtentiam facilius cum quorumdam, quam aliorum atheorum ſyſtemate conciliari poſſe. Num SPINOZA impietatem ſuam ex ſchola REN. CARTESII, ex qua prodiit, ſecum retulerit? diſputari ſolet. Sunt namque, qui contendunt, ſi recte capiatur notio, quam Carteſius ſpiritui & materiae tribuit, non poſſe non eum & ſpiritum, & materiam, tantum pro vnius ſubſtantiae diuerſis modificationibus, non autem pro diuerſis ſubſtantiis, habere. Sed hac de re ſupra aliquid dictum. Licet autem vel maxime ab hacce imputatione liberetur; negandum tamen non eſt, dum eſſentiam ſpiritus in cogitatione conſtituit, occaſionem eum incautis quibusdam ſectatoribus ſuis praebuiſſe, omnem in corpora vim agendi, omnesque tandem operationes, quibus vel maxime manifeſtantur, ſpiritibus denegandi. Sed non omnibus, qui ſcholae Carteſianae addicti ſunt, haecce tribuenda eſt ſententia. Certe ANTON. LE GRAND, qui *inſtitutionis philoſophiae ſecundum principia Carteſii, part. III. daemonologiam, ſeu doctrinam de intelligentiis, & ſpiritibus creatis, geniis & daemonibus, quos angelos vocare ſolemus*, exhibet, angelis non tantum vim ac potentiam *mouendi*, ſed *producendi* omnino ac *generandi* corpora tribuit; *artic. V. p. 124. ſeqq.* Quemadmodum vero in hacce *daemonologia* multa ex ſcholaſticis adſumſit; ita non vbique obſeruare videtur, quid ex principiis Carteſii neceſſario fluat. Rectius, ni fallor, id animaduertit BALTH. BECKERVS, quippe qui, edito Leowardiae, an. 1691, lingua belgica, libro, quem inſcripſit: *mundus faſcinatus*, in id omnes ingenii vires intendit, vt ſpiritibus (quorum tamen non vult videri negare exſiſtentiam) vim omnem ac potentiam, in corpus agendi, aut ſimiles effectus producendi, abiudicaret. Quem eius errorem ex notione *ſpiritus*, quam ex philoſophia Carteſiana hauſit, fluxiſſe, apud omnes, harum rerum intelligentes, poſitum eſt extra controuerſiam. Diſputatum ex eo tempore ſaepe vehementerque eſt de ſpiritibus, eorumque operationibus. Plurimi quoque exſtiterunt, qui ex inſtituto Beckerum refutarunt, vt MELCH. LEYDECKERVS, in *diſſert. hiſtorico-theolog. de vulgato nuper clariſſimi Beckeri volumine, & ſcripturarum auctoritate & veritate, pro chriſtiana religione apologetica*, Vltraiecti 1692 in 8. IO. VAN DER WAYEN, in libro belgico idiomate ſcripto: *de betooverde Weereld van D. Balthaſar Becker onderzogt en wederlegt*, Franequerae 1693, 4. HENR. GROENEWEGEN, in *pneumatica, ofte Leere van de Geeſten, zynde denkende en redelicke Weſens &c.* Enckhuſae 1692. 4. SIMON DE VRIES, in libro, quem vocat: *de Satan in ſyn Weſen, Aert, Bedryf en Guyeckelſpel &c.* Vltraiecti, 1692, 8. Idem auctor eodem adhuc anno continuationem iſtius libri euulgauit: *Werckſaeme Duyvelen in de Weereld &c.* Ex iureconſultis quoque PET. HAMERVS cum BECKERO congreſſus eſt, in libro: *volſtreckte Wederlegginge van de Heeren Orchard, de Daillon, en Bekker, ouer de Werckinge der Geeſten &c.* inſcripto, Dordraci 1693, 4. Nimirum praeter BECKERVM, etiam ORCHARDVM quemdam, ac DAILLONIVM, ſibi refutandos ſumſit; quippe quos ille hac in re praeeuntes ſibi habuerat. ORCHARDVS namque lingua anglicana librum ſcripſerat: *doctrina diabolorum* dictum, an. 1676, in quo eamdem ſententiam propugnauerat; quod & DAILLONIVM feciſſe, ex ipſo BECKERO diſcimus, qui ſubinde ad eum prouocat; conf. *mundus* eius *faſcinatus, lib. II. c. IX. p. 52.* Magnam prae reliquis,

qui contra BECKERVM ſcripſerunt, laudem conſequuti ſunt IO. AALSTIVS, & PAVL. STEENVVINCKEL, qui iunctim aduerſus eum ediderunt: *zedige Aanmerkingen, &c.* Dordraci 1693. 8. in quibus ipſa ſententiae eius fundamenta ita euerterunt, vt, quae iis ſuperſtruxerat, non poſſint non corruere. Nec praetermittendus tamen eſt IO. MARCKIVS, Lugdunenſis academiae theologus, quippe qui in *diſputationibus de daemoniacis, ad Marc. IV, 24.* & in *exercitationibus textualibus, exercitat. XXIX.* ad *Marc. I, 32.* Beckerum refellit, quod & PETR. POIRETVS fecit, in *vera methodo inueniendi verum, libro* eius de *eruditione vera &c.* ſubiuncta. Ex noſtratibus IO. VVINCKLERVS addendus eſt, theologus Hamburgenſis, qui Beckerum in *concione de tentatione Chriſti* impugnauit. Succincte, & velut in compendio ſententiam Beckeri & exhibui & confutaui, in *elementis philoſophiae theoret. part. VI. c. II.* Plures, qui eidem Beckero ſe oppoſuerunt, recenſet HENR. LVDOLPHVS BENTHEM, in *hollaendiſchen Kirchen- und Schulen-Staat, part. II. c. VI. p. 739. ſeqq.* add. ZACH. GRAPIVS, in *theologia recens controuerſa continuata, c. II. quaeſt. IX. p. 81. ſeqq.* Praeter BECKERVM commemorandus hic eſt ANT. VAN DALE, vtpote qui in *diſſertat. de oraculorum ethnicorum origine atque auctoribus*, itemque *de diuinationibus Iudaeorum idololatricis*, haud obſcure id egit, vt ſpirituum operationes in dubium vocaret; quem & in Gallia ſequutus eſt FONTENELLVS, in *hiſtoria oraculorum* gallice ſcripta, in qua omnes oraculorum praedictiones pro meris impoſturis habet. Vtrumque refutauit P. BALTVS, Ieſuita, *dans la reponſe a l'hiſtoire des oracles de Mr. de Fontenelle.* Praetermittendus vero etiam hic non eſt CHR. THOMASIVS, ob *diſputationem de crimine magiae*, an. 1701 editam, in qua magiam ita impugnauit, vt negaret, poſſe diabolum corpus adſumere, viſibili ſpecie hominibus adparere, pacta cum iis inire, & reliqua peragere, quae vulgo peragere dicitur, quando ſagae & magi eius opera & miniſterio vti perhibentur. Quo ipſo cum in ſuſpicionem vocatae in dubium ſpirituum exiſtentiae veniſſet, ipſe quidem hoc negauit; negareque hactenus potuit, cum omnino ſpiritus admittat, ſed alio, quam, quo id fieri ſolet, ſenſu. Diiudicanda hinc eius ſententia ex illius *tentamine, de eſſentia ſpiritus*, de quo ſupra dictum. Diſſertatio iſta de *crimine magiae* in linguam quoque germanicam tranſlata, & aliquoties cum additamentis recuſa eſt; conf. GOTTL. STOLLII *kurtze Anleitung zur Hiſtorie der Gelahrheit, part. II. c. III. §. XL. p. 214.* Inter ſcripta eidem oppoſita, CAR. FRID. ROMANI *ſchediaſma polemicum, expendens quaeſtionem, an dentur ſpectra, magi & ſagae.* Lipſiae an. 1710 editum, vel hoc nomine commemorandum eſt, quod hiſtoriam quamdam doctrinae de ſpiritibus, eorumque operationibus exhibeat, placeretque haud dubie illud pluribus, ſi meliorem in quibusdam auctor obſeruaſſet ordinem. Occaſione horum certaminum ſcripta quaedam ex anglicana in germanicam linguam tranſlata prodierunt, IO. VVAGSTAFFII, & IO. VVEBSTERI, in quibus itidem, quae vulgo de magis ac ſagis dicuntur, reiiciuntur. Et VVEBSTERI quidem, quod inſcribitur: *Vnterſuchung der vermeinten und ſo genannten Hexereyen*, cuique THOMASIVS *praefationem* praemiſit, *c. I.* varia ſuppeditat, eaque haud vulgaria, ad hiſtoriam huius doctrinae facientia. Eamdemque ob rationem & ipſius THOMASII diſſertatio *de origine proceſſus inquiſitorii contra ſagas*, quam praeter alia, huc ſpectantia, edidit, lectu non indigna eſt. Inter eos vero, qui & exſiſtentiam, & operationes, quae vulgo ſpiritibus tribuuntur, acriter defendunt, haud vltimum locum

tenet

tenet HENR. MORVS, praeſertim in *enchiridio* ſuo *metaphyſico*; quamuis omnino ſpiritibus extenſionem quamdam adſcribat, vti ſupra iam ad §. XXVIII. obſeruauimus. Conferenda, quae idem in *antidoto aduerſus atheiſmum, lib. III. c. II. ſeqq. tom. II. operum philoſoph. p. 95. ſeqq.* alibique, pro exſiſtentia & operationibus ſpirituum diſputat. Iungendus ei IOSEPH. GLANVILIVS, cuius *Sadducaeiſmus triumphatus*, anglicana lingua ſcriptus, ſed in germanicam translatus, Hamburgi 1701, 8. prodiit. Mitto reliquos, ſiquidem praecipuos iam indicauimus. De ſpectris ſpeciatim nihil addimus, cum, quae de iis diſceptari ſolent, diiudicanda ſint ex hypotheſibus, quas quisque de exiſtentia, itemque natura, indole, & operationibus ſpirituum tenet. Nonnullos, qui de iis ex inſtituto commentati ſunt, recenſet GOTTL. STOLLIVS, *in der kurtzen Anleitung zur Hiſtorie der Gelahrheit, c. III. §. XLIV. p. 217.* Hiſtoriae magiae, quam antea paucis attigimus, lucem vberiorem adfundet PETR. BAELIVS, *dans la reponſe aux queſtions d'un provincial, c. XXXVII. ſeqq. p. 327. ſq.* Quaedam etiam huc ſpectantia ipſemet dixi in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtitione, c. IX.* ad *§. III. p. 697. ſeqq.* Vt eos, qui in compendiis vel ſyſtematibus pneumaticis de ſpiritibus creatis egerunt, adſeramus, neceſſe non eſt. Cum enim iidem etiam doctrinam de Deo attingant, ad ſcriptores theologiae naturalis pertinent, de quibus nunc porro dicemus.

Ad hancce itaque de Deo rebusque diuinis doctrinam quod attinet; *theologiae* nomen, etiamſi tantum ſecundum rationis principia conſideretur, eo minus illi denegari poterit, quoniam apud ethnicos idem iam in vſu fuiſſe, & de iis, qui rerum diuinarum periti cenſebantur, vſurpatum, conſtat. Comprobatum id a me in *inſtitut. theol. dogmat. lib. I. c. I.* ad *§. XXXVII p. 66. 67.* Licet autem gentiles theologiam iſtam naturalem ſaepe mirum in modum corruperint; ſubinde tamen apud eos quaedam veritatis veſtigia occurrunt, ſiue ex rationis lumine, nondum prorſus obſcurato, ſiue e traditione quadam, remanſerint. Dicendum hinc eſſet de theologia naturali Aegyptiorum, Chaldaeorum, Perſarum, aliarumque gentium; niſi haec omnia ex hiſtoria philoſophica hauriri poſſent, ac deberent, cuius ſcriptores praecipuos ſupra iam indicauimus. De Aegyptiorum theologia multa IAMBLICHVS, in libro *de myſteriis*, a THOMA GALEO, Oxon. 1678, fol. edito, tradit; cui tamen ſine exactiori examine non vbique fidem habendam eſſe, viri docti monuerunt. Ex recentioribus inſignem hic lucem dabit HERM. WITSIVS, in *aegyptiacis*, Amſtelod. 1696 in 4. editis, qui longe meliora ſolidioraque de Aegyptiorum rebus & theologia adfert, quam ATHAN. KIRCHERVS, in *Oedipo aegyptiaco*, IO. SPENCERVS, *de legibus Ebraeorum ritualibus, & earum rationibus,* & IO. MARSHAMVS, in *canone chronico.* Cumque Aegyptii, vt omnem ſapientiam, ita & rerum diuinarum ſcientiam, a Mercurio quodam accepiſſe dicantur; conferenda, quae fuſe admodum de eo diſſerui, in *hiſtor. eccleſ. vet. teſt. tom. I. per. I. ſect. III.* ad *§. XXII. p. 429. ſeqq.* Chaldaeorum theologia ex *oraculis*, quae ſub *Zoroaſtris* nomine exſtant, haurienda. Ex quibus quae ſuperſunt, quaeue magna diligentia FRANC. PATRICIVS collegit, graece & latine, apud PET. LAMBECIVM legere licet, *prodrom. hiſt. litterar. p. 79. ſeqq.* & apud THOM. STANLEIVM, *hiſtor. philoſ. p. 1176. ſeqq.* quamuis & alias ſaepe ſint edita. Sed ad ipſum Zoroaſtrem quod attinet, a quo haecce oracula profecta creduntur; quae de illo vulgo traduntur, tam incerta ſunt, tamque confuſa, immo ſe inuicem euertentia, vt vix, vbi pedem figas, inuenias. Nonnulli, vt hinc ſe expedirent, diuerſos eiusdem nominis viros ſtatuerunt, eosque

Digitized by Google

eosque adcurate a ſe inuicem diſcernendos eſſe, arbitrati ſunt. Nec tamen & hac ratione multum ad ſummam rei profecerunt; iuſtamque aliis adhuc dubitandi reliquerunt cauſſam, an omnino chaldaeus aliquis, ſiue aſſyrius, Zoroaſtres exſtiterit. Nec ſine ratione in eam alii ingreſſi ſunt ſententiam, vnicum tantum fuiſſe Zoroaſtrem, Perſarum lingua *Zerdusht* dictum, qui tempore Darii Hyſtaſpidis vixerit, nouaeque diſciplinae religionisque ethnicae reformatae apud Perſas auctor exſtiterit. Expoſita haec omnia a me ſunt quam copioſiſſime, *hiſtor. eccleſ. veter. teſtam. tom. I. per. I. ſect. III.* ad *§. XXII. p. 436. ſeqq.* & *tom. II. per. II. ſect. VI.* ad *§. XIII. p. 1049. ſeqq.* Zoroaſtres autem hicce, quicumque demum fuerit, diligentem promeretur attentionem, quod vulgo pro auctore ſententiae de duplici principio independenti habeatur, quae deinceps plurimorum inter & ethnicos & chriſtianos inuaſit animos, & variarum haereſium cauſſa fuit. A quo tamen errore liberare Zoroaſtrem adnititur THOMAS HYDE, acriter contendens, nihil eum hac in re docuiſſe, quod ſcripturae ſacrae repugnet, quae a diabolo equidem omne malum deriuat, ſed eum ſimul imperio & poteſtati Numinis ſubiicit; in *hiſtor. relig. veter. Perſarum c. XXII. p. 291. ſeqq.* renitente quidem PETRO BAELIO, *dictionar. hiſtor. crit. voc. Zoroaſtres, p. 3079.* Sed & hac de re a me dictum in *hiſt. eccleſ. vet. teſt. tom. II. per. II. ſect. VI.* ad *§. XIII. p. 1053. 1054.* Ex Aegyptiorum placitis cum maximam partem fluxerit theologia Pythagorica; vt de ea ſpeciatim agamus, neceſſe non eſt. Praeter reliquos autem de philoſophia Pythagorica ſcriptores, ſupra laudatos, conſulere iuuabit MICH. MVRGVES *plan theologique du Pythagoriſme & des autres ſectes ſçavantes de la Grece &c.* Amſtelodami 1714. 2 tom. in 8.

Ad Graecos ſi tranſeamus, Platonici cumprimis ſeſe offerunt, quippe qui, praeeunte magiſtro, multa de Deo, rebusque diuinis, philoſophati ſunt. Num vbique rationis ductum ſequantur, an ex traditione quaedam adſumſerint? ſupra diſputauimus. Praeter eos, qui generatim Platonicae philoſophiae hiſtoriam tradiderunt, & de quibus itidem ſupra dictum, nonnulli ſpeciatim theologiam eius deſcripſerunt. ZENODOTI librum πρὸς Πλάτωνα περὶ θεῶν temporum nobis iniuria eripuit. PROCLI autem adhuc exſtant εἰς τὴν Πλάτωνος θεολογίαν βιβλία ϛʹ. *in theologiam Platonis libri ſex*, de quibus IO. ALB. FABRICIVS: *opus ſubtile & eruditum, ſed ex quo Syriani & Procli citius, quam Platonis de Deo & rebus diuinis ſententiam didiceris.* Idem vir doctiſſimus, cum obſeruaſſet, HERM. CONRINGIVM, de *Hermetica medicina, p. 12.* adfirmare: *theologiam, quam in illis libris tradit Proclus inepte ab eo Platonicam dici*; recte ſubiicit: *Sed hoc ſolemne recentioribus a Plotino vsque Platonicis, vt mille aliena dogmata philoſophi iſtius doctrinae ſiue adtexant, ſiue ſubſtituant, & tamen pro genuino vniuerſa venditent Platoniſmo, quaſi Plato, ſi non ita ſenſit, certe debuerit ita ſentire, vt ipſi comminiſcuntur*; in *elencho ſcriptorum Procli*, quem *Marini Neapolitani vitae Procli* adiecit, *p. 101.* vbi & de operis huius editionibus verba facit. Idem PROCLVS στοιχείωσιν θεολογικὴν *inſtitutionem theologicam* reliquit, de qua itidem FABRICIVS, *l. c.* conſulendus. Ex recentioribus, MARSIL. FICINVS, vt in aliis dogmata Platonica ſectatus eſt, ita & *theologiae Platonicae libros octodecim, de immortalitate animarum atque aeterna felicitate*, itemque *compendium theologiae Platonicae*, conſcripſit, quae *operum* eius *tomo primo* exſtant. PAVLI BENII Eugubini, *theologia Platonis ac Ariſtotelis* Patauii 1624 in 4. prodiit; PHIL. TREVNERI noſtri *diſſertatio, de theologia Platonis & Ariſtotelis comparata*, Ienae 1690 in 4. lucem adſpexit.

Digitized by Google

adſpexit. Quaedam etiam huc ſpectantia delibaui, in *hiſtor. eccleſ. veter. teſtam. tom. II. per. II. ſect. VI.* ad *§. XIII. p. 1066. ſeqq.* Ariſtoteli in libris metaphyſicorum conſtitutum fuiſſe, de Deo agere, eumque id, ſed paucis admodum, praeſtitiſſe, conſtat, & ſupra iam docuimus. Qualis etiam theologia eius fuerit, ex iis, quae & de philoſophia, & religione eius diximus, nemini obſcurum eſſe poteſt. Per Deum enim, cum intelligentiam, ſupremo orbi neceſſario vinculo adligatam, intelligat, quem & ideo primum motorem adpellitat; cuiusmodi reliqua fuerint? facile intelligitur. Fuerunt interim, qui theologiam Ariſtotelis exhibere, operae pretium ducerent. Spectant huc, qui Platonis ac Ariſtotelis theologiam compararunt inter ſe, aut iunctim deſcripſerunt; quorum nonnullos iam laudauimus, & quibus adhuc iungendus MICH. PICCARTVS, in *oratione de theologia Platonis & Ariſtotelis*. HENR. CAPREDONI *theologiam Ariſtotelis* nonnulli memorant, editam Venetiis 1609 in 4. quam tamen quum numqam viderim, non habeo, quod de ea dicam. IO. FAVSTI *examen theologiae, quam docuit Ariſtoteles*, Argentorati lucem adſpexit, an. 1663 4. Nec alienus ab hoc loco eſt IO. ZEISOLDI *tractatus, de Ariſtotelis cum ſcriptura ſacra conſenſu & ab ea diſſenſu*, de quo quid ſentiendum ſit, ſupra iam expoſui. Praecipua etiam theologiae & religionis Ariſtotelicae momenta ipſemet attigi, in *hiſtor. eccleſ. veter. teſtam. tom. II. per. II. ſect. VI.* ad *§. XIII. p. 1070. ſeqq.* Ad Stoicos quod attinet, apud SENECAM, EPICTETVM, M. AVREL. ANTONINVM imperatorem, aliosque, multa de Deo egregie & praeclare dicta, quae & in ſe, extra ſyſtema Stoicorum ſpectata, longe veriſſima ſint, occurrere, nemo, niſi harum rerum plane ignarus, negauerit. Non itaque difficile fuerit, ex iis theologiam quamdam naturalem, rectae rationi prorſus conuenientem, exſtruere. Quod & a IO. ANDR. SCHMIDIO factum, qui *Senecam eiusque theologiam* peculiari diſſertatione an. 1686 in hacce academia exhibuit. Praeterea *L. A. Senecae theologia naturalis contemplatiua, in locos communes digeſta, ſtudio* IO. IANI SVANINGI, Ripenſis, cum *praefatione* SEVERINI LINTRVPII, Hafniae prodiit, an. 1710 in 4. Vlterius nonnulli progreſſi, apud Stoicos, praeſertim Senecam, talia ſibi inueniſſe viſi ſunt, quae & cum theologia chriſtiana prorſus conſentiant; cuiusmodi quaedam & in SVANINGI iam laudata commentatione occurrunt. Quod quidem de illis non mirandum, qui omnino chriſtianorum numero Senecam adſcribunt. Quam tamen fabulam pridem viri docti exploſerunt: AEG. STRAVCHIVS, in *exercitat. de confícto Senecae chriſtianiſmo*, CHRIST. KORTHOLTVS, *de Philippi Arabis, Alexandri Mammaeae, Plinii iunioris & Senecae chriſtianiſmo*, aliique. Lubrico prorſus innititur fundamento, epiſtolis ſcilicet, quas Paulus ad Senecam, & hic ad Paulum ſcripſiſſe dicitur; quas veras & genuinas eſſe, nemo ſanae mentis ſibi perſuaſerit; conf. & IO. ALB. FABRICIVS, in *codic. apocrypho noui teſtamenti, part. II. p. 880. ſeqq.* Idem de Epicteto cenſendum, quod & recte probauit MICH. ROSSAL, in *diſquiſitione, de Epicteto, philoſopho Stoico, qua probatur, eum non fuiſſe chriſtianum*, Groeningae 1708. 8. Splendida vtique iſta, quae apud Stoicos leguntur, de vita recte inſtituenda, de prauis cupiditatibus exſtirpandis, perdomandisque & ſubigendis adfectibus, effata, nondum ſufficiunt, vt inde concludamus, eos aut chriſtianos fuiſſe, aut cum iis plane conſenſiſſe. Ad chriſtianam enim theologiam ac religionem amplius quid requiritur. Nec diſſimulandum, quod praeſtantiſſima eorum dicta, & in quibus quam proxime ad religionem chriſtianam acce-

Digitized by Google

dere videntur, ſi ſecundum genuinum Stoicae philoſophiae ſyſtema explicentur, ſummam ſaepe tegant impietatem, vt alibi demonſtratum. De DEMOCRITI pariter ac EPICVRI theologia vix eximii quid ſibi pollicebitur, qui cogitauerit, illum cum LEVCIPPO mundum ex fortuito atomorum concurſu ita conſtruxiſſe, vt in eo producendo & conſeruando nullam Dei aduocare operam neceſſe duceret; hunc equidem ad mortem euitandam Deo in ſyſtemate ſuo, ſeu intermundiis potius, conceſſiſſe locum, ſed a mundi gubernatione, rerumque humanarum directione, quam longiſſime remouiſſe. Non vero deſunt, qui & Democritum, & Epicurum, defendunt, illumque omnino admiſiſſe Deum, nec hunc diuinam in dubium vocaſſe, contendunt, prouidentiam; quos vt alibi laudaui, ita nunc IOANNES tantum CONR. SCHVVARZIVS, vir clariſſimus, mihi commemorandus eſt, qui vtriusque, & *Democriti & Epicuri theologiam*, peculiaribus diſſertationibus delineauit. Generatim de Graecorum philoſophis adhuc obſeruandum, plurimos in ſuſpicionem atheiſmi veniſſe; & ſi ipſum doctrinae, quam amplexi ſunt, ſyſtema ſpectes, non ſine omni ratione; qua de re plura dicerem, idque & conueniens huic loco eſſet, niſi hoc iam a me factum eſſet in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtitione*, *c. I. §. XI. ſeqq.* hac de re diſſerit Iungenda quae MICH. MOVRGVES in libro, quem inſcripſit: *plan theologique du Pythagoriſme* &c. *tom. I. epiſt. III. p. 91. ſeqq.* Qui apud Romanos philoſophabantur, vnam ex Graecorum amplectebantur ſectis; vnde &, quid de illorum exiſtimandum ſit theologia, patet. Praetermittendus tamen hic non eſt M. TVLLIVS CICERO, ob libros tres de *natura Deorum*, & duos de *diuinatione*, qui vel hoc nomine communi conſenſu laudantur, quod in iis teſtatus ſit, quam longe a ſuperſtitione abfuerit. Legenda, quae de iis ARNOBIVS diſſerit, *aduerſ. gentes*, *lib. III. p. 103.* Libri porro tres de *natura deorum* ideo quoque lectu digni ſunt, quod graecorum philoſophorum de Deo ſententiae in iis adcurate referantur, quaedam etiam diligenter expendantur. Dum vero in iisdem COTTA, contra omnes colloquutores, qui exſiſtentiam deorum defendebant, victoriam referre videtur; nonnulli in eam ingreſſi ſunt ſententiam, non procul Ciceronem ab atheorum abfuiſſe impietate. Certe ab ANT. COLLINO inter *libere cogitantes* refertur, in *diſcurſu de libertate cogitandi*, *p. 198. ſeqq.* cuius tamen a me confutatae ſunt rationes, in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtit. c. I.* ad *§. XXII. p. 99. 100.* Vidi deinceps, etiam ISA. IAQVELOTIVM Ciceronem atheiſmi arguere, *de l' exſiſtence de Dieu*, *diſſertat. I. c. XI. p. 132.* Praeterquam vero, quod alibi ita loquatur Cicero, vt dubitari nequeat, quin ſententia de Deo, eiusque prouidentia, & cultu firmiter animo eius inhaeſerit; ex eo, quod C. LVCILII BALBI iterata reſponſio, a Cicerone promiſſa, deficiat, nonſine ratione nonnulli colligunt, deeſſe forte in hocce opere librum quartum, in quo Cicero ad dubia, contra exſiſtentiam Dei propoſita, reſpondere voluerit. Inter eos, qui hoſce Ciceronis libros illuſtrarunt, eminet PET. LESCALOPIERIVS, cuius *commentarii* Pariſiis 1660 fol. prodierunt. Vltimo denique loco hic commemorandi ſunt, qui generatim ex gentilium ſcriptis theologiam naturalem exhibere adgreſſi ſunt. Agmen inter eos ducit AVG. STEVCHVS Eugubinus, in notiſſimo de *perenni philoſophia* opere, in quo omnium fere ſectarum dogmata, ad theologiam naturalem ſpectantia, excutit, easque cum chriſtianis in praecipuis capitibus conſentire, demonſtrare adnititur. De quo eius quid ſentiendum ſit inſtituto, ſupra iam indicauimus, oſtendimusque, eos, qui intempeſtiuo conciliandi philoſophos

ſophos aut inter ſe, aut cum ſcriptura ſacra, ſtudio tenentur, haud raro illis tribuere, quod numquam iis in mentem venit. Hinc &, quid de MVTII PANSAE *oſculo philoſophiae ethnicae & chriſtianae* cenſendum ſit, liquet, de quo itidem ſupra dictum. Parum abeſt, quin idem pronuntiem de TOB. PFANNERI *ſyſtemate theologiae gentilis purioris*, ſiquidem in eo *quam prope ad veram religionem gentiles acceſſerint*, idque *per cuncta fere eius capita*, oſtendere voluit. Conſilium quidem iſtud minime vituperandum, ita tamen comparatum eſt, vt vera gentilium ſententia ſaepius magis obſcuretur, quam illuſtretur. Sane, ſi gentilium philoſophis aliquid tribuatur, quod non dixerunt, neſcio, an adeo magnum inde ad religionem chriſtianam redundaturum ſit emolumentum. Repetendum nimirum, quod aliquoties iam monuimus, multa exſtare gentilium effata, quae extra illorum ſyſtema conſiderata, ſenſum plane egregium fundant; ſecundum genuina autem eorum principia explicata, longe aliud quid ſignificant. In eumdem cenſum referendae ſunt PET. DAN. HVETII *quaeſtiones Alnetanae*, *de concordia rationis & fidei*, in quarum libro ſecundo, eundo per omnia theologiae chriſtianae capita, demonſtrare conatus eſt, gentilium philoſophos, quae cum iis plane conſentiunt, docuiſſe. In qua eius tractatione interdum iudicii ἀκρίβειαν deſideres. Qui de idololatria gentilium ſcripſerunt, ideo non ſunt negligendi, quod inde patet, qua ratione theologia naturalis apud ethnicos ſit deprauata; quamuis & veritatis quaedam veſtigia in ipſa idololatria deprehendere liceat. Legendi itaque GERH. IOAN. VOSSIVS, in *theologia gentili, ſeu de origine & progreſſu idololatriae, libris nouem*; PET. IVRIEV, in *hiſtoire critique des dogmes & cultes, bons & mauvais, qui ont eté dans l' Egliſe depuis Adam iusqu' a Ieſus Chriſt &c.* IO. SELDENVS, de *diis ſyris*; EDVARDVS BARO HERBERTVS DE CHERBVRY, de *religione gentilium errorumque apud eos cauſſis*, aliique. Addenda, quae & ipſemet in *hiſtoria eccleſiaſtica veteris teſtamenti* paſſim hac de re tradidi.

Ad chriſtianos dum pergimus, qui eorum contra ethnicos cauſſam egerunt, & religionis chriſtianae veritatem demonſtrarunt, vt IVSTINVS martyr, ATHENAGORAS, TERTVLLIANVS, MINVTIVS FELIX, ceterique, ea ſimul attingunt, quae ad theologiam naturalem ſpectant. Sed cum de hiſce, aliisue, qui de veritate religionis chriſtianae ſcripſerunt, in ſequentibus agere animus ſit, quando de theologia polemica verba facturi ſumus, nunc nihil de iis addimus. Conſulere interim iuuabit HOVTTEVILLAEI abbatis *diſcours hiſtorique & critique ſur la methode des principaux auteurs, qui ont ecrit pour & contre le chriſtianiſme depuis ſon origine*, qui diſcurſus praemiſſus eſt eiusdem libro: *la religion chretienne prouvée par les faits*, dicto, editoque Pariſiis 1722, 4. Scholaſticos doctores pneumaticam, ſeu theologiam naturalem, ceu adpendicem metaphyſices, tractaſſe, ſupra iam monuimus. Nihil vero eximii ab iis hic ſperandum, philoſophandi ratio, quam in reliquis tenent, omnes facile condocebit. THOMAS equidem DE AQVINO *ſummam fidei chriſtianae contra gentiles ſcripſit*, minime contemnendam. Sed de ea dicendi locus erit, cum de ſcriptoribus, qui veritatem religionis chriſtianae demonſtrarunt, agemus. Saeculo decimo quinto RAYMVNDVS DE SADVNDE, vel, vt alii, SEBVNDA, aut, vt rurſus alii, SEBEIDE, vixit, *obſcuri aeque nominis & conditionis*, vt NICOL. ANTONIVS loquitur, *non ita tamen obſcurae ad poſteros in monumentis ab eo relictis famae*. Huius valde celebratur *theologia naturalis*. Inſcriptum quidem primum hocce opus fuit: *creaturarum, ſiue de homine liber*; deinceps autem ſequenti ratione:

tione: *theologia naturalis, ſeu liber creaturarum, ſpecialiter de homine & natura eius, in quantum homo, & de his, quae ei ſunt neceſſaria ad cognoſcendum ſe ipſum, & Deum, & omne debitum, ad quod homo tenetur & obligatur, tam Deo, quam proximo.* Editiones eius commemorat, quem iam laudauimus, NICOL. ANTONIVS, qui & addit: *ſcopus auctoris fuit in hoc libro, vt ad conuincendos etiam eos, qui reuelatae veritati nihil deferunt, omnes chriſtiani dogmatis, tam diuinae in ſe, quam communicatae homini in verbo aeterno Dei naturae articulos a naturali veritate non eſſe abſonos, immo naturalibus non incongrue confirmari poſſe argumentis oſtenderet.* Conſtitutum ergo illi fuit, euincere, nihil in chriſtiana religione contineri, quod rationi non ſit conſentaneum. Quod quidem eius inſtitutum omnibus placere non potuit; vnde NICOL. ANTONIVS refert, illud *arduum atque durum fuiſſe viſum*; MICHAELEM autem MONTANVM, cuius *tentamina*, gallicana lingua ſcripta, ſatis nota ſunt, *apologeticum* pro eo compoſuiſſe. Exſtat etiam eiusdem RAYMVNDI *de natura & obligatione hominis opuſculum*, tum alias, tum & Coloniae 1712 editum. In quibusdam editionibus inſcribitur: *de natura hominis ſeu viola animae forma dialogi &c.* videturque prioris operis quoddam compendium eſſe. Non autem ab ipſo RAYMVNDO, ſed alio quodam, illud confectum, contendit NICOL. ANTONIVS, qui plura de hocce auctore dabit, in *bibliotheca hiſpana veteri, tom. II. lib. X. c. III. p. 141.*

Cum poſt bonarum litterarum reſuſcitationem & hinc ſequutam eccleſiae emendationem, & qua philoſophiam, & qua religionem, ac theologiam, magnae doctorum virorum diſſenſiones orirentur; fieri non potuit, quin diuerſa quoque exſiſteret theologiam naturalem tractandi ratio. Ne quid enim de philoſophorum variis, ac a ſe inuicem diſcrepantibus, circa ſpiritus resque diuinas, opinionibus dicam; qui reuelatam theologiam docebant, naturalem quoque, quantum fieri poterat, ita tradere incipiebant, ut ſuis, quas in illa fouebant, hypotheſibus conſentire videretur. Atque haecce hic omnino obſeruanda eſt diuerſitas. Romanenſium doctores ſcholaſtici pneumaticam, vti antea iam monuimus, pro parte, vel adpendice metaphyſicae habent; quod a FRANC. SVAREZIO, aliisque factum. Inter eos, qui ex inſtituto de hacce philoſophiae parte commentati ſunt, eminet THEOPH. RAYNAVDVS, cuius *theologia naturalis, ſiue entis increati & creati intra ſupremam abſtractionem ex naturae lumine inueſtigatio*, Lugduni 1622, 4. prodiit. Scholaſticorum equidem ſequitur veſtigia, & illorum more in quaeſtionibus, quae plus ſubtilitatis quam vtilitatis habent, e. g. *de origine intellectualitatis intelligentiarum*; *de poſſibili vnitate rationis in intelligentiis*, ſimilibusque, valde copioſus eſt: nonnulla praeterea de ſpiritibus & Deo diſputat, ad quae rationis lumen non pertingit. Multae tamen lectionis virum eſſe, ex hoc quoque eius opere agnoſcas; quemadmodum & quaedam admiſcet, quae prodeſſe poſſunt. Ipſam ſimul ontologiam *diſtinctione I.* ſed breuiter, exhibet; & in prologo *breuiculus*, quem vocat, *naturalis theologiae priſcae Platonicae & Ariſtotelicae*, & ipſius auctoris, exſtat. Dum vero Ariſtotelis theologiam naturalem magnis laudibus in caelum euehit; mentem, veramque philoſophi huius ſententiam, non ſatis ſibi perſpectam fuiſſe, demonſtrat. Ad noſtrates quod attinet, nonnulli itidem, vt CHRISTOPH. SCHEIBLERVS, aliique, in *metaphyſicis* ſuis ſimul de ſpiritibus, ſpeciatim de Deo agunt. Inter eos, qui ſeparatim hancce doctrinam pertractarunt, haud vltimus eſt STEPH. KLOTZIVS, cuius *pneumatica, ſiue theologia naturalis, hoc eſt, de Deo, vt natura cognoſcibilis eſt,*

eſt, tractatio theologica & ſcholaſtica, e ſcriptuis, beatorum patrum ac priſcorum philoſophorum ſcriptis, ac ſana ratione, concinnata &c. Roſtochii 1640 lucem adſpexit. Inſcriptio tractandi rationem indicat; quam & ipſa libri lectio confirmat, ex qua etiam patet, auctorem diligenter ea congeſſiſſe, quae a theologis de hocce argumento diſputari ſolent. Eiusdem fere generis eſt BALTH. CELLARII *epitome theologiae philoſophicae ſeu naturalis ex Ariſtotele & libro de mundo concinnata, ſcholaſticorum doctrina illuſtrata, & cum ſcriptura ſacra collata,* cuius altera editio Helmſtadii 1651 in 4. prodiit. Namque & hic cum lumine rationis, doctrina ſcholaſtica, & ſcriptura ſacra coniunguntur. Speciatim tamen CELLARIVS Ariſtotelem ſequitur, & *librum de mundo*, quem adeo ipſi Ariſtoteli non tribuit. Qua in re plurimos viros doctos, M. ANT. MVRETVM, SCALIGERVM vtrumque, ISA. CASAVBONVM, CL. SALMASIVM, aliosque ſecum conſentientes habet; repugnantem autem virum doctiſſimum IO. ALB. FABRICIVM, *biblioth. graec. lib. III. c. VI. §. XIII. p. 128.* Praeter hoſce laudandi adhuc ex noſtratibus HENR. IVLIVS SCHEVRLIVS, ob *epitomen theologiae naturalis*, Wolferbyti 1650, in 4. KIL. RVDRAVFFIVS, ob *theologiam naturalem*, Gieſſae 1657 in 4. IO. WOLFG. IAEGERVS, ob *theologiam naturalem, ſiue controuerſias illuſtres de Deo*, Tubingae 1684, in 4. Plerique etiam, qui ſyſtemata aut compendia theologica ſcripſerunt, cum theologia reuelata naturalem coniungere ſolent; quod & reformatae eccleſiae doctores faciunt, ex quibus ideo SALOMO VAN TILL *compendium* ſuum *theologiae vtriusque, cum naturalis, tum reuelatae* inſcripſit. Fuerunt vero & alii, ex eiusdem eccleſiae theologis, qui ex inſtituto in hocce argumento ingenii vires periclitarentur; quos recenſere omnes neceſſe non eſt. Noſtra aetate laudem ſingularem conſequutus eſt DAV. MARTINIVS, ob *tractatum de religione naturali*, gallicana lingua ab eo ſcriptum, qui Amſtelodami 1713 in 8. excuſus eſt. Qui ex Socinianis theologiam naturalem attigerunt, per eam non minus, ac per reuelatam, errores ſuos diffuderunt. Dum enim nihil aliud, quam, quod ratio capere poteſt, admittere voluerunt; ſaepe ea quoque, quae rectae rationi ſunt conſentanea, reiecerunt. Hinc namque eſt, quod mox accidentia Deo tribuere, mox ſcientiam futurorum contingentium illi denegare, mox infinitatem, aut immenſitatem ac omnipraeſentiam impugnare, aut aeternitatem, quae omnis ſucceſſionis expers ſit, vocare in dubium, aut aliud quid, quod cum ſumma Numinis perfectione, quam ipſa ratio agnoſcit, conſiſtere nequit, adſerere, in animum induxerunt ſuum. Sequuti eos ſunt nonnulli eorum, qui ex Arminii ſchola prodierunt, quos inter eminet CONR. VORSTIVS, cuius liber *de Deo, ſeu diſputationes decem, de natura & attributis Dei, diuerſo tempore Steinfurti publice habitae*, quae Steinfurti 1610 prodierunt, dici non poteſt, quantum dederint ſtrepitum. Ex eo tempore, quotquot fere de theologia naturali commentati ſunt, id ſibi datum crediderunt, vt VORSTIVM refutarent; cui deinceps SIM. EPISCOPIVM, aliosque, ex Arminianorum coetu iunxerunt. Locum hic ſibi etiam vindicat PET. CHAVVINI liber, *de naturali religione*, Roterodami 1693 in 8. editus; in quo quae a vera doctrina abire videntur, notaui in *animaduerſionibus* in eumdem, quae exſtant in *parergis hiſtorico-theologicis, p. 398. ſeqq.* Nec IO. CLERICI *pneumatologia*, quae *operum* eius *philoſophicorum tomo ſecundo* legitur, ab hac labe prorſus immunis eſt; licet ceteroquin, ob rerum ſelectum, concinnamque ac elegantem tractandi rationem, laude ſua non ſit defraudanda.

Hactenus, quae theologiae naturalis

Digitized by Google

poſt eccleſiae emendationem in theologorum praecipue ſcholis fuerint fata, vidimus. Iam, ad philoſophos quod attinet, REN. CARTESIVS iterum hic nobis occurrit, quem in *meditationibus* ſuis *de prima philoſophia* ea pertractaſſe, quae ad theologiam naturalem ſpectant, ſupra iam obſeruauimus. In iis vero cum nouam, Dei exſiſtentiam demonſtrandi, viam, ab idea nobis innata, ingreſſus eſſet; controuerſiis ac certaminibus acerrimis occaſionem praebuit. Attigerunt deinceps hanc quaeſtionem & qui contra Carteſium ſcripſerunt, & qui theologiam naturalem tradiderunt; de qua tamen cumprimis legendi PETR. DAN. HVETIVS, in *cenſura philoſophiae Carteſianae, cap. IV. p. 58. ſeqq.* & SAM. WERENFELSIVS, in *iudicio de argumento Carteſii pro exſiſtentia Dei petito ab eius idea*, itemque in *iudicii* iſtius *vindiciis, part. II. diſſertationum* eius *varii argumenti, p. 28. ſeqq.* Porro, ex notione *ſpiritus*, quam Carteſius animo concepit, non poterant non varia παράδοξα, ſi ea Deo adplicaretur, conſequi. Non omnes tamen Carteſii ſectatores ſtricte adeo huic notioni inhaerere, ANTONII LE GRAND exemplo ſupra iam demonſtrauimus. Quid in capite de prouidentia ex eo ſequatur, quod nonnulli ex hacce ſchola, omnem motum immediate a Deo proficiſci, contendunt, nemo non perſpicit. Sed & hac de re ſupra dictum. Exhibent autem ex Carteſii ſectatoribus theologiam naturalem non tantum, qui vniuerſae philoſophiae ſyſtemata ſecundum principia eius condiderunt, ſed & ſpeciatim IO. CLAVBERGIVS, in *centuria exercitationum de cognitione Dei & noſtri ſecundum philoſophiam*, Duisburgi, an. 1656. in 8. GERHARDVS DE VRIES, in *exercitationibus rationalibus de Deo, diuiniſque perfectionibus*, Vltraiecti 1685 in 4. itemque HERM. ALEXANDER ROELL, in *diſſert. de religione rationali*, cuius editio tertia Franecquerae 1695 prodiit, in qua & rationis, vltra, quam par eſt, extendiſſe limites, cenſetur. Iam & de atheis hic dicendum eſſet, deque iis, qui exſiſtentiam Numinis contra eos demonſtrarunt, eorumque ſimul diluerunt ſophiſmata; ſed hiſce omnibus in theologia polemica locum concedere animus eſt, de qua parte poſteriori verba faciemus. De vtilitate autem ac neceſſitate theologiae naturalis, praeſertim intuitu illorum, qui theologiae ſtudio ſe conſecrarunt, aliquid addere, ſuperuacaneum foret; cum nemo ſanae mentis de ea dubitare queat.

§. XXXI. In practica philoſophia primum locum tenet *ethica*, ſpeciatim ſic dicta; quae artem bene beateque viuendi ſecundum rationis ductum docet. Hanc vero licet longe rectius ex ſacris litteris hauriant, qui ſe non indignos eo, quo veniunt, chriſtianorum nomine, demonſtrare volunt; ideo tamen, quae rectae rationis ſequitur regulam, negligenda aut contemnenda non eſt. Praeterquam enim, quod ad ſui ipſius cognitionem, quae initium eſt verae ſapientiae, viam muniat; quaecumque de homine, mente cumprimis & eius facultatibus, harumque morbis & imperfectionibus, & quae reliqua ſunt eiusdem generis longe plurima, tradit, ita comparata ſunt, vt ad diſcrimen naturae & gratiae, quod theologiae moralis caput praecipuum eſt, eo rectius intelligendum, plurimum conferant. *

* In *ethicae*, ſeu doctrinae moralis philoſophicae, vtilitate & neceſſitate, rite aeſtimanda, ita incedendum, ne quidquam dignitati ac praeſtantiae eius detrahamus, nec tamen rationis viribus apud eos, qui chriſtianorum nomine veniunt, in vitae directione plus, quam decet, tribuamus. Minus enim lumen praeferre maiori, ſtolidum foret. Sufficit vero, ad commendandam ethicam, & inſignem eius vtilitatem demonſtrandam, quod eius notitia nemo in ſui ipſius cognitione adcurata, & quod huc itidem ſpectat, diſcrimine naturae & gratiae recte conſtituendo, carere queat. Ad hiſtoriam huius philoſophiae partis, pariter ac librorum eo pertinentium notitiam comparandam, faciunt: VINC. PLACCII de *morali ſcientia augenda commentarius, in Franciſci Baconis Baronis de Verulamio, de dignitate & augmentis ſcientiarum librum ſeptimum*; Francofurti 1677 8. HENR. IVLII SCHEVRLII *bibliographia moralis*, eleganter ſcripta, cuius altera editio Helmſtadii prodiit, an. 1686 8. SAM. RACHELII *introductio ad philoſophiam moralem*: IO. IOACH. ZENTGRAVII *ſpecimen antiquitatum moralium*, ſeu *hiſtoriae moralis antiquae*, Argentorati 1696 4. NIC. HIERON. GVNDLINGII *hiſtoria philoſophiae moralis*, cuius ſolum pars prima, quantum mihi conſtat, lucem vidit, Halae 1706 4. in qua de Aegyptiorum, Chaldaeorum, Perſarum, Arabum, Indorum, Gallorum & Germanorum veterum, porro Ebraeorum, & Phoenicum philoſophia morali, erudite diſſerit; & denique GOTTL. STOLLII *Hiſtorie der heidniſchen Morale*, Ienae 1714 4. vbi praeter gentium, quae barbarae vocantur, Graecorum maxime ac Romanorum, doctrina moralis fuſe & diligenter deſcribitur; in praefatione etiam nonnulli, qui in eodem hocce argumento ingenii periclitati ſunt vires, laudantur. De IO. BARBEYRACII *praefatione*, quam verſioni gallicae operis Puſendorffiani, *de iure naturae & gentium*, praemiſit, quaecunque huc ſpectare videtur, deinceps dicemus, cum de iure naturae & gentium verba faciemus. Praecipuos etiam quosdam moralis philoſophiae ſcriptores laudat GABR. NAVDAEVS, in *bibliographia politica, c. II. & III. p. m. 500. ſeqq.* Ipſam vero doctrinae moralis hiſtoriam breuiter, more ſuo, exhibet REN. RAPINVS, *dans ſes reflexions ſur la morale, tom. II. oper. p. 385. ſeqq.* Cumprimis adhuc commemorandus eſt GE. PASCHIVS, ob *librum* prorſus egregium, *de variis modis moralia tradendi*, qui cum eiusdem *introductione in rem litterariam moralem veterum ſapientiae antiſtitum*, Kilonii 1707 4. prodiit.

Primam doctrinae moralis originem ab ipſis Ebraeis poſſemus arceſſere. Et ſane, quae illorum de ea in ſacro codice exſtant monumenta, omnia, etiam praeſtantiſſimorum philoſophorum gentilium, praecepta multis modis ſuperant. Cum vero ex ſublimiori fonte eadem profecta ſint, rectius locum ſuum in theologia morali ſibi vindicabunt. De reliquorum autem Iudaeorum doctrina morali quae obſeruatu digna ſunt, legi poſſunt in *introductione ad hiſtoriam philoſoph. Ebraeorum, p. 107. ſeqq. it. p. 130.* nouiſſimae editionis. Poſtquam Ariſtoteles chriſtianorum ſcholas occupauit, Iudaeorum quosdam eamdem philoſophandi rationem, vt in aliis, ita & in doctrina morali, ſequutos, ibidem a me obſeruatum, *p. 209. ſeqq.* De Aegyptiorum, Chaldaeorum, Perſarum, aliarumque gentium, quae barbarae vocari ſolent, doctrina morali, nihil addo; cum cuncta diligenter perſequutus ſit NIC. HIER. GVNDLINGIVS in *hiſtoria philoſophiae moralis, c. I. ſeqq.* Ad Aegyptios tantum quod attinet, non praetermittendum, poſitum in more iis fuiſſe, per ſymbola ſeu hieroglyphica, quae vocant, ſapientiae ſuae, adeoque & doctri-

doctrinae moralis dogmata, proponere. Legendus hac de re NIC. CAVSSINI liber, *de ſymbolica Aegyptiorum ſapientia;* conferendus & GE. PASCHIVS, de *variis modis moralia tradendi, c. IV. §. XXVI. p. 429. ſeqq.* De HORAPOLLINE, ſeu potius HORO APOLLINE, ſub cuius nomine duo libelli, de *hieroglyphicis Aegyptiorum,* exſtant, diligenter more ſuo diſſerit IO. ALB. FABRICIVS, *bibl. graec. lib. I. c. XIII. p. 85. ſeqq.* qui & §. *VII. p. 90.* recentiores ſcriptores, hieroglyphicam veterum Aegyptiorum litteraturam illuſtrantes, recenſet. Indorum quaenam doctrina moralis fuerit, ex libro antiquiſſimo, arabice *kelila va dimna* dicto, patet, quem graece primum & ex manuſcripto codice Holſteiniano, cum noua verſione latina, *ſpecimen ſapientiae Indorum veterum, id eſt, liber ethico-politicus peruetuſtus,* inſcriptum, edidit SEBAST. GOTTF. STARCKIVS, Berolini 1697. 8. Liber hicce ante duo amplius annorum millia Indorum lingua ſcriptus, hinc in perſicam, ſyriacam, arabicam, translatus dicitur, donec circa annum Chriſti MC eum ex arabico ſermone in graecum conuerteret SIM. SETHVS. Plura de eo, reliquisque verſionibus, dabit IO. ALB. FABRICIVS, *bibliotb. graec. lib. V. c. V. p. 460. ſeqq.* Continet autem dialogum inter Abſalonem, Indorum regem. & gymnoſophiſtam quemdam, per fabulas ſcite confictas animi ſui ſenſa ei pandentem, moresque formantem. Diſcimus inde, antiquiſſimis temporibus vſitatum fuiſſe, per fabulas atque apologos morum doctrinam tradere, hominesque, ad vitam recte inſtituendam, flectere. Quo nomine maxime & AESOPVS celebratur, qui eo tempore vixit, quo ſeptem illi ſapientes Graeciam colluſtrarunt. Collegit eas, praeter alios, MAXIMVS PLANVDES, qui ſaeculo decimo quinto obiit, vitamque ſimul Aeſopi conſcripſit; quamquam numerus earum modo deinde auctus, modo imminutus ſit, & quaedam Aeſopo tributae, quae ab eodem minime profectae ſunt; immo an omnino ab ipſo Aeſopo litteris conſignatae ſint? nonnulli dubitant. Quantum iis pretium APOLLONIVS THYANAEVS ſtatuerit, ex PHILOSTRATO cognoſcere licet, in *vita Apollonii lib. V. c. V.* Elogium beati MART. LVTHERI de iisdem adfert GE. PASCHIVS, de *variis modis moralia tradendi, c. II. p. 163. & 164.* vbi & refert, conſtitutum illi aliquando fuiſſe, eas in linguam germanicam transferre. Plura qui deſiderat, IO. ALB. FABRICIVM adeat *bibl. graec. lib. II. c. IX. p. 390. ſeqq.* vbi non tantum de Aeſopo, eiusque fabulis, copioſe verba facit, eumque a LOCMANNO Arabe diuerſum eſſe, oſtendit, ſed & alios ſimul ſcriptores fabularum recenſet. Ad Graecos priusquam transeamus, de PYTHAGORA adhuc obſeruandum, totam fere eius philoſophiam ad virtutis ſtudium fuiſſe comparatam. Hoc enim finis eius, qui erat ὁμοίωσις τῷ θεῷ, ſeu *vt homo Deo ſimilis fieret,* requirebat. Locum itaque hic inueniunt ſcriptores philoſophiae Pythagoricae, quos ſupra iam indicauimus. Praecipue *ſymbola,* quae illi tribuuntur, hic in cenſum veniunt, quae plurimi, veterum pariter ac recentiorum, interpretati ſunt; quos laudat IO. ALB. FABRICIVS, *bibl. graec. lib. II. c. XII. §. V. p. 465.* Iuuabit etiam de hiſce ſymbolis conferre GE. PASCHIVM, *de variis modis moralia tradendi, c. IV. § XIX. p. 410. ſeqq.* qui & *p. 413.* non ſine ratione obſeruat, a quibusdam ſymbolis Pythagoricis, ſenſu ſimplici & communi intellectis, varios ritus & ſuperſtitiones, hodieque apud nos durantes, originem traxiſſe. Sunt quoque huius loci *carmina* illa, vt vocantur, *aurea,* χρυσᾶ ἔπη, propter vſum & eligantiam ita dicta; quippe quae vitae morumque praecepta continent. Ipſi quidem Pythagorae ea tribuuntur, a CHALCIDIO, CLEMENTE

Alexan-

Alexandrino aliisque; ſed repugnant alii, putatque IO. ALB. FABRICIVS, quam proxime ad verum accedere, qui EMPEDOCLEM Agrigentinum, philoſophum Pythagoraeum, eorum auctorem eſſe, credunt; ſiquidem dialectus, dictio, argumentum, mirifice illi conueniant; *bibl. graec. lib. II. c. XII. §. VI. p. 469.* qui & editiones eorum recenſet. Egregio commentario haecce carmina aurea illuſtrauit HIEROCLES, philoſophus Platonicus, in quo nonnulla, ceu Platonica adfert, quae plane cum religionis chriſtianae dogmatibus conueniunt; conferatur PETR. BAELIVS, *dictionar. hiſtor. critic. voc. Hierocles, p. 1555.* Ex recentioribus MAGNVS DAN. OMEISIVS *ethicam Pythagoricam* ſcripſit, Altdorffii 1693. 8. editam; in qua tamen interdum ad receptam philoſophandi rationem doctrinam Pythagorae inflexiſſe videtur. Addidit *aureum* iſtud *carmen*, illudque *commentario ethico* explicauit. Exſtat etiam IAC. SCHALLERI, aut, ſi mauis, MARCI MAPPI diſſertatio *de ethica Pythagorica*, Argentorati 1653. 4. Summam doctrinae moralis, ex mente Pythagorae, exhibui in *elementis philoſ. inſtrum. part. I. c. III. §. XLII.* quam copioſius deduxit vir doctiſſimus GOTTL. STOLLIVS, in *der Hiſtorie der heidniſchen Morale, §. CXXXI. p. 238. ſeqq.*

Inter Graecos primo ſe offerunt nobis loco poëtae; ſub quorum fabulis de diis deabusque gentilium, ſimilibusque, nonnulli magna ſapientiae, ſpeciatim & doctrinae moralis, latitare myſteria, ſibi perſuadent. Et poſſunt ſane quaedam in huncce ſenſum haud incommode trahi, vt praeter alios FRANC. BACO DE VERVLAMIO, in libro de *ſapientia veterum*, qui in *operibus* eius *p. 1248.* legitur, demonſtrat. Poëtis tamen ipſis hoc conſtitutum fuiſſe, non aſſeuerauerim. Veroſimile potius, gentilium philoſophos eiusmodi quid excogitaſſe, vt illepida pariter ac impia poëtarum de diis gentilium commenta excuſarent. Videbant enim, obiici poëtis poſſe, quod deinceps TERTVLLIANVS obiecit; *Quis non poëta dedecorator inuenitur deorum? adu. gent. c. XIV.* Sed plura hac de re dixi in diſſertatione: φιλόσοφος φιλόμυθος *hoc eſt, philoſophus fabularum amator, ſecundum Ariſtotelem, lib. I. methaphyſ. c. I. delineatus*; in *analect. hiſtor. philoſ. p. 45. ſeqq.* & in *praefatione*, iisdem *analectis* praemiſſa, *p. 14. ſeqq.* Sunt vero & alii ex poëtis graecis, qui, ſine inuolucris, vitae recte inſtituendae praecepta dederunt, vt THEOGNIDES, PHOCYLIDES, aliique, quorum etiam diuerſae exſtant collectiones, quas diligenter recenſet IO. ALB. FABRICIVS, *bibl. graec. lib. II. c. XI. p. 439. ſeqq.* Poëtas apud Graecos excipiunt *ſeptem* illi, vt vocantur, *ſapientes*, quorum effata maximam partem ad doctrinam moralem ſpectant. Ipſa etiam, ob quam commendantur, illorum ſapientia, in virtutis potius ſtudio, quam ſubtili rerum inueſtigatione, conſiſtebat, niſi quod THALES Mileſius inter rerum quoque naturalium ſcrutatores locum inueniat. Sed de his ſupra iam, cum de hiſtoria philoſophica verba faceremus, quantum ſatis, dictum eſt. Ad SOCRATEM itaque nos conuertimus, qui philoſophiae ſtudium a rerum naturalium contemplatione, in qua parum, quod ad nos pertineret, inueniebat, ad mores hominum formandos, vitamque recte inſtituendam, transtuliſſe creditur. Quod non ita intelligendum, ac ſi nemo ante eum de moribus praeceperit; ſed, quod luculentiori, quam reliqui, id fecerit ratione, nouaque methodo, non per fabulas, non per ſententias, ſed quod in colloquiis ſuis per quaeſtiones alios ad veritatis cognitionem perduxerit; & ita ſimul rationibus, quae bona, quaeue mala ſint, confirmauerit. Quae cum ad dogmaticam proxime accedat metho-

methodus, haec ab illo deriuari poteſt. Vita non minus & exemplo, quam voce eum docuiſſe, auctores, qui de eo agunt, teſtantur, quos ſupra iam laudauimus. XENOPHONTIS, AESCHINIS, CEBETIS monumenta, vt pro genuinae Socratis doctrinae reliquiis merito habentur, ita vnice doctrinae morali illuſtrandae inſeruiunt. XENOPHONTIS innuo *memorabilia Socratis*, de quibus itidem ſupra dictum eſt. AESCHINIS *dialogi tres* ſuperſunt, quos cum fragmento latino quarti, graece & latine edidit IO. CLERICVS, Amſtelodami 1711, 8. Primus ex hiſce dialogis *de virtute* agit, *an doceri poſſit? de diuitiis* alter, & tertius *de morte*. Ex variis *tabulae* CEBETIS editionibus mihi ad manus eſt, quam graece, arabice & latine, cum *aureis carminibus Pythagorae*, dedit IO. ELICHMANNVS, quaeue cum praefatione CL. SALMASII prodiit Lugduni Batauorum 1640, 4. Planam illam, facilemque, & omnium vſibus adcommodatam, doctrinam moralem, verboſa ſua eloquentia, & placitorum PYTHAGORAE, quae ab Aegyptiis acceperat, admixtione, corrupiſſe magis, quam illuſtraſſe, aut emendaſſe, PLATO cenſetur. Nimirum, cum fundamenti loco poneret, animam hominis diuinae eſſentiae eſſe particulam, eamdemque labe quadam fuiſſe infectam, priusquam cum corpore coniungeretur; immiſſam porro in illud, ceu carcerem ac ergaſtulum, vt delicti ſui poenam daret; hinc vero per virtutis ſtudium, vitiorumque ac prauarum cupiditatum ſuppreſſionem, purgandam, ac ita a vinculis corporis liberandam, donec iterum cum Deo vniretur; cumque adeo ipſam philoſophiam in mortis (philoſophicae) meditatione conſtitueret; non potuit non ſplendidas admodum inde deducere concluſiones, quae cum ipſis doctrinae moralis chriſtianorum praeceptis egregie conuenire videbantur. Atque ſunt inter haec effata plurima, quae in ſe ſpectata, minime ſunt improbanda; licet intuitu principii & fundamenti conſiderata, calculum non ferant. Scripta praecipua Platonis, in quibus moralia tractat, ſunt: *apologia Socratis, Crito, Philebus, Hippias maior* & *minor*, & alia quaedam. Sunt, qui putant APVLEII *metamorphoſes, ſiue luſum aſini*, allegorica quadam ratione doctrinam moralem Platonis exhibere, cuius quippe finis ſit, purgare animum, & ab adfectibus, quibus homines beſtiis ſimiles redduntur, liberare; repugnante, nec ſine ratione, REN. RAPINO, *reflexions ſur la morale, §. III. tom. II. oper. p. 388. 389.* In compendio doctrinam moralem Platonis exhibet MAGNVS DAN. OMEISIVS, in *ethica Platonica*, Altdorffi 1696, 8. edita. IO. IOACH. ZENTGRAVIVS, in *ſpecimine doctrinae iuris naturalis, ſecundum diſciplinam Platonicam, exhibente genuinam Platonis philoſophiam de idea boni*, itidem, quae huius loci ſunt, attingit. CHRYSOST. IAVELLI Canapicii *ethicam Platonicam* memorat IO. ALB. FABRICIVS, *bibl. graec. lib. III. c. I. p. 41.* Operae forte pretium facient, qui & meam de καθάρσει *Pythagoraeo - Platonica* iunxerint *diſſertationem*; in *analectis hiſtor. philoſoph. p. 363. ſeqq.* Succeſſorum Platonis vt non vna eademque fuit ratio; ita & illorum non vno eodemque modo ſeſe habuit doctrina moralis. Quidam enim academicorum ad ſcepticiſmum prope accedebant, aut eumdem omnino amplectebantur; hinc & eo vsque progreſſi ſunt, vt de iuſtitia, & iniuſtitia in vtramque diſputarent partem; quod CARNEADEM feciſſe, conſtat. Sed hac de re deinceps. Studioſius iterum Platonis philoſophandi rationem ſectati ſunt, qui poſt Chriſtum natum diſciplinam eius reſuſcitarunt, PLOTINVS, PORPHYRIVS, IAMBLICHVS, SYRIANVS, PROCLVS, MAXIMVS TYRIVS,

ALCI-

ALCINOVS; quamquam & inter eos nonnulli quaedam pro Platonis dogmatibus venditarent, quae fruſtra in eius ſcriptis quaeſiueris. Ex his MAXIMVS TYRIVS moralis doctrinae cultoribus commendandus maxime; quoniam in ſuis diſſertationibus, non pauca, quae huius loci ſunt, luculenter admodum tractat, nec inanibus ſublimibusque ſpeculationibus adeo indulget, quam reliqui. Edidit eius λόγους ſeu *diſſertationes*, praeter alios, IO. DAVISIVS, Cantabrigiae, 1703, 8. De quatuor virtutum gradibus, quos Platonici iſti, qui poſt Chriſtum natum vixerunt, conſtituebant, dum alias *politicas* faciebant, alias *purgatorias*, alias *intellectuales*, alias denique *exemplares*, conf. IAC. THOMASIVS, in *originibus hiſtoriae philoſophicae & eccleſiaſticae, p. 110.*

Longe aliam viam, doctrinam moralem tractandi, ingreſſus eſt ARISTOTELES. Cum enim PLATO ad internam animi purgationem reſpiceret; hic contra, vitae tantum ciuilis ſibi habendam rationem, putauit, eoque philoſophiam ſuam moralem comparatam eſſe, voluit. Inter ſcripta eius moralia praecipuum locum tenent, *ethicorum ad Nicomachum libri decem;* praeter quos etiam exſtant *magnorum moralium libri duo*, & *moralium ad Eudemum libri VII.* In *libros ethicorum ad Nicomachum*, ſub nomine ANDRONICI RHODII, *paraphraſis* circumfertur; eosdem vero ex graecis quoque ASPASIVS, EVSTRATIVS, & MICHAEL EPHESIVS, commentariis ſuis illuſtrarunt, quos in linguam latinam tranſtulit IO. BERNH. FELICIANVS. Ex recentioribus, qui hoſce Ariſtotelis libros expoſuerunt, laudandi maxime PET. VICTORIVS, & OBERTVS GIPHANIVS, quippe qui reliquis omnibus dubiam hic faciunt palmam; ſed addenda tamen paraphraſis, & ſcholia, diſertiſſimi oratoris M. ANT. MVRETI. De his, & reliquis conferre iuuabit GABR. NAVDAEVM, *bibliograph. polit. c. III. p. 506. 507.* itemque HENR. IVL. SCHEVRLIVM, *bibliograph. moral. §. LXVI. p. 42. ſeqq.* Qui paullo adcuratius mentem Ariſtotelis introſpexerunt, deprehenderunt, conſtitutum ei fuiſſe, in libris ethicorum ad Nicomachum, ciuilem potius, quam moralem philoſophiam, tradere, hoc eſt, viri politici, & ad honores, magnasque dignitates, adſpirantis, virtutes, & requiſita deſcribere. Hinc, cur vndecim iſtas virtutes, notas ſatis, conſtituerit, patet, vtpote quarum in vita ciuili vſus eſt manifeſtus; patet, cur pietatis nullam mentionem fecerit, quippe quam ad iſtum finem minime neceſſariam eſſe, putauit; nec adeo opus erit, vt cum IO. FRID. GRONOVIO eam in *magnificentia* quaeramus, in *notis* ad *Hug. Grotium*, de *iure belli & pacis*, & quidem ad *prolegom. §. XLV.* Vndecim porro iſtas virtutes Ariſtoteles non pro mediis ad ſummum bonum perueniendi, vt vulgo traditur, ſed pro partibus potius ſummi boni habuit; vt, qui adcuratius in veram eius mentem inquiſiuerunt, luculenter oſtenderunt. Quod quidem ſummum bonum cum in complexu eorum, quae ad vitam hancce ſplendide, iucunde, & cum gloria tranſigendam pertinent, collocaret; ſimul vero quam difficulter haec omnia aut obtineantur, aut retineantur, videret; mirum non eſt, quod ſummum bonum θεωρητικὸν, τῷ πρακτικῷ praetulerit. Qui ergo cum ſcholaſticis ex hiſce Ariſtotelis libris doctrinam quamdam moralem, prout a ciuili diſcernitur, ſeu ethicam proprie ſic dictam, propoſuerunt, ſe ipſi traduxerunt turpiter, ac ſignificarunt, ſibi veram ac genuinam eius mentem, quem ceu ducem ac magiſtrum ſequi voluerunt, non fuiſſe perſpectam. Eiusmodi inſuper virtutes ciuiles, cum in quemlibet hominem, quantumuis ſolis naturae viribus inſtructum, cadant; ratio intelligitur, cur ethica iſta Ariſtotelica

cum dogmatibus Pelagianorum egregie conſentiat, vtpote qui itidem non alias virtutes, quam ad quas naturae vires ſufficerent, admittebant. Immo & patet, cur ſcholaſticis doctoribus, Pelagianorum veſtigia prementibus, tantopere ethica iſta Ariſtotelica arriſerit, vt eam pro concione enarrarent; curue B. MART. LVTHERVS noſter eamdem, ceu fontem peſſimum Pelagianorum errorum, reiecerit. Nota eius vox eſt: *Tota fere Ariſtotelis ethica peſſima eſt, gratiae inimica. Error eſt, Ariſtotelis ſententiam de felicitate non repugnare doctrinae catholicae &c. tom. I. Ienenſ. lat. p. 8.* PHIL. MELANCHTHON, cum dixiſſet, *audiuimus quosdam pro concione ablegato euangelio, Ariſtotelis ethica enarrare*, addit: *nec errabunt iſti, ſi vera ſunt, quae defendunt aduerſarii* (iuſtificari nos poſſe per rationem & opera rationis.) *Nam Ariſtoteles de moribus ciuilibus adeo ſcripſit erudite, nihil vt de his requirendum ſit amplius;* in *apolog. Aug. conf. artic. III. p. 62.* Non diſputabo, an Ariſtoteles de moribus ciuilibus tam erudite ſcripſerit, vt putat MELANCHTHON; in eo non errat, quod de *moribus ciuilibus*, ſeu ad vitam ciuilem ſpectantibus, & a quibus plane diuerſi ſunt, de quibus doctrina moralis praecipit, eum ſcripſiſſe, dicit, & quidem ita, vt ſcholaſticis, Pelagianorum placita ſequentibus, non poſſit non probari. Quae ceteroquin B. LVTHERI generatim de Ariſtotele ſententia fuerit, indicauimus alibi, & pluribus ediſſerit IO. HERM. AB ELSWICH, de *varia Ariſtotelis in ſcholis proteſtantium fortuna*, §. *IX. p. 18. ſeqq.*

Reliquas graecanicorum philoſophorum ſectas nunc paucis perluſtrabimus. A Cyrenaicis, quorum auctor ARISTIPPVS, cum corporis voluptatibus omnia tribuiſſe, easque pro ſummo hominis reputaſſe bono, ferantur; vix ſani quid in doctrina morali exſpectaueris. Delineat eorum doctrinam moralem IO. IOACH. ZENTGRAVIVS, in *diſſertat. de fine hominis ſecundum diſciplinam Cyrenaicorum*, quae in *ſpecimine* eius *antiquitatum moral.* ſexta eſt, in qua etiam de Eretriacorum ac Megaricorum philoſophia morali verba facit. Cynici, quos ab ANTISTHENE deſcendere, notum eſt, dum omne inter decorum, & non decorum, diſcrimen tollebant, parum aberat, quin viam ad ἀδιαφορίαν, qua honeſta & turpia, munirent. Scriptores de iis a CHRISTOPH. AVG. HEVMANNO, in *actis philoſoph. part. XII. n. III. p. 899. ſeqq.* laudari, ſuo loco iam monuimus; quos inter & ſunt, qui de illorum doctrina morali egerunt; quamquam omnia fere, quae de iis dici poſſunt, ad hancce philoſophiae partem ſpectent. Stoici Cynicorum doctrinam emendarunt, & pro eorum propagine recte habentur; & licet nullam philoſophiae partem praetermiſerint, in eam tamen, quae de moribus praecipit, ſtudium ſuum ac diligentiam praecipua quadam ratione contulerunt. Scripta SENECAE, EPICTETI & M. AVRELII ANTONINI imperatoris, hoc loquuntur. SIMPLICIVS, in *commentario ſuo in Epictetum*, dogmatibus illorum lucem ſingularem adfundit. Prodiit cum verſione HIERON. WOLFII, & CL. SALMASII *animaduerſionibus & notis, quibus philoſophia Stoica paſſim explicatur & illuſtratur*, Lugduni Batauorum 1640, 4. Multa quoque huc ſpectantia dabit THO. GATAKERVS, in ſua ad *M. Aurelii Antonini imperatoris librum de ſe ipſo ad ſe ipſum* commentario vberrimo, ſingularique eruditione referto, qui cum ipſo M. AVREL. ANTONINI libro, in operibus eius, Traiecti ad Rhenum, 1698 fol. iunctim editis, legitur. IVSTI LIPSII *manuductio ad philoſophiam Stoicorum*, doctrinam inprimis moralem Stoicorum complectitur, adeoque huius itidem loci eſt. CASP. SCIOPPII *elementa*

menta philoſophiae moralis Stoicae, Moguntiae 1666, 8. euulgata, & ab auctore ad finem perducta non ſunt, & compendium tantum eorum, quae IVSTVS LIPSIVS fuſius ediſſeruerat, continent. Quae ſplendide ſaepe, egregieque, a Stoicis dicta ſunt, longe aliam induere faciem, quando ſecundum illorum genuinum ſyſtema conſiderantur, a me demonſtratum in *diſſertationibus quatuor*, *de erroribus Stoicorum in philoſophia morali*; quae in *analectis hiſtoriae philoſophicae* exſtant. De reliquis, qui moralem Stoicorum doctrinam expoſuerunt, conf. CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, in *actis philoſoph. part. IV. num. VII. p. 747. ſeqq.* De Eleaticae ſectae philoſophorum doctrina morali IO. IOACH. ZENTGRAVIVS itidem peculiari diſſertatione agit, quae in *ſpecimine* eius *antiquitatum moralium* tertia eſt. Cumque ex eadem ſchola DEMOCRITVS pariter, ac EPICVRVS, prodierint; illius quidem doctrinam moralem vna cum HIPPOCRATIS exhibere voluit CHRIST. THOMASIVS, in *commentatione: Democritus Abderita, & Hippocrates medicus, philoſophi morales ad inuidiam philoſophorum pſeudo-chriſtianorum*, quae in *hiſtoria* eius *ſapientiae & ſtultitiae tom. II. p. 1. ſeqq.* conſpicitur. Epiſtolas nimirum de inſania, quam Abderitae Democrito tribuebant, & ad quam curandam Hippocratem aduocaſſe perhibentur, quae in operibus HIPPOCRATIS leguntur, obſeruationibus, ad Democriti & Hippocratis philoſophiam moralem explicandam, illuſtrauit. Sed iſtas epiſtolas ſpurias eſſe, minusque genuinas, oſtendit, fabulamque iſtam de Abderitis, Democritum pro inſano habentibus, explodit CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, in diſſertatione: *fabula de Hippocrate, Democriti inſaniae medicinam adhibere iuſſo, ex hiſtoria veterum philoſophorum eliminata*, quae inſerta eſt *act. erudit. Lipſ. menſ. Octobr. 1713, p. 458 ſeqq.* De Democrito interim, eiusque doctrina morali, legiſſe iuuabit NIC. HIER. GVNDLINGII *cogitata de Heraclito flente, & ridente Democrito*, quae in eiusdem *otiis part. III. c. I.* exſtant. EPICVRI ethicam, ſiue de moribus doctrinam, PET. GASSENDVS nobis ſiſtit, in *ſyntagm. philoſophiae Epicuri, part. III. p. 415. ſeqq.* Reliquos, qui philoſophiam eius aut impugnarunt, aut propugnarunt, recenſet CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, in *actis philoſophor. part. X. num. IX. p. 645.* Cum vero Eleatici, ſpeciatim Democritus, & Epicurus, de Deo, rebusque diuinis non ita, vt par eſt, cenſuiſſe credantur; doctrinam illorum moralem non multum ab ea, quae atheorum eſt, diſtare, facile quis ſibi perſuaſerit. Qui enim, aut Deum eſſe, negant, aut prouidentiam eius in dubium vocant, ipſa genuinae doctrinae moralis fundamenta euertunt, nec aliam virtutum actionumque ſuarum normam, quam vtilitatem, quam ſaepius ex adfectu potius, quam rectae rationis praeſcripto, aeſtimant, agnoſcere poſſunt. Quemadmodum itaque eiusmodi hominibus nihil honeſtum eſt, niſi quod illis vtile videtur, nec turpe aliud, quam quod noxium; ita etiam Pyrrhonii, ſeu ſceptici, a quibus & academici non procul diſceſſerunt, diſcrimen omne inter turpe & honeſtum tollunt, dum omnium actionum ἀδιαφορίαν admittunt, cui leges tantum ciuiles limites ſtatuant. Vnde &, quo loco illorum habenda ſit doctrina moralis, patet. Confirmant id ſcriptores de philoſophia ſcepticorum, quos ſupra laudauimus. Iungendus illis IO. IOACH. ZENTGRAVIVS, in *ſpecimine antiquitatum moralium, diſſertat. II.* Quantum doctrinae morali damnum & ſcepticiſmus, & dogmata, quae ad eum ducunt, adferant, ipſemet demonſtraui in *diſſertatione de ſcepticiſmo morali*, quae exſtat in *analectis hiſtoriae philoſophicae, p. 207. ſeqq.* Apud Romanos,

nos, prae reliquis philoſophiae partibus, doctrinam moralem ſummo ſtudio excultam fuiſſe, conſtat; licet, vt iam alibi obſeruauimus, nemo peculiarem apud eos ſectam condiderit, ſed omnes, qui ad ſapientiae ſtudium animum adiunxerunt, vnam ex graecanicis fuerint amplexi. Nonnulli tamen ad eclecticam philoſophandi rationem accedere videntur. Ingens hic equidem ſe nobis, de Romanorum huc ſpectantibus ſcriptis differendi, aperiret campus, ſed otium nobis fecit vir doctiſſimus GOTTL. STOLLIVS, qui copioſiſſime, diligentiſſimeque, de morali doctrina Romanorum egit, in *der Hiſtorie der Heydniſchen Morale*, §. *CLVII. ſeqq. p. 273. ſeqq.* Digni prae ceteris omnibus ſunt, quorum hic iniiciatur mentio, M. T. CICERO atque PLVTARCHVS. Et illius quidem, quae hic in cenſum veniunt, quaeue adhuc exſtant, ſequentia ſunt: *de finibus bonorum & malorum libri quinque*, in quibus Epicuri, Stoicorum ac Peripateticorum de ſummo bono ſummoque malo ſententias expendit: *Tuſculanarum quaeſtionum libri quinque*, in quorum primo de *contemnenda morte*, altero de *tolerando dolore*, tertio de *aegritudine lenienda*, quarto de *reliquis animi perturbationibus* diſputat, quinto autem, *virtutem ob beate viuendum ſe ipſa eſſe contentam*, euincit; *de legibus libri tres*, qui ad prudentiam ciuilem referri poſſunt; *de officiis libri tres*, de quibus dicemus, cum de iurisprudentia naturali verba faciemus; porro: *Cato maior*, ſeu *de ſenectute; Laelius*, ſeu *de amicitia;* & *paradoxa Stoicorum ſex.* Inter libros CICERONIS deperditos haud dubie huc referendus fuiſſet *Hortenſius* eius, ſiue de *philoſophis*, quem periiſſe eo magis dolendum, quod AVGVSTINVS, eius lectione ſe inductum, fatetur, vt mentem meliorem indueret; *lib. III. confeſſ. c. IV. conf.* & *lib. VIII. c. VII.* PLVTARCHVS, etſi graece ſcripſerit, Romanorum tamen philoſophis adnumerari ſolet. Ingentem vero rerum moralium is nobis reliquit theſaurum, ſiquidem & in *vitis parallelis*, & in *moralibus*, quae alter *operum* eius tomus complectitur, non tantum plurima, quae ad virtutem conſectandam, vitia autem fugienda, aliquem adducere poſſunt, congeſſit; ſed aliorum etiam philoſophorum ſaepe de hiſce recitauit, & expendit ſententias. Speciatim ex libris eius ſequentes huius loci ſunt: *quomodo quis ſuos in virtute paranda ſentire poſſit profectus; de virtute & vitio; ne ſuauiter quidem viui poſſe ſecundum Epicuri decreta; an vitioſitas ad infelicitatem ſufficiat; virtutem doceri poſſe; de cohibenda ira dialogus &c.* Sed mitto reliqua.

Quaenam moralis doctrinae, ſeu ethicae, apud ethnicos fuerit ratio, hactenus vidimus. Inter chriſtianos primo quidem ſeſe nobis offerunt veteris eccleſiae doctores, quos patres vocant. De horum vero ſtudiis, doctrinaque morali, & quid de ethnicorum philoſophorum placitis ſenſerint, cum in parte poſteriori nobis ex inſtituto dicendum ſit, nunc nihil de iis addimus. De ſcholaſticis, qui in illorum ſucceſſerunt locum, audire iuuat GABR. NAVDAEVM: *Eodem vero propemodum tempore*, (de Arabibus antea loquutus erat) *cum exorta fuiſſet ſcholaſtica docendi methodus, multi etiam hoc ſcribendi genere eosdem ethicorum* (Ariſtotelis) *libros explicarunt, aut potius inquinarunt; vt libenter dicerem, ſi tres mihi ex ipſorum numero excipere liceat, omni laude ac commendatione maiores, nempe Albertum Magnum, diuum Thomam, & Aegidium Romanum, qui minus paullo quam ceteri inquinate locuti ſunt, iudicio vero, doctrina, ſubtilitate, adeo ſupra morem & fatum ſui ſaeculi excelluerunt, vt, ſi pauca demas ex Alberti libro, de hiſtoria animalium, nihil vmquam eos inepte, nihil non docte & ſapienter protuliſſe, vnicuique in eorum lectione*

ctione verſato, manifeſtum eſſe poſſit. Et licet quidam poſtea, vt Burleus, Gerbardus Odanus, Buridanus, Iauellus, & alii eorum ſequi veſtigia voluerint; iſtud nihilominus tam inaequali conatu, adeoque infelici ſucceſſu, praeſtitere, vt longe a tergo remanſerint, in barbariei luto & foetore vna cum libris ad Nicomachum eousque ſepulti, donec renaſcentibus tandem melioribus litteris, & ab expugnatione Conſtantinopolitana velut alteram vitam viuere incipientibus, multi etiam floruerunt, qui hanc reliquarum ſcientiarum felicitatem ad diſciplinam morum tranſtulere &c. in *bibliograph. politic. c. III. p. m. 507.* Quo iure NAVDAEVS Alberto Magno, Thomae de Aquino, & Aegidio Romano tantum tribuat, alii diſpiciant; in reliquis me ſecum conſentientem habet. Poſt litterarum bonarum reſtitutionem, quam ſtatim eccleſiae emendatio excepit, longe alia vtique, vt reliquarum eruditionis partium, ita & philoſophiae moralis, facies eſſe coepit. Plurimi equidem Ariſtotelis preſſerunt veſtigia, vt tamen ſcholaſticorum barbariem & quiſquilias, procul inde remouerent. In eo vero plerique aberrarunt, quod verum genuinumque philoſophi huius ſcopum non adſequerentur; quem non fuiſſe, vt moralem, ſed ciuilem potius, philoſophiam traderet, ſupra iam obſeruauimus. PHIL. MELANCHTHONIS *ethicae doctrinae elementa* primum merito hic ſibi vindicant locum, in quibus Ariſtotelem quidem, ſed non in omnibus, ſequitur, multaque rectius ac plenius praecipit, quam fieri vulgo ſolebat. Adiecit iisdem *enarrationem libri quinti ethicorum Ariſtotelis ad Nicomachum.* Enumerare omnes, qui methodo Ariſtotelica, aut Ariſtotelico-ſcholaſtica, compendia vel ſyſtemata ethica conſcripſerunt, ſuperuacaneum, & res taedii plena foret. Laudari prae reliquis ſolent IAC. MARTINI *ſynopſis ethica*, ADR. HEEREBOORDII *collegium & exercitationis ethicae*, IAC. THOMASII *tabulae philoſophiae practicae*; cumprimis autem CONR. HORNEII *philoſophiae moralis, ſiue ciuilis doctrinae de moribus libri quatuor*, recuſi Francofurti 1695. 8. Iungere his licebit IO. IAC. MVLLERI *inſtitutiones ethicas poſitiuo-polemicas, ad filum Ariſtotelis concinnatas*, Ienae 1691 8. ADOARDVS GVALANDVS in *moralis philoſophiae, ac totius facultatis ciuilis doctrina*, ſaltem quoad ordinem methodumque tractandi, a vulgari ſemita receſſit. Idemque cenſendum de FRANC. PICCOLOMINEO, Senenſi, cuius *vniuerſa philoſophia de moribus*, plurima lectu digna continens, Francofurti 1627, 8. prodiit. Vtrumque valde laudat GABR. NAVDAEVS, *bibliograph. politic. c. II. p. 503.* THO. CAMPANELLAE, qui vbique noua ſectatur, *ethica*, neſcio an aliis placuerit, quam eidem NAVDAEO, qui *amicus etiam noſter*, inquit, *Thomas Campanella iuxta doctrinam ſuarum primalitatum ethicam nouam compoſuit, quae ſub epilogiſmi nomine cum philoſophia ſua naturali & politica typis commiſſa fuit a Tobia Adamo; ſtilo quidem non ita compto delineata, vt Ciceronianis arridere poſſit, ſed ea nobilitate cogitationum, rationumque ſubtilitate, vt omnibus ſapientiae myſtis non poſſit eſſe non ſummopere gratiſſima; bibliograph. polit. c. II. 504.* REN. CARTESIVS ad phyſicam praecipue doctrinam, eam quam ſuſcepit philoſophiae emendationem, comparatam eſſe voluit; ad quam etiam libellus eius, de *paſſionibus animae*, ſpectat. Idem equidem in *diſſertatione de methodo num. III. p. 12. ſeqq.* quasdam moralis ſcientiae regulas tradit; quae tamen eiusmodi ſunt, vt nec admitti ſine adcuratiori diſcuſſione queant, nec ad omnem doctrinam moralem pertingant. Ipſemet etiam profitetur, *ad tempus* tantum *ſe hancce ſibi effinxiſſe ethicam,* donec

donec dubitatione, in qua conſtitutus erat, defunctus, meliora certioraque inuenire poſſet. Hinc itaque, qui ſecundum Carteſii principia integra philoſophiae ſyſtemata condiderunt, eousque progreſſi ſunt, quousque magiſtrum ſibi praeeuntem habuerunt; reliqua, praeſertim doctrinam de officiis, aliunde adſumſerunt. Qui ex inſtituto ſecundum philoſophi huius principia doctrinam moralem propoſuerit, & paullo plenius exhibuerit, mihi non innotuit, praeter auctorem, cuius *ethica Carteſiana, ſiue ars bene beateque viuendi, ad clariſſimas rationis & ſanae mentis ideas, ac ſolidiſſima Renati Carteſii principia formata &c.* Halae 1719 8. euulgata eſt. Summum is hominis bonum cum Carteſio in ipſa voluntate, eiusque libero vſu collocat; *part. I. c. VIII. §. II. p. 39.* Id ipſum vero eſt, quod in Carteſio, eiusque ſectatoribus vel maxime reprehendit PET. POIRETVS, de *erud. vera &c. lib. III. p. 319.* HENR. MORVS, vt in nonnullis Carteſium ſequitur, ita in multis ab eo diſcedit, in *enchiridio ethico, praecipua moralis philoſophiae rudimenta complectente, illuſtrato vt plurimum veterum monumentis, & ad probitatem vitae perpetuo accommodato.* Prodiit primum Londini ſeparatim, tum, *operibus* eius *philoſophicis* inſertum, recuſum eſt Norimbergae an. 1686 8. plurimumque bonae frugis continet. ARN. GEVLINGIVS in quibusdam itidem cum Carteſio facit, ſed in ethicis non raro in Stoicorum caſtris militare videtur. Opuſcula eius moralia, ſub nomine *ethicae*, excuſa ſunt Lugduni Batauorum, 1683. 12. Sub ſeuerae virtutis, quam vbique prae ſe fert, ac vehementer inculcat, ſpecie, & ſtilo ad perſuadendum apto, SPINOZAE tegere impietatem creditur. Id certe demonſtrare voluit RVARDVS ANDALA, in *examine ethicae Geulingii*, Franecquerae 1716, 4. vti ſupra iam obſeruauimus. Veſtigia GEVLINGII adcurate premit PHILARETHVS, vt vir quidam doctus vocari voluit; cuius *ethica duobus libris comprehenſa*, quorum vnus *aretologiam*, alter *eudaemonologiam* tractat, Amſtelodami 1696 8. prodiit. Mirum vero non eſt, nonnullos, dum, doctrinam moralem tradere, videntur, id agere, vt impiis erroribus lectorem imbuant; cum in eo ſibi praeeuntem habeant BENED. DE SPINOZA, quippe qui in *ethica ordine geometrico demonſtrata* integrum atheiſmi ſyſtema exhibuit. Summa autem doctrinae moralis Spinozae, aliorumque atheorum, fatalem quamdam abſolutamque neceſſitatem adſerentium, eo redit, ferenda eſſe omnia aequo animo, eo, quod, quaecumque contingunt, neceſſario contingant, & aliter contingere nequeant; ſtultum itaque eſſe, animo angi, aut excruciari, vel triſtitiae concedere locum, cum ineuitabilem rerum omnium nexum mutare in noſtris poſitum viribus non ſit. Legenda omnino GOTTL. SAM. TREVERI *oeconomia ſyſtematis moralis atheorum*, quae Helmſtadii 1718. 4. edita eſt. Sed, vt ad eos redeamus, qui ſaniora ſequuti ſunt principia, VINC. PLACCIVS adhuc nobis commemorandus eſt, qui in hacce philoſophiae parte ornanda multum laboris & induſtriae poſuit. *Commentarium* eius in FRANC. BACONEM DE VERVLAMIO, de *morali ſcientia augenda*, antea iam laudauimus. *Acceſſiones* eius *ethicae, iuris naturalis, & rhetoricae*, ſpecimen aliquod maioris, quod moliebatur, operis exhibentes, Hamburgi prodierunt 1695, 8. Iam antea idem in lucem emiſerat *typum acceſſionum moralium, ſeu inſtitutionum medicinae moralis, &c.* 1685 8. qui etiam an. 1688 in linguam germanicam translatus eſt. Cumprimis autem commendandus eſt CHRIST. THOMASIVS, quem plurimum eo contuliſſe, vt meliorem faciem philoſophia moralis indueret, negari neutiquam poteſt. Praecipue hoc egit,

Digitized by Google

egit, in *der Kunſt, vernünfftig und tugendhafft zu lieben, oder Einleitung zur Sitten-Lehre;* Halae 1692. 8. porro, in der *Ausübung der Sitten-Lehre*, Halae 1696, 8. De vtroque hocce libro, & reliquis eiusdem auctoris huc ſpectantibus ſcriptis, vid. GOTTL. STOLLIVS, in *der kurtzen Anleitung zur Hiſtorie der Gelahrheit, part. III. c. IV. §. XXIII. p. 124.* quem & de aliorum ſcriptis, quae huius loci ſunt, *§. XXV.* & *XXVI.* conſulere iuuabit. Sunt denique ex Gallis, qui vernacula ſua moralia tractarunt lingua, methodo quidem liberiori & a ſyſtematica diſcedente, vt tamen quaedam obſeruatu digna admiſcerent. Laudat ex hiſce nonnullos GABR. NAVDAEVS, in *bibliograph. polit. c. II. p. 504.* ex quibus maxime memoratu digni PET. CHARONDAS (CHARRON) & MICH. MONTANVS (DE MONTAIGNE.) Et MONTANVS quidem tantae olim fuit celebritatis, vt *Socrates Galliae* dictus ſit; vnde & *tentamina* eius *moralia* (*Eſſais*) a plurimis lecta, facile coniicere licet; quae tamen diuerſa admodum virorum doctorum experta ſunt iudicia. A quibusdam enim laudantur, ab aliis vituperantur. Ingenium quidem, vimque ſingularem imaginationis, in iis admirantur fere omnes; quemadmodum iudicii rurſus, ordinisque ac methodi defectum diffiteri nequeunt. Auctor *artis cogitandi* ex inſtituto de MONTANO hocce differit, & inter alia ita de eo pronuntiat: *De vitiis loquitur, vt ea cognoſcamus, non vt execremur; nullam ex illis aeſtimationis imminutionem veretur; quin immo illa propemodum pro rebus adiaphoris habet, vel etiam pro honorificis, & honeſtis potius, quam pro turpibus; part. III. c. XX. ſect. VI. p. 264.* CHARONDAE *libri tres de ſapientia (de la ſageſſe)* quaedam cum MONTANI *tentaminibus*, communia habent, quae animum chriſtianae religionis ſcitis non adeo addictum produnt; meliori tamen vtitur ordine, & nonnulla haud contemnenda admiſcet. Amoris potius, quam recti iudicii regulam, ſequi videtur GABR. NAVDAEVS, quando eum ita laudat: *vel hoc ipſo Socrate ſapientior aeſtimandus venit, quod ſapientiae ipſius praecepta primus, quod ſciam, admirabili prorſus methodo, doctrina, iudicio, in artem reduxerit. Sane eius liber & Ariſtotelem nobis exhibet, & Senecam, & Plutarchum, ac diuinius etiam aliquid prae ſe fert, quam antiquioribus cunctis & recentioribus fuerit conceſſum; bibliograph. polit. c. II. p. 504.* Poſſem nunc etiam de NIC. MALEBRANCHII *traité de morale*, BERN. LAMI *entretiens ſur la morale*, ſimilibusque ſcriptis verba facere; ſed inſtituti noſtri ratio non permittit, vt hiſce diutius immoremur.

Iidem etiam, quos conſtituimus, tractationis noſtrae limites, non permittunt, vt eos recenſeamus, qui doctrinae moralis argumenta ſpecialia pertractarunt. Nonnullos tamen, quos prae reliquis dignos puto, qui commemorentur, indicare, non abs re fuerit. Offerunt autem ſe primum illi, qui de *cognitione ſui* egerunt; quiue hoc ipſo praecipuum moralis doctrinae caput attingunt. FRANCISCI equidem PETRARCHAE, qui ſaeculo decimo quarto vixit, exſtat liber, *de ſui ipſius & multorum ignorantia;* quemadmodum eiusdem *de remediis vtriusque fortunae*, & alia, inter ea, quae moralem doctrinam illuſtrant, haud vltimum locum tenent. Nec contemnendus eſt GERH. IO. VOSSII libellus, *de cognitione ſui*, in *methodis* quoque THOMAE CRENII an. 1692 recuſus. Sed omnibus dubiam facit palmam DIODORVS TVLDENVS, cuius de *cognitione ſui libri quinque*, elegantiſſime ſcripti, cum *diſſertatione*, quam iisdem praemiſi, Ienae prodierunt 1706, 8. Digni vtique ſunt, qui ab omnibus legantur quam diligentiſſime. Gallicana lingua haud infeliciter idem argumentum tractarunt AB-

BADIE *dans l' art de ſe connoitre ſoy meme, ou la recherche des ſource de la morale*; LAMI in libro *de la connoiſſance de ſoi meme*, aliique. Poſt doctrinam de cognitione ſui, ea, quae de adfectibus, animique perturbationibus, praecipit, hic merito in cenſum venit. Quae veteres, ARISTOTELES, ANDRONICVS Rhodius, CLAVDIVS GALENVS, SENECA, PLVTARCHVS, de adfectibus ſcripſerunt, indicat IO. GE. WALCHIVS, in *diſſertatione de arte aliorum animos cognoſcendi*, ad §. *I. p. 5.* CICERONEM, in *quaeſtionibus Tuſculanis*, hoc argumentum attigiſſe, ex antecedentibus conſtat. Ex recentioribus noti maxime ſunt ALOYSIVS LVISINVS, & LAELIVS PEREGRINVS, quorum ille *tractatum de compeſcendis animi adfectibus, per moralem philoſophiam & medendi artem*, hic autem, *de noſcendis & emendandis animi adfectionibus librum ſingularem* reliquit. Vterque Ariſtotelis diſciplina equidem imbutus, ita tamen in hocce argumento verſatus eſt, vt ad Stoicorum quandoque accedere placita videretur. PEREGRINI liber recuſus Lipſiae eſt an. 1714 cum praefatione viri clariſſimi CHRIST. GOTTL. SCHWARZII, in qua de logomachia virorum eruditorum in doctrina de adfectibus diſſerit. REN. CARTESII librum, *de paſſionibus animae*, ad phyſicam potius, quam ad moralem doctrinam, referendum eſſe, conſtat. Non enim de regendis aut compeſcendis moderandisque adfectibus agit, ſed in eorum naturam, indolemque inquirit, idque ea ratione, vt plurima adſeruerit, quae iure reprehenduntur ab aliis. Ex ſectatoribus Carteſii ANT. LE GRAND, priusquam huncce ducem ac magiſtrum ſequi inciperet, librum gallicana lingua edidit, *l' homme ſans paſſion*, inſcriptum, Hagae Comit. 1662. 12. in quo Stoicorum de adfectibus placita defendenda ſuſcepit. Inter eos, quibus eclectica philoſophandi ratio placet, commendandus ſummopere ARNOLDVS WESENFELDIVS ob *georgicam*, quam ſcripſit, *animi & vitae, ſeu pathologiam practicam, moralem nempe & ciuilem, ex phyſicis vbique fontibus, libera neque ad vllam ſectam adſtricta methodo, cohaerentibus tamen vbique principiis, deductam*, quae Francof. ad Viadrum an. 1696, 8. lucem adſpexit publicam. Phyſicam nimirum tractationem cum morali coniungit, vt hanc ex illa deriuet; idque ea ratione, vt omnium in hocce argumento induſtriam ſuperet. Nec contemnenda MAGNI DAN. OMEISII *ars regendorum adfectuum*, quae cum ipſius *ethica Pythagorica* Altdorffi 1693, 8. prodiit. Reliquos, qui de adfectibus commentati ſunt, recenſet IO. GE. WALCHIVS, in *diſſertatione* antea laudata, de *arte aliorum animos cognoſcendi*, ad §. *II. p. 11. ſeqq.* Tandem & illi locum adhuc ſibi hic depoſcunt, qui, characteres ac ſigna virtutum, vitiorum, propenſionum itidem, ac adfectuum, deſcribendo, ad hominum animos, paullo adcuratius pernoſcendos, & ea, quae latent, exploranda ac detegenda, viam nobis muniunt. Quorum quidem ſcriptorum tam inſignis, tamque eximius vſus eſt, vt vtramque in doctrina morali fere faciant paginam. Primum, qui hocce genere ſcribendi vſus eſt, THEOPHRASTVM Ereſium fuiſſe neminem fugit, cuius ἠθικοὶ χαρακτῆρες *characteres, ſeu notationes morum*, in quibus inſignia quaedam mortalium vitia perſtringit, ſaepius graece & latine editi atque illuſtrati ſunt, praecipue cura ISA. CASAVBONI, & PETRI NEEDHAMI. In gallicam quoque linguam tranſlati ſunt, atque continuati a BRVYERIO, (DE LA BRVYERE) & PASCALIO, Pariſiis 1697, 2. tomis in 8. Recentiori aetate plures fuerunt, qui in hocce campo ingenii vires exercuerunt; quamuis plerique certam tantum partem doctrinae moralis attigerint; qua ratione in certas claſſes diſtribui

bui poſſunt; quod cum a me iam factum ſit, in *inſtitut. theol. moral. part. I. cap. IV.* ad §. *V.* denuo eos commemorari, neceſſe non eſt. Vnicus, quantum mihi conſtat, SCIPIO CLARAMONTIVS, in opere de *coniectandis cuiusque moribus & latitantibus animi adfectibus*, integrum aliquod doctrinae characteriſticae ſyſtema exhibere voluit; ſed principia, quibus inſiſtit, ita comparata ſunt, vt placere ſolidiora edoctis nequeant; vti ibidem a me obſeruatum. Iungenda, quae de huius generis ſcriptoribus diligenter diſſerit IO. GE. WALCHIVS, de *arte aliorum animos cognoſcendi*, ad *§. II. p. 21. ſeqq.* Vt autem a ſyſtematica moralia docendi ratione characteriſtica plurimum differt, ita diuerſa rurſus ab hac eſt *paraenetica*, argute dictis, ſententiisque, pondus aliquod ſecum vehentibus, aculeum velut aliquem animis lectorum infigens. Antiquiſſimam fuiſſe hancce methodum, ex *prouerbiis Salomonis*, libro *Siracidis*, aliisque veterum monumentis, conſtat. Stoicos eamdem ſequutos, ſcripta M. AVR. ANTONINI imperatoris, & EPICTETI, teſtantur. Referendi huc quoque poetae illi gnomici, de quibus ſupra dictum. Ex recentiorum ſcriptis maxime mihi placuerunt FRANC. BACONI DE VERVLAMIO *ſermones fideles*, qui & in *operibus* eius iunctim editis exſtant, & ſeparatim prodierunt Amſtelodami, 1685, 12. Nec enim video, quid obſtet, quo minus in hacce claſſe ſcriptorum collocari queant, etiamſi copioſiori ſermone plerumque dicta ſua explicet. Dogmaticam methodum cum paraenetica quodammodo coniunxit GVIL. MECHOVIVS, dum veterum ſcriptorum ſententias ordine ſyſtematico diſpoſuit, in *philoſophia paraenetica*, Francofurti 1670, 8. edita. Reliqua, quae hic dici poſſent, dabit GE. PASCHIVS, de *variis modis moralia tradendi c. IV. §. VI. ſeqq. p. 371. ſeqq.* vbi & de adagiis, apophthegmatibus, ſymbolis &c. verba facit. De iis, qui methodo paradigmatica ad formandos mores vſi ſunt, hinc & de ethices hiſtoricae ſcriptoribus, idem conſulendus; *c. V. p. 455. ſeqq.* immo & de methodo ſatyrica, qua hominum mores emendari poſſe, ſibi perſuaſerunt nonnulli, *c. III. p. 221. ſeqq.* de qua & ſupra ad *§. XII.* huius capitis quaedam commemorauimus, cum de poeſi ſatyrica ageremus.

§. XXXII. Altera philoſophiae practicae pars, ſeu *iuriſprudentia naturalis* de officiis hominum, legibusque diuinis, quibus illa diriguntur, praecipit. Quae omnia licet ex lumine reuelationis longe plenius innoteſcant; occurrunt tamen nonnulla, in vita ciuili, praeſertim in gentium integrarum ac ſummorum imperantium controuerſiis, quae ſine principiis, quae lumen rationis ſuppeditat, expediri nequeunt. Iuuat etiam vtrumque, & rationis, & reuelationis lumen in hiſce inter ſe comparare, &, quo vsque conueniant, aut differant, diſpicere, vt illius eo rectius conſtitui limites queant. *

* Iuriſprudentiae naturalis nomine nobis ea philoſophiae practicae pars venit, quae de officiis, ſeu actionibus, ad leges diuinas exigendis, adeoque de ipſis legibus diuinis, praecipit. Poſtquam recentiori aetate ſeparatim tradi, magnoque ſtudio a viris doctis excoli coepit, fuerunt etiam, qui originem, progreſſum, & fata eius deſcribere, operae duxerunt eſſe pretium. Et ipſemet quidem eiusmodi quid tentaui, in *hiſtoria iuris naturalis*, quae initio cum PHIL. REINH.

VITRIARII *inſtitutionibus iuris naturae & gentium* prodiit; deinceps vero aucta, variiſque acceſſionibus locupletata, recuſa eſt, in *ſelectis iuris naturae & gentium*, Halae 1704, 8. Priusquam altera haecce editio lucem adſpiceret, IAC. FRID. LVDOVICI, Hallenſis tum, poſtea Gieſſenſis iureconſultus, *delineationem hiſtoriae iuris diuini*, *naturalis & poſitiui vniuerſalis*, edidit Halae 1701, 4. quae auctior deinceps 1714, 8. lucem vidit, & praecipua, quae hic in cenſum veniunt, capita, perſpicue explicat. Nec praetermittendus IO. NIC. HERTIVS, quippe qui in *commentatione de iurisprudentia vniuerſali*, quae in *opuſculis* eius *ſelectis*, Francof. 1700 iunctim excuſis, exſtat, hiſtoriam quamdam iuris naturalis *ſect. I. §. XXVIII. ſeqq.* exhibet, in qua praecipue de veterum philoſophorum iurisprudentia naturali differit. Nec nullius profecto momenti ſunt, ſed lectu potius digniſſima, quae IO. BARBEYRACIVS, vir doctiſſimus, & de iurisprudentia naturali praeclare meritus, in pereruditа praefatione, quam verſioni gallicae librorum SAM. PVFENDORFII, de *iure naturae & gentium*, praemiſit, in medium profert. Cumprimis vero adhuc commemorandus eſt CHRIST. THOMASIVS, qui, vt in emendanda hacce philoſophiae parte plurimum operae ac laboris poſuit, ita *paullo pleniorem*, vt ipſemet vocat, *hiſtoriam iuris naturalis* dedit, Halae an. 1719, 4. poſtquam iam quaedam, quae huius argumenti ſunt, monuerat, in *praefatione*, qua verſionem germanicam operis HVG. GROTII, de *iure belli & pacis*, ornauit. Iungere hiſce licebit IAC. FRID. REIMMANNI *Verſuch einer Einleitung in die hiſtoriam litterariam derer Teutſchen*, *part. III. ſect. IV.* GOTTL. STOLLIVM, in *der kurtzen Anleitung zur Hiſtorie der Gelahrheit*, *part. III. c. II.* aliosque, laudatos IO. GE. WALCHIO, in *dem Entwurff der allgemeinen Gelehrſamkeit*, *lib. III. c. VII. §. XXXIX. p. 219.*

Licet iuris naturalis principia per rectae rationis vſum omnibus facile innoteſcant, immo omnium cordibus inſcripta ſint; nondum tamen inde ſequitur, ſtatim ac homines exſtiterunt, fuiſſe etiam, qui per modum diſciplinae, aut ſcientiae cuiusdam ea traderent, ac ad alios propagarent. Ab ipſius itaque iuris naturalis, ſeu legum diuinarum origine, diſcernendam eſſe originem iuriſprudentiae naturalis, ſeu diuinae, manifeſtum eſt. Qui apud Ebraeos primos iurisprudentiae naturalis natales ſibi inueniſſe videntur, ad praecepta iſta Noachidarum prouocare ſolent, quorum in *gemara ad tit. Sanhedrin*, *c. VII. §. V.* & aliis Iudaeorum ſcriptis, ſaepiſſime mentio iniicitur, quaeue IO. SELDENVS, in opere, *de iure naturae & gentium iuxta diſciplinam Ebraeorum*, luculentiſſimo commentario illuſtrauit. Nec contemnendam prorſus hancce Iudaeorum traditionem eſſe, cenſeo; quemadmodum & illud dubio caret, praecipua iuris diuini vniuerſalis capita in hiſce Noachidarum praeceptis contineri. Si quis tamen inde colligeret, Noachum inſignem fuiſſe aut philoſophum, aut iureconſultum, aut compendium aliquod iuris naturae, ſecundum methodum hodie receptam, concinnare voluiſſe; is haud dubie falleretur turpiter; vti iam a me obſeruatum, in *introduct. ad hiſtoriam philoſophiae Ebraeorum*, & quidem nouiſſima editione, *p. 20.* Addenda, quae de hiſce Noachidarum praeceptis dixi in *hiſtor. eccl. vet. teſtam. tom. I.* ad *per. I. ſect. II. §. V. p. 194.* Gentilium philoſophi, cum ius naturae ſeparatim non tractauerint, non eſt, vt de iis magnopere ſimus ſolliciti. Cuiusmodi autem ea ſint, quae de eo tradiderunt, ex philoſophia illorum morali, pariter ac theologia naturali, intelligere licet. Vtramque cum grauiſſi-

uiſſimis erroribus plerique eorum corruperint, in iure quoque naturae vix ſani quid ab iis exſpectes. Immo, omnes illi, qui actionum humanarum ἀδιαφορίαν ſtatuerunt, moralitatemque earum a lege ciuili deriuarunt, non potuerunt non ius naturae prorſus tollere, atque euertere. Primus, qui aperte id fecit, ARCHELAVS fuit, ex ſchola Ionica philoſophus, de quo id refert DIOG. LAERTIVS, *lib. II. ſect. XVI. p. m. 89.* In eamdem ſententiam ingreſſos Cyrenaicos, ex eo, quod ſummum bonum in corporis voluptate collocarunt, colligas; diſerte ſane, qui ex illorum numero fuit, hoc profeſſus eſt THEODORVS, qui ἄθεος dictus eſt, teſte eodem DIOG. LAERTIO, *lib. II. ſect. XCIX. p. 138.* Pyrrhoniis ſeu ſcepticis ideo haec ſententia adriſit, quod cum illorum inſtituto, quo omnia conuellebant, & in dubium vocabant, egregie conueniret. Hinc vt inter honeſta ac turpia, virtutes ac vitia, nullum eſſe diſcrimen, ſaltem quid turpe, quid honeſtum, quid iuſtum, quidue iniuſtum, certo adfirmari non poſſe, oſtendat, omnes ingenii vires intendit SEXTVS EMPIRICVS *pyrrhoniar. hypotypoſ. lib. III. c. XXIV. p. m. 173. ſeqq.* A Pyrrhoniis non procul etiam hocce in capite diſcedebant academici quidam, quos inter CARNEADES ex inſtituto iuſtitiam ſibi oppugnandam ſumſit. Summam diſputationis eius exhibet LACTANTIVS, *inſtitut. diuinar. lib. V. c. XVI.* Ab Epicuro vero, eiusque ſectatoribus, quale demum ius naturae tibi pollicearis? qui remoto procul a rebus humanis Numine, non aliam actionum noſtrarum normam, quam vtilitatem, agnoſcunt. *Recta vero,* inquit THO. GATAKERVS, *ab eis quaenam, aut quorſum quis exſpectet? qui amicitiam, fidem, iuſtitiam, virtutem vllam, niſi proprii vel emolumenti vel oblectamenti intuitu, nec colant, nec colendam cenſeant; cum nihil horum per ſe bonum, ſuique cauſſa expetendum exiſtiment; qui honeſtum ipſum inanem ſine re ſubiecta ſonum, nec tam ſolidum, quam ſplendidum nomen pronuntiant; quin nec flagitio, facinore, ſcelere vllo, quod voluptatem conciliet, lucellumue pariat, propter ſe abſtinendum ſtatuunt, cum huiusmodi nihil ex ſe malum reputent, niſi ſupplicii, damni, mali alicuius inſecuturi metu coërceantur; nec a numine hoc, a quo iram vindictamue, ob iſtiusmodi quicquam, vel exſpectare vel formidare vanitatis & ſuperſtitionis nomine, non damnant tantum, verum etiam derident, ſed ab hominum conſcientia, qui ab iniqua & ſceleſta perpetrantibus poenas exigere ac vindictam ſumere, ſiue pro auctoritate publica, ſiue pro viribus priuatis valent; hos autem latendi fiducia nulla poſſit vmquam haberi*; in *praeloquio M. Aurel. Antonini* libro de *rebus ſuis &c.* praemiſſo. Stoicorum quidem pulcherrima exſtant, vt generatim de morali doctrina, ita & ſpeciatim de officiis, praecepta, quorum ſummam itidem THO. GATAKERVS, *l. c.* exhibet. Verum, qui cogitauerit, quae illorum de Deo fuerit ſententia, & quo pacto, per doctrinam de fato, omni homines prorſus libertate ſpoliauerint, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, a nobis in *diſſertationibus de erroribus Stoicorum in doctrina morali* expoſita; deprehendet, eos praecipua iurisprudentiae diuinae labefactaſſe fundamenta. Prae reliquis tamen in hac philoſophiae parte eos induſtriam ſuam collocaſſe, inde patet, quo ſoli fere περὶ καθηκόντων, ſeu *de officiis* ſcripſerint. Certe primus περὶ τοῦ καθήκοντος librum compoſuiſſe videtur ZENO Cittieus, vt ex DIOG. LAERTIO colligas, *lib. VII. ſect. IV. & XXV.* Hunc exceperunt CHRYSIPPVS, & CLEANTHES, vti AEGID. MENAGIO obſeruatum, ad *Luciani Hermotimum, tom. I. p. 568.* PANAETII librum περὶ καθήκοντος non tantum CICERO memorat, ſed hunc etiam

iam praecipue ducem, in *tribus* ſuis *de officiis* libris, ſequutus eſt; de quibus deinceps dicemus. PLATONIS qualis doctrina moralis fuerit, ad §. *praecedentem* indicauimus. Nec dubium, quin inde praecepta prorſus egregia de officiis hominum deduci queant. Lubrico tamen cuncta ſuperſtructa eſſe fundamento, ex iis, quae ibidem monuimus, patet. Interim *ſpecimen iuris naturalis ſecundum doctrinam Platonicam* dedit IO. IOACH. ZENTGRAVIVS. ARISTOTELIS doctrinam moralem ad vitae ciuilis vſum vnice adcommodatam fuiſſe, antea docuimus, & apud genuinos peripateticae philoſophiae interpretes in confeſſo eſt. In iis itaque, quae de virtutibus, & hinc fluentibus officiis, praecepit, prudentiae potius, quam obligationis, legumque diuinarum, habuit rationem; quarum vti mentionem non fecit, ita, ſi veram eius de Deo ſententiam conſideres, nec facere potuit. Ad verum itaque Ariſtotelis ſyſtema in doctrina morali non ſatis attendere videntur, qui in eo ius aliquod diuinum, ſeu naturale, ſe inuenire poſſe, ſibi perſuadent; quod nonnulli faciunt. Comparata huc cumprimis eſt IO. EISENHARTI *inſtitutionum iuris naturalis in moralis philoſophiae doctrina, repraeſentatio*, quae Helmſtadii 1690, 8. prodiit. Quaenam apud Romanos philoſophiae, ſpeciatim & moralis, fuerit ratio, antea dictum. Hinc &, quaenam illorum iuriſprudentia naturalis fuerit, intelligitur. Commemorandi autem hic omnino ſunt M. T. CICERONIS de *officiis libri tres*, in quibus Stoicos praecipue ſequutus eſt, quosue ex PANAETII, POSIDONII, HECATONIS Rhodii, aliorumque ſcriptis, concinnauit, vt tamen ab iis quandoque diſſentire, & in aliam concedere ſententiam, ſibi non duceret religioni. Vt vero ipſum nomen *officii* ex Stoicorum philoſophia fluxit, quemadmodum iam obſeruauimus; ita non vna eademque ratione ſumebatur. Interdum enim ſolas actiones honeſtas, ſubinde & decoras, immo & vtiles, ac noſtrae conſeruationi inſeruientes, denotat. Quae diſcernendae ſunt ſignificationes, vt quaenam in hiſce ad iuriſprudentiam naturalem referenda ſint, intelligamus. Multa praeclare admodum atque egregie dicta in hiſce CICERONIS libris occurrere, conſentiunt omnes. Hinc & variis doctorum virorum commentariis illuſtrati ſunt, quos inter SAM. RACHELII eminet, & huius maxime loci eſt, quippe in quo omnia ad iuris naturae principia reuocantur. Prodiit cum ipſis hiſce CICERONIS libris Kiloni, 1668, 8. Atque ex hiſce quidem, quae commemorauimus, intelligitur, non caute ſatis incedere, qui apud ethnicorum philoſophos iuriſprudentiam quamdam naturalem quaerunt. Eſt vero adhuc addendum, nonnullos ex iis, cum perſpicerent, quanta incommoda illorum ſententia ſecum traheret, qui actionum omnium ἀδιαφορίαν ſtatuebant, & quantis periculis ipſae ciuitates per eam exponerentur; nec tamen ob prauos ac erroneos de Deo conceptus fontem obligationis ab eius voluntate, ſeu lege diuina, deriuare poſſent; non potuiſſe non in eam ingredi ſententiam, eſſe quaedam per ſe turpia, aut honeſta, citra omnem ad quamcumque legem reſpectum. Quam deinde ſententiam cum plurimi ſcholaſticorum amplexi eſſent; eo vsque tandem nonnulli progreſſi ſunt, vt adſererent, ius aliquod naturae fore, ſi vel maxime ponatur, non eſſe Deum, non perpendentes, eiusmodi haec eſſe, vt ſecum pugnent. Quo magis mirandum, & HVG. GROTIVM eiusmodi quid ſibi perſuadere potuiſſe, in *prolegomenis de iure belli & pacis §. XI.* Quando vero contendimus, fruſtra apud ethnicorum philoſophos iuriſprudentiam quamdam naturalem quaeri; neutiquam ideo negamus, multa apud eos aeque ac poëtas, itemque oratores ac hiſtoricos re-

recte & eleganter dicta occurrere, quae in ſe, & extra ſyſtema cuiusque philoſophi ſpectata, longe ſunt veriſſima. Vnde & quod hiſce in opere ſuo *de iure belli & pacis* exornando, illuſtrandoque vſus ſit H. GROTIVS, minime eſt reprehendendus; inſtituti huius rationem ipſomet reddente in *prolegomenis*, §. *XLII*.

Veteres eccleſiae chriſtianae doctores, quos patres vocamus, ſaepe iuris diuini capita in ſcriptis ſuis attingunt, ſed vt reuelationis potius, quam rationis lumen ſequantur, aut hoc quandoque cum illo confundant. Dicemus itaque de illis ex inſtituto, cum de theologia morali verba faciemus; vbi &, quae vir doctiſſimus IO. BARBEYRACIVS, in *praefatione*, verſionis gallicae, operis Puſendorffiani *de iure nat. & gentium*, de quorumdam ex iis doctrina morali, notauit, ſub examen vocabimus. Scholaſtici doctores, qui patres exceperunt, itidem lumen rationis, aut omnino philoſophiam Ariſtotelicam cum lumine reuelationis, interdum & cum iure ciuili & canonico, coniunxerunt, turpiter ita cuncta inter ſe miſcentes; & variis erroribus iuriſprudentiam diuinam contaminarunt. Oſtendemus hoc pluribus, cum ad theologiam moralem peruenerimus. Conferre vero iuuabit, quae de ſcholaſticis doctoribus diximus, in *hiſtoria iuris natur.* §. *XI. ſeqq.*

Ad recentiora itaque dum progredimur tempora, ſtatim ſeſe nobis offert H. GROTIVS, ad cuius famam celebritatemque haud exigua per inſigne illud *de iure belli & pacis* opus facta eſt acceſſio. Etſi enim ante eum PHIL. MELANCHTHON, in ſua *philoſophiae moralis epitome*, & BENED. WINCKLERVS, in ſua *de principiis iuris* commentatione, & alii quidam, quae huc referri poſſunt, attigerunt; non tamen haec eiusmodi ſunt, vt hic in cenſum venire queant. Primus itaque H. GROTIVS fuit, qui hanc philoſophiae partem ſeparatim ita tractauit, vt ex certis principiis cuncta deriuaret, exemplumque adeo, praeclarum vtique atque egregium, aliis, quod imitarentur, reliquit. Integrarum vero tantum gentium, non ſingulorum hominum, hic habuit rationem; quod vel inde intelligas, quod tres hoſce libros *de iure belli & pacis* inſcripſit; bellum autem proprie ſic dictum inter integras gentes, & qui eis praeſunt, ſummos imperantes geratur; vnde & initio eosdem *iuris gentium* nomine adpellare voluit. Eſtque magnopere hac in re laudandus, cum in gentium integrarum, ſummorumque imperantium controuerſiis, iuris naturalis vſus praecipue eluceſcat. Singuli enim homines, & qui aliorum imperio ſubſunt, habent verbum diuinum, in ſacris litteris comprehenſum, habent leges ciuiles: & has quidem merito in actionibus ſuis dirigendis ſequuntur regulas. Atque hoc qui conſiderauerit, perſpiciet quoque, recte HVG. GROTIVM principium iuris naturae in ſocietatis cuſtodia conſtituiſſe; ſiquidem ex hocce fonte officia quaeuis hominum erga alios, cumprimis gentium erga gentes, deriuari queant. Nec pro iſto, quem ſibi propoſitum habebat, fine, neceſſe erat, vt de officiis hominum erga ſe ipſos, aut erga Deum ageret; quamquam ad haec quod attinet, ea ὡς ἐν παρόδῳ, & velut aliud agendo, attingat, *lib. II. c. XX.* ubi de poenis diſſerit; quemadmodum ad illa referri poſſunt, quae *lib. II. c. XIX.* §. *V.* de αὐτοχειρίᾳ diſputat. Laudandus & in eo GROTIVS, quod eclecticam ſequatur philoſophandi rationem, quod & ipſemet profitetur in *prolegom.* §. *XLII.* Scholaſticorum tamen auctoritate abreptum adſeruiſſe, ius naturae fore, etiamſi ponatur, non eſſe Deum, antea iam obſeruauimus. Nec id ſine reprehenſione nonnulli dimittendum cenſent, quod cum ius gentium in externum & internum diſpeſcat, illo mores tantum gentium deſignet; qui

tamen

tamen, ſi adcurate loqui velis, iuris nomine venire nequeant. Errores eius theologicos, quos paſſim adſperſit, detegunt ac refellunt CASP. ZIEGLERVS, & IO. ADAM. OSIANDER, in *animaduerſionibus & obſeruationibus* ſuis in hoſce *de iure belli & pacis libros*. Prodiiſſe eos primum Pariſiis, an. 1625, conſtat, quos ſuaſu PEIRESCII compoſuit, cuius ſingularem in litteras, earumque cultores fauorem nemo neſcit, niſi qui hoſpitem plane ex hiſtoria litteraria retulit animum. De iis, qui illos aut impugnarunt, aut defenderunt, itemque qui commentariis ſuis eosdem illuſtrarunt, vel in compendium redegerunt, dixi in *hiſtor. iuris natur.* §. *XXVII. ſeqq.* vt adeo ea repetere hic neceſſe non ſit. Conſulere etiam de his iuuabit BVRC. GOTTH. STRVVIVM, *bibl. philoſoph. c. VIII.* §. *II. ſeqq.* Iniquum CL. SALMASII de hocce opere iudicium recitaui *l. c.* §. *XXVIII.* Inter compendia maxime mihi placuit IO. SCHEFFERI *Hugo Grotius enucleatus*; quamquam & PHIL. REINH. VITRIARII *inſtitutiones iuris naturae & gentium ad methodum Hugonis Grotii conſcriptae* neutiquam contemnendae ſint. De vtroque hocce libello copioſius mentem meam expoſui *l. c.* §. *XLV. p. 60. ſeqq.* Optima librorum HVG. GROTII editio eſt, quam ſumma cura & induſtria dedit IO. BARBEYRACIVS, Amſtelodami 1720, 8. cuius etiam verſio gallica cum commentario omni eruditionis genere referto, prodiit Amſtelodami 1724, 4. Verſio germanica SCHVTZII, cum praefatione CHRIST. THOMASII, Lipſiae lucem adſpexit, 1707, 4. GROTIO iungimus IO. SELDENVM, quem, illius quadam aemulatione incenſum, praeſtantiſſimum illud *de iure naturae & gentium iuxta diſciplinam Ebraeorum* opus, conſcripſiſſe, nonnulli adferunt. In eo notiſſima illa, ebraeisque ſcriptoribus tantopere celebrata, Noachidarum praecepta, vti antea iam obſeruauimus, fundamenti loco ponit, vt ſimul longe lateque per varia non iuris modo, ſed & antiquitatis capita procurrat, ex ebraeis, graecis, latinis, arabicis ſcriptoribus, immo ipſis ſcholaſticis, cuncta decerpens, quae ſuo quodammodo inſeruire putauit inſtituto. Ordinem tamen & perſpicuitatem in eo viri docti deſiderant; eumque defectum ex nimia variae eruditionis oſtentatione ortum, non ſine ratione contendunt. Legenda, quae IO. CLERICVS de eo diſſerit, in *arte critica, part. I. c. V. p. 143.* & IO. BARBEYRACIVS, in *praefat.* verſioni gallicae operis Puſendorffiani, *de iure naturae & gent.* praemiſſa, *p. 116.* Cum ergo lectoribus maximum taedium crearet, eo facilius a SAM. STRYKIO, iureconſulto quondam celeberrimo, & cuius mihi poſt fata quoque nomen venerandum eſt, me induci paſſus ſum, vt ex eo ſynopſin quamdam planam & perſpicuam conficerem, quae cum PHIL. REINH. VITRIARII *inſtitutionibus iuris naturae & gentium* Halae 1695 8. euulgata, & deinceps aliquoties recuſa eſt. SELDENO ciuem eius THO. HOBBESIVM comitem damus, qui ſi non tantum eruditionis adparatum, maius tamen forte ingenium, ad hancce philoſophiae partem attulit. Quo ſi recte vti voluiſſet, inſigni eam perfundere potuiſſet luce. Iam vero cum id ſibi datum crederet, vt ſummorum imperantium contra plebis furorem in tuto collocaret maieſtatem; non aliter id ſe facere poſſe, putauit, quam, vt religionem ipſam illorum arbitrio ſubiiceret; adeoque, dum pius in regem videri voluit, effecit, vt impius in Deum, iniuriusque in ciues, ſeruili prorſus conditioni eos addicendo, exſiſteret. Quod ſi porro cuncta paullo adcuratius conſideres, id eum agere, deprehendes, vt omne potius ius naturae tollat, penitusque euertat; tantum abeſt, vt illud ſtabiliat. In ſtatu illo,

quem

quem fingit, naturali, vbi perpetua diſcordia, bellumque omnium in omnes regnat, cum ne rectae quidem rationi locus relinquatur, & homines a beſtiis non differant; eum leges naturales admittere non poſſe, manifeſtum eſt. Ex hocce ſtatu cum non aliter, quam per pacta, emergere homines queant; haec vtique ſeruanda eſſe, docet, non, quia Deus hoc iubet, ſed, quia ratio illud dictitat, hoc eſt, quia illud nobis conducit. Hinc & legem fundamentalem hanc eſſe, dicit: quaerendam eſſe pacem, ſi haberi poſſit; ſi haberi non poſſit, defenſionem. Quod autem rationis, quae vocat, dictamina, de pactis ſeruandis, ceterisque, quae inde fluunt, neutiquam pro legibus proprie dictis, quae obligationem a voluntate diuina ortam ſecum vehant, habeat; exinde patet, quod diſerte docet, legem naturae non eſſe proprie loquendo legem, niſi quatenus traditur in ſcriptura ſacra. Verba eius haec ſunt: *Naturae autem quas vocamus leges, cum nihil aliud ſint, quam concluſiones quaedam ratione intellectae de agendis & omittendis; lex autem proprie atque adcurate loquendo, ſit oratio eius, qui aliquid fieri aut non fieri aliis iure imperat; non ſunt illae proprie loquendo leges, quatenus a natura procedunt. Quatenus tamen eaedem a Deo in ſcripturis ſacris latae ſunt, vt videbimus capite ſequente, legum nomine propriiſſime adpellantur. Eſt enim ſcriptura ſacra in omnia maximo iure imperantis Dei oratio; element. de ciue c. III. §. XXXIII.* Si ergo ſecundum rationem tantum ſpectentur leges naturae, proprie loquendo leges non ſunt, adeoque, qui ſacram ſcripturam non admittunt, nullum quoque habent ius naturae. Nihil apertius dici poterat. Agnoſcit id, praeter alios, auctor *dubiorum iuris naturae*, quae, vt inſcriptio prae ſe fert, Duaci 1719, 4. prodierunt; qui ſimul HOBBESII in ſe ſuſcipit defenſionem, & ad ea, quae illi obiecta fuerunt, reſpondere adnititur; immo per integrum iſtum librum id agere videtur, vt, nullum dari ius naturae, euincat. *Cum Hobbeſii*, inquit, *mentio facta ſit, obiter indicabimus, etiam illum ius naturae negare, eiusque loco libertatem & ius omnium in omnia inducere. c. I. §. XVII. p. 8.* Quod ſi illorum locum inueniret ſententia, qui HOBBESIVM atheis adnumerant; eo minus mirandum, quod nullum ius naturae ſtatuat. Nolo repetere, quae iam hac de re diſputaui in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtitione. c. I.* ad §. *XXVII. p. 187. ſeqq.* Inter ſectatores ac defenſores Hobbeſii LAMB. VELTHVYSIVM, cuius *diſquiſitio epiſtolica de principiis iuſti & decori*, & ſeorſim excuſa, & cum reliquis eius operibus edita, referendum eſſe, iam obſeruaui in *hiſt. iur. nat. §. XXVI.* vbi & eos, qui Hobbeſium refutarunt, RICHARDVM CVMBERLANDIVM, GISB. COCQVIVM, ceterosque, indicaui. Addenda his IM. PROELEI diſſertatio, de *origine diuerſorum iuris naturalis principiorum*, qui & in alia *de naturali religione hominis & boni ciuis*, quae ipſius libro, *de certitudine ſenſuum, rationis & fidei*, addita eſt, errores Hobbeſii circa religionem naturalem ſolide refellit. Atheorum cum hic iniecta ſit mentio, probare poſſem, eos nulla ratione ius aliquod naturae proprie ſic dictum admittere, niſi hoc plane ſuperuacaneum foret. Repetenda vero, quae ad §. *praecedentem* de doctrina morali atheorum obſeruauimus, & quae de SPINOZAE pariter, ac HOBBESII iure naturae dixi, in *theſibus de atheiſmo & ſuperſtit.* ad *c. IV. §. IV. p. 336. ſeqq.*

Feliciori ſucceſſu in augenda & amplificanda iuris naturalis doctrina verſatus eſt SAM. PVFENDORFIVS. Cum enim animaduertiſſet, ea, quae ad totum diſciplinae huius ambitum pertinent, nondum ita ex vno quodam principio deri-

uata, & inter ſe coniuncta eſſe, vt mathematicae cuiusdam demonſtrationis ſpeciem praeberent, quod tamen omnino fieri poſſet ac deberet; hoc demum ſibi datum eſſe credidit. Primum ſuarum cogitationum ſpecimen dedit in *elementis iuriſprudentiae vniuerſalis*, quae Hagae Comitum an. 1660 lucem adſpexerunt publicam. Haec an. 1672 inſigne illud prorſusque egregium opus *de iure naturae & gentium* excepit, libris conſtans octo, in quibus plenam iuriſprudentiae faciem ita exhibuit, vt cuncta adcurate demonſtraret, perſpicue explicaret, teſtimoniis ac exemplis, veterum praeſertim ſcriptorum, illuſtraret. Tandem & doctrinae huius ſummam quamdam in libello *de officio hominis & ciuis* complexus eſt, quo demonſtrauit, compendia etiam confici poſſe, in quibus nihil, quod ſcholaſticorum barbariem ſapiat, deprehendatur. Conſtitutum vero PVFENDORFIO fuit, non tam ius gentium tradere, quod HVG. GROTII fuiſſe conſilium, antea monuimus, quam generatim ius naturae, prout tum integrarum gentium, tum ſingulorum hominum actiones ad eius normam exigi debent. Quod cum minime reprehendendum eſſet, in eo tamen errauit, quod nihiloſecius principium illud, a GROTIO poſitum, de ſocietatis cuſtodia, retineret; ex quo equidem officia hominum erga alios, aut gentium erga gentes deriuari poſſunt, non autem hominis aut erga Deum, aut erga ſe ipſum. Sane in maiori iſto *de iure naturae & gentium* opere, officia erga Deum omiſit; at ea omnino hic locum ſibi vindicare, intellexit; ſiquidem in libello *de officio hominis & ciuis* de iisdem praecepit. In maiori porro iſto *de iure naturae & gentium* opere laudem cumprimis meretur adcurata illa de rerum moralium notionibus, ſeu *entibus*, vt vocat, *moralibus*, tractatio, quam libro primo legere licet, quaeue in compendio quodam, ex hocce opere excerpto, quod *iuriſprudentia vniuerſalis* inſcriptum 1696, 12. prodiit, repetitur. Nihil enim in hocce ſtudiorum genere efficiet, qui non adcurate, quid ius, quid obligatio, quid iuſtum, quid honeſtum, quid decorum ſit, tenet. Ex harum notionum ignorantia non poteſt non ſumma rerum omnium oriri confuſio: quod noſtra aetate experientia docuit: quamquam nonnulli data opera eas mutent, vocibusque receptis longe alias iungant ſignificationes, vt, dum reuera omne ius naturae tollunt, imperitis tamen caliginem obfundant, ſeque egregie illud ſtabilire, iis perſuadeant. Cum vero PVFENDORFIVS in quibusdam a receptis ſcholaſticorum decretis diſceſſiſſet, & inter alia, exploſo eorum de actionibus per ſe honeſtis, vel turpibus, commento, eo quippe tantum comparato, vt athei in eo ſuae impietatis praeſidium inueniant, moralitatis, ſtricte ſic dictae, originem a voluntate, adeoque lege diuina deriuaſſet; integra ad eum impugnandum coorta eſt cohors, in qua principes IOSVA SCHWARZIVS, NIC. BEKMANNVS, IO. ADAM. SCHERZERVS, VAL. VELTHEMIVS, VAL. ALBERTI, IO. IOACH. ZENTGRAVIVS, SAM. STRIMESIVS, FRID. GESENIVS, notiſſima nomina, totam fere Germaniam, nobiliſſimasque in ea academias ſtrepitu ſuo compleuere. Obſeruatu quidem cognituque digna haec certamina; ſed cum noſtri inſtituti ratio non permittat, ea enarrare, conſulere iuuabit *vitam, famam & fata litteraria Pufendorfiana*, quae cum germanica verſione libri de *ſtatu imperii germanici*, quem ſub SEVERINI DE MONZAMBANO nomine PVFENDORFIVS ediderat, Lipſiae prodierunt, an. 1710, 8. Diligenter quoque de iis diſſerit CHRIST. THOMASIVS, in *paulo pleniori hiſtoria iuris naturalis, c. VI. §. XIV. ſeqq.* Nec vero iſti aduerſariorum PVFENDORFII clamores obſtitere, quo minus ſcripta eius

magno

magno omnium fere adplauſu exciperentur. Opus illud *de iure naturae & gentium* ſaepius editum eſt; quin & cum notis IO. NIC. HERTII Francofurti 1706, 4. Quae tamen notae famae & eruditioni auctoris non reſpondent. Sed & in linguam germanicam conuerſum eſt, immo & in anglicanam. Cumprimis autem memoranda eſt verſio gallicana IO. BARBEYRACII, ſummo quippe ſtudio confecta, & notis exquiſitiſſimis exornata, quibus praecipua iuris naturalis capita mirifice illuſtrantur. Idem BARBEYRACIVS etiam libellum de *officio hominis & ciuis* in linguam gallicanam tranſtulit, & adnotationibus quibusdam auxit; euulgatum hac ratione an. 1707, & cum acceſſionibus quibusdam 1715. Eumdem libellum obſeruationibus ac animaduerſionibus ſuis illuſtrare adgreſſi ſunt IMM. WEBERVS, GOTTL. GERH. TITIVS, IMM. PROELEVS, GOTTL. SAM. TREVERVS, de quibus, ceteriſque huc ſpectantibus, conferendus GOTTL. STOLLIVS, in *der kurtzen Anleitung zur Hiſtorie der Gelahrheit, part. III. c. II. §. XVI. ſeqq.* Copioſior reliquis omnibus eſt ANDR. ADAM. HOCHSTETERVS, in *collegio Pufendorfiano ſuper libris duobus de officio hominis & ciuis*, quod 1710, 4. Tubingae prodiit, & in quo ea praecipue pertractat, quae theologiae cultoribus vſui eſſe poſſunt. Exſtat & eiusdem auctoris *de iure poenarum liber ſingularis, qui vicem ſimul commentationis perpetuae ad Sam. Pufendorfii de officio hominis & ciuis lib. II. c. XIII. ſuſtinere poſſit*; Tubingae 1710, 4. Quemadmodum autem nonnulli ex hiſce libellum iſtum PVFENDORFII ita illuſtrant, vt aliquando ab eo diſſentire, & vbi errauit, corrigere, ac emendare, non dubitent; ita & ſibi hoc datum credidit, G. G. LEIBNITIVS, animum haud adeo aequum erga PVFENDORFIVM demonſtrans, in epiſtola quadam, quae exſtat in *dem neuen Bücher-Saal. tom. I. p. 836.* Sed ſunt ea, quae in PVFENDORFII doctrina deſiderat, ita comparata, vt facili negotio a quolibet harum rerum non imperito, dilui queant; quod & praeſtitit IMM. WEBERVS, in editione libelli PVFENDORFII *de officio hominis & ciuis*, quae 1715 lucem publicam adſpexit. Inter aduerſarios, quos, dum vixit, PVFENDORFIVS expertus eſt, VAL. ALBERTI, percelebris quondam Lipſienſis academiae theologus, ideo adhuc commemorandus eſt, quod non tantum variis ſcriptis illius placita, a quibus diſſentiebat, impugnauit, ſed nouum etiam iuris naturae ſyſtema, ſuae, quam elegit, hypotheſi ſuperſtructum, condidit. Eo namque comparatum eſt *compendium* eius, quod vocat, *iuris naturae, orthodoxae theologiae conformatum*, in quo id egit, vt ex ſtatu integritatis, in quo conditus homo fuerat, regulam normamque officiorum omnium, quae lex naturae exigit, deriuaret. Qua in re, praeter theologos quosdam, etiam ex iureconſultorum ordine DAV. MEVIVM, atque illuſtrem virum VIT. LVD. SECKENDORFIVM, ſecum conſentientes habuit, vti a me iam obſeruatum, in *hiſt. iur. nat. §. XXXVI.* Et ſane, ſi de iure naturae ſermo ſit, prout ex lumine reuelationis deriuatur; nihil, quod reprehendi queat, committunt, qui primam eius originem in ſtatu integritatis quaerunt. Hoc vero, vt ad theologos ſpectat, ita, ſi cum hominibus nobis res ſit, qui lumen reuelationis, ſeu ſcripturam ſacram, non admittunt, parum hoc pacto ad ſummam rei proficiemus. Rationis autem lumen, cum ſtatum integritatis ignoret; qui illud tantum ſequuntur, ex hoc ius naturae deriuare nequeunt. Praeterea, qui ex ſtatu integritatis cuncta deducere adnituntur, haud raro eorum quoque, quae poſt lapſum hominum orta ſunt, vel eum ſupponunt, in illo quaerunt natales; hinc & ſtatui huic talia tribuunt, quae ei non conueniunt. Idque & theologo iſti doctiſſimo

ctiſſimo VAL. ALBERTI contigiſſe, & res ipſa docet, & alibi quoque iam a me oſtenſum eſt. Certamina haecce atque controuerſiae, quae PVFENDORFIO cum viris doctis interceſſerunt, magnum equidem pepererunt librorum numerum, multosque ſimul excitarunt, vt ad iuriſprudentiam naturalem excolendam animum adiungerent; ſimul vero effecerunt, vt praeſtantiſſima haecce practicae philoſophiae pars, quae vel maxime vitae ciuilis negotiis inſeruire debebat, per vmbraticas illas & ſcholaſticas diſceptationes obſcuraretur magis, quam illuſtraretur, & tantum non apud multos pretium ſuum amitteret. Erant enim, qui prorſus eximii quid ſe praeſtitiſſe, putabant, ſi de principio iuris naturae diſceptarent, aut nouam quamdam excogitarent ſententiam, numerum inanium de verbis concertationum hac ratione aucturi. Reuera enim iſta, qua tantopere ſe nonnulli iactitarunt, quaeſtio ad logicam ſpectat, quae docet, quid ad genuinum principium requiratur; vt adeo in iuriſprudentia naturali adplicatio tantum ſit inſtituenda. Plerique vero eam ita tractarunt, vt ad minutias, ſi non ineptias, aut vanas & inanes λογομαχίας deuoluerentur. Praecipuas autem ſi quis ſcire aueat ſententias, IO. GE. WALCHIVM adeat, in *dem Entwurff der allgemeinen Gelehrſamkeit, lib. III. c. VII. §. XVIII. ſeqq.*

Sed vt abſoluamus, quae dicenda adhuc reſtant, poſt PVFENDORFIVM ſeſe nobis offert CHRIST. THOMASIVS, quippe qui non vna ratione ingenium in iuriſprudentia naturali exercuit. Et initio quidem is PVFENDORFII defenſionem, praeſertim contra VAL. ALBERTI, ſuſcepit. Eoque comparata eſt eius *iuriſprudentia diuina*, quae 1688 primum lucem adſpexit, deinde adnotationibus locupletata 1694, & poſtea ſaepius recuſa fuit. Ita vero ſequitur Pufendorfium, vt eum quandoque emendet. Cumprimis iſtud, de ſocietatis cuſtodia, principium, ſuis circumſcripſit limitibus, vt, quae inde deriuari poſſent, adcurate oſtenderet, quae non poſſent, iuris naturae eſſe, negaret. Officia itaque hominis erga Deum & erga ſe ipſum, cum ex ſocietatis cuſtodia demonſtrari nequeant, ex aliis deducenda fontibus, docuit. Cum etiam perſpiceret, quae de matrimonio, officiisque coniugum, ceu iuris diuini praecepta, tradebantur, ex rationis lumine deriuari non poſſe; legibus naturalibus poſitiuas vniuerſales adiunxit, &, quo pacto hac ratione polygamiae adſertoribus, aliisque, qui, quae de matrimonio diuinitus conſtituta erant, labefactare conabantur, obuiam iri poſſet, luculenter monſtrauit. Non equidem negandum, iam antea eiusmodi quid in mentem veniſſe HVG. GROTIO, & ex theologorum ordine IO. CONR. DANHAVERO, & IO. ADAMO SCHERZERO; ſed THOMASIVS tamen primus fuit, qui ex inſtituto in naturam indolemque iſtarum legum inquireret, easque perſpicue explicaret, neceſſitatem quoque earumdem euinceret, omnesque, qui circa eas occurrere poterant, ſcrupulos, remouere adniteretur. Plurimos hinc quoque etiam ex theologorum ordine ſibi ſuffragantes habuit, cum viderent, promtam planamque hanc viam eſſe, ex plurimis difficultatibus, quae praeſertim circa doctrinam de matrimonio ſeſe offerunt, eluctandi. Eamdem itaque & ego amplexus ſum ſententiam; donec deinceps perſpicerem, faciliori adhuc negotio, & citra ambages, cuncta expediri poſſe, ſi leges naturales in abſolutas & hypotheticas diſpeſcamus, ſeu tales, quae inſtitutum aliquod diuinum, cuiusmodi & matrimonium eſt, ſupponunt. Qua ſuper re copioſius mentem meam declaraui in *inſtitutionibus theologiae moral. part. II. c. II. §. XLVII. ſeqq.* Placuit vero poſtea viro doctiſſimo, ſuam

non

non tantum de legibus hiſce poſitiuis vniuerſalibus, ſed generatim quoque de iure naturae, mutare ſententiam, & eiusmodi ſyſtema excogitare, quod illi ſoli proprium eſſet, & ex quo nemo ſibi quidquam vindicare poſſet. Idque praeſtitit, in *fundamentis iuris naturae & gentium, ex ſenſu communi deductis, in quibus vbique ſecernuntur principia honeſti, & decori, cum adiuncta emendatione ad iſta fundamenta inſtitutionum iuriſprudentiae diuinae.* Editio quarta praecedentibus auctior prodiit Halae 1718, 4. Id nimirum egit vir illuſtris, vt omnibus perſuaderet, leges naturae, proprie dictas leges non eſſe, ſed tantum conſilia. Atque his obligationem quidem, ſed internam tantum, hoc eſt, improprie ſic dictam, tribuit; quemadmodum nec poenas proprie ſic dictas, ſeu poſitiuas, admittit, aut admittere poteſt, ſed tantum naturales, hoc eſt tales, quae per conſequutionem naturalem ex hominum vitiis fluant. Primam autem, & fundamentalem iuris naturae, hoc modo accepti, propoſitionem hanc eſſe, contendit: *facienda eſſe, quae vitam hominum reddunt maxime diuturnam & feliciſſimam.* Quae propoſitio cum omnia praecepta honeſti, decori, iuſti complectatur; vt deinceps ſpeciatim ea explicet, tria principia ſpecialia, ſeu ſubordinata ponit, pro triplici hocce iuris naturalis obiecto, honeſto, decoro, iuſto. Nimirum primum principium honeſti ex eius mente eſt: *fac tibi, quae ab aliis tibi vis fieri;* decori: *fac aliis, quae tibi vis fieri;* iuſti: *non fac aliis, quae tibi non vis fieri.* Leges autem poſitiuas vniuerſales plane proſcribit, cum, quae in iis contineantur, non ſint praecepta iuris, ſed tantum regulae virtutis. Non abnuo, ingenioſe eſſe haec excogitata, & apte ſatis inter ſe cohaerere; an certo, & quod labefactari nequeat, fundamento ſuperſtructa ſint? valde dubito. Praecipuum momentum hoc eſt, quod leges naturales non pro legibus proprie ſic dictis, ſed tantum pro conſiliis habet. Quod perinde eſt, ac ſi diſerte, ius aliquod naturae, proprie ſic dictum, dari, negaſſet. Hinc cum omnibus illis, qui hoc adfirmant, illi res erit. Nec video, quae pactorum, conuentionum, & foederum, inter reges maxime, & ſummos imperantes, futura vis ſit & firmitas, ſi nulla lex, proprie ſic dicta, ſit, quae ea ſeruare iubeat. Si imprudentiae ſolum, quod rectae rationis conſilia inſuper habuerint, labem contrahunt, qui ea violant; non erit temere, qui id magnopere curandum exiſtimet. Quod ſi vero conſideremus, Deum ea, quae reuera ad hominum felicitatem faciunt, ſerio velle; immo, vt velit, & repugnantes puniat, ea quidem ratione, vt conuincantur, ſentiantque, a Deo, ſupremo omnium iudice, ſe puniri, ſummam eius ſanctitatem, iuſtitiamque poſtulare; ſtatim, ni fallor, deprehendemus, amplius quid, quam conſilia eſſe leges naturales, obligandique vim, proprie ſic dictam, iis denegari non poſſe. De ſcripturae ſacrae, quae huic ſententiae repugnant, teſtimoniis, nihil dico; cum haec tam aperta, tamque euidentia ſint, vt nemo de iis dubitare queat. Sed id nunc non agimus. Nec ad ea, quae vir doctiſſimus in eadem *fundamentorum iuris naturae & gentium* editione quarta, ſubinde contra me diſputauit, quidquam reponere lubet; cum id huius loci non ſit, alibique id facere mecum conſtituerim. Qui ex inſtituto nouas haſce eius hypotheſes ſibi refutandas ſumſerit, mihi non innotuit, praeter ALB. RIPERVM, in *diſſertatione de lege ac legibus diuinis in genere, & de legibus diuinis poſitiuis vniuerſalibus in ſpecie,* quae Hamburgi an. 1722 prodiit. Qui an eo id fecerit ſucceſſu, vt de victoria ſibi gratulari queat, aliis diiudicandum relinquo.

Atque ex hiſce quidem, quaenam iuriſpru-

riſprudentiae naturalis fuerint fata, quinam auctores praecipui, qui in ea colenda ornandaque ſtudium, operamque ſuam collocarunt, intelligere licet. Non omnes equidem, qui iuris naturalis compendia aut inſtitutiones, ſimiliaue ediderunt ſcripta, enarrauimus; nec etiam id neceſſe eſſe duximus. Qui eos, quos praetermiſimus, cognoſcere auet, praeter *hiſtoriam* noſtram *iuris naturae*, in qua adhuc quorumdam mentionem fecimus, conſulat GOTTL. STOLLII *kurtze Anleitung zur Hiſtorie der Gelahrheit*, c. II. §. XXVI. ſeqq. itemque ADAMI FRID. GLAFEYI, qui & ipſe inter recentiſſimos numerandus eſt, *Vernunfft-und Voelcker-Recht*, Lipſ. 1723, 4. cui operi dum hiſtoriam quamdam iuris naturalis praemiſit, praecipuos etiam ſcriptores recenſet. Obſeruatu autem maxime digna, ſed vt ſimul adcurate expendatur, quae *c. III. §. CXVI. ſeqq.* de ANDR. RVDIGERI, philoſophi celeberrimi, & *§. CLXXX.* de CHRIST. WOLFII in ius naturae meritis, ſententiisque diſſerit. De inſigni iuris naturalis, ſi recte tractetur, & vtilitate, & neceſſitate, non eſt, vt quidquam addamus; cum nemo, niſi harum litterarum plane expers ſit, de ea dubitare queat. Summatim quoque quae hac de re dici poſſunt, iam indicaui, in *inſtitut. theol. moral. part. II. prolegom. §. XI.* Quae in libello: *Licht und Recht* dicto, & quidem in *der erſten Entdeckung c. II.* in contrarium adferuntur, facili negotio dilui poſſunt.

§. XXXIII. Quae vltima pars philoſophiae practicae de prudentia generatim praecipit, non minus in prudentia chriſtiana & paſtorali, quam ciuili, locum inueniunt. Eo magis autem obſeruanda, & ad vſum transferenda ſunt, quo ſaepius per imprudentiam homines, etiam qui doctorum in eccleſia munere funguntur, peccant, & grauiſſima, tum ſibi ipſis, tum toti eccleſiae attrahunt incommoda. *

* Vltimam hancce philoſophiae practicae partem plerique ita tractant, vt prudentiae ciuilis, quam & politicam vocant, tantum habeant rationem; quamquam nec ſub hocce nomine ſemper ea tradant, quae tradere dedebant. Ordo autem omnino poſtulat, vt de prudentia felicitatem noſtram in rebus ad hancce vitam ſpectantibus, quae omnibus hominibus communis eſt, primum ſimus ſolliciti, & tum demum diſpiciamus, quo pacto regulae iſtae generales de felicitate ſua externa conſeruanda, ad quoslibet ſtatus, cumprimis rempublicam, adplicari queant. Hoc vero, cum a veteribus plane neglectum ſit; noſtra demum aetate exſtiterunt viri eruditi, qui, quae ad prudentiam iſtam vniuerſalem ſpectant, ad certa reuocarent principia, ſcientiaeque cuiusdam ſeu diſciplinae formam iis darent, vt in ſequentibus dicemus. Eo magis autem iſta tractatio eſt neceſſaria, quo amplior eius eſt vſus; ſiquidem non tantum prudentiae ciuilis, & aulicae, ſed & chriſtianae, theologicae, & eccleſiaſticae, principia & fundamenta ex ea petenda ſunt; vt luculenter a me in *parte tertia inſtitutionum theologiae moralis* oſtenſum eſt. Vnde etiam patet, theologiae cultoribus prudentiam hancce vniuerſalem minime eſſe negligendam. Ea vero, cum per prudentiam ciuilem, in qua regulae eius aut ad rempublicam, aut ipſos imperantes, aut rerum ciuilium adminiſtros adplicantur, mirifice illuſtretur; non male rebus ſuis conſulent, qui hanc quoque, prout reliquorum ſtudiorum ratio hoc permittit, delibauerint. Prudentia hacce

ce ciuilis etiam *politica* vocari ſolet; cuius tamen nominis variae ſunt ſignificationes, quas HERM. CONRINGIVS recenſet; *de prudentia ciuili c. I. & ſeqq.* Sed & ipſemet eas enarraui in *element. philoſ. pract. part. III. c. I. §. VI. & VII.* Qui adcurate loquuntur, & omnem confuſionem euitare volunt, hoc nomine eam intelligunt philoſophiae practicae partem, quae ſtatum reipublicae, aut ſummorum imperantium, vel etiam eorum, qui res ciuiles adminiſtrant, ſecundum regulas prudentiae rite conſeruare docet. Vnde patet, quod ea, quae de imperantium & ciuium officiis, ad leges diuinas dirigendis, praecipiuntur, & quae alia ſunt eiusdem generis, ad iurisprudentiam potius naturalem, quam politicam, ſeu prudentiam ciuilem, referenda ſint. Quod cum non omnes obſeruent, mire cuncta inter ſe miſcent, atque confundunt. Idem dicendum de ea doctrina, quae originem ac ſtructuram rerum publicarum explicat; quam licet prudentiae ciuilis magiſter ſupponat, rectius tamen, aut ſaltem aeque commode in iurisprudentia naturali traditur; quamquam non deſint, qui ſeparatim eam tractent, vt IO. FR. HORNIVS, in *politicorum parte architectonica de ciuitate*, quae Francofurti 1672, 8. prodiit. Nec aliter de CASP. ZIEGLERO, aliisque cenſendum, qui de *iuribus maieſtaticis*, ex inſtituto commentati ſunt; quam quidem doctrinam hodie nonnulli ſub *iuris publici vniuerſalis* nomine proponere malunt. Eo namque ſpectat IVSTI HENNINGI BOEHMERI *introductio in ius publicum vniuerſale, ex genuinis iuris naturae principiis deductum &c.* Halae Magdeb. 1710, 8. Haec, & alia eiusdem generis in iurisprudentia potius naturali, quam in politica ſedem ſibi vindicant. Monenda autem iſta fuere, vt eo rectius in hiſtoria prudentiae ciuilis, & ſcriptorum eo ſpectantium commemoratione, progredi queamus.

Atque ad eos quidem quod attinet, qui facem hic nobis praeferunt, cum plerique id agant, vt omnia, quae politicum ſcire oportet, vel quae huic ſtudiorum generi inſeruire, vtcumque poſſunt, ediſſerant; mirum non eſt, quod non tantum diſcrimen, quod antea poſuimus, non obſeruent, ſed multa alia quoque, quae ad ipſam prudentiam ciuilem non ſpectant, ſcriptis ſuis complectantur. Exemplo eſſe poteſt GABR. NAVDAEI *bibliographia politica*, lectu quidem ob res praeclaras, & variorum auctorum, quos ſuppeditat, notitiam, digniſſima; ſed in qua ἀλλότρια ſubinde, & ad prudentiam ciuilem non ſpectantia, tractari, viris doctis dudum obſeruatum eſt. Saepius eſt edita. In Germania primum cum eleganti praefatione eam recudi curauit AVG. BVCHNERVS, Witteb. 1640. Hinc vero, vt alias editiones mittam, cum CASP. SCIOPPII *paedia politices*, & aliis eiusdem argumenti ſcriptis, cura HERM. CONRINGII prodiit Francofurti 1673, 12. Poſtea & THO. CRENIVS eam iterum exhibuit, inter *methodorum ſcriptores*, an. 1692, 4. qui & hinc inde notas quaſdam adſperſit. IO. ANDR. BOSIVS noſter, de Naudaeo, eiusque *bibliographia politica*, ita pronuntiat: *Sed in Naudaeo obſeruare licet, eum interdum ſtudio partium, odioque nationis, aut religionis, quibusdam iniquiorum eſſe, multos etiam egregios auctores ob easdem cauſſas plane praeterire.* Id quod exemplis comprobat, in *diſſertat. iſagog. de comparanda prudentia ciuili*, §. LXXXIV. NAVDAEO merito iungimus HERM. CONRINGIVM, cui inter prudentiae ciuilis magiſtros, apud Germanos primus citra controuerſiam locus debetur. Is vero non tantum in libro, de *ciuili prudentia*, *c. XIV.* ſeu *vltimo*, quae ſcripta edita ad parandam prudentiam ciuilem maxime ſint idonea, exponit, ſed peculiarem quoque diſſertationem, de *ciuili philoſophia*, eius-

eiusque optimis ac praecipuis ſcriptoribus, edidit Helmſt. 1673, 4. niſi hanc IVSTO GERH. RINKIO, qui reſpondentis munere functus eſt, tribuere velis. Tertium locum damus, cui forte primus debebatur, IO. ANDR. BOSIO noſtro, cuius *diſſertationes iſagogicas de comparanda eloquentia & prudentia ciuili* in lucem produxit GE. SCHVBARTVS, an. 1674. quae deinceps iterum, acceſſionibus quibusdam auctae, 1699 prodierunt. Easdem *methodis* ſuis an. 1696 editis inſeruit THO. CRENIVS, qui & more ſuo notas quasdam adiecit. Cum vero BOSIO itidem conſtitutum ſit, omnia ea complecti, quae prudentiae ciuilis cultori vſui eſſe poſſunt; multa tradit, quae politicae in ſe ſpectatae finibus non continentur, cumprimis in hiſtoricorum enarratione copioſus eſt; quo nomine & ſupra hanece commentationem laudauimus. Poſt hoſce & CAR. ARNDIVS ſuam, in hacce hiſtoriae litterariae parte demonſtrare voluit diligentiam, in *bibliotheca politico-heraldica ſelecta*, Roſtochii 1705, 8. itemque in *bibliotheca aulico-politica*, Roſtochii 1706, 8. In vtraque non tantum auctores praecipuos recenſet, ſed aliorum ſubinde de iis iudicium adiungit. Conſulere quoque iuuabit BVRC. GOTTH. STRVVII *bibliothecam philoſophicam*, *c. VII.* & GOTTL. STOLLII *kurtze Anleitung zur Hiſtorie der Gelahrheit*, *part. III. c. V.* Nec alieni ab hoc loco ſunt, qui de methodo ſtudii politici, ſeu ratione, recte & feliciter illud inſtituendi, commentati ſunt, vt CASP. SCIOPPIVS, in *paedia politices*, quae exſtat in *methodis* THO. CRENII, an. 1692, 4. CHRISTOPH. COLERVS, in *epiſtola*, *de ſtudio politico ordinando*, itidem in CRENII *methodis* an. 1699 recuſa. IO. CASELIVS, in *propolitico*, itemque in libro, πολιτευόμενος inſcripto, in quo edifferit, quemadmodum primarius aliquis adoleſcens mature & recte educetur ad rem publicam, Francof. 1631, 8. & ſi qui alii ſunt eiusdem generis.

Veteres, qui effatis quibusdam ac ſententiis vitam moresque hominum inſtituebant, iis quoque admiſcebant, quae prudentiae, praeſertim vniuerſali, inſeruire poterant. Ciuilis autem prudentiae veſtigia in legibus antiquarum gentium deprehendere licet. Inter has vero eminent leges Moſaicae, ſeu, quas Deus ipſe per Moſen populo Iſraelitico dedit, in quibus inſigne etiam ſummae prudentiae ſpecimen exhibetur. Omnes enim iſtae leges non tantum aequitati naturali ſunt conſentaneae, ſed genio, indolique populi iſtius prorſus accommodatae, ad finem quoque, quem Deus in republica Iſraelitica ſibi propoſuerat, obtinendum, aptiſſimae, vt nihil iis melius aut praeſtantius excogitari poſſit. De ipſius Moſis prudentia ciuili dubitat equidem HERM. CONRINGIVS, in *animaduerſionibus politicis ad Machiauelli principem*, *c. III. p. 70.* Sed rationibus eius a me ſatisfactum in *hiſtor. eccleſ. vet. teſt. tom. I. per. II. ſect. I.* ad *§. X. p. 335.* Cumque ſententiam CONRINGII ingenue, recitatis ipſius verbis, exhibuerim, & ſolide quidem, vt puto, ſed tamen modeſte, refutauerim; non erat, vt me ideo iniquitatis cuiusdam arguerent auctores *annalium academiae Iuliae ſemeſtr. IV. p. 193.* In ſcriptis Salomoneis, quae occurrunt, effata elegantiſſima, ad prudentiam non minus, quam ad doctrinam moralem, ſeu vitam recte inſtituendam ſpectant. Immo vniuerſum codicem ſacrum, vt vberrimum verae & genuinae prudentiae, tum vniuerſalis, tum ſpeciatim ciuilis, conſiderare fontem licet, quam & exemplis & praeceptis quampluriſmis, iisque pulcherrimis, inſtruxit. Cum vero idem ad ſublimiora praecipue ducat, veramque ad ſpiritualem, quae chriſtianis propria eſt, prudentiam viam monſtret; de inſigni eius, praeſtantiſſimoque, ad hoc

hocce caput quod attinet, vſu dicemus, cum de theologia morali, hinc & prudentia chriſtiana, ac paſtorali, verba faciemus. Interim fuerunt, qui prudentiae etiam ciuilis praecepta ex ſacro codice deriuare, ſuarum duxerunt eſſe partium, vt IO. CONR. DANHAVERVS, in *politica biblica*, IOSEPH. HALLVS, in *politica Salomonea*, ex anglicano ſermone in germanicam translata; cuius etiam exſtat *ethica* & *oeconomica Salomonea*, & forte alii quidam. Multorum quoque ſermonibus celebratur IAC. BENIGNI BOSSVETI *politica ſcripturae verbis expreſſa*, vel vt gallice inſcribitur; *politique tirée des propres paroles de l' ecriture ſainte &c.* Bruxellis 1710, 8. Nec deſunt in ea, quae prodeſſe poſſint; licet ſubinde facile agnoſcas, auctorem romanae eccleſiae ſcitis innutritum eſſe.

Eos, qui ex gentilibus doctrinae ſuae morali prudentiae monita adſperſerunt, praetermittimus; cum antea iam a nobis ſint commemorati. ISOCRATEM autem omittere non poſſumus, qui, cum inter oratores illuſtre adeptus ſit nomen, philoſophis tamen etiam adnumerari poteſt, eo, quod moralia pariter ac politica praecepta in orationibus ſuis ſuppeditat. Certe *oratio* eius *de regno ad Nicoclem* huius loci eſt, de qua vid. IO. ALB. FABRICIVS, *bibl. graec. lib. II. c. XXVI. §. V. p. 850.* Primus, qui aliquid, quod ad iuſtam tractationem quodammodo accedat, reliquit, PLATO fuit, in *libris X. de republica*, & *XII. de legibus*. In vtrisque, iudice GABR. NAVDAEO, *praeclare omnino regnum & rempublicam inſtituit, adeoque moribus & inſtitutis chriſtianae fidei conuenienter, vt diuus Thomas in opuſculo de regimine principum, Platoniſmum in republica deſideret*; in *bibliograph. polit. c. V. p. 509.* Nec abnuo, multa praeclare admodum & egregie dicta in hiſce libris exſtare. An vero vmquam eiusmodi reſpublica exſtiterit, aut exſiſtere poſſit, qualem animo concepit PLATO, merito nonnulli dubitant. Nec deerunt forte, qui exiſtimauerint, rem publicam PLATONIS cum *Vtopia* THO. MORI, ſimilibusque rebus publicis fictis, comparari poſſe. IO. ANDR. BOSIVS nemini legendum putat Platonem, *niſi qui inſtructus initiatusque prudentiae myſteriis, cenſorem non minus quam lectorem agere poſſit*; de *compar. prud. ciuilis*, §. *XIV.* Scripſit quoque PLATO libellum exiguum *de regno*, de quo vid. BOSIVS *l. c.* Praecipuos in libros hoſce commentatores Platonis recenſet GABR. NAVDAEVS, *l. c. p. 519.* Vt autem PLATO rempublicam deſcripſit, non qualis eſſe queat, ſed qualis eſſe debeat; ita XENOPHON, in ſua *Cyropaedia*, quae inter reliqua eius argumenti politici ſcripta primum locum tenet, perfectam quamdam conſummatamque principis imaginem ſiſtere voluit. Ita namque recte de ea iudicat CICERO, *lib. I. ep. I. ad Quintum fratrem.* ARISTOTELEM rerum ciuilium peritiſſimum fuiſſe, nemo negauerit. *Politica proprie dicta*, inquit BOSIVS, *incomparabili grauitate, breuitate & arte conſcripſit; ac non tantum nihil eorum omiſit, quae ad integrum imperii corpus faciunt, ſed etiam illa docuit, quae ad ſingulas partes imperii requiruntur. Quin & arcana ſiue ſophiſmata, propter quae Machiauellus potiſſimum ſuſpici ſolet, pleraque in quarto, quinto, & ſexto politicorum libris indicauit; de comparanda prud. ciuil.* §. *XV.* Mihi vero ſemper illorum maxime placuit ſententia, qui nec abiecte nimis, nec nimis magnifice de Ariſtotele ſentiunt. Inſignem iſtorum librorum, ea, qua Ariſtoteles vixit, aetate, eſſe potuiſſe vſum, non diffiteor. Noſtrorum temporum alia eſt ratio. Aliquot libros in hocce Stagiritae opere hodie deeſſe, quin & ordinem eorum, qui ſuperſunt, immutatum, docuit HERM. CONRINGIVS, in

in *introductione ad Ariſtotelis politica*, edita Helmſtadii 1656, 4. Quae ipſa *introductio* illis magnopere commendanda, qui ex lectione iſtorum Ariſtotelis librorum, fructum referre cupiunt. Inter eos, qui commentariis ſuis hoſce libros illuſtrarunt, MICH. PICCARTVS primum principemque locum tenet. De reliquis conſulendus GABR. NAVDAEVS, *bibliogr. polit. c. V. p. 518. 519.* & IO. ANDR. BOSIVS, *l. c. §. XV. XVI.* Ex Romanis CICERO nobis commemorandus eſſet, ſi ex *libris* eius *ſex* de *republica*, quos ſe compoſuiſſe, ait, praeter fragmenta quaedam, quidquam ſupereſſet. Non minus & eiusdem πολιτικὰ perierunt, quae *ſpiſſum & operoſum opus* vocat; *lib. II. ad Qu. fratr. ep. XIII.* Exſtant tamen adhuc eiusdem libri *de legibus*, in quibus non tantum de legibus optimae reipublicae, ſed & de vitiis ac virtutibus rerum publicarum diſſerit. PLVTARCHVS non tantum in *vitarum* deſcriptione prudentiae ciuilis cultorem egregie inſtruit, ſed in *moralibus* quoque ſubinde ex inſtituto eiusmodi argumenta tractat, quae huius loci ſunt. Apud chriſtianos veteres non eſt, vt ciuilis prudentiae aut de arte regnandi praecepta quaeramus. Nec enim hoc ſibi agendum putabant. Quae ad prudentiam chriſtianam & theologicam ex patrum ſcriptis hauriri poſſint, alibi indicabimus. AGAPETI, diaconi Conſtantinopolitani, qui ſaeculo ſexto vixit, *capita ſeptuaginta duo paraenetica ad Iuſtinianum*, quae a nonnullis celebrantur, multa ex theologiae, doctrinaeque moralis potius, quam prudentiae campis, deriuata continent. BASILII imperatoris *capita paraenetica ſexaginta ſex ad Leonem filium*, CONSTANTINI porphyrogennetae liber *de adminiſtrando imperio*, EMANVELIS Palaeologi *praecepta centum educationis regiae ad Ioannem filium*, ita comparata ſunt, vt alibi facile aut eadem, aut meliora inuenias. De ſcholaſticis nihil addo. Quam male enim inanibus hominum otioſorum ſpeculationibus cum veris genuinae prudentiae regulis conueniat, nemo non intelligit.

Ad recentiora itaque ſi progrediamur tempora, magnus primum ſe nobis offert illorum numerus, qui compendia, aut ſyſtemata politica condiderunt. Huius generis ſunt PETRI GREGORII Tholoſani *ſyntagma de republica*, ADAMI CONTZENII, Ieſuitae, *politica*, WOLFG. HEIDERI *ſyſtema philoſophiae politicae*, HENNINGI ARNISAEI *politica*, item *relectiones politicae*, BARTHOLO. KECKERMANNI *ſyſtema politicum*, BALTH. CELLARII *compendium politicum*, CHRIST. LIEBENTHAL *collegium politicum*, & alia fere innumera. In pleriſque vero iſtorum, cum alia, tum illud maxime reprehendendum, quod ea, quae iuris naturalis ſunt, non ſatis diſtinguant ab iis, quae politica, ſeu prudentia ciuilis ſibi vindicat. Quo nomine & IO. BODINVM recte atro notat lapillo H. GROTIVS, cuius verba digna ſunt, quae hic legantur: *Temperaui me ab his, quae alterius ſunt tractationis, vt quae docent, quid ex vſu ſit, facere; quia iſta ſuam habent artem ſpecialem, politicam, quam recte ita ſolam tractat Ariſtoteles, vt alieni nihil admiſceat, contra quam facit Bodinus, apud quem haec ars, cum iuris noſtri arte confunditur; de iure belli & pacis, prolegom. §. LVII.* Non tamen ideo hocce BODINI *de republica* opus contemnendum, quippe quod multa eruditione refertum eſt, & haud vltimum inter ſcriptores ſyſtematicos locum tenet; quamquam & nonnulli iuſtum in eo ordinem, & quod hiſtorias fuſe nimis inſerat, & quae alia ſunt eiusdem generis, deſiderent. Legenda porro, quae de hocce auctore IO. HENR. BOECLERVS diſſerit ad *Hugonis Grotii l. c.* & THO. CRENIVS, in *notis ad Gabr. Naudaei bibliogr.*

Digitized by Google

bliogr. p. 513. Idem, vt nunc alios taceam, etiam cenſendum de IO. CHRISTOPH. BECMANNI *meditationibus politicis*, itemque *politica parallela*, quae iunctim tertium prodierunt Francofurti ad Oderam 1679, 8. Multa in illis diligenter congeſta exhibentur; quae tamen longe rectius in iuriſprudentia naturali, quam politica pertractantur. Laborat eodem vitio, ſaltem ex parte IO. ALTHVSII *politica methodice digeſta, atque exemplis ſacris & profanis illuſtrata*, tertiumque itidem edita Herbornae 1614, 8. ſed alio inſuper, dum monarchomachorum erroribus fauet. Rectius hic IVSTVS LIPSIVS ſapuit, cuius *libri ſex politicorum* primum an. 1586 Lugduni Bat. editi, ſaepiusque deinceps recuſi, vel hoc nomine laudandi ſunt, quod, ex veterum licet ſententiis & effatis inter ſe coniunctis, collecti, ea tamen tantum, quae prudentiae ciuili propria ſunt, tractent. Deſiderant in illis nonnulli, quod omnibus rerum publicarum formis non ſint adcommodati, ſed tantum monarchiam ſpectent; cumprimis vero, quod principum poteſtatem vltra, quam par eſt, extendat. Conferenda autem IO. HENR. BOECLERI *de politicis Lipſianis diſſertatio*, in qua, quid in iis laudandum, quid vituperandum ſit, quemue inde capere vſum liceat, eleganter ediſſerit. Ampliſſimo vberrimoque commentario hocce LIPSII opus illuſtrauit IO. FRID. REINHARDVS, in *theatro prudentiae elegantioris, ex Iuſti Lipſii libris politicorum erecto*, quod cum CONR. SAM. SCHVRTZFLEISCHII praefatione prodiit Wittebergae 1702, 4. MARCI ZVERII BOXHORNII *inſtitutionum politicarum libri duo* itidem hoc nomine praeferendi reliquis ſunt, quod, quae politicae propria ſunt, tantum tractant, quemadmodum & Lipſianis pleniores ſunt, ac omnes rerum publicarum formas attingunt. Recuſi ſunt Lipſiae, cum ipſius auctoris explanatione, cura CHRIST. FRID. FRANCKENSTEINII an. 1658, 12. Inter recentiora ceteroquin melioris notae compendia referri ſolent IO. HENR. BOECLERI *inſtitutiones politicae*, Argentorati editae 1688, 8. cuius etiam exſtat *diſſertatio epiſtolica de ſtudio politico bene inſtituendo*, itemque *hiſtoria ſchola principum*; vt & IO. NIC. HERTII *elementa prudentiae ciuilis*, Francof. 1703, 8. in quibus cumprimis, quae ad politicam architectonicam ſpectant, diligenter exſequitur.

Vt eos, qui quaedam doctrinae ciuilis argumenta ſpeciatim pertractarunt, recenſeam, neceſſe non eſt, nec noſtri id patitur inſtituti ratio. Facere tamen nequeo, quin NIC. MACHIAVELLI hic iniiciam mentionem, ob librum, quem *de principe* ſcripſit, in quo principem ſuum artes tyrannicas edocere voluit; quiue ideo magnum in orbe ſtrepitum dedit. Certatim itaque viri docti eum ſibi confutandum ſumſerunt, quos inter haud vltimum locum tenet INNOC. GENTILETTVS, in *anti-Machiauello*, in quo ſolum impietatem Machiauelli adgreſſus eſt, omiſſis erroribus politicis. ANTONIVS porro POSSEVINVS *iudicium de quatuor ſcriptoribus, Philippo de la Nue, Ioanne Bodino, Philippo Mornaeo, & Nicolao Machiauello*, iuſſu Innocentii IX romani pontificis concinnauit, in quo iniquior, quam par erat, in Machiauellum fuiſſe, cenſetur, idque vnice agere, vt eum omnibus inuiſum reddat. Hunc exceperunt THO. BOZIVS, in libro *de imperio virtutis*, PETR. RIBADENEIRA, in libro *de principe chriſtiano*, & HIER. OSORIVS in libris *de nobilitate chriſtiana*. Sed omnibus citra controuerſiam praeferendus eſt HERM. CONRINGIVS, qui MACHIAVELLI *principem* Helmſtadii an. 1660 recudi curauit, additis adnotationibus, in quibus eum caſtigauit, vbi caſtigationem promeruit,

ruit, erroresque eius politicos ſolide refutauit. Qui defenſionem Machiauelli ſuſceperit, mihi non innotuit, praeter CASP. SCIOPPIVM, in *paedia politices*, antea nobis iam commemorata, & *diſſertatione aduerſus Paganinum Gaudentium*. Iis qui Machiauellum impugnarunt, addi etiam poterat STEPH. IVNIVS BRVTVS, vt vir quidam doctus vocari voluit, in *vindiciis contra tyrannos, ſiue de principis in populum, populique in principem, legitima poteſtate*; niſi ea hac feciſſet ratione, vt in alterum extremum, quod monarchomachorum eſt, procurriſſet. Quis ſub hocce nomine lateat, magnopere inter viros doctos diſceptatur; legendaque ea de re peculiaris PETR. BAELII diſſertatio, quae *dictionario* eius *hiſtorico & critico* ſubnexa eſt, *p. 3087. ſeqq.* Opportuna hic ſe nobis offerret occaſio, de duplici politicorum ſecta commentandi, Machiauelliſtarum & monarchomachorum, quorum illi imperantibus plus quam decet, concedunt, hi plus quam decet, adimunt; ſed praecipua, quae de vtraque dici poſſunt, exhibentur *tom. VI. obſeru. ad rem litter. ſpectantium, obſeru. I.* HERMANNI vero CONRINGII cum antea iniecta ſit mentio, adhuc addendum, praeter ſcripta eius, hactenus commemorata, varias eius politici argumenti exſtare diſſertationes, plerumque magno ſtudio conſcriptas, dignas vtique, quae diligenter a prudentiae ciuilis cultoribus euoluantur. Quemadmodum autem MACHIAVELLVS in eo peccauit, quod commoda principis a commodis reipublicae, virtutum ac iuſtitiam a prudentia ſeparauit, perperam ſibi perſuadens, prudentiam ſibi conſtare ſine vera virtute, principique vtilia eſſe, quae noxia ſunt reipublicae; ita quo pacto hi euitandi ſunt ſcopuli, oſtendere voluerunt, qui de *ratione ſtatus* commentati ſunt, quamquam & illi non vna eademque hic incedant via. Vera namque & genuina ratio ſtatus commodis principum ita conſulit, ne negligat commoda reipublicae; prudentiam ita ſectari docet, ne inſuper habeatur virtus & iuſtitia. Scriptores de *ratione ſtatus* indicat GABR. NAVDAEVS in *bibliographia polit. c. VII. p. 522.* & IO. ANDR. BOSIVS de *compar. prud. ciu.* §. *XCII.* Eminet inter reliquos LVD. SEPTALIVS, cuius *de ratione ſtatus* liber, lingua italica ſcriptus, in latinam etiam conuerſus, proſtat. Iungenda HERM. CONRINGII *diſſertatio de ratione ſtatus*. Spectant huc itidem GABR. NAVDAEI *conſiderations politiques ſur les coups d' Etat*, itemque ARN. CLAPMARII *de arcanis rerum publicarum libri ſex*, CYR. LENTVLI *arcana regnorum & rerum publicarum*, & alia eiusdem generis. Dubium quoque non eſt, quin ex rerum publicarum veterum ac recentiorum deſcriptionibus egregie proficere queant, qui ad ciuilem prudentiam animum adiungunt. Cuiusmodi ſcriptores diligenter enarrat IO. AND. BOSIVS *de compar. prudent. ciuil.* §. *LXXII. ſeqq.* Quaenam in eiusmodi rerum publicarum deſcriptionibus obſeruanda ſint, idem BOSIVS luculenter expoſuit in *introductione generali in notitiam rerum publicarum orbis vniuerſi*, Ienae 1676 edita. Nec praetermittendi, qui respublicas fictas nobis dederunt; inde vt intelligeremus, quales respublicae eſſe debeant; vtpote qui & hac ratione multa ciuilis prudentiae praecepta ſuppeditant. Spectat huc THO. MORI *Vtopia*, & alia eiusdem commatis ſcripta, quae itidem BOSIVS recenſet *de compar. prud. ciuil.* §. *LXXXI.* PLATONEM hiſce quodammodo exemplum praeiuiſſe, antea obſeruauimus. Nec inſolens, per fictiones & fabulas, vt moralem, ita & ciuilem doctrinam, inſtillare aliis. De recentioribus quibusdam auctoribus, qui hancce viam ingreſſi ſunt, conſulendus GOTTL. STOLLIVS in *der kurtzen Anleitung zur Hiſtorie der Gelahrheit, part. III. c. V.* §. *XXXIII. ſeqq.*

FRAN-

FRANCISCI SALIGNAC DE LA MOTTE FENELONI, archiepiſcopi Cameracenſis, *Telemachus*, gallicana lingua ſcriptus, magnam prae reliquis conſequutus eſt celebritatem, de quo videatur idem STOLLIVS, *l. c. §. XLVII.*

Superſunt, qui nulla methodi lege adſtricti, liberiori ſermone argumenta quaedam ciuilis prudentiae proſequuntur, *in obſeruationibus*, *digreſſionibus*, *diſcurſibus*, *politicis*, aut *hiſtorico-politicis*, ſimilibusque ſcriptis. Quos eo lubentius commemoro, quoniam non tantum talia in iis inueniuntur, quae in ſyſtematicis ſcriptoribus fruſtra quaeras, ſed & quod haud raro ea tradunt, vel admiſcent, quae prudentiae generatim ſpectatae, & cuius in omni vitae genere vſus eſt longe maximus, inſeruiunt. Huiusmodi ſunt *diſcurſus politici* PAVLI PARVTAE, HIERON. FRACHETTAE, aliorumque, *obſeruationes hiſtorico-politicae* MICH. PICCARTI, ſimiliaque ſcripta, de quibus IO. ANDR. BOSIVS de *compar. prud. ciuil. §. LXXXVI.* Locum quoque hic ſibi depoſcunt TRAI. BOCCALINI *relationes ex Parnaſſo*, eiusdemque *lapis lydius politicus.* Nec alieni ab eodem ſunt, qui aphoriſmos, axiomata, apophthegmata politica collegerunt, de quibus itidem BOSIVS, *l. c. §. LXXXVII.* Cumprimis vero huc referendi, qui commentariis, notis, obſeruationibus politicis, veteres hiſtoricos, graecos & latinos, illuſtrare adgreſſi ſunt, quos idem BOSIVS, *l. c. §. XXXIV.* laudat. Cumque CAIVS CORN. TACITVS inter eos hiſtoricos, qui ad prudentiae ciuilis vſum legendi ſunt, principem teneat locum; plures etiam extiterunt, qui in eum, quam reliquos eiusmodi quid molirentur. Diligenter eos recenſet AMELOTVS DE LA HOVSSAIE, in *diſſertatione critica*, quam *verſioni* ſuae *gallicae Taciti* praemiſit; in qua tamen *p. 27.* in CHRISTOPH. FORSTNERVM paullo iniquior videtur, dum, *notas* eius *publicas in Tacitum*, quae omnibus maximo in pretio ſunt, & aliis non ſine ratione praeferuntur, tantum *locos quosdam communes* eſſe, ait, ex quibus nullam, qui prudentiae ciuili operantur, capere queant vtilitatem. Iungi his, ſi placeat, poteſt mea de *C. Cornelio Tacito* diſſertatio, in academia Hallenſi edita, cum *obſeruationes* quasdam *politicas in librum primum annalium* TACITI ad diſputandum proponerem. Atque in hiſce quidem, ſimilibusque ſcriptoribus, cum ſparſim inueniantur, quae prudentiam ſingulorum hominum ſeu vniuerſalem inſtruant; operae porro pretium fuerit, eos conſulere, qui id, ſi non vnice, ſaltem praecipue & velut ex inſtituto, agunt. Hos inter HIERON. CARDANO locum concedere nullus dubito, ob librum, *arcana prudentiae ciuilis*, inſcriptum, atque recuſum Lipſiae 1700, 12. Vix equidem eiusmodi quid a CARDANO exſpectaſſes, quem non adeo multa prudentiae ſpecimina in vita ſua edidiſſe, conſtat. Egregia tamen quandoque prorſus ſunt, quae praecipit; licet non omnia ſine diiudicatione adcuratiori dimittenda. Nec eſt, quod *prudentiae ciuilis* nomen quemdam moretur. Pleraque enim, ſi non omnia, ita comparata eſſe, vt in quolibet vitae genere vſui nobis eſſe queant, res ipſa docet. Idem de BALTH. GRACIANI libro, *vir aulicus (homme de cour)* dicto cenſendum, quem AMELOTVS DE LA HOVSSAIE in linguam gallicam ex hiſpanica tranſtulit; adcuratius autem adhuc & diligentius in linguam germanicam AVG. FRID. MVLLERVS, qui & adnotationibus elegantiſſimis eum illuſtrauit, quae viris doctis probantur. Exſtat & eiusdem GRACIANI *criticon*, prudentiae comparandae non minus quam formandis moribus, aptum, in quo multa, noua quadam iucundiſſimaque ratione traduntur, quaedam vero etiam admiſcentur,

quae examen aliquod, ſi non cenſuram, promerentur. Syſtematicum tamen ordinem in hocce, & aliis eiusdem generis ſcriptis fruſtra quaeras; quem & hactenus in doctrina de prudentia vniuerſali, ſeu generatim ſpectata, nemo obſeruauit; donec noſtra aetate viri quidam docti exſiſterent, qui regulas & praecepta prudentiae ad certa principia reuocarent, praeſtantiſſimaeque adeo huic practicae philoſophiae parti, meliorem conciliare faciem, adniterentur. Ipſemet iam eiusmodi quid tentaui, in *elementis philoſ. pract. c. II. ſeqq.* Generalia enim quaedam ibi poſui fundamenta, obſeruanda ab omnibus, qui prudentiae laudem referre cupiunt; atque deinceps, quo pacto ea ad omnes hominum ſtatus, cumprimis ciuilem, ipſamque rempublicam & eius conſeruationem, adplicari queant, ac debeant, luculenter demonſtraui. Seorſim deinde hoc egit CHRIST. THOMASIVS in *primis lineis de iureconſultorum prudentia conſultatoria &c.* Halae 1705, 4. editis; quae & an. 1707 a GE. BEYERO in linguam germanicam translatae prodierunt. Sequutus eſt CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, in libello, quem inſcripſit: *politiſcher philoſophus &c.* qui an. 1714 lucem adſpexit; & tandem, qui reliquis eſt copioſior, IVLIVS BERNH. VON ROHR, in *der Einleitung zu der Klugheit zu leben &c.* Lipſiae 1715, 8. Ad hancce de prudentia generatim ſpectata doctrinam referri etiam poſſunt, quae *de decoro* praecipi ſolent. Nec incommode hoc fieri a me oſtenſum in *elementis philoſ. part. III. c. V. ſect. I. §. VIII. ſeqq.* Alii tamen hancce philoſophiae partem cum ethica, alii rurſus cum iuriſprudentia naturali, coniungunt, alii denique ſeparatim eam tractant; de quibus conſulere iuuabit GOTTL. STOLLIVM in der *kurzen Anleitung zur Hiſtorie der Gelahrheit, part. III. c. III. p. 100. ſeqq.* vbi & praecipuos auctores huc ſpectantes indicat.

§. XXXIV. Supereſt *matheſis*, plurimas iterum partes vaſto ambitu complectens, latiſſimeque ſeſe diffundens. Haec vero vt ſua ſe tuetur dignitate, plurimaque hominum generi, ad hancce vitam ſine taedio tranſigendam, adfert commoda; ita aliis rurſus ſcientiis, phyſicae cumprimis, egregie inſeruit. Quin & ad theologiam, ſacrasque litteras variis in locis eo rectius interpretandas, inſignem ex ea redundare vtilitatem, exemplis demonſtrari poteſt. *

* Quis in diſcendi ordine matheſi conueniat locus? operoſe diſputat GERH. IO. VOSSIVS, *de artium & ſcientiarum natura, & conſtitutione, lib. III.* vbi ex inſtituto de matheſi agit, *c. IV. tom. III. oper. p. 64. ſeqq.* Refellit cumprimis AMMONIVM, qui intermediam illi ſedem inter phyſicam & methaphyſicam tribuit, eique PYTHAGORAM, PLATONEM, ARISTOTELEM, aliosque opponit. Ipſe nimirum contendit, matheſin praemittendam eſſe philoſophiae, poſtponendam philologiae, aut cum ea coniungendam. Nec repugno, ſi de ordine diſcendi quaeſtio inſtituatur. Ceteroquin in cuiusque poſitum eſt arbitrio, quo quis loco de matheſi agere velit; mihique adeo, quod poſt philologiam pariter ac philoſophiam, mentionem eius faciam, a nemine, vt puto, vitio verti poterit. In vtilitate ac neceſſitate matheſeos demonſtranda, immo inculcanda, haud parci eſſe ſolent, qui ſe eius magiſtros profitentur. Et minime profecto negandum, in rebus, ad hancce vitam ſpectantibus, quarumdam eius partium vſum plane inſignem eſſe, immo neceſſitatem maximam. Quis arithmetica, quis geometria diceret carere homines poſſe?

ſe? Quis non videt, quantum architectura ciuilis ac militaris nobis adferat & ornamenti & praeſidii? Quis porro non intelligit, nec commercia ſine matheſeos vſu ſibi conſtare? Nec erraſſe GERH. IO. VOSSIVM credo, quando ſcripſit: *Difficile vero dictu eſt, quot & quanta ſint matheſeos commoda, ſiue eam in ſe attendas, ſiue quatenus ad diſciplinas alias ſe extendit; de artium & ſcientiar. natura & conſtitut. lib. III. c. II. p.m. 60.* Addo & hoc, non contemnendum in aliis quoque diſciplinis matheſeos vſum eſſe; modo hoc recte capiatur, nec illi ea tribuantur, quae iure ſibi vindicare nequit. Hoc qui non obſeruant, & matheſeos limites vltra quam decet, proferunt, ſimulque in eius laudibus decantandis nimii ſunt, plus de eius dignitate detrahunt, quam vt eamdem augeant. Generatim exinde pretium ei conciliare volunt, quod magnum menti humanae bonum praeſtet, dum eam maximopere excitat, acuit ac perficit. Nec id quandoque fieri, abnuo; an matheſi hoc proprium ſit, valde dubito. Ad excitandam mentem, attentionemque alendam fouendamque, adfectus interdum plus valet, quam matheſis, aut alia quaecumque diſciplina. Ad eamdem acuendam ac perficiendam exercitatione opus eſt, quae hic vtramque facit paginam. Siue autem matheſin ad exercitationem, ſiue aliam quamdam diſciplinam philoſophicam, quae ingenii aliquod acumen poſtulat, adſumas, perinde eſſe videtur. Commendari porro matheſis ſolet, ob methodi, qua geometrae vtuntur, praeſtantiam, quam ſolam ad veram certamque ſcientiam nos ducere, contendunt. Atque ipſam hancce methodum nemo vituperauerit; modo in eiusmodi diſciplinis ac ſcientiis adhibeatur, in quibus locum inuenit. Demonſtrationum autem mathematicarum certitudo non tam a methodo, quam ab euidentia principiorum pendet; vti haec rurſus ab ipſa notionum ſeu idearum claritate ac euidentia oritur. Quare ſi iſta notionum ac principiorum non adeſt euidentia, fruſtra quoque adhibueris methodum geometricam; quod tamen nonnullos facere videas, qui ſe hoc ipſo traducunt turpiter. Diiudicari hinc poteſt, an & theologia methodo mathematica tradi queat, quemue inde capiat vſum? de qua ſuo loco diſceptabimus quaeſtione. Qui porro methodum tractandi, quam ipſa ſana ratio praeſcribit, ſtatim mathematicam vocant, eo quod & mathematici ea vtantur; non rectius mihi ſapere videntur, quam qui ſupputare idem eſſe putant, ac ratione vti, & hinc vlterius concludunt, omnia in mundo inde prouenire mala, quod homines arithmeticam ignorent, hoc eſt, recta non vtantur ratione. Ita enim ſi vocum immutare ſignificationes fas ſit, ex geometra facile regem aut imperatorem, immo quidlibet ex quolibet efficere licebit. Et haec quidem ad vſum, quem matheſis in logica habere dicitur, quodammodo ſpectant. De phyſica res manifeſta eſt, omnique prorſus caret dubio; prout in ea plurima ex principiis mechanicis explicantur, neminem quoque in ea rite proficere poſſe, niſi qui matheſeos praeſidio fuerit inſtructus. Quo nomine & ſupra ISAACI NEVTONI *philoſophiae naturalis principia mathematica*, itemque GVIL. IACOBI S' GRAVESAND *phyſices elementa mathematica, experimentis confirmata*, ſimiliaque ſcripta commendauimus. Neque tamen & haec vltra, quam decet, ſunt extendenda. Qui enim, omnia naturae arcana ex principiis mechanicis explicari poſſe, exiſtimant, magnopere falluntur; vt iam ab aliis abunde demonſtratum eſt, & hodie viri longe doctiſſimi agnoſcunt. In phyſicis itaque cum tam eximius matheſeos vſus ſit, nec medicae artis alumnum eadem carere poſſe, quilibet intelligit; adeo-

adeoque vt hoc moneamus, neceſſe non eſt. Ad theologiam denique quod attinet, etſi methodus mathematica parum aut nihil commodi eidem adferat, ex eo tamen non colligendum, nullum in ea matheſin habere vſum. Quin potius quibusdam ſcripturae locis explicandis omnino inſeruit, iisque lucem adfundit egregiam; quod oſtendunt, qui de matheſi ſacra ſeu biblica, aut matheſeos in theologia vſu ex inſtituto commentati ſunt; quos deinceps laudabimus.

Non vero etiam defuerunt, qui & in mathematicis, & in ipſa quoque matheſi, varia reprehenſione digna ſibi inuenire viderentur. Nihil nunc de HENR. CORN. AGRIPPA dicam, qui in libro *de incertitudine & vanitate omnium ſcientiarum &c. c. XI. ſeqq.* itemque *c. XXII. ſeqq.* ad matheſeos & praecipuarum eius partium certitudinem labefactandam, ac vanitatem demonſtrandam, omnes ingenii neruos intendit; cum is nullam ſcientiam aut artem, quam non arrodat, dimittat. FRANC. BACO DE VERVLAMIO cum illis neutiquam ſe facere, profitetur, qui matheſin phyſicae praeferunt, quippe quae pro huius miniſtra tantum atque adpendice habenda ſit. *Quod etiam,* inquit, *quodammodo facere compellimur, propter delicias & faſtum mathematicorum, qui hanc ſcientiam phyſicae fere imperare diſcupiunt. Neſcio enim, quo fato fiat, vt mathematica & logica, quae ancillarum loco erga phyſicam ſe gerere debeant, nihilominus certitudinem ſuam prae ea iactantes, dominatum contra exercere praeſumant; de dignitate & augmentis ſcientiar. lib. III. c. VI. p. m. 182.* Maioris momenti ſunt, quae mathematicis obiicit auctor *artis cogitandi part. IV. c. IV. p. 322. ſeqq.* Cum enim *c. IV.* exemplis oſtendiſſet, non omnes EVCLIDIS definitiones recte ſe habere; *c. V.* porro demonſtrat, *geometras non ſemper bene intellexiſſe diſcrimen, quod eſt inter definitiones nominum & rerum;* hinc *c. IX.* de *defectibus quibusdam in geometrarum methodo paſſim obuiis*, verba facit. Nimirum cum ea, quae in methodo geometrarum traduntur, ad quinque regulas reuocaſſet, earum quidem obſeruationem ſatis inculcari non poſſe, fatetur. Sed addit: *Nihilominus ſi, ſepoſitis praeiudiciis, dicenda ſententia ſit, ea laude ſpoliari non debent, quod viam prae ceteris omnibus maxime certam inſtiterunt ad veritatem adſequendam; ita negari non poteſt, quin in aliquos defectus lapſi ſint, qui a fine quidem propoſito eos non auerterunt, ſed tamen per deuia & incommodas viarum adſperitates circumduxerunt; p. 345.* Idque eſt, quod deinceps copioſius ediſſerit. Similia fere ſunt, quae in geometrarum demonſtrationibus deſiderat IO. CLERICVS, *logic. part. III. c. XII. p. m. 211. ſeqq.* Sed hiſce omnibus, HENR. CORN. AGRIPPAE, FRANC. BACONI DE VERVLAMIO, auctori *artis cogitandi*, & IO. CLERICO obuiam iuit, in *vindiciis mathematum*, prout diſſertationem ſuam, Wittenbergae 1713 editam, inſcripſit vir doctiſſimus, IO. FRID. WEIDLERVS. Addere his potuiſſet PET. DAN. HVETIVM, qui licet ipſemet in *demonſtratione* ſua *euangelica* methodo mathematica vtatur, *in ipſo* tamen *geometricarum definitionum aditu, denſiſſimas occurrere tenebras*, pronuntiat; additque: *nam & ea definiuntur, quae nusquam ſunt, nec fuerunt vmquam, neque humana induſtria eſſe poſſunt; & ita definiuntur, vt nihilo plus intelligas.* Idque ſubiectis exemplis comprobat *p. m. 12. ſeqq.* Iungere etiam potuiſſet PET. POIRETVM, qui acrius, quam quisquam alius, in matheſin inuehitur. Cuius equidem licet inuiſum multis nomen ſit, nihil tamen obſtat, quo minus interdum, quae cum veritate conſentiant, dicat. Is vero

cum

cum docuiſſet, nonnullas ex artibus & ſcientiis mathematicis ita comparatas eſſe, vt ad huius vitae commoda aliquid conferre videantur, *tamen*, inquit, *ſi quae ſine fructu ſunt, ex iis eiicerentur; ſi reliqua, quae ad vſum faciunt, ad bilancem rerum ſolidarum, aeternitatis, amoris Dei & proximi, vitaeque hic inter humilitatem & abſtinentiam ad beationis adoptionem tranſigendae, exigantur; ſi etiam experientia conſulta, quinam reuera inde fructus inter mortales redundauerint, inſpiciamus; fateri cogemur, hominum auaritiam, laſciuiam, ſuperbiam, pompas, curioſitatem, prodigalitatem, crudelitatem, proximi oppreſſionem, turbulentam atque inornatiſſimam vitam, homine, Dei opere & Chriſti diſcipulo & membro indignam, hinc ſi non exordium, inſtrumenta ſane, nec non incrementa atque coronidem accepiſſe; adeoque hiſce horridis fere monſtris tantum, non autem Deo per omnes iſtas artes, libari; de eruditione ſolida, ſuperficiaria & falſa; §. LXIV. p. 340.* Quae ſi de abuſu iſtarum artium capiantur, veriſſima ſunt; nec tamen inde ſequetur, matheſin ipſam reiiciendam aut improbandam eſſe. Sunt vero nec omnes artes mathematicae eiusdem generis ac indolis; cum quaedam facilius ad vitia hominum alenda, augendaque trahi queant, quam aliae. Quaedam etiam ita comparatae ſunt, vt vnice hominum ſtultitiae & ſuperſtitioni inſeruiant, vt aſtrologia iudiciaria, omnesque artes promanticae; de quibus tamen, ſpeciatim aſtromantia, phyſiomantia, geomantia, & arithmetica Pythagorica, recte LEONH. CHRISTOPH. STVRMIVS pronuntiat, eas *malo genio patre, ſuperſtitione matre, & diffidentia in Deum obſtetrice natas, temerario auſu locum inter mathematicas diſciplinas ſibi vindicare;* in *tractatu de natura & conſtitut. matheſeos, c. XIII. p. 341.* Conferenda, quae de aſtrologia a me dicta ſunt in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtit. c. IX. §. IV. p. 711. ſeqq.* vbi & hiſtoriam eius exhibui, & HIERON. SAVANOROLAM, IO. PICVM MIRANDVLANVM, alioſque, qui eius vanitatem demonſtrarunt, laudaui. Sed ut ad PET. POIRETVM reuertamur, is de matheſi hoc porro addit: *Neque hoc tantum, ſed periculoſiſſimis, ni caueatur, diſpoſitionibus, imbuere ſolet animas intemperantius occupatas genius mathematicus. Inficit enim eas fataliſmo, ſtupiditate ſiue inſenſibilitate ſpirituali, brutaliſmo, incredulitate & praeſumtione ferme inſanabili. Nam quando in pertractandis numeris, figuris & machinis ſuis, omnia vident ex ſe inuicem ſequi, velut fataliter, non autem ex libertate; inde principiis & nexibus rerum quaſi neceſſariis & fatalibus conſiderandis ſic adſueſiunt, vt e rerum, etiam ſpiritualium, natura & regimine libertatem prorſus eliminent, fatalemque in omnibus neceſſitatem adſtruant, etiam in ſe ipſis, repugnante conſcientia, & interno ſenſu (adeo inſenſibiles facti) immo & in ipſo Deo, eo vſque in notionem eius ſufficientiae ſine ſenſu impingentes; de erudit. ſolida, ſuperfic. & falſa, lib. III. §. LXV. p. 341.* Quae etſi iterum de abuſu matheſeos, qui hominum culpa contingit, accipienda, adeoque ad ipſius matheſeos contemtum trahenda non ſint; experientia tamen proh! dolor, quotidiana confirmantur, & exemplis comprobari poſſent, ſi opus eſſet. Eſt namque humanae mentis haecce indoles, vt alibi obſeruatum, vt, ſi certis notionibus adſueuerit, easdem cum ad aliarum rerum conſiderationem accedit, ſtatim exuere nequeat; hinc de iis notiones, iis, quas iam antea infixas & radicatas habet, ſimiles efformet. Infinitorum fere errorum haec eſt vera origo. Hinc itaque, qui notiones ex matheſi acceptas, inconſiderate ad res morales &

theologicas transferunt, in his eumdem nexum neceſſarium, quem in rebus mathematicis inueniunt, ſibi deprehendere videntur; & ita tandem ad fatum aliquod ineluctabile, in Deum hominesque iniurium, non poſſunt non progredi. Denique & vir illuſtris CHRIST. THOMASIVS nonnulla circa matheſin monuit, partim ad abuſum eius demonſtrandum, partim ad certitudinem, quae vulgo iactatur, labefactandam, ſpectantia, in *cautelis circa praecognita iurisprudentiae c. XI. p. 149. ſeqq.* quae tamen ſibi refutanda ſumſerunt IO. FRID. WEIDLERVS, in *apologia pro mathematicis, aduerſus obiectiones viri celeberrimi*, quae in *miſcellaneis Lipſienſibus* exſtat, *tom. I. obſ. XVII. p. 186. ſeqq.* & IO. PET. REVSCHIVS, in *vindiciis certitudinis mathematum*, Ienae 1718, 4.

Progrediendum nobis nunc vlterius, & de matheſi ſingulisque eius partibus ita dicendum eſſet, vt earum hiſtoriam & fata, praecipuosque ſcriptores commemoraremus. Id vero, cum integri, & haud exigui voluminis res ſit, fontes indicare ſuffecerit, ex quibus & hiſtoriam & praecipuorum ſimul ſcriptorum haurire notitiam licet. Primo itaque loco hic ſe nobis offert IOSEPH. BLANCANVS, cuius *chronologia mathematicorum*, addita eiusdem *explicationi locorum mathematicorum Ariſtotelis, ex vniuerſis ipſius operibus collectorum*, Bononiae prodiit 1615 4. In ea ab orbe condito ad ſua vsque tempora procedit. Hunc excipit GERH. IO. VOSSIVS, vir ſummus, qui cum de vniuerſae philologiae & philoſophiae hiſtoria praeclare meritus ſit, tum maxime, quae de matheſeos, ſingularumque eius partium fatis & auctoribus ſcitu digna ſunt, exquiſita diligentia, a primis initiis ad ſua vsque tempora perſequutus eſt, in *tribus de ſcientiis mathematicis libris*; qui deinceps *operibus* eius iunctim editis, & quidem *tomo tertio* inſerti, inter *quinque de artium & ſcientiarum natura ac conſtitutione libros*, tertium locum occupant. Cumque circa annum circiter quinquageſimum ſaeculi proxime elapſi ſubſiſtat, iungendus illi merito eſt IO. BAPT. RICCIOLVS, in opere aſtronomico, quod *almageſtum* inſcripſit, quippe in quo duplex exſtat *chronicon aſtronomorum ſiue aſtrologorum, coſmographorum ac polyhiſtorum, qui aſtronomica, vel coſmographica, propius attigerunt*; quorum alterum ſecundum ſeriem temporum auctores praecipuos exhibet, alterum ordine alphabetico adcuratiorem eorumdem notitiam ſuppeditat. Sequitur CLAVDIVS FRANC. MILLIET DE CHALES, cuius *curſus ſeu mundus mathematicus* tertium an. 1690 quatuor tomis in fol. Lugduni prodiit, in quorum primo, tractatus exſtat prooemialis, *de progreſſu matheſeos & illuſtribus mathematicis*. Huncce quodammodo continuauit LEONH. CHRISTOPH. STVRMIVS, in *tractatu de natura & conſtitutione matheſeos &c.* qui Francofurti ad Viadrum an. 1706, 8. lucem adſpexit. Cum enim dixiſſet, CL. FRANCISCVM MILLIET DE CHALES labore, celebriores mathematicos recenſendi, egregie defunctum, addit: *operae pretium itaque fore non dubitaui, ſi non tam eundem ad noſtra vsque tempora continuarem, quod per loci conditionem, in quo dego, non licet, ad quem rarius, ſerius, ac difficilius pertingit librorum recens editorum notitia, quam ſelectum ei potius optimorum librorum, quotquot mihi innotuere, ſubiungerem; ſect. I. c. I. §. XX. p. 27.* Luculenta eſt haecce STVRMII commentatio, in qua diligenter praeſtantiſſimos ſcriptores, qui tum generatim matheſin tradiderunt, tum ſingulas eius partes explicarunt, recenſet. Pater equidem eius IO. CHRISTOPH.

STVRMIVS diſſertationem reliquit, de *mathematis & mathematicis*, quae in *philoſophiae* eius *eclecticae*, *ſiue exercitationum academicarum tomo ſecundo* legitur. Sed in ea nec matheſeos, nec mathematicorum hiſtoriam tradit, ſed tantum συναγωγὴν quamdam matheſeos, eiusque partium exhibet, & vera ac genuina mathemata a pſeudo-mathematis, cuiusmodi eſt aſtrologia iudiciaria, diſtinguere docet. Denique & CHRIST. WOLFIVS hic commemorandus eſt, ob commentationem, quam inſcripſit: *Kurzer Vnterricht von den vornehmſten mathematiſchen Schrifften*, quae ſubiuncta conſpicitur *denen Anfangs-Grunden aller mathematiſchen Wiſſenſchafften*, quibuscum iterum 1717, 8. prodiit. Eadem haecce commentatio, latino quoque ſermone, nonnullis mutatis, addita eſt eiusdem *elementorum matheſeos vniuerſae tomo ſecundo*. Sed & programma eius *de incrementis*, *quae res mathematicae intra vnius ſeculi ambitum cepere inſignibus*, huius loci eſt. Atque hiſce quidem iungere porro licebit IO. GVIL. BAIERI, theologi hodie in academia Altdorffina celeberrimi, *de mathematum in academias & ſcholas Germaniae ſuperioris introductione*, *ſchediaſma*, Altdorffi 1704, 4. IO. GE. LIEBKNECHT *mathemata patrum eccleſiaſticorum ex illorum ſcriptis collecta*, Ienae 1705, 4. eiusdem *Haſſiam mathematicam*, Gieſſae 1707 4. BERNH. GVALTH. MARPERGERI *diſſertationem hiſtorico-mathematicam, de fatis matheſeos*, Altdorffi 1702, 4. IO. AVG. KREBSII *diſſertationem*, *de originibus & antiquitatibus mathematicis*, Ienae 1702, 4. DAV. ALGOWERI *diſſertationem de matheſi Sinica*, Helmſtadii 1702, 4. & quae alia ſunt eiusdem generis. Quod ſi haec nondum alicui ſufficiant, is conſulere etiam poterit DAN. GE. MORHOFII *polyhiſtorem*, & quidem *tomi ſecundi librum quartum*, qui *polyhiſtorem mathematicum* ſiſtit; GE. PASCHII *inuenta nou-antiqua*, *c. VII.* vbi de *inuentis phyſico-mathematico-mechanicis* ex inſtituto diſſerit; & GOTTL. STOLLII *kurze Anleitung zur Hiſtorie der Gelahrheit*, *part. I. c. VII. p. 384 ſeqq.*

Supereſt, vt, quod antea promiſimus, paucis exſequamur, & de iis, qui matheſeos in theologia, ſpeciatim ſcripturae ſacrae explicatione, demonſtrare vſum, ſuarum duxerunt eſſe partium aliquid addamus. Cum enim theologiae cultorem inſtruamus, horum vel maxime nobis habenda eſt ratio. Generatim quidem illud praeſtiterunt PAVL. ROEBERVS, in *diſputatione de matheſeos ſacrae definitione*, Wittebergae 1627 habita; SAM. REYHERVS, in *matheſi Moſaica*, *ſeu locis pentateuchi mathematicis*, *mathematice explicatis*, *cum adpendice aliorum locorum ſacrae ſcripturae mathematicorum*, Kiliae 1679, 4. GE. ALB. HAMBERGERVS, in *diſſ. de vſu matheſeos in theologia*, qui, eundo per omnes matheſeos partes, arithmeticam, geometriam, opticam, aſtronomiam &c. earumdem in theologia vſum demonſtrat; HIERON. DICELIVS in *ſpicilegiis matheſeos ſacrae*; HENR. KLAVSINGIVS, theologus hodie Lipſienſis, in *diſſ. de matheſi ſacra*, Wittebergae 1707, 4. qui antea quoque, ſed eodem anno, *diſſertationem de matheſi non ſacra*, ſeu *abuſu mathematum in ſacris*, in lucem emiſerat. Vt ex iis, qui ſpeciatim quaedam argumenta ſacra ex matheſi illuſtranda ſibi ſumſerunt, nonnullos ſaltem attingamus, ſtructuram arcae Noae IO. BVTEO & MATTH. HOSTVS explicarunt, quorum commentationes *tomo ſexto criticorum ſacrorum*, *p. 83. & 104.* exſtant. His addendi IO. TEMPORARIVS, IACOBVS & LVDOVIC. CAPPELLI, ATH. KIRCHERVS, IO. LE PELLETIER, aliique, a me iam laudati

in *hiſtor. eccleſ. veter. teſtam. tom. I. per. I. ſect. II. p. 175.* Atque horum eo magis laudanda eſt induſtria, quo certius argumentum homines profani in arca Noachi ſibi inueniſſe videntur, quo probent, ἄτοπα & incredibilia in ſcriptura ſacra narrari. Nec defuerunt, qui in tabernaculo Moſaico, & templo Hieroſolymitano, ex principiis geometricis & architectonicis delineando, induſtriam ſuam, ſtudiumque collocarunt; in illo quidem BENED. ARIAS Montanus, *lib. V. antiquitatum ſacrarum*, quae *tom. VII. criticorum anglicanorum* exſtant, in hoc autem LVD. CAPPELLVS, in *triplici templi Hieroſolymitani delineatione*, quae BRIANI WALTONI *adparatui biblico* inſerta eſt *p. 120. ſeqq.* & LEONH. CHRISTOPH. STVRMIVS, in *ſciagraphia templi Hieroſolymitani;* ne quid nunc de IO. BAPT. VILLALPANDO, HIERON. PRADO, CAMPEGIO VITRINGA, HENR. HORCHIO, aliiſque dicam, qui in deſcribendo templo Ezechielis, ingenii vires periclitati ſunt. Cum porro labrum illud aeneum in templo Salomoneo nonnullis aliquid negotii faceſſeret, profanis quibuſdam ἀγεωμετρίαν in eo reprehendentibus, ſuaeque inde impietatis aliquod quaerentibus praeſidium; horum rurſus ex principiis mathematicis irritos alii reddidere conatus; idque peculiaribus diſſertationibus egerunt HENR. KLAVSINGIVS atque LEONH. CHRISTOPH. STVRMIVS, quibus & iungendus SAM. REYHERVS in *matheſi Moſaica, p. 715.* & GE. ALB. HAMBERGERVS de *vſu matheſeos in theologia*, §. *XX.* Si ad ſingulas matheſeos partes deſcendere animus eſſet, cumprimis de chronologia & geographia, praeſertim ſacra, ampliſſimus diſſerendi ſe aperiret campus; ſed cum de vtraque iam ſupra dictum ſit, cum de hiſtoria verba faceremus, nunc nihil addimus, ſed hic pedem figimus.

ISA-

ISAGOGES HISTORICO-THEOLOGICAE LIBER POSTERIOR SIVE PARS SPECIALIS HVIVSQVE SECTIO PRIOR

THEOLOGIAM THETICAM, SYMBOLICAM, PATRISTICAM, MORALEM ET IVRISPRVDENTIAM ECCLESIASTICAM EXHIBENS.

LIBRI POSTERIORIS CAPVT PRIMVM DE THEOLOGIA THETICA SEV DOGMATICA.

Σύνοψις.

Theologiae theticae ſeu dogmaticae nomine quid nobis veniat? §. I.
In exotericam ſeu catecheticam, & acroamaticam ſeu ſyſtematicam diſpeſci ſolet; vtraque hic in cenſum venit; §. II.
Syſtematicae theologiae origo perperam ex veteri teſtamento repetitur; §. III.
Chriſtus quoque ſyſtematica methodo vſus non eſt; §. IV.
Licet apoſtoli rudiores in primis doctrinae ſacrae fundamentis inſtruxerint, libellos tamen catecheticos, aut ſyſtemata theologica non reliquerunt; nec ſymbolum apoſtolicum pro compendio theologico reputandum; §. V.
De ſaeculi primi, ſecundi, tertii ſcriptis quibusdam, quae ad theologiam ſyſtematicam referri ſolent; §. VI.
An, & quousque, ſaeculo quarto, quintone ad hanc theologiae partem quaedam facta ſit acceſſio? §. VII.
Saeculo ſexto per philoſophiam Ariſtotelicam via ad theologiam ſyſtematicam munita eſt; ſaeculo autem octauo in eccleſia orientali Ioan. Damaſcenus aliquod eius ſpecimen dedit; §. VIII.
Quo pacto tandem in eccleſia occidentali cum ſcholaſtica, ſyſtematica theologia emerſerit? §. IX.
Tres ſcholaſticorum aetates, totidemque adeo theologiae ſyſtematicae apud eos interualla; §. X.
Catechetica theologia ſub ſcholaſticorum regno plane neglecta; §. XI.
Per beatum Martinum Lutherum, cum eccleſiae emendatione, reſtituta, & hinc diligentius culta; §. XII.
Syſtematica autem a ſcholaſticorum vitiis repurgata; §. XIII.
Varia tamen eius in eccleſia noſtra fuere fata; §. XIV.
Ratio eius in eccleſia romana, & apud alios a nobis diſſentientes; §. XV.

Propter incommoda atque abuſum non ſtatim vſus theologiae ſyſtematicae reiiciendus eſt; §. *XVI.*
Diuerſae theologiam theticam ſeu dogmaticam tractandi methodi; §. *XVII.*
Quaenam ab iis, qui eam recte docere cupiunt, obſeruanda ſint? §. *XVIII.*
Item ab iis, qui in ea rite proficere cupiunt? §. *XIX.*

§. I.

Theologiae *theticae* ſeu *dogmaticae* nomine eam intelligimus theologiae partem, quae dogmata, ex ſcriptura ſacra hauſta, eaque creditu ad ſalutem neceſſaria, apteque inter ſe connexa, perſpicue explicat, & ſolide demonſtrat.*

* Vna equidem eademque eſt doctrina de iis, quae cognitu ad ſalutem ſunt neceſſaria, quaeue ex ſcriptura ſacra hauritur, & *theologia* vocari ſolet; pro diuerſa tamen illam tractandi ratione diuerſas ſortitur denominationes. De ipſo enim ſcripturae ſenſu cum ſumus ſolliciti, eiusque ordini inſiſtentes, inde, quae nos ad ſalutem erudire queant, accipimus, *theologia* inde oritur *exegetica*; ſi, quae ad fidem ſpectant, inde colligamus, & in vnum velut coire iubeamus corpus, *theologia* vocatur *thetica* ſeu *dogmatica*; ſi eadem ratione inde eruamus, quae vitam moresque formare apta ſunt, *moralis* adpellitatur; ſi dogmata fidei ſimul contra diſſentientium inſultus defendantur, & propugnentur, *polemica*, ſeu *elenchtica*, & ſic porro. Illuſtrari haec quodammodo ex iis poſſunt, quae FRANC. BACO DE VERVLAMIO tradit, de *dignitate & augmentis ſcientiarum, lib. IX. c. I.* §. *III. p. 494.* Cum enim docuiſſet, duplicem eſſe ſcripturam interpretandi modum *methodicum, & ſolutum,* addit: *Etenim latices iſti diuini, qui aquis illis ex puteis Iacobi, in infinitum praeſtant, ſimilibus fere hauriuntur & exhibentur modis, quibus aquae naturales ex puteis ſolent. Hae ſiquidem aut ſub primum hauſtum in ciſternas recipiuntur, vnde per tubos complures ad vſum commode deduci poſſunt; aut ſtatim in vaſa infunduntur, ſubinde prout opus eſt, vtendae. Atque modus ille prior, methodicus, theologiam nobis tandem peperit ſcholaſticam, per quam doctrina theologica in artem, tanquam in ciſternam, collecta eſt, atque inde axiomatum & propoſitionum riuuli, in omnes partes ſunt diſtributi.* Cur haecce, de qua agendum nobis eſt, theologiae pars *thetica* ſeu *poſitiua* dicatur, nemini obſcurum eſſe poteſt. Romanenſes a *poſitiua* theologia *ſcholaſticam* diſtinguunt; & in vtriusque explicando diſcrimine operoſi ſunt. PET. ANNATVS, in *methodici ad poſitiuam theologiam adparatus libro primo*, in eo totus eſt, vt poſitiuae & ſcholaſticae theologiae diſcrimen, pariter ac vtriusque naturam, exponat. HONORIVS DE SANCTA MARIA theologiam in *poſitiuam, ſcholaſticam & myſticam* diſpeſcit; easque inter licet, qua rem ipſam, nullum intercedat diſcrimen, ita tamen differre, putat, quod *poſitiua* nitatur tantum ſcriptura ſacra, & traditione conciliorum atque patrum; *ſcholaſtica* humanae mentis his addat ratiocinia, & quae philoſophia, aliaeque ſcientiae ſuppeditant; *myſtica* autem ſpeciatim de vita ſpirituali praecipiat, ſecundum tres ſtatus, incipientium, proficientium & perfectorum; in *conſiderationibus ſuper regulis & vſu artis criticae &c.* quas lingua gallicana edidit, *diſſ. I. artic. IV. p. 60.* LVD. ELLIES DV PIN de hocce theologiae *poſitiuae* & *ſcholaſticae* diſcrimine ita diſ-

ſerit;

ſerit, vt illud valde extenuet, immo nullum tandem agnoſcere videatur; in *methodo ſtudii theolog. c. II. p. 25.* Cum porro theologia thetica circa dogmata verſetur, haud inſolens eſt, vt etiam *dogmatica* adpellitetur. Per *dogmata* vero intelligimus, quae in ſcriptura ſacra vt *credenda* proponuntur; quaeue in ſtrictiori ſenſu ab agendis diſtinguuntur, quippe quae theologia moralis ſibi vindicat. Sequimur hic exemplum veterum, qui voce *dogmatis* eadem ratione vtebantur. Conciliorum enim decreta, quae circa credenda verſabantur, *dogmata* vocare ſolebant; ea autem, quae de agendis praecipiebant, *canones.* Legenda, quae hac de re obſeruat GERHARDVS VAN MASTRICHT, in *hiſtoria iuris eccleſiaſtici, p. 10. 11.* Dogmata vero intelligimus ex ſcriptura ſacra hauſta. Non enim de naturali theologia nobis ſermo eſt, ſed de reuelata; licet interdum vtraque in compendiis ac ſyſtematibus theologicis tractari ſoleat. Partium iſta, quam commemorauimus, connexio, ſyſtematicae ſpeciatim theologiae ita propria eſt, vt ab ea ſeparari nequeat; vt deinceps dicemus. Explicare tandem ac demonſtrare dogmata, praecipuum eſt in theologia thetica, & velut caput cauſſae. Diuerſa tamen ratione probatio, ſeu demonſtratio, iſta eſt inſtituenda, pro ſcopi, quem nobis conſtitutum habemus, itemque pro ingeniorum, quae erudimus, diuerſitate. Commoda hic equidem ſe nobis offerret occaſio, de apodixi biblica commentandi, niſi in ſequentibus de ea verba facere, animus eſſet.

§. II. Solet alias, ſi modum methodumque tractandi ſpectes, theologia in *exotericam* & *acroamaticam* diſpeſci; quemadmodum quoque haec *ſyſtematica*, illa autem *catechetica* adpellitatur. Cumque haec non minus neceſſaria ſit, quam illa, vtriusque merito a nobis habebitur ratio. *

* Quando igitur theologia, vocibus ex philoſophia Ariſtotelica repetitis, in *exotericam* & *acroamaticam* diſpeſcitur, non ita hoc capiendum, ac ſi, qua rem ipſam, diſcrimen aliquod intercedat, aut haecce illi ob dignitatem vel vtilitatem ſit praeferenda. Vtraque enim, ſi recte ſe habeat, verbum diuinum, at diuerſa methodo, proponit; exotericaque non minus neceſſaria eſt, quam acroamatica, immo interdum plus vtilitatis atque commodi adfert; licet hac quoque, cum veritas diuina adcuratius demonſtranda, & contra diſſentientium inſultus defendenda eſt, carere nequeamus. Exotericam etiam recte *catecheticam*, voce iam in veteri eccleſia recepta, poſſe adpellitari, nemo dubitauerit. Videturque verbum κατηχεῖν *act. XVIII, 25.* ita accipi, vt *prima religionis chriſtianae elementa ſeu rudimenta viua voce tradere*, ſignificet. Apollus enim κατηχημένος dicitur τὴν ὁδὸν κυρίου, hoc eſt, primis chriſtianae religionis elementis imbutus, cum Aquila & Priſcilla ἀκριβέστερον, *adcuratius* deinceps viam domini illi expoſuerint. Haec iam a me obſeruata ſunt in *inſtitut. theol. dogmat. lib. I. c. I.* ad §. *LII. p. 90.* Addenda, quae de catechiſmi definitione & requiſitis recte monet IAC. LENFANT, in *diſcurſu de catechiſmis* gallicana lingua ſcripto, & eiusdem *innocentiae catechiſmi Heidelbergenſis demonſtratae* ſubiuncto, *p. 87. & 88.* Acroamatica theologia, vti diximus, *ſyſtematicae* etiam nomine venit. Idque licet generatim de omnibus compendiis, adcuratiori methodo conſcriptis, adhiberi queat; ſubinde tamen ſpeciatim de iſtis rerum theologicarum commentariis, in quibus cuncta fuſius, & magno adparatu, ediſſeruntur, & non tantum doctrinae ſacrae veritas adſtruitur,

ſed

Digitized by Google

ſed & diſſentientium errores refutantur, vſurpatur. Duo autem cumprimis requiruntur, vt tractatio quaedam ſyſtematicae theologiae nomen promereatur, primo, vt omnia cognitu ad ſalutem neceſſaria plene; deinde & iuſto ordine, & apta quadam connexione, exhibeat; neque exhibeat modo, ſed & explicet, probet, atque confirmet. Quae obſeruatio nobis deinceps in vera theologiae ſyſtematicae origine inueſtiganda proderit. Acroamatica haecce atque ſyſtematica theologia etiam *thetica* vocari ſolet; nec tamen quidquam obſtat, quo minus hocce, vti & *dogmaticae* theologiae nomine, tum catecheticam, tum ſyſtematicam, complectamur.

§. III. Qui ſyſtematicae theologiae originem in veteri teſtamento quaetunt, non minus falluntur, quam, qui eam omnino ex ipſo paradiſo arceſſunt. Hoc ipſo autem non negatur, exſtitiſſe omni tempore viros pios atque ſanctos, qui praecipua ſacrae doctrinae capita aliis tradiderint, eaque diligenter inculcauerint. *

* De theologia paradiſiaca & Adami paſſim videas tractationem inſtitui: legique inter alios meretur IO. OWENVS in *theologumenis*, ſiue *de natura, ortu, progreſſu & ſtudio verae theologiae, lib. I. c. IV. p. 15. ſeqq.* Locos communes theologiae paradiſiacae, ſeu integri ſyſtematis delineationem exhibet ABR. CALOVIVS, in *iſagoge ad theologiam, p. m. 50. ſeqq.* Nec tamen viri iſti docti hoc ſibi volunt, ac ſi primi parentes ſyſtema aliquod theologicum aut habuerint, aut habere potuerint; ſed capita tantum doctrinae ſacrae, quae iſtis cognita fuiſſe, ex ſacrarum litterarum monumentis quodammodo colligitur, indicare, aut methodo hodie recepta, ordinis cauſſa diſponere voluerunt. De libris, qui Adamo, aliiſque patriarchis, tribuuntur, quos inter nonnulli ſyſtemata quoque theologica ſibi inueniſſe viſi ſunt, eo minus quidquam addendum puto, quo certius eſt, eos inter figmenta vana, inaniaque commenta, referendos eſſe. Si quis vero, quae vulgo de iis traduntur, ſcire aueat, PET. LAMBECIVM adeat, in *prodromo hiſt. litter.* IO. ANDR. SCHMIDIVM, in *pſeudo-teſtamento veteri*, SCIP. SGAMBATVM, in *archiuis veteris teſtamenti*, IO. ALB. FABRICIVM, in *codice pſeudepigrapho vet. teſt.* ſimilesque ſcriptores. Ipſemet etiam de iis verba feci, in *hiſtor. eccleſ. vet. teſtam. tom. I. per. I. ſect. I.* ad *§. XXVII. p. 136.* alibique. Ad Moſen, ceterosque ſcriptores ſacros quod attinet, eos ſcribendi methodum, quae eo, quo vixerunt, tempore, vſitata fuit, ſequutos, omnes norunt. Syſtematica methodus vt ignota eis fuit, ita nec eadem vſi ſunt, nec vti potuerunt; immo nec, vt vterentur, neceſſe fuit. Sed & poſtea in gente iudaica methodi huius veſtigia fruſtra quaeſiueris; donec tandem ſaeculo poſt Chriſtum natum duodecimo MOSES MAIMONIDES, quaecunque vero Iſraelitae ad vitam aeternam conſequendam neceſſaria forent, ad tredecim articulos, ſeu, vt ipſe vocat, עקרים *radices* reuocando, primum eiusmodi tractationis ſpecimen dediſſe, viſus eſt. Quemadmodum vero in hiſce articulis nondum id, quod verum ſyſtema conſtituit, deprehendere licet; ita non deſunt etiam, qui MAIMONIDI hanc palmam dubiam reddere adnituntur, adſerentes, non tamen in *miſchna* & *gemara*, certos doctrinae iudaicae articulos occurrere, ſed iam ante Maimonidem R. ABRAHAMVM BEN DIOR, in libro אמונה רמה dicto, *de articulis fidei more philoſophico, atque de rebus ad animam eiusque creationem & ſeparationem per-*

pertinentibus egiſſe, vt R. SCHABTAI loquitur, in שפתי ישנים *fol. 7.* At haec nondum obſtare, quo minus gloria, quam alii MAIMONIDI tribuunt, illibata ei maneat; a me iam obſeruatum in *introductione ad hiſtor. philoſ. Ebr.* ad §. *XXXII. p. 170.* Conſulere etiam hac de re iuuabit IO. BENED. CARPZOVIVM, in *diſput. de articulis fidei iudaicae,* quae inter *diſputationes* eius *academicas*, iunctim editas, exſtat, *c. I. theſ. IV. p. 472. ſeqq.* MAIMONIDIS exemplum deinceps alii in gente iudaica ſequuti ſunt, de quibus a me dictum in *introductione ad hiſtor. philoſ. Ebr.* ad §. *XXXII. p. 171.* Iungendus LAVR. ODHELIVS, in *ſynagoga bifronte, p. 59.* itemque IAC. FRID. REIMANNVS, in *dem Verſuch einer Einleitung in die hiſtorie der theologie insgemeine, und der iudiſchen theologie ins beſondere, lib I. c. V.* vbi hiſtoriam theologiae theticae apud iudaeos ex inſtituto exhibet.

§. IV. Chriſtum, ſeruatorem noſtrum optimum, docendi rationem, eo tempore vſitatam, ſequutum, conſtat. Syſtematica vero methodo vſus non eſt, quae paucis tantum philoſophis ea aetate vſurpabatur, nec ad eum, quem ſibi propoſitum habebat, ſcopum, erat neceſſaria. *

* Seruatorem noſtrum optimum populum pariter ac diſcipulos ſuos viua voce erudiuiſſe, ſaepiusque parabolis vſum, neminem fugit. Haec namque docendi ratio antiquiſſimis iam temporibus apud orientis populos vſitata erat; quod pluribus comprobat PET. DAN. HVETIVS, de *origine fabularum Romanenſ. p. m. 23. ſeqq.* Interdum tamen absque parabolis ſermone libero, nec methodi legibus adſtricto, quae ſcitu ad ſalutem neceſſaria ſunt, propoſuit. Nihil in his, quod methodum ſyſtematicam redoleat. Ad rudiorum autem captum dum ſermones ſuos attemperauit; hoc quidem intuitu dici poteſt, quod catechetae munere functus ſit. Inter catechumenos locum occupaſſe ſeruatorem nonnulli ex *Luc. II, 46.* concludunt. Methodum enim docendi per quaeſtiones & reſponſiones catecheſi eſſe propriam, quae & iam tum apud Iudaeos vſitata fuerit, cuius etiam egregium exſtet exemplum *Matth. XVI, 13. ſeqq.* Ita IAC. LENFANT, in *diſcurſu de catechiſmis, p. 92.* Licet vero methodus iſta docendi per quaeſtiones & reſponſiones inſtitutioni catecheticae perquam ſit adcommodata; non tamen eidem ita propria eſt, vt non in ſublimioribus quoque doctrinae ſacrae capitibus adhiberi queat; cuiusmodi ea fuiſſe, ſuper quibus cum Iudaeorum magiſtris Ieſus puer diſceptauit, admodum eſt veroſimile; ſiquidem *omnes eum audientes propter intelligentiam, & reſponſiones eius obſtupuerunt, Luc. II. 49.*

§. V. Quin apoſtoli in rudioribus informandis ſummum ſtudium ac diligentiam collocauerint, & in iis, quae ſcitu ad ſalutem neceſſaria erant, proponendis, omnium ſeſe attemperauerint ingeniis, dubitare non licet. Libellos autem eos conſcripſiſſe catecheticos, aut ſyſtemata theologica, probari nequit. * Falluntur que magnopere, qui ſymbolum, quod vocatur, apoſtolicum, pro compendio quodam aut theologico, aut catechetico, ab ipſis apoſtolis condito, venditant. **

* Quod diximus apoſtolos in rudioribus informandis omnem adhibuiſſe diligentiam, ſuamque ingeniis ſingulorum attemperaſſe doctrinam, adeoque metho-

do catechetica vſos, res quidem ipſa ſatis docet; idem tamen confirmat Paulus ad Corinthios ſcribens: γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, *I. Cor. III, 2.* Quod de catechiſatione recte explicat CLEMENS Alexandrinus: κατήχησα ὑμᾶς ἐν χριστῷ ἀπλῇ καὶ ἀληθεῖ καὶ αὐτοφυεῖ τροφῇ τῇ πνευματικῇ. *Catechizaui vos, hoc eſt, per auditum in Chriſto inſtitui, ſimplici & per ſe naturali alimento ſpirituali; lib. I. paedagog. c. VI. p. 98.* add. & *lib. V. ſtrom. p. 579.* Summam porro quamdam doctrinae catecheticae apoſtolus exhibet *Ebr. VI, 1.* poſtquam in antecedentibus diſcrimen aliquod inter eos, qui inſtituendi ſunt in doctrina veritatis, conſtituerat, alioſque νηπίους adhuc eſſe, docuerat, quibus lac propinandum, ſeu τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ θεοῦ inculcanda eſſent; alios autem τελείους quibus στερεὰ τροφὴ debeatur. Neque tamen in hiſce verbis compendium aliquod catecheticum, aut omnino ſyſtema theologicum quaerendum, quod nonnulli faciunt; ſed ſumma tantum quaedam capita Paulus indicat, quorum notitia rudiores, qui viua voce informabantur, imbui neceſſe erat. Sunt qui ex verbis iſtis argumentum capiunt, quo probent, Paulum non eſſe auctorem epiſtolae ad Ebraeos, quos inter & IO. CALVINVS nomen ſuum profeſſus eſt; quoniam catechetica inſtitutio poſt apoſtolorum demum tempora exorta ſit. Sed quam friuolum hoc ſit, immo aperte falſum, nemo non intelligit, & ex inſtituto oſtendit FRID. SPANHEMIVS, de *auctore epiſtolae ad Ebraeos, part. III. c. VI. tom. II. oper. p. 262. ſeqq.* Atque ita quidem conſtat, apoſtolos, dum viua voce alios erudiuerunt, ſi cum rudioribus illis res eſſet, catechetica quadam inſtitutione vſos. At compendia catechetica, ſimiliaque eos compoſuiſſe ſcripta, inde colligere non licet. Non deſunt equidem, qui per ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων, quam Paulus Timotheo ſuo *II. Tim. I, 13.* commendat, breuem ac rudem deſignationem, ſeu formulam quamdam ac ſciagraphiam intelligunt, quam ex praeſcripto apoſtoli in conſpectu habuerit, cuiusque ductum in docendo ſequutus ſit Timotheus. Verum cum etiam typum quemdam, ſeu ſummam doctrinae, quam quis animo comprehendit, vox haecce denotare queat; infirmo nituntur fundamento, qui de formula quadam litteris conſignata eam accipiunt. H. GROTIVS ὑποτύπωσιν per *exemplar* exponit, additque: *ſed & intellige exemplar in animo fixum, quod* ἰδέαν *Platonici vocant,* ad *h. l.* Legenda quae de ὑποτυπώσει illa Pauli HERM. WITSIVS diſſerit, *miſcellan. ſacr. tom. II. exercitat. XVI. p. 561.* & quae ipſemet monui, in *inſtitutionibus theologiae dogmaticae lib. I. c. I.* ad *§. LII. p. 91.* In ſcriptis euangeliſtarum & apoſtolorum, quae in ſacro noui teſtamenti codice exſtant, nihil occurrere, quod ſpeciem compendii cuiusdam aut ſyſtematis theologici referat, ipſa illorum inſpectio docet. Licet enim Paulus, aliique apoſtoli, in epiſtolis ſuis dogmata tractent; ea tamen tantum attingunt, quorum explicationem aut ſtatus eccleſiarum ad quas ſcribebant, aut controuerſiarum, quae eo tempore agitabantur, ratio poſtulabat: multo minus ordinem nexumque ſyſtematicum obſeruant; quod nec in epiſtolis fieri ſolet. Miror itaque aliud quid ſibi perſuaſiſſe IO. HENR. HOTTINGERVM, dum originem theologiae ſyſtematicae ab apoſtolis arceſſere non dubitat. *Siue enim integras,* inquit, *expendamus, tum reliquorum apoſtolorum, tum cumprimis Pauli epiſtolas, ſiue enarrationem certorum religionis capitum, dubitare non poſſumus, compendia catechetica, hypotypoſes, adeoque methodum ſyſtematicam, ne infantiae quidem chriſtianae eccleſiae fuiſſe ignotam, mutuatam quippe & tranſſumtam ex ſynagoga iudaica, quae & legis & praeceptorum eius habebat ſummas, compen-*

compendia, explicationes; *biblioth. quadripart. lib. III. c. II. p. 371.* Quae, quo loco ſint habenda, ex hactenus dictis diiudicare licebit.

** Cum ſymbolum, quod vocatur, apoſtolicum, nec omnia doctrinae ſacrae capita, nec ea rite inter ſe connexa, contineat, multo minus ea in illo aut explicentur aut probentur; manifeſtum, quod pro compendio quodam aut catechetico, aut theologico, reputari nequeat. Accedit, quod nec ab apoſtolis ipſis confectum ſit, ſed ſucceſſu temporis ex formula baptiſmali, variis acceſſionibus aucta, enatum videatur. Plura nunc non addimus, cum *capite ſequenti* de eo ex inſtituto agere ſit animus. Rectius forte hic locum inueniret *liber didaſcaliarum*, veteribus quibusdam memoratus, qui apoſtolis tribuitur, ſi modo & iſte ab apoſtolis profectus eſſet. Mentionem eius facit EVSEBIVS, qui *lib. III. hiſtor. eccleſ. c. XXV.* libros noui teſtamenti recenſens, inter ſcripta ſpuria refert τῶν ἀποστόλων τὰς λεγομένας διδαχὰς, hoc eſt, RVFFINO interprete, *doctrinam apoſtolorum*. Non ſine ratione enim RVFFINVS ſingularem numerum adhibuiſſe videtur, ſiquidem & ATHANASIVS, vel quisquis libri iſtius auctor eſt, τα ἀντιλεγόμενα apoſtolorum ſcripta recenſens, eorumdem etiam διδαχὴν commemorat; in *ſynopſi ſcripturae tom. II. oper. p. m. 134.* & in *fragmento epiſtolae feſtalis tom. II. oper. p. m. 38.* eamdem inter *libros* refert, *non quidem canone probatos, ſed veterum auctoritate, illis, qui pietatis elementis imbuendi eſſent*, (προσερχομένοις καὶ βυλομένοις κατηχεῖσθαι τὸν τῆς ἐυσεβείας λόγον) *propoſitos*. Nihil tamen obſtat, quo minus dicamus, plures olim ſub hocce διδαχῆς aut διδασκαλίας τῶν ἀποστόλων nomine exſtitiſſe libros, idque ſignificaſſe EVSEBIVM. Quod & res ipſa comprobat, cum plures paſſim *doctrinae* eiusmodi ſeu διδασκαλίαι apoſtolorum laudentur. Sitne autem διδαχὴ ſeu *doctrina apoſtolorum*, ATHANASIO memorata, eadem cum *conſtitutionibus apoſtolicis*, quarum collectio CLEMENTI Romano tribuitur, quod nonnulli adfirmant, alii abnuunt, diſputat THO. ITTIGIVS in *diſſertatione de pſeudepigraphis Chriſti, Mariae & apoſtolorum, c. IX. §. III. ſeq. p. 153.* Atque ipſe quidem rem omnem in medio relinquit, tandemque recte concludit: *Siue autem doctrina apoſtolorum cum conſtitutionibus eadem, ſiue ab his diuerſa fuerit, illud tamen certum eſt, librum illum ab ipſis apoſtolis ſcriptum non fuiſſe, cum ab Euſebio inter* νόθα, *ab Athanaſio inter* ἀντιλεγόμενα *numeretur.* Mea ita fert ſententia, διδαχὴν aut ſi mauis, διδαχὰς apoſtolorum, a *conſtitutionibus* diuerſas equidem fuiſſe, ſed in his nonnulla ex illis fuiſſe deriuata. Ita & IO. ALB. FABRICIVS: *Pleraque huius commatis ſcripta vtcumque congeſta videntur in libros* διατάξεων, *ſiue conſtitutionum apoſtolicarum, quia reliquiae* διδαχῶν, *quae adhuc exſtant in variis bibliothecis, cum conſtitutionum opere collatae, hanc ſententiam confirmant. Talis eſt Clementis* διδασκαλία, *quae paucis foliis conſtans occurrit in bibliotheca auguſtiſſimi imperatoris;* διδασκαλία *Hippolyti, quae in eadem caeſarea, & Oxonii in Bodleiana exſtat, & in pluribus congruit cum octauo conſtitutionum libro &c.* in *codice apocrypho noui teſtamenti, part. II. p. 811.* Quod ſi quaeras, vnde itaque διδαχαὶ iſtae atque διδασκαλίαι apoſtolis tributae, exortae ſint? reſpondet IO. PEARSONIVS, cum vox διδαχῆς & διδασκαλίας de Chriſti & apoſtolorum doctrina in ſcriptis noui teſtamenti ſaepius occurrat; haereticos quosdam, & male feriatos homines διδαχὰς eiusmodi & διδασκαλίας, quaſi ab apoſtolis ſcriptas, vel viris apoſtolicis dictatas, & ab his ſub apoſtolorum nomine exaratas, & eccleſiae commendatas, commentos eſſe; in *vindiciis epiſtol. Ignat. c. IV. p. 60.* Et huius generis eſſe videtur διδασκαλία, quae apo-

ſtolis

ſtolis tribuitur apud Coptos, & canonibus 38 conſtat; quorum argumenta edidit IOBVS LVDOLPHVS, in *commentario ad hiſtoriam aethiopicam p. 334. ſeqq.* & cuius mentio iniicitur in *confeſſione* Claudii regis Aethiopiae apud eumdem LVDOLPHVM, *p. 236.* De διδαχῇ ſeu διδασκαλίᾳ, quae olim ſub Barnabae nomine exſtitit, vid. THO. ITTIGIVS, in *diſſertat. de patribus apoſtol.* eiusdem *biblioth. patr. apoſtolicor.* praemiſſa, §. *LII. p. 171.*

§. VI. Inter ſaeculi apoſtolici ſcriptores refertur HERMAS, cuius exſtat liber, *paſtor*, inſcriptus; in quo religionis chriſtianae inſtitutiones contineri, nonnulli ſibi, ſed perperam, perſuaſere. * Qui autem ſecundo ſaeculo floruerunt eccleſiae doctores, dum ab ethnicorum calumniis religionem chriſtianam ſtrenue vindicarunt, varia ſimul doctrinae ſacrae capita, prout occaſio ferebat, explicarunt. Nec tamen in his quoque ſyſtematicae methodi deprehendere licet veſtigia. ** Idemque de patrum tertii ſaeculi monumentis cenſendum, niſi quod ORIGENES in libris περὶ ἀρχῶν eiusmodi quid in mente habuiſſe credatur. ***

* HERMAS, perperam nonnullis HERMES dictus, idem a quibusdam eſſe creditur, cuius Paulus *Rom. XVI, 14.* mentionem iniicit. Quidquid huius ſit, opus, quod ſub eius nomine hodie exſtat, in tres libros diuiſum eſt, quorum primus, quatuor viſiones continens, *eccleſiae* nomine gaudet, ſecundus, duodecim mandata comprehendens, *paſtor* inſcribitur, tertius autem a decem ſimilitudinibus, quas complectitur, *ſimilitudinum* voce inſignitur. Subinde tamen totum hocce HERMAE opus, *paſtoris* nomine venit, quin immo ipſe HERMAS a quibusdam *paſtor* ſalutatur. Prima religionis chriſtianae in eo contineri fundamenta, nonnullos credere, non miror, cum facile in eam illos inducere ſententiam potuerit EVSEBIVS, quippe qui, cum dixiſſet, hunc librum a nonnullis in dubium vocatum, nec inter libros receptae auctoritatis poſſe cenſeri, addit: ὑφ' ἑτέρων δ' ἀναγκαιότατον οἷς μάλιστα δεῖ τοιχειώσεως εἰσαγωγικῆς, κέκριται: *ab aliis vero maxime neceſſarius iudicatur, iis praeſertim, qui primis religionis noſtrae elementis inſtituendi ſunt. Vnde etiam*, ita pergit, *in eccleſiis eum publice legi comperimus, & quosdam ex vetuſtiſſimis ſcriptoribus ipſius teſtimonio vſos fuiſſe; hiſtor. eccleſ. lib. III. c. III.* Sed ſi vel maxime concederemus, neceſſarium hunc librum eſſe, iis praeſertim, qui primis religionis chriſtianae elementis inſtituuntur, quod adſerit EVSEBIVS; inde tamen non ſequitur, vt elementa doctrinae chriſtianae, eiusque capita omnia contineat. Certe non continere, licet hinc inde nonnulla inſperſa ſint, e. g. de *fide in vnum Deum, lib. I. mandato I.* ſed pleraque ad mores formandos comparata eſſe, idque ſine ordine ſyſtematico; & res ipſa, & analyſis libri docet, quam exhibet NICOLAVS LE NOVRRY, in *adparatu ad bibliothecam maximam patrum, diſſert. IV. artic. I. p. 47.* Magnae ceteroquin hunc librum in eccleſia fuiſſe auctoritatis, conſtat. IRENAEVS namque ſub *ſcripturae* nomine eum adlegat, *lib. IV. c. XXXVII.* CLEMENS Alexandrinus virtutem Hermae in reuelatione θείως, ſeu *diuine*, loquutam, introducit, *lib. I. ſtrom. p. m. 356.* ORIGENES, huncce Hermae librum diuinitus inſpiratum, cenſuit, *explanat. in epiſt. ad Rom. lib. X.* ATHANASIVS eumdem tanquam vtiliſſimum commendat, de *incarnatione verbi, p. 55.* In eccleſiis nonnul-

ſis

lis eum publice lectum, teſtatur EVSEBIVS, *hiſt. eccleſ. lib. III. c. III.* Canonicis tamen libris non fuiſſe adnumeratum, ſed tantum eccleſiaſticis & apocryphis, idem EVSEBIVS nos condocet; *hiſt. eccleſ. lib. III. c. XXV.* atque ATHANASIVS confirmat de *decret. ſynodi Nic. p. 266.* Hiſce ex recentioribus eousque adſtipulatur IO. BAPT. COTELERIVS, vt non quidem pro canonico, ſed eccleſiaſtico, eoque genuino & melioris notae, illum venditet; in *iudicio*, eidem praemiſſo, *tom. I. bibliothec. patrum apoſtolic. p. 73.* Quaedam tamen non prorſus probanda hocce in libro occurrere, aliis obſeruatum eſt; conf. ANDR. RIVETVS, *critic. ſac. lib. I. c. XII. p. 172 ſeqq.* Veterum de eo teſtimonia refert IO. PEARSONIVS, in *vindiciis epiſtolarum Ignatii part. I. c. III. p. 274.* add. THO. ITTIGIVS, in *diſſertatione de patribus apoſtolicis*, eiusdem *bibliothec. patrum apoſtolicorum* praemiſſa, §. *LV. ſeqq. p. 184. ſeqq.* itemque IO. ALB. FABRICIVS, in *codice apocrypho noui teſtam. p. 966. ſeqq.*

** Circa initium ſaeculi ſecundi IGNATIVS vixit, in cuius *epiſtola ad Magneſianos*, qui ſpecimen aliquod ſyſtematis theologici ſibi inueniſſe videntur, magnopere, vt ego quidem exiſtimo, falluntur. In ea enim id vir ſanctiſſimus agit, vt ad obſequium epiſcopo praebendum, ad iudaicas ſuperſtitiones fugiendas, ad virtutes chriſtiano homine dignas conſectandas, Magneſianos adhortetur; dogmatum autem quorumdam tantum ὡς ἐν παρόδῳ mentionem iniicit. Qui apologias pro chriſtianis ſcripſerunt, IVSTINVS martyr, ATHENAGORAS, reliqui, ſubinde equidem dogmata quaedam theologiae chriſtianae attingunt, vt ea a calumniis gentilium vindicent, nec ea tamen id faciunt ratione, vt hae illorum commentationes pro compendiis aut ſyſtematibus theologicis reputari queant. IVSTINI porro martyris *expoſitionem fidei*, ad quam nonnulli itidem prouocant, inter ſcripta ſpuria referendam eſſe, conſtat. Non vero praetermittendus hic nobis eſt THEOPHILVS Antiochenus, quippe quem omnino inter iſtius generis ſcriptores, de quibus nobis ſermo eſt, locum occupare, nonnulli ſibi perſuadent. Huius exſtant *tres libri ad Autolycum*, qui cum vulgo nulla alia inſcriptione gaudeant, in codice tamen regio Pariſienſi hanc prae ſe ferunt: περὶ τῆς τῶν Χριστιανῶν πίστεως *de fide chriſtianorum*, vel vt plenius eamdem ex eodem codice exhibet NICOLAVS LE NOVRRY; *Theophili, patriarchae ſexti Antiocheni, ad Autolycum graecum, de chriſtianorum fide, & quod diuina eloquia noſtra antiquiora ſint & veriora aegypticis ac graecis, atque omnibus aliis ſcriptoribus*; in *adparatu ad bibliothecam maximam patrum, diſſert. IV. c. II. §. IV. p. 506.* Haecce tamen inſcriptio, vt idem obſeruat, non alium auctorem habere videtur, quam librarium amanuenſem, qui idem argumentum libri latius exprimere voluit. Quod ſi recte feciſſet, dubium non eſſet, quin liber hicce chriſtianae doctrinae inſtitutiones complecteretur. Confirmare idem videtur EVSEBIVS, quando huncce librum τρία τὰ πρὸς Αὐτόλυκον στοιχειώδη συγγράμματα vocat, hoc eſt, interprete HENR. VALESIO, *tres ad Autolycum libros inſtitutionem fidei continentes*; *hiſt. eccleſ. lib. IV. c. XXIV.* Qui autem ipſum huncce librum adcurate inſpexerit, fatebitur, compendium aut ſyſtema doctrinae chriſtianae eum cenſeri non poſſe; cum praecipuus eius ſcopus ſit, refutare gentiles. Primo equidem libro de Deo, eiusque eſſentia & attributis, nonnulla diſſerit, & reſurrectionem mortuorum exemplis, quae nec ethnici negare audebant, comprobare adnititur; ſecundo autem ex ipſis ſcriptorum ethnico-

nicorum monumentis oſtendit, falſam, vanam, ridiculam eſſe illorum religionem; tertio denique id agit, vt probet, ſcriptores ethnicos, poëtas, hiſtoricos, philoſophos, vana & falſa multa, atque inepta de diis & de moribus tradidiſſe; hiſtoriam contra Moſis omnium eſſe veriſſimam atque antiquiſſimam. Atque vltimum hocce vt euincat, hiſtoriam quamdam chronologicam a mundi ortu, ad ſua vſque tempora pertexuit. Quae ratio quoque eſt, cur LACTANTIVS hocce THEOPHILI opus *librum de temporibus* adpellitet, *lib. I. inſtitut. diuin. c. XXIII.* quia nimirum praecipua eius pars, chronologicis rebus explicandis, inſumitur. Conferendus NIC. LE NOVRRY, in *adparatu ad biblioth. maximam patrum, diſſertat. IV. c. II. §. IV. p. 506.* Atque hocce LACTANTII loco permotus GERH. IO. VOSSIVS, Theophilum noſtrum inter hiſtoricos graecos refert, *propter tertium ad Autolycum librum, qui chronologicus eſt*; de *hiſtoricis graecis lib. II. c. XIV.* Legenda IO. FELLI *praefatio*, editioni Oxonienſi 1684, 12. praemiſſa. Sunt, qui dubitant, an tres iſti ad Autolycum libri Theophilum Antiochenum auctorem agnoſcant, vt LVC. OSIANDER, *hiſtor. eccleſ. cent. II. p. 70.* & IO. SELDENVS de *iure nat. & gent. iuxta diſciplinam Ebraeorum, lib. III. c. XIX.* Id vero ſine ratione fieri, ſolide oſtendit VVILH. ERN. TENZELIVS, *exercitation. ſelect. part. I. exercit. V. p. 212. ſeqq.* HENR. DODVVELLI, libros hoſce ad Autolycum, Theophilo cuidam Antiocheno recentiori, vindicantis, ſententiam ex inſtituto profligauit vir doctiſſimus IO. CHRISTOPH. VVOLFIVS, in *praefatione*, quam editioni, ſummo ſtudio a ſe adornatae, & notis eruditiſſimis illuſtratae, quae an. 1724 Hamburgi lucem adſpexit, praemiſit in qua & auctores, qui de Theophilo hocce Antiocheno plura dabunt, indicat. Naeuorum eum non expertem eſſe, oſtendunt LVC. OSIANDER, *l. c.* ABR. SCVLTETVS, in *medulla patrum lib. I. c. IV.* SERVATIVS GALLAEVS, *diſſertat. de Sibyllis p. 324.*

Eodem ſaeculo ſecundo floruit etiam CLEMENS Alexandrinus, quem in libris ὑποτυπώσεων, qui non amplius exſtant, velut ſyſtema aliquod theologicum exhibuiſſe, immo primum fuiſſe, qui eiusmodi quid ſuſceperit, nonnulli adſerere non dubitant. ANDR. HYPERIVS, de origine eiusmodi librorum verba faciens, *itaque*, inquit, *primus fere adgreſſus eſt id facere, circiter annum a Chriſto nato centeſimum octogeſimum, Clemens Alexandrinus, qui in celeberrima ſchola theologica Alexandrina edidit libros* στρωματέων *octo, & todidem* ὑποτυπώσεων. *In quorum priori opere, cum ſacris confert etiam philoſophica, ad docendos nimirum, conuincendosque gentiles; in poſteriore ex ſolis ſacris litteris depromit vniuerſa, referente Euſebio, hiſtor. eccleſ. lib. VI. c. XI. Poſt quem Dionyſius quidam, incertum, Corinthiusne, an Alexandrinus, ſimiliter* ὑποτυπώσεων *theologicarum emiſit volumen; de ratione ſtudii theologici, lib. III. c. I. p. m. 396.* Verum ſi EVSEBII loca euoluamus, in quibus iſtorum librorum mentionem facit; eiusmodi quid, quod de illis dicit HYPERIVS, in iis non inueniemus. Et in vndecimo quidem libri ſexti capite, ad quod HYPERIVS prouocat, nihil, quod huc ſpectet, legitur. In eiusdem autem *libri VI. c. XIII.* vbi EVSEBIVS de Clementis operibus agit, de hiſce ὑποτυπώσεων libris ita loquitur: Ἰσάριθμοί τε τούτοις εἰσὶν οἱ ἐπιγεγραμμένοι ὑποτυπώσεων αὐτοῦ λόγοι· ἐν οἷς ὀνομαστὶ ὡς διδασκάλου τοῦ Παντάινου μνημονεύει, ἐκδοχάς τε αὐτοῦ γραφῶν καὶ παραδόσεις ἐκτίθεται. *Sunt & alii* (praeter στρωματέων octo libros) *totidem eius libri* ὑποτυπώσεων, *hoc eſt, inſtitutionum titulo inſcripti: in quibus Pantaenum, magiſtrum ſuum, nominatim adpellat, quaecumque ille a maioribus accepiſſet, & traditiones, quas poſteris reliquiſ-*

reliquiſſet, exponens. Luculentius, quid in hiſce libris CLEMENS tractauerit, *capite ſequenti XIV.* EVSEBIVS hunc in modum ediſſerit: ἐν δὲ ταῖς ὑποτυπώσεσι ξυνελόντα εἰπεῖν, πάσης τῆς ἐνδιαθήκου γραφῆς ἐπιτετμημένας πεποίηται διηγήσεις· μὴ δὲ τὰς ἀντιλεγομένας παρελθών. *Idem in libris* ὑποτυπώσεων *omnium, vt vno verbo dicam, vtriusque teſtamenti ſcripturarum compendioſam inſtituit enarrationem; ne illis quidem praetermiſſis ſcripturis, de quibus inter multos ambigitur.* Nec ex reliquis EVSEBII locis *lib. II. hiſtor. eccleſ. c. I. & lib. V. c. X.* aliud quid colligas. De ſcripturae ſacrae libris in hocce opere egiſſe CLEMENTEM, confirmat etiam PHOTIVS: Αἱ μὲν οὖν ὑποτυπώσεις inquit, διαλαμβάνουσι περὶ ῥητῶν τινῶν τῆς τε παλαιᾶς καὶ νέας γραφῆς· ὧν καὶ κεφαλαιωδῶς, ὡς δῆθεν, ἐξήγησίν τε καὶ ἑρμηνείαν ποιεῖται· *Hypotypoſes quidem diſceptationem continent locorum aliquot, veteris nouique teſtamenti, quae etiamſummatim explicat & interpretatur.* Addit autem porro: *Etſi autem recte in quibusdam ſentire viſus eſt,* ἐν τισι δὲ παντελῶς εἰς ἀσεβεῖς καὶ μυθώδεις λόγους ἐκφέρεται. *in aliis rurſus impie omnino, fabuloſeque diſſerit. Adſerit enim, materiam aeternam eſſe, & ideas veluti certis decretis induci, fingit. Filium quoque in rebus creatis numerat. Ad haec animarum migrationes, multosque ante Adamum mundos prodigioſe comminiſcitur &c. myriobibl. cod. CIX. p.m. 286.* Suſpicatur tamen deinde PHOTIVS, impia iſta opinionum portenta, quae in hiſce libris inueniebantur, ab aliena forte manu inſerta fuiſſe; quemadmodum & de *ſtromateon* libris obſeruat, multa in iis oppugnari, quae in libris ὑποτυπώσεων dicta erant; *cod. CXI. p. 287.* Certe Arianos tum CLEMENTIS noſtri, tum aliorum libros, foede corrupiſſe, nonnulli tradunt; conf. GVIL. CAVE, in *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſt. ſaec. I. p. 40.* De hiſce ὑποτυπώσεων CLEMENTIS libris, de quibus hactenus diximus, conſulere etiam iuuabit THOMAM CRENIVM, *animaduerſ. philologic. & hiſtor. part. XIV. p. 112. ſeqq.* itemque IO. ALB. FABRICIVM, *bibliothec. graec. lib. V. c. I. p. 111.* De DIONYSII, ſiue Corinthii ſiue Alexandrini, ὑποτυπώσεων volumine, quod itidem ANDR. HYPERIVS memorat, nihil inuenire potui. Licet vero nullum ex ſaeculo ſecundo proferri ſcriptum queat, quod compendii aut ſyſtematis theologici nomen mereatur; inde tamen non concludendum, ac ſi iſtius temporis doctores in rudioribus inſtituendis, & primis chriſtianae religionis elementis imbuendis, officio ſuo defuerint. Secus enim ſe rem habuiſſe, vel ex eo conſtat, quod dubium non ſit, quin iam tum hinc inde ſcholae fuerint conſtitutae, in quibus, quae huc comparata erant, traderentur. Inter eas longe celeberrima eſt Alexandrina iſta, ἱερῶν λόγων διδασκαλεῖον, *ſacrarum litterarum ſchola,* EVSEBIO dicta, cui ſaeculo hocce ſecundo PANTAENVS, Stoicae primum philoſophiae innutritus, deinde eccleſiae doctor inſignis, praefuit; quem CLEMENS Alexandrinus excepit; ſaeculo autem tertio eamdem ſcholam ornauit ORIGENES. Atque hi quidem id agebant, quod catechetarum proprium eſt, vt rudiores prima chriſtianae religionis fundamenta condocerent. Quod num ſcriptis, aeque ac viua voce fecerint, non adeo liquet, quamquam de PANTAENO diſerte EVSEBIVS: ὅγε μὴν Πάνταινος ἐπὶ πολλοῖς κατορθώμασι, τοῦ κατ᾽ Ἀλεξάνδρειαν τελευτῶν ἡγεῖται διδασκαλείου· ζώσῃ φωνῇ, καὶ διὰ συγγραμμάτων, τοὺς τῶν θείων δογμάτων θησαυροὺς ὑπομνηματιζόμενος· *Hic ergo Pantaenus poſt multa praeclare geſta, tandem Alexandrinae praefuit ſcholae; vbi partim viua voce, partim ſcriptis, diuinorum dogmatum theſauros expoſuit; hiſtor. eccleſ. lib. V. c. X.* Plura autem de ſtudio catechetico veteris eccleſiae dabunt BALTH. BEBELIVS, in *antiquit. eccleſ. euangel. ſaec. II. p. 210. & ſaec. III. p. 520.* MICH. WALTHERVS, in *diſſertat. de*

de catechiſatione veterum, maxime ex antiquitate eccleſiaſtica, IO. BENED. CARPZOVIVS, in *diſſertat. ad Auguſtini librum, de catechiſandis rudibus*, quae in *diſputationibus* eius, iunctim editis, exſtat, *p. 857. ſeqq.* VAL. ALBERTI, in *diſſertatione theologico-practica, de catecheſi*, IO. ANDR. SCHMIDIVS, in *diſſ. de catechiſatione.*

*** ORIGENEM *libros quatuor* περὶ ἀρχῶν, ſeu *de principiis*, qui hodie latine tantum ex verſione RVFFINI exſtant, ad exemplum LONGINI elaboraſſe, ſuſpicatur CAESAR BARONIVS, in *analib. ad ann. CCXXXII.* LONGINVM namque huius nominis librum ſcripſiſſe, in vita Plotini refert PORPHYRIVS. Sed a vero, iudice PET. DAN. HVETIO, *loco* deinceps *citando*, non aberrauerit, ſi quis adfirmet, LONGINVM operis ſui argumentum ab ORIGENE ſumſiſſe; ſaltem, vtrumque aeque incertum. Inſcriptionem operis huius non adſequutus eſt RVFFINVS, dum in *prologo* ad illud, eam reddi poſſe, dicit, de *principiis*, vel de *poteſtatibus*. Chriſtianae enim religionis, ſimul philoſophiae ſuae, quaedam tradere voluiſſe videtur elementa. Hinc & primum chriſtianae doctrinae compendium ſeu ſyſtema ſe in hiſce περὶ ἀρχῶν libris inueniſſe, nonnulli putant. Ita GE. CALIXTVS: *Primus etiam* (Origenes) *ſummam doctrinae chriſtianae ſcripto, & libris complecti atque exponere conatus eſt, quos* περὶ ἀρχῶν *quaſi religionis principia traderent, inſcripſit, etiamſi forte rem maiori induſtria & ſtudio, quam felicitate & ſucceſſu ſit exſequutus. Interim tamen eam primus, quod equidem ſciam, adgreſſus eſt*; in *adparatu theologico, p. 122.* Pari ratione LVD. ELLIES DV PIN, *Origenes*, inquit, *primus eſt, qui theologiae ſyſtema quoddam in opere, cui titulum fecit:* περὶ ἀρχῶν *ſeu de principiis primus adgreſſus eſt. Sed conatus hic nouus felici caruit ſucceſſu. Auctor enim hic genio ſuo nimium indulgens, dum doctrinam chriſtianam principiis philoſophiae Platonicae accommodare ſatagit, pluribus ſeſe irretiuit erroribus, qui poſtea memoriam & exiſtimationem nominis eius deturparunt*; in *methodo ſtudii theolog. c. II. p. 17.* Et ſane, pleraque ac praecipua religionis chriſtianae capita ORIGENEM in hocce opere attigiſſe, negari nequit, & vel ſumma illa eius docet, quam exhibet PHOTIVS. In *primo* enim libro de patre, & filio & ſpiritu ſancto eum agere, ait; in *ſecundo* de mundo, rebusque in eo conditis; praeterea vnum eumdemque eſſe Deum legis & prophetarum; vnum item eſſe veteris & noui teſtamenti Deum; porro de ſaluatoris incarnatione eum ibi verba facere, eumdemque ſpiritum in Moſe & aliis prophetis, ſanctisque apoſtolis fuiſſe; ad haec, de anima, de reſurrectione, de poena, de praemiis; in *tertio* de arbitrii libertate; qua ratione diabolus, contrariaeque poteſtates, ſecundum ſcripturarum doctrinam, cum humano genere pugnent; mundum item ortum habere, & corruptioni obnoxium eſſe, vt qui a tempore initium ſumſerit; in *quarto* denique de fine vltimo; diuinas eſſe ſcripturas; deque ratione easdem legendi & intelligendi; *myriobibl. cod. VIII. p. 10.* Cuncta vero, ſi paullo adcuratius conſiderentur, patebit, ORIGENEM in hiſce libris ſuae potius de rebus diuinis philoſophiae, quam theologiae vere chriſtianae, dediſſe ſyſtema. Grauiſſimos certe errores in iis iam notauit PHOTIVS, vtpote, quando in *libro primo* ſcribit, *filium a patre factum, ſpiritum a filio; patrem quidem per omnia, quae exſiſtunt, peruadere, filium vero ratione dumtaxat praedita; ſpiritum autem ea tantum, quae ſalua facta ſunt*; & quae alia ſunt eiusdem generis παραλογώτατα καὶ δυσσεβείας πλήρη, *nimium abſurda, impietatisque plena*; *l. c. p. 10.* Nec ſilentio tamen praetermittendum, ex verſione RVFFINI, quam hodie tantum exſtare, antea diximus, non poſſe de dogmatibus eius certi quid

quid pronuntiari; quippe quam peſſima fide confectam, conſtat, pluribusque docet PET. DAN. HVETIVS, in *Origen. lib. III. c. III. ſect. II. p. 266.* Quae autem PHOTIVS retulit, eo minus in dubium vocanda, quod iſte textum graecum adhuc legit.

§. VII. In quarti, quintiue ſaeculi doctorum eccleſiae ſcriptis quibusdam lineamenta equidem inſtitutionum doctrinae ſacrae occurrunt; ſed tamen id, quod in methodo ſyſtematica praecipuum eſt, nondum in iis deprehendas. Fuerunt vero etiam, qui quaeſtionibus variis ſaepe curioſis magis, quam ad ſalutem neceſſariis, exemplum relinquerent ſcholaſticis, quod non tam ſequerentur, quam quo potius abuterentur. *

* Inter quarti ſaeculi ſcriptores primo ſe nobis loco offert CYRILLVS Hieroſolymitanus, primus, ni fallot, inter ſcriptores catecheticos, quorum monumenta ad nos peruenerunt. Exſtant eius *catecheſes octodecim ad competentes, & myſtagogicae ad recens baptizatos quinque.* In prioribus, poſtquam animos catechumenorum praeuia inſtitutione praeparauit, deque peccato, baptiſmo, praecipuisque fidei capitibus, breuiter diſſeruit; omnes articulos ſymboli Hieroſolymitani fuſe explicat, *totumque, vt ita dicam,* (verba ſunt THO. MILLESI) *theologiae corpus abſoluit.* In *quinque* autem, quas vocat, *myſtagogicis catecheſibus*, vtpote quas ad nuper baptizatos, feſtis poſt paſcha diebus habuit, de binis praeſertim eccleſiae ſacramentis, baptiſmi & euchariſtiae, verba facit. Et hac ratione praecipua doctrinae chriſtianae capita attingit, eaque pro viribus & explicat, & confirmat; quod & catechumenorum exigebat inſtitutio. Copioſiori tamen ſermone, quam catechetica tractatio requirit, CYRILLVS vtitur; nec ſyſtematis plenam imaginem exhibet, cum, vt alia taceam, nexus ac ordo ſyſtematicus in hiſce catecheſibus non inueniatur. ANDR. RIVETVS, *Cyrilli,* inquit, *catecheſes ad illuminatos, ex variis ſcripturarum locis, quaſi centones ſunt conſutae, & in rebus etiam non ita neceſſariis ad nauſeam vsque prolixae*; *critic. ſacr. lib. III. c. X. p. 292.* Quo argumento, vti & reliquis, ab eodem auctore adlatis, licet me nondum induci patiar, vt credam, haſce catecheſes a CYRILLO iſto Hieroſolymitano non eſſe profectas, cum ex HIERONYMO, *catat. ſcriptor. eccleſiaſt. c. CXII.* THEODORETO *dial. II. p. 106.* aliisque hoc abunde conſtet; id tamen inde colligas, nec inſtitutionis catecheticae, nec tractationis ſyſtematicae legibus CYRILLVM prorſus ſatisfeciſſe. Quod & ex ipſa prioris libri quodammodo concludas inſcriptione: κατήχησις φωτιζομένων ἐν Ἱεροσολύμοις σχεδιασθεῖσα *Inſtitutio illuminatorum Hieroſolymis extemporanea.* Extemporaneos enim eſſe iſtos ſermones facile agnoſcas. Egregium nihiloſecius veteris eccleſiae ſunt monumentum, lectuque digniſſimum, vt recepta eo tempore inde condiſcamus dogmata. CASIMIRVS OVDINVS omnes ingenii neruos intendit, vt probet, *catecheſes ad competentes* non eſſe CYRILLI huius Hieroſolymitani; in *comment. de ſcriptorib. eccleſiaſt. tom. II. ſaec. IV. p. 459. ſeqq.* Sed praecipuum, quo nititur, fundamentum, ſymbolum, quod in hiſce *catecheſibus* explicatur, non Hieroſolymitanum, ſed Conſtantinopolitanum, eſſe, non adeo firmum eſt. Vt enim pleraque veterum ſymbola in quibusdam inter ſe conueniunt; ita mirum non eſt, Hieroſolymitanum in nonnullis conſenſiſſe cum Conſtantinopolitano.

tano. Illud ruſus, quod CYRILLVS explicat, non in omnibus cum Conſtantinopolitano conuenire, ipſemet OVDINVS diffiteri nequit. Editio illarum catecheſeon, quam THO. MILLES curauit, Oxoniae 1703, fol. prodiit. Idem adnotationibus eruditiſſimis eas illuſtrauit, in quibus antiquorum patrum theologiae lucem ſubinde prorſus egregiam adfundit. ANT. AVGVSTINI TOVTTAEI deinceps lucem adſpexit editio, Pariſiis 1720 fol. Inter reliquos ſaeculi quarti doctores eccleſiae, illuſtre, celeberrimumque nomen conſequutus eſt ATHANASIVS; ſub cuius nomine quae exſtat *tom. II. operum* eius *p. 55. ſeqq. ſynopſin ſcripturae veteris ac noui teſtamenti*, nonnulli itidem inter eiusmodi libros dogmaticos, de quibus hic nobis ſermo eſt, referre ſolent. Quo ipſo tamen ſignificant, ſe nu̅mquam forte huncce librum inſpexiſſe; in quo non dogmata fidei proponuntur, ſed, quid in ſingulis ſcripturae ſacrae libris contineatur, recenſetur. Accedit, quod hodie inter viros doctos conueniat, eam perperam ATHANASIO tribui. Idem cenſendum de *ſyntagmate doctrinae, ad homines ſolitarios, omnesque chriſtianos, tam clericos, quam laicos*; quod primum graece & latine ex codice manuſcripto IS. VOSSII edidit ANDR. ARNOLDVS, Pariſiis 1685, inſertum deinde eſt editioni operum ATHANASII, quae Coloniae, vt inſcriptio prae ſe fert, 1686 fol. prodiit, *tomo II. p. 699.* Neque enim de dogmatibus fidei in hocce libello praecipitur; ſed vitae, morumque regulae, monachis praeſertim, praeſcribuntur. Praeterea, licet editor eius, ANDR. ARNOLDVS, omni conatu id agat, vt euincat, genuinum hunc eſſe Athanaſii foetum; non omnibus tamen hoc perſuadere potuit, certe non IAC. BASNAGIO, qui hac de re epiſtolam ad PET. BAELIVM ſcripſit; ad quam cum ARNOLDVS reſpondiſſet, BASNAGIVS noua epiſtola ſententiam ſuam propugnauit. Prodierunt iſtae epiſtolae, cum *Chryſoſtomi epiſtola ad Caeſarium monachum*, ab eodem IAC. BASNAGIO edita, Traiecti ad Rhenum 1687, 8. GREGORII porro Nazianzeni exſtant equidem *quatuor de theologia orationes, tomo I. operum* eius *p. m. 529. ſeqq.* quarum etiam primam *inſtitutionibus ſuis theologicis antiquorum patrum* inſeruit IOSEPHVS MARIA TOMMASI, & quidem *tom. I. p. 158. ſeqq.* Verum, nihil minus in illis, quam inſtitutiones theologicas contineri, patet ex iis, quae ſupra iam monuimus, *part. I. c. I.* ad *§. II.* Mirari aliquis poſſet, exſtitiſſe, qui barbariem, qua ſcholaſtici doctores theologiam deinceps inquinarunt, a GREGORIO Nazianzeno deriuare non dubitarent. Fecit tamen illud PET. ALCYONIVS, *in Medice legato priore fol. 103.* Cum enim, de GREGORIO hocce verba faciens, dixiſſet, *vtinam incorruptam graecae linguae integritatem ſeruaſſet in tanta rerum ſilua, & tam magna librorum vi, certe ſanctiſſimum illum pontificem omni laude cumulatum iudicarem &c.* addit: *ex illius maxime ſcriptis barbariem irrepſiſſe in theologiam latinam, arbitror. Nam* (ita pergit) *veteres noſtri, interpretes mediocris litteraturae, nullius vero iudicii homines cum animaduerterent, theologum hunc frequenter vſurpare voces quasdam nouas, easque non ſatis apte fictas, neceſſe ſibi eſſe crediderunt, illas latine reddere, atque hunc in modum ſordida barbarie eſt lingua latina infuſcata.* Quod mihi quidem paullo longius petitum videtur. Iungatur PET. BAELIVS, *diction. hiſtor. & critic.* voc. *Nazianzenus, tom. III. p. 2209.*

Ad latinos ſaeculi quarti doctores ſi progrediamur, cumprimis nobis occurrit L. CAECILIVS LACTANTIVS FIRMIANVS, vir omnium ſuo tempore eruditiſſimus, iudice EVSEBIO in *chronico ad annum Chriſti CCCXVIII.* Hic inter alia

Digitized by Google

alia *diuinarum inſtitutionum libros VII.* reliquit, in quibus compendium aliquod, ſeu ſyſtema doctrinae chriſtianae contineri, facile ſibi perſuaſerit, qui ex ſola eas aeſtimauerit inſcriptione. Et ſane dum in quarto libro *veram ſapientiam* explicat, chriſtianae religionis dogmata proponere, illi conſtitutum eſt. Id vero ea ratione facit, vt de Chriſto quidem ſeruatore copioſe diſſerat, reliqua non attingat. Nec operis totius hoc requirebat ſcopus, qui erat, impugnare gentiles. Quamobrem & *libro primo* de falſa ſapientia agit, refellitque gentilium theologiam, & vnitatem Numinis adſerit; in *ſecundo* originem erroris circa res diuinas inueſtigat; in *tertio* philoſophiae gentilis vanitatem explodit; in *quinto* iuſtitiam penes ſolos eſſe chriſtianos, demonſtrat; de vero Numinis cultu contra eosdem gentilium philoſophos; in *ſexto*, & in *ſeptimo* denique de vita beata tractationem inſtituit. Quare & HIERONYMVS *epiſt. LXXXIV. ad Magnum*, recte operis huius argumentum exprimit, dum, *ſeptem*, inquit, *libros aduerſus gentes Arnobius edidit, totidemque diſcipulus eius Lactantius:* qui & *epiſt. XII. ad Paulinum*, LACTANTIVM ad tradenda ac confirmanda chriſtianae religionis dogmata non adeo aptum fuiſſe, cenſet. *Vtinam*, inquit; *Lactantius tam noſtra confirmare potuiſſet, quam facile aliena deſtruxit.* Recte prorſus ABR. SCVLTETVS: *Quoniam plus operae in falſis refutandis, quam in veris confirmandis poſuit Lactantius, ideo pauca fidei noſtrae capita plene ab eo ſunt expoſita: pleraque tantum attigit, plurima non intellexit*; in *medulla theolog. patr. part. I. lib. X. c. XI. p. 422.* Grauiſſimos quosdam errores in LACTANTIO poſt HIERONYMVM notant *centuriatores Magdeburgenſ. cent. III. p. 1079.* IO. DALLAEVS, de *vſu patrum, lib. II. c. IV. p. 266.* aliique. GE. BVLLVS, licet in eo ſit, vt LACTANTIVM cum reliquis patribus ante-Nicaenis ab Arianiſmi labe purget, de eo tamen ita pronuntiat: *Erat ſcriptor ille pene rudis diſciplinae chriſtianae, & in rhetorica melius, quam in theologia verſatus. Vnde ipſum Damaſus papa, ſcholaſticum magis quam eccleſiaſticum cenſuit; & Hieronymus ob ſermonis potius elegantiam, quam accuratam euangelicae doctrinae ſcientiam commendauit. Certe numquam inter eccleſiae doctores numeratus fuit*; in *defenſ. fidei Nic. ſect. II. c. XIV. §. IV. p. m. 170.* confer. & *ſect. III. c. X. §. XX. p. 247.* Sed, miſſo LACTANTIO, ad magnum illum Hipponenſium praeſulem AVRELIVM AVGVSTINVM nos conuertimus, quo nemo eo tempore ad ſyſtema theologicum condendum aptior erat. Certe ingenio eius longe praeſtantiſſimo, cuius pulcherrima in reliquis ſcriptis ſuis ſpecimina dedit, hoc plane erat conueniens. Neque tamen animum ad iſtum laborem adiecit, ſed tantum ſummam quamdam doctrinae chriſtianae paucis complexus eſt, in *enchiridio ad Laurentium de fide, ſpe & charitate.* Quem libellum eam ob cauſſam an. 1705 Lipſiae recudi curauit beatus ADAM. RECHENBERGIVS, qui & in *praefatione* illi praemiſſa, naeuos eidem adſperſos non diſſimulat. Eiusdem vero praeſulis *libri quatuor, de doctrina chriſtiana*, huius loci non ſunt, ſiquidem non de dogmatibus ſacris, ſed de ratione explicandi ſcipturam in illis praecipit, in vltimo autem oratorem ſacrum inſtruit; hinc & alibi de eo dicemus ex inſtituto. GE. CALIXTVS, qui hoſce de *doctrina chriſtiana* libros Helmſtadii 1629 iterum in lucem produxit, iisdem, praeter VINCENTII LERINENSIS *commonitorium*, addidit, AVGVSTINI librum, *de fide & ſymbolo*; de quo tamen itidem rectius capite ſequenti verba faciemus. Multo minus nos nunc morabuntur *libri quatuor, de ſymbolo & regula fidei ad catechumenos.* Praeterquam enim, quod de

Digitized by Google

iis in *theologia ſymbolica* dici poſſit, primum tantum ex hiſce genuinum eſſe, viris doctis obſeruatum eſt. Neutiquam vero hic praetermittendus eſt liber de *catechizandis rudibus*; non quidem, ac ſi ipſa doctrina catechetica in eo contineatur, ſed quod rationem catechizandi inde condiſcere queamus, ſimulque intelligamus, iſtius aetatis doctores in rudioribus inſtituendis magnam adhibuiſſe diligentiam. Rogatus namque AVGVSTINVS a diacono Carthaginenſi, catechizandi artem, laudabili profecto inſtituto, docere voluit; eumque in finem praecepta primum tradit, vt id officii non tantum certa methodo, atque idonea ratione, ſed etiam ſine taedio & cum hilaritate impleatur. Poſtea, reuocatis ad vſum praeceptis, profert ipſe in exemplum ſermones, ad eum erudiendum, qui chriſtianus eſſe velit, comparatos duos, longiorem vnum, alterum breuiſſimum. Exſtat libellus iſte *operum* eius *tom. VI. p. 191. ſeqq.* edit. quae Antwerpiae 1701 prodiit. Legenda omnino IO. BENED. CARPZOVII ad huncce Auguſtini librum, *de catechizandis rudibus*, diſſertatio, in qua non tantum adcurata eius analyſis exhibetur, ſed idem obſeruationibus quibusdam illuſtratur. Exſtat inter reliquas auctoris iſtius diſſertationes, Lipſiae 1699, 4. editas *p. 857. ſeqq.* Eſt vero hoc loco haud perfunctorie obſeruandum, optimum huncce Hipponenſium praeſulem, AVGVSTINVM, curioſe & ſubtiliter de rebus diuinis diſputando, principiaque cum concluſionibus rite connectendo, ſyſtematicamque quamdam docendi rationem conſectando, exemplum reliquiſſe, quod deinceps imitarentur doctores ſcholaſtici. Quod ne fruſtra dixiſſe videamur, iuuabit hic recitare, quae de methodo docendi, qua hicce Hipponenſium praeſul vſus eſt, LVDOV. ELLIES DV PIN hunc in modum pronuntiat: *Vſitata eius methodus eſt, praeclara principia ponere, ex quibus innumeras elicit conſequentias, adeo, vt omnia doctrinae illius capita arctiſſimam inter ſe connexionem habeant. In pleriſque myſteriis magis ratiocinatus eſt, quam vllus auctor ante illum; plures quaeſtiones, prius non motas, agitat, harumque plures ſola acuminis ſui vi diremit. Longe ſaepius abiit ab eorum ſententia, qui ipſum praeceſſerunt, vt nouam prorſus viam inſiſteret, ſiue in ſcripturarum explicatione, ſiue in theologicis opinionibus. Circa res theologicas de eo dici poteſt, quod de ſe ipſo dicebat Cicero circa philoſophiam, quod fuerit magnus opinator, id eſt, quod plurimas opiniones, quae meram habebant probabilitatem, in medium protulerit. Sed id fecit Auguſtinus admodum modeſte, ac prudenter, non ea mente, vt alios ad arbitrium ſuum, caecorum in morem, ſequendum adigeret. Contra vero; cum agitur de eccleſiae doctrina, eam cum animi firmitate proponit, ac tuetur, eamque oppugnantes fortiter adoritur. Multo minus eruditione, quam ingenii dotibus valebat; nam neque linguas callebat, neque veterum ſcripta euoluerat. Multo facilius ac terſius, quam polite & eleganter, ſcribebat. Quamuis rhetoricam docuiſſet, oratorum tamen eloquentiam non poſſidebat, aut illam ſaltem negligebat; immo nec ſemper in phraſibus ſuis caſtigatus eſt ſtilus eius, vocabulaque impropria atque barbara quandoque vſurpat,, argutiis ſaepius, vocumque alluſionibus vtitur; res easdem frequenter repetit, eademque ratiocinia centies in ſcriptis ſuis inculcat. Eidem mentis conceptui diutius inhaeret, quem variis modis effatur, & in locos communes excurrere ſolet. Argumenta innumera ex aliquo principio ediſſeruit, corpusque theologicum, vt ita loquar, latinorum patrum, qui poſt ipſum vixerunt, efformauit. Hi ſiquidem ex illius libris non tantum hauſerunt principia, quibus vſi ſunt, ſed etiam frequenter eumdem mere transſcripſerunt;* nou. biblioth. auctor. eccleſiaſt. tom. III. p. m.

p. m. 256. Non itaque errauerit, qui dixerit, theologiae ſcholaſtico-ſyſtematicae fontem praecipuum, in eccleſia occidentali, fuiſſe AVGVSTINVM. Fingere principia, deducere ex his concluſiones in infinitum, ratiociniis potius, quam ſcripturae niti teſtimoniis, ſectari quaeſtiones curioſas, ingenium potius, quam eruditionem, quae linguarum & hiſtoriarum notitia conſtat, prodere, & quae reliqua ſunt, in hocce Hipponenſium praeſule notata, theologiae ſcholaſtico-ſyſtematicae fere propria ſunt. Certe haecce ab AVGVSTINO maxime didicerunt ſcholaſtici doctores, cuius quippe in occidentali eccleſia, ob ingenii dotes, in iſta litterarum iam tum inualeſcente barbarie, maxime conſpicuas, ſumma fuit auctoritas, vt eius decreta oraculorum inſtar eſſent, tandemque ipſi praeferrentur ſcripturae. Quare & cum PET. LOMBARDVS, ſaeculo duodecimo, theologiam vniuerſam in ſyſtema aliquod cogere vellet, nihil fere aliud egit, quam vt ex AVGVSTINI operibus, quae ad inſtitutum ſuum faciebant, excerperet. Cum vero eodem ſaeculo quarto, quo AVGVSTINVS vixit, certamina cum Arianis, aliisque trinitatis hoſtibus occaſionem praeberent patribus, ipſique Hipponenſium praeſuli, multa curioſe & ſubtiliter de myſterio trinitatis diſputandi; idque etiam in doctrina de Chriſto, duabusque in eo naturis, per certamina Neſtoriana & Eutychiana ſaeculo quinto & ſexto fieret; materia hinc itidem ſequenti aetate ſcholaſticis doctoribus ſuppeditata fuit, in qua ingenii ſubtilitatem exercerent. Atque haec eum in finem monui, vt intelligeretur, non ſine ratione primam ſcholaſticae theologiae a quarto ſaeculo, ipſo cumprimis AVGVSTINO, repeti originem, hoc ipſo ſimul, ſequentibusque ſaeculis, per varia cum haereticis certamina, tales quaeſtiones proferentibus, quae alendae fouendaeque ſcholaſticorum curioſitati egregie inſeruirent. Sed vt reliqua, quae huius loci eſſe videri poterant, paucis perſequamur; exiſtimare forte quis poterat, AMBROSII *libros quinque de fide* ſuam hic ſibi vindicare ſedem; in quibus tamen id tantum agit, vt trinitatem perſonarum euincat, refutetque errores Arianorum. Duos namque priores ad Gratianum imperatorem ſcripſit, eius inductus precibus, cum anno 377 in orientem Valenti contra Gothos ſuppetias laturus iret, ibique regnare Arianiſmum intelligeret. Cumque ſibi nondum ſatisfactum Ariani iactitarent; tres vltimos libros anno 379 adiecit, in quibus, quae antea ſcripſerat, confirmauit, latiusque deduxit. Nec praetermittendus eſt GENNADIVS Maſſilienſis, ob librum *de eccleſiaſticis dogmatibus*, quem cum *veteris cuiusdam theologi homilia ſacra, & Marcialis epiſcopi Lemouicenſis epiſtolis*, edidit, & notis eruditis illuſtrauit, GEVERHARTVS ELMENHORSTIVS, Hamburgi 1614, 4. Per *eccleſiaſtica* nimirum *dogmata* ea intelligit, quae recepta ſunt in eccleſia, atque contra haereticos quosuis ſtabilita & firmata. Ea namque hic ſummatim, ſed ſine certo ordine, complectitur, vt ſubinde etiam indicet, quibus ea ſint oppoſita. Sic *c. IX. p. 7. poſt reſurrectionem*, inquit, *& iudicium non credamus reſtitutionem futuram, quam Origenes delirat &c.* Sunt, qui GENNADIVM Pelagianis aut ſemi-Pelagianis adnumerant, refragantibus tamen aliis. Sed qui prius adſerunt, non omni deſtitui fundamento, a me iam obſeruatum, in *diſſertat. de Pelagianiſmo in eccleſia romana per bullam anti-Queſnellianam triumphante*, §. *VI.* Capita huius operis triginta, ſcilicet a *XXII.* ad *LI.* poſt GENNADII mortem ab aliena manu ex *epiſtola Caeleſtini papae ad Gallos decretali*, & conciliorum, Mileuitani, africani,

ni, & Arauſicani ſecundi canonibus conſarcinata & intexta videri, docet GVIL. CAVE, *hiſt. litterar. ſcriptor. eccleſ. ſaec. V. p. 266.*

§. VIII. Saeculo ſexto philoſophia Ariſtotelica, in eccleſia occidentali ſenſim per ANICIVM MANLIVM TORQVATVM SEVERINVM BOETHIVM introduci, ſimulque, accedentibus & aliis cauſſis, via ad theologiam ſyſtematico-ſcholaſticam magis muniri coepit. * In orientali autem eccleſia IOAN. DAMASCENVS, ſaeculo octauo, eam tractandi theologiam ingreſſus eſt rationem, quae ad ſcholaſtico-ſyſtematicam proxime accederet, quamque deinceps plerique Graecorum ſequuti ſunt. **

* ARISTOTELI hancce laudem deberi, quod primus fuerit, qui in omnibus philoſophiae partibus ſyſtematica docendi ratione vſus ſit, neminem fugit. Non minus quoque notum, primis ſaeculis maiorem PLATONIS apud chriſtianos fuiſſe auctoritatem, quam ARISTOTELIS. Mutata vero deinceps rerum facies eſt, in latina praeſertim eccleſia, occaſionem primum ſuppeditante ANICIO MANLIO TORQVATO SEVERINO BOETHIO. Hunc enim Ariſtotelicae philoſophiae addictum, in eadem propaganda ſtudium omne operamque collocaſſe, vel ſcripta eius teſtantur; cuiusmodi ſunt, *in categorias Ariſtotelis libri quatuor; in librum Ariſtotelis de interpretatione, minorum commentariorum libri duo; maiorum commentariorum libri ſex; analyticorum Ariſtotelis eodem interprete libri quatuor*; & alia eiusdem generis, de quibus praeter alios conſulendus IO. CLERICVS, in *biblioth. ſelecta, tom. XVI. artic. IV. p. 192. ſeqq.* Quae quidem omnia ſcholaſticis doctoribus deinceps vſui fuerunt, cum & ipſi Ariſtotelem ducem eligerent, nec tamen graecam linguam intelligerent. Iam & ſtudium concinnandi in philoſophicis compendia ac ſyſtemata, eodem ſaeculo inualuit. Ipſius BOETHII exſtant de *arithmetica libri duo*; de *muſica libri quatuor*, & alia. MARCI quoque AVRELII CASSIODORI, de *ſeptem diſciplinis, grammatica, rhetorica, dialectica, arithmetica, muſica, geometria, & aſtronomia* liber ſatis notus eſt. Documento haec erant, quod ſyſtematica diſciplinas tractandi ratio placere plurimis inciperet. Exſtant equidem & eiusdem CASSIODORI *de diuinis lectionibus*, ſiue vt alias etiam vocantur, *de inſtitutione diuinarum ſcripturarum, libri duo*; ſed in iis de ordine tantum, rationeque legendi ſacram ſcripturam praecipit, & praecipuos auctores, qui ad ipſius aetatem vsque ſcripturam ſacram explicarunt, indicat. Cumprimis vero adhuc obſeruandum, fuiſſe iam ſaeculo ſexto quoſdam, qui ſententias ex ſcriptis patrum, ſeu veteris eccleſiae doctorum colligerent, easque certo ordine in locos quoſdam communes diſponerent; quam methodum primi theologiae ſcholaſticae auctores auide arripuerunt, & certatim ſequuti ſunt. Circa finem nimirum ſaeculi ſexti ISIDORVS Hiſpalenſis floruit; & praeter alia ſcripta quam plurima, eaque ſatis nota, *ſententiarum libros tres*, reliquit, magnam partem ex GREGORII magni moralibus excerptas; quamquam & AVGVSTINO, aliisque vtatur. Idem opus interdum & *de ſummo bono* nuncupatur, more Ebraeorum, a primis, quibus inchoatur verbis: *ſummum bonum Deus eſt.* Varias eius editiones recenſet NIC. ANTONIVS, *biblioth. hiſpan. vet. tom. I. lib. V. c. IV. p. m. 260. 261.* Eodem circiter tempore, ſeu circa finem ſaeculi ſexti vixit LEONTIVS, Cyprius,

prius, Neapoleos, ſeu vt ipſe vocat, Hagiapoleos in Cypro epiſcopus. Huius inter ſcripta itidem numerantur *loci communes theologici*, ex ſcriptis patrum maximam partem contexti, & in duo volumina digeſti, quorum priori τῶν θείων titulum fecit, alteri τῶν ἀνθρωπίνων· Poſterius ad manus ſuas perueniſſe, teſtatur FRANC. TVRRIANVS, in opere, quod de *hierarchicis ordinationibus miniſtrorum eccleſiae catholicae, aduerſus ſchiſmaticas vocationes*, ſcripſit, *lib. I. c. XII.* Memorat etiam hoſce LEONTII *locos communes*, IAC. SIRMONDVS, in *not. ad Facundum, p. 76.* PAVL. COLOMESIVS, cum eadem, quae diximus, obſeruaſſet, addit: *praeter Leontium & Damaſcenum, locos communes e ſcriptura & patribus, decerptos, ſcripſere ſanctus Maximus & Antonius. Inter latinos defenſor quidam in Scintillis, in Vrſini nutritoris ſui gratiam ſcriptis. Liber Antwerpiae, Venetiis, & Coloniae ſuperiori ſaeculo eſt excuſus. Quo tempore vixerit auctor, nondum comperi*; in *paralipom. ad Guil. Caue chartophylac. eccleſiaſt. p. 8. 9.*

** IOANNEM, a patria Damaſcenum, ab eloquentia *chryſorrhoam* dictum, qui ſaeculo octauo floruit, in ſuis *de orthodoxa fide* libris, primum eiusmodi quid molitum, quod ſyſtematis cuiusdam indolem referret, paſſim viri docti tradunt. Cumque is philoſophiam cum theologia coniunxerit; hanc docendi rationem a Syris, vel Arabibus potius eum accepiſſe, IO. HENR. HOTTINGERVS exiſtimat. Apud Arabes enim ſectam quamdam מדברים *loquentium* fuiſſe, quorum idem plane inſtitutum fuerit, ac deinceps ſcholaſticorum, ex MOSE MAIMONIDE docet. *Sunt autem*, inquit, *illi philoſophi Arabum celeberrimi, metaphyſici ſubtiliſſimi, qui vt a primis chriſtianis, Maimonide teſte, diſputationis ſerram reciprocare didicerunt, ita poſtea cum ſacra profanis, theologica philoſophicis miſcuiſſent, hanc ipſam lampadem, ſtudiis Arabum paulatim abolitis, chriſtianis, Hiſpanis cumprimis, theologiae ſcholaſticae ſtudioſis, tradiderunt.* Idem, cum copioſius *loquentium ſectam* ex Maimonide deſcripſiſſet, addit: *en! ideam ſcholaſticorum & theologiae ſcholaſticae; hiſt. orient. lib. II. c. VII. p. 560. ſeqq.* Legendus vero de hacce loquentium ſecta ipſe MOSES MAIMONIDES in *more neuoch. part. I. c. LXIX.* Quod ſi ita ſe res habet, prout hicce Iudaeorum magiſter refert, מדברים ſeu *loquentes* illos proxime ad ſcholaſticos accedere, certe in vanis ac ſuperfluis diſputationibus, patet. Habuerunt etiam in ſua doctrina aliquid ſyſtematici, dum teſte MAIMONIDE, praecipua illorum cura fuit, certa ponere principia, quorum beneficio euitarent aut diſſoluerent facile, quae ſententiis illorum atque placitis obiici poterant. Ab ipſo tamen forte ARISTOTELE haecce diſputandi ratio cum diſputandi pruritu ad Arabes peruenit. Orientalium enim philoſophis notum fuiſſe ARISTOTELEM, vel inde colligas, quod iam Iuſtiniani imperatoris aeuo, Choſroës Perſarum rex, Platonis & Ariſtoſtelis libros perſico ſermone donandos curauerit; vt ex AGATHIA obſeruat PETR. DAN. HVETIVS, *de claris interpretib. p. m. 201.* Sequenti certe aetate Arabes, excitante apud eos litterarum ſtudia Almamone anno circiter hegirae ducenteſimo, hoc eſt, ſaeculo a Chriſto nato nono, certatim graecos latinosque auctores in linguam ſuam conuertiſſe, & inter philoſophos Ariſtotelem maxime, quem ceu ducem ſequerentur, elegiſſe, conſtat. Hinc vero & cum Arabibus in Hiſpaniam Ariſtotelica philoſophia, & ita porro in reliquas Europae regiones tranſiit, ac per verſiones ineptiſſimas corrupta mirum in modum, & deprauata, theologiae ac philoſophiae ſcholaſticae originem dedit. Conſentit in eo nobiſcum CAMPEGIVS VITRINGA, qui Ara-

Digitized by Google

Arabum illos מדברים ſeu *loquentes* a Graecorum philoſophis originem ſuam trahere, exiſtimat; *ſacr. obſeruat. lib. III. c. XXI. §. XII. p. 786.* vbi plura de hacce arabum philoſophorum ſecta ſuppeditat. Ad IOANNEM noſtrum DAMASCENVM vt reuertamur, opus eius *de orthodoxa fide* apud Latinos in quatuor vulgo diuiditur libros. Eius vero partitionis veſtigium cum in nullo codice graeco adpareat; MICH. LEQVIEN non ſine ratione coniicit, eam a Latinis excogitatam, introductamque fuiſſe, ad inſtar quatuor librorum ſententiarum Petri Lombardi; in *prologo* operi huic *de orthodoxa fide* praemiſſo, *tom. I. p. 119.* Hanc ergo ſi ſequamur partitionem, in *primo libro* DAMASCENVS de Deo agit, eiusque eſſentia, attributis & perſonis; de rebus a Deo creatis, ſpeciatim de homine, *libro ſecundo*, vbi & de prouidentia, praeſcientia, praedeſtinatione, lapſuque primi hominis verba facit. De incarnatione filii Dei, dum *libro tertio* exponit, ſimul de perſona & naturis Chriſti copioſe diſſerit. Idem *libro quarto* continuat argumentum, ſimulque de fide, baptiſmo, ceterisque religionis chriſtianae capitibus diſquirit. De hiſce omnibus ita praecipit, vt numquam non ἀκρίβειαν, ſcholaſticis vſitatam, conſectetur; ſubinde tamen admiſcet talia, quae ad theologiam non ſpectant. Eumdem eum, quem THEODORETVS, in *diuinorum dogmatum epitome* (ſeu *haereticarum fabularum lib. V.*) inſtituerat, ordinem tenere, at non item methodum, MICHAEL LE QVIEN obſeruat in *prologo* in huncce librum *tom. I. p. 118.* *Ille enim*, inquit, *ex proprii ingenii molimine, adductis ſacrae paginae teſtimoniis, aduerſus haereticos varia componens argumentorum genera compendiariam digeſſit theologiae tractationem; noſter vero non ex ſcriptura ſolum, verum etiam ex conglobatis ſanctorum patrum ſententiis, ea qua par erat, tum perſpicuitate, tum breuitate, inexhauſtum traditionis promptuarium protulit, in quo nihil reperire ſit, quod vel ab oecumenicis ſynodis ſancitum non fuerit, vel a probatis eccleſiae magiſtris acceptum.* De THEODORETI opere, cuius auctor mentionem facit, alibi erit dicendi locus. Ad DAMASCENVM quod attinet, ſi patrum teſtimonia eum in finem adduxit, quod putaret, ſcripturae iungendam traditionem; minime laudandus eſt; cum ſola ſcriptura ſit fidei ac vitae noſtae regula. Praeiuit tamen etiam hac in re exemplum doctoribus ſcholaſticis. Sed iuuabit porro MICHAELEM LE QVIEN audire: *Inprimis vero ſequutus eſt Gregorium Nazianzenum, qui ob adcuratiſſimam in rebus diuinis eruditionem, theologus audire meruit, quique vix vllum doctrinae chriſtianae caput intactum reliquit, in ſuis quae ſuperſunt, operibus, absque vllo vel leuiſſimi erroris naeuo aut ſuſpicione. Huius libros ea legerat aſſiduitate, vt omnes fideli memoria complexos videatur. Quo circa in hoc paſſim opere non tam Ioannem Damaſcenum, quam Gregorium theologum orthodoxae fidei myſteria ediſſerentem, audieris. Ad haec Baſilium magnum adſciuit, Gregorium Nyſſenum, atque inprimis eorum amiciſſimum Nemeſium Emeſae in Syria epiſcopum, Cyrillum itidem Alexandrinum, Leonem magnum, Leontium Byzantinum, Maximum martyrem, Athanaſium quoque, Chryſoſtomum, Epiphanium, atque, vt alios taceam, ſcriptorem illum, qui Dionyſii areopagitae nomen adſumſit. Horum omnium lectis hinc inde ſententiarum floribus ſaluberrimae doctrinae ſuauiſſima mella confecit.* Singularem vtique hancce DAMASCENI induſtriam nemo vituperauerit; nec abnuo, contineri in hocce opere, quae minime ſunt contemnenda; quamuis & occurrant, quae omnibus placere nequeant, praeſertim, quod ſuo exemplo alios, vt in doctrina ſacra

ſacra ſimplicitatem chriſtianam migrarent, & theologiam ſubtilibus, interdum & vanis & otioſis ſpeculationibus, corrumperent, inuitauit. Conſentientem mecum habeo IO. HENR. HOTTINGERVM, qui haud inuitus largitur, maiorem equidem lucem quibusdam capitibus, de Deo, de trinitate perſonarum, deque Chriſti perſona & naturis, DAMASCENVM noſtrum intuliſſe; ſimul tamen, *non ſine rei theologicae grauiſſimo damno* hoc eum condidiſſe ſyſtema, pronuntiat. *Articulis namque*, inquit, *momentoſiſſimis, de libero arbitrio, fide, iuſtificatione &c. multa ſpinoſa & intricata immiſcuit, peculiares doctorum illius aetatis opiniones pro fidei articulis obtruſit, in ſcripturae locis citandis rarior eſt, phraſeologia denique vtitur inſolita, & tam a ſcriptura, quam recepta eccleſiae conſuetudine aliena*; in *bibliothecar. quadrip. lib. III. c. II. §. III. p. 372.* Et ita ſtatim ſe oſtenderunt incommoda illa, quae deinceps in pleriſque ſyſtematicae theologiae ſcriptoribus obſeruare licuit. HOTTINGERVM equidem, & alios quosdam reformatae eccleſiae doctores, alieno a DAMASCENO eſſe animo, quod de perſona Chriſti tradat, quae iis non placent, ADAMVS TRIBBECHOVIVS cenſet; at hoc non obſtat, quo minus vera ſint, quae HOTTINGERVS monuit; quemadmodum & ipſe TRIBBECHOVIVS diffiteri nequit, variis laborare naeuis DAMASCENVM: ſpeciatim vero, praeeunte MART. CHEMNITIO, obſeruat, quod peccati originalis nullam faciat mentionem; de *doctorib. ſcholaſticis, c. VI. p. 281.* Ceterum de DAMASCENO ipſemet pronuntiauerat CAES. BARONIVS: *in multis eius ſcriptis fidem vacillare & compluribus ipſum ſcatere mendaciis*; quod eius iudicium confirmat ISA. CASAVBONVS, *exercit. XIII. ad annal. Baronii, num. XXXVIII. p. 270.* Praeter opus DAMASCENI *de orthodoxa fide*, etiam commemoranda hic videntur eiusdem *ſacra parallela*, vel, vt ipſemet ea vocari voluit, *τὰ ἱερὰ ſacra*, a MICHAELE LEQVIEN primum graece edita, *tom. II. p. 279. ſeqq.* cum IACOBVS BILLIVS ea antea latine tantum in lucem protuliſſet. In hiſce collectanea ſatis ampla ex ſcriptura, & patribus, de omnibus theologiae chriſtianae capitibus, exhibentur, ſed ſecundum ſeriem litterarum diſpoſita. Solo itaque ordine a *libris ſententiarum* differunt, quos theologiae ſyſtematico-ſcholaſticae praecipuam occaſionem dediſſe, mox copioſius exponemus.

§. IX. In occidentali rurſus eccleſia, ſeptimo, ſequentibusque ſaeculis exſtitere, qui ſententias patrum colligerent, quod primum ſyſtematicae theologiae initium fuit. Pleniori tamen tandem habitu, cum ipſa theologia ſcholaſtica, haecce tractandi theologiam ratio prodiit; ſimulque corruptelis variis vitiisque, ſucceſſu temporis augendis, fuit coinquinata. *

* TAIONEM, ſeu TAGONEM, vel vt alii vocant, TAIVM, epiſcopum Caeſar-Auguſtanum, qui circa medium ſaeculi ſeptimi claruit, IO. MABILLONIVS inter primos refert, qui ex patrum ſententiis *ſummam* quamdam, ſeu *ſyſtema theologicum* confecerint; de *ſtudiis monaſticis part. II. c. VI. p. m. 284.* Omnium primum eum fuiſſe, dici nequit; cum iam ſaeculo ſexto ISIDORVM Hiſpalenſem, & LEONTIVM Cyprium, in ſententiis patrum colligendis, & in certum ordinem diſponendis, ſtudium ſuum, diligentiamque collocaſſe, antea obſeruatum ſit. TAIO itaque hicce ex GREGORII magni ſcriptis collegit *ſententiarum libros quinque*, ſeruatis ipſius GREGORII verbis, paucis, vbi ea deſunt, ex AVGVSTINO

ſuppletis. In *primo libro* de Deo agit, eiusque attributis; in *ſecundo* de incarnatione, & euangelii adnuntiatione, deque paſtoribus; in *tertio*, de diuerſis ordinibus eccleſiae, deque virtutibus & vitiis; in *quarto* de iudiciis diuinis, tentationibus & peccatis; & in *quinto* denique de reprobatis, iudicio extremo & reſurrectione. Haec ex MABILLONII *l. c.* retulimus, cum hactenus iſti *ſententiarum libri* impreſſi non ſint, ſed inter codices manuſcriptos bibliothecae Thuanaeae exſtent. Praefationem tamen eorum ad Quiricum Barcinonenſem, vna cum Quirici huius reſponſo, edidit idem MABILLONIVS, *analect. tom. II. p. 68.* Plura qui de TAIO hocce, ſeu TAIONE, ſcire auet, NIC. ANTONIVM adeat, *biblioth. hiſp. vet. tom. I. lib. V. c. VIII. p. 310.*

Licet autem ab hiſce ſententiarum ex patrum ſcriptis collectionibus, non neglectis tamen reliquis, quas antea indicauimus, cauſſis, prima theologiae ſyſtematicae, proprie ſic dictae, repetenda ſit origo, aut, ſi mauis, proxima occaſio; pleniori tamen facie in lucem prodiit ſimul cum theologia ſcholaſtica. Ab hac enim illa quod praecipuum eſt, & velut caput rei conſtituit, accepit. IACOBVS equidem THOMASIVS, vir harum rerum peritiſſimus, tempus ipſius theologiae ſcholaſticae natae non altius repetendum cenſet, quam ab eo aeuo, vbi in eccleſia latina titulo *ſententiarum* ſcribi coeperunt ſyſtemata theologiae vniuerſae; in *obſeruatione, de theologia ſcholaſtica, & eius initio*, in CHRIST. THOMASII *hiſtoria ſapientiae & ſtultitiae, tom. III. p. 231.* Recte quidem, ſed adcuratius tamen, ni fallor, ſecundum hactenus adlata, dici poteſt, ex ſententiarum iſtis collectionibus, accedente philoſophiae Ariſtotelicae vſu, aut abuſu potius, theologiam tum ſcholaſticam, tum ſyſtematicam, proprie ſic dictam, exortam eſſe. De primo rurſus ſcholaſticae theologiae auctore non vna omnium eſt ſententia. Sunt namque, qui a LANFRANCO, celebri illo Cantuarienſium archiepiſcopo, qui ſaeculo XI floruit, eius originem repetunt, vt LAMB. DANAEVS, in *prolegom.* in *Pet. Lombardi libros ſententiarum. c. I.* Eousque vero ſi adſcendendum ſit, alii potius ROZELINVM, ſeu ROSCELINVM nominandum putant, Compedienſem dialecticum, PET. ABAELARDI praeceptorem, qui vtique, ſi non primus, certe inter primos fuit, qui corruptam Ariſtotelis philoſophiam cum theologia coniunxerunt. Legendus de hocce ROSCELINO, eiusque ſtudiis, eſt AVENTINVS, *annal. Boior. lib. VI. p. 625.* Alii rurſus PET. ABAELARDVM, alii denique huius diſcipulum PET. LOMBARDVM, primum ſcholaſticae theologiae auctorem conſtituunt. Quae ſententiae inter ſe conciliari poſſunt, ſi occaſionem a re ipſa, ſeu tempus conceptionis a tempore natiuitatis, diſtinguamus; illosque, qui ante LOMBARDVM philoſophiam cum theologia coniunxerunt, & dialecticis ſubtilitatibus doctrinam theologicam obruerunt, occaſionem proximam theologiae ſcholaſticae dediſſe, dicamus, quam demum, ceu partum iam maturum, condendo *libros ſententiarum*, enixus ſit PET. LOMBARDVS, etſi, in his patrum maxime ſequi auctoritatem, videri voluerit. Non procul hinc diſcedunt, quae hac de re diſſerit IAC. THOMASIVS, *loco* antea *citato*, *§. XXIV. ſeqq. p. 231. ſeqq.* vbi ea illuſtrat, quae de eodem hocce argumento ſcripſerat in *ſchediaſmate de definit. philoſ. &c. p. 62.* Addenda, quae CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS de *origine theologiae ſcholaſticae* obſeruat, in *praefatione* AD. TRIBBECHOVII libro *de doctoribus ſcholaſticis* praemiſſa *p. 13.* Id certum eſt, poſitumque extra controuerſiam, circa medium ſaeculi vndecimi philoſophiam Ariſtote-

ſtotelicam ad Arabum methodum in ſcholis doceri coepiſſe. Quo pacto autem apud Arabes haec philoſophandi ratio excitata, & per eos in Europam propagata ſit, antea diximus; exponitque etiam ADAMVS TRIBBECHOVIVS, de *doctoribus ſcholaſticis, c. III. p. 33. ſeqq.* Certum etiam, eos, qui hiſce principiis imbuti erant, cum ad theologiam accederent, eadem ſecum attuliſſe, & non tantum in controuerſiis, quae iam tum agitabantur, decidendis, ſed vanis etiam quaeſtionibus, de quibus antea ne auditum quidem fuerat, formandis, iisdem vſos. Inter primos, qui id fecerunt, ROSCELINVS fuit, quem deinceps PET. ABAELARDVS, GILBERTVS PORRETANVS, aliique, ſequuti ſunt. OTTO Friſingenſis huic theologiam tractandi rationi in Germania ianuam aperuiſſe, dicitur; vnde factum, vt breui temporis ſpatio vbique fere regnare inciperet; ſtatim vero etiam coniunctionis huius philoſophiae Ariſtotelicae cum theologia abuſus patuit. Namque non tantum BERNHARDVS, Claraeuallenſis ille abbas, ſed & ipſe OTTO Friſingenſis, a quo Germanos theologiam hancce ſcholaſticam accepiſſe, diximus, dialecticam Ariſtotelis in PETR. ABAELARDO culparunt, & GVALTERVS, Prior Victorinus, contra Abaelardum, Petrum Lombardum, Petrum Pictauinum, Gilbertum Porretanum, tamquam homines Ariſtotelico ſpiritu adflatos, ſcripſit. Quae omnia fuſius ediſſerit IO. LAVNOIVS, de *varia Ariſtotelis fortuna in academia Pariſienſi, c. III. p. 187.* Variorum nimirum, grauiſſimorumque errorum, primi iſti theologiae ſcholaſticae auctores arguebantur. Ipſe iam ROSCELINVS in Deo tres perſonas ſeparatas, ſeu tres potius Deos, ſtatuiſſe, dicitur; refutatus ideo ab ANSELMO, *lib. II. epiſt. XXXV.* De PET. ABAELARDO, GILB. PORRETANO, ceteriſque, ex inſtituto dixi, in *obſeruatione, de haereſibus ex philoſophia Ariſtotelico-ſcholaſtica ortis, tom. I. obſeruat. ſelectar. ad rem litterar. ſpectant. obſ. XV. §. XI. ſeqq. p. 187. ſeqq.* Qui vero ROSCELINVM & ABAELARDVM excuſant, vel defendunt, diffiteri nequeunt, ſpinoſis ac inutilibus quaeſtionibus eos theologiam oneraſſe ac corrupiſſe. Licet autem ANSELMVS ROSCELINVM ob errores quoſdam, vti diximus, reprehenderit; ipſe tamen haud vltimum inter eos locum tenet, qui ſcholaſticam theologiam introduxerunt. Immo IO. MABILLONIVS, primum eum fuiſſe adſerit, qui argumenta theologica methodo ſcholaſtica tractauerit; de *ſtudiis monaſticis, part. II. c. VI. p. 285.* Ad PET. LOMBARDVM quod attinet, ſunt, qui putant, eum nouam ſententiarum ex patribus, inprimis Hilario, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, inſtituendo collectionem, incommodis, quae iam tum ex philoſophiae Ariſtotelicae cum theologia commixtione orta erant, obuiam ire voluiſſe, ſibique perſuaſiſſe, lites ac controuerſias recens natorum ſcholaſticorum, auctoritate patrum componi poſſe. Ita LVD. ELLIES DV PIN, in *methodo ſtudii theol. c. II. p. 20.* Et negare nolim, maiori eum circumſpectione vſum, quam reliquos; certe diligenter ſibi proſpexiſſe videtur, ne praeceptoris ſui PET. ABAELARDI errores, ſaltem qui illi tribuuntur, ſuo adprobaſſe calculo crederetur. Eum tamen omnino ex fonte caenoſo aliquid traxiſſe, quod aduerſariis eius occaſionem dederit, eum erroris arguendi, IAC. THOMASIVS pronuntiat, de *theologia ſcholaſtica & eius initio, §. LIV. p. 238.* Nec aliorum, quibus reliqui ſcholaſtici infecti ſunt, naeuorum, eum immunem fuiſſe, res ipſa docet, & deinceps oſtendemus. De hoſtibus eius, quos expertus eſt, praeter alios legendus AD. TRIBBECHOVIVS, de *doctoribus ſcholaſticis &c. c. VI. p. 317.*

Iam, vt ad ipſos ſententiarum libros, a PET. LOMBARDO compoſitos, accedamus; primos eos fuiſſe, qui in hocce theologiam docendi genere lucem adſpexerint, nonnulli ſibi perſuadent. Quod ſi ita intelligant, PET. LOMBARDVM primum fuiſſe, qui ſententias ex patribus collegerit, & in certum ordinem diſpoſuerit, oppido falluntur; ſiquidem iam ſaeculo ſexto ISIDORVM Hiſpalenſem, & LEONTIVM CYPRIVM, ſeptimo TAIONEM, octauo IOAN. DAMASCENVM, eiusmodi quid ſuſcepiſſe, antea demonſtrauimus. Sin vero hoc ſibi velint, PET. LOMBARDVM primum fuiſſe, qui more ſcholaſticorum in hac tractatione philoſophiam cum theologia coniunxerit, ne tum quidem rem acu tangent. Exemplum enim in hoc ſcribendi genere illi praeiuiſſe praeceptorem eius PET. ABAELARDVM, obſeruant alii, cuius quippe *librum ſententiarum* non ſemel commemoret BERNHARDVS. Immo, in condendo *ſententiarum* opere, PET. LOMBARDVM non leuiter *libris ſententiarum* ABAELARDI adiutum eſſe, auctor eſt IOANNES Cornubienſis, ipſius LOMBARDI diſcipulus, quamuis alii eum BANDINI, obſcuri & pene ignoti viri, ſcrinia inſigniter compilaſſe, contendant. Legenda, quae fuſe ac erudite hac de re diſputat IAC. THOMASIVS, de *plagio litterario*, §. *CCCCXCIII. ſeqq. p. 217. ſeqq.* PETRI vero ABAELARDI *librum ſententiarum*, *ſic & non*, dictum, inter inedita eius exſtare, teſtatur GVIL. CAVEVS, in *hiſt. liter. ſcriptor. eccleſ. p. 455.* Inter edita autem eius inueniuntur, *introductionis ad theologiam*, *libri tres*, ſiue *opuſculum de fide ſanctae trinitatis*, quocum in plerisque conueniunt *theologiae chriſtianae libri quinque*, quos in lucem produxerunt EDMVNDVS MARTENE, & VRSINVS DVRANDVS in *theſauro nouo anecdotorum*, *tom. V. p. 1140. ſeqq.* Eodem porro aeuo & alii non pauci *libros ſententiarum* compilarunt, vt SIMON Tornacenſis, PETRVS Pictauinus, GILBERTVS Porretanus, aliique. Addendus hiſce HVGO DE S. VICTORE, cuius *ſententiarum liber*, ſeptem tractatibus diſtinctus, *tomo III. oper.* eius exſtat. Pluribus haec quoque edidiſſerit, quem iam laudauimus, IAC. THOMASIVS, in *ſchediaſm. hiſtor. de definit. philoſoph. &c. p. 62.* vbi & contra eos diſputat, qui a LANFRANCO, aut ſcholaſticae, aut ſyſtematicae theologiae originem repetunt; cum inter eius ſcripta nullum occurrat, quod nomen *ſyſtematis theologici* promereatur. PETRI tamen LOMBARDI *libri quatuor ſententiarum* maximam prae reliquis omnibus obtinuerunt auctoritatem celebritatemque; vt mirum non ſit, fuiſſe, qui primum & ſcholaſticae & ſyſtematicae theologiae ab iis deriuarent originem. Vti autem quatuor libris opus hocce conſtat, ita quilibet liber in plures iterum diſſilit diſtinctiones. Totius operis diuiſio nititur illo Auguſtini dogmate, duplex eſſe ſcientiarum obiectum, *res & ſigna*; res vero iterum diſpeſci in eas, quibus *frui* licet, & in eas, quibus tantum *vti* fas eſt, hoc eſt, *Deum*, & *res ab eo conditas*. Paſſim ita AVGVSTINVS, cumprimis *de doctrina chriſtiana*, *lib. I. c. I. §. II. ſeqq.* In *primo* itaque *libro* PET. LOMBARDVS de iis tractat, quibus frui licet, hoc eſt, de Deo, tribusque perſonis diuinitatis, itemque de attributis diuinis. *Secundus liber* circa ea occupatur, quibus vti fas eſt, hoc eſt, rebus creatis. Diſſerit ibi de creatione mundi, de lapſu hominum & angelorum, de libero arbitrio, de gratia, de peccatis, tum originali, tum actualibus. In *tertio libro* de incarnatione verbi agit, per quam homo a peccatis liberetur, de fide quoque, de charitate, & reliquis virtutibus

bus chriſtianis, itemque de praeceptis diuinis, eorumque obſeruantia. In *quarto* denique ſeu *vltimo libro* de ſignis, ſiue ſacramentis eccleſiae verba facit, ſubiicitque doctrinam de reſurrectione, iudicio extremo, & vita aeterna. Ex quo patet, non multum diuerſam eſſe hancce LOMBARDI methodum ab ea, quae in pleriſque hodie ſyſtematibus recepta eſt, qua ſecundum indolem diſciplinarum practicarum primum de fine, tum de ſubiecto, & denique de mediis agitur. Naeuorum, vitiorumque, quibus reliqui ſcholaſtici laborant, non immunem eſſe PET. LOMBARDVM noſtrum, quod antea diximus, exemplis variis ſpinoſarum inaniumque quaeſtionum, ſi opus eſſet, comprobari poſſet. Sic *lib. I. diſt. IV.* quaerit: num Deus pater ſe ipſum genuerit, an alium Deum? & *diſtinct. quinta:* num pater genuerit eſſentiam diuinam, an eſſentia diuina filium? aut, vtrum vna eſſentia alteram produxerit? an vero eſſentia nec producta ſit, nec producens? Rurſus *diſtinct. ſexta:* num Deus pater filium genuerit *volens*, an *nolens?* Quas, & alias eiusdem generis, quaeſtiones, adductis patrum, maxime AVGVSTINI, teſtimoniis, decidere adnititur. Nec omni tamen idcirco laude defraudandum hocce opus, de quo ipſe beatus LVTHERVS noſter: *Lombardus in conciliatione patrum eſt diligentiſſimus, & ſe longe ſuperior. Nemo ipſum in hoc genere ſuperabit, nullis in conciliis, nullo in patre tantum reperies, quam in libro ſententiarum. Nam patres & concilia quosdam tantum articulos tractant, Lombardus autem omnes. Sed in praecipuis illis articulis de fide & iuſtificatione nimis eſt ieiunus, quamquam Dei gratiam magnopere praedicet.* Quae eius verba ex *lib. de concil. tom. VII. f. 232.* recitat ADAMVS TRIBBECHOVIVS, de *doctoribus ſcholaſtic. c. VI. p. 321.* Saepe *quatuor* iſti *libri ſententiarum* LOMBARDI ſunt editi; cum prolegomenis ac commentariis LAMB. DANAEI prodierunt Geneuae 1580. Nec exiguus eſt illorum numerus, qui eos commentariis ſuis illuſtrarunt. Praecipuorum elenchum exhibet ANT. POSSEVINVS, *biblioth. ſelect. lib. III. c. XIV. p. 142. ſeqq.*

§. X. Scholaſticorum, qui ante eccleſiae emendationem vixerunt, tres aetates conſtitui ſolent, *vetus*, *media* & *noua*; quas adeo in theologia ſcholaſtico-ſyſtematica obſeruare licebit; *vetus* a LANFRANCO ad ALBERTVM magnum; *media* ab ALBERTO magno ad DVRANDVM: *noua* denique a DVRANDO ad eccleſiae emendationem. *

* A LANFRANCO primam aetatem ſcholaſticorum inchoant, qui eum pro auctore, conditoreque theologiae ſcholaſticae venditant; vt GE. HORNIVS, *hiſtor. philoſ. lib. VI. c. II. p. 297.* Reformatae eccleſiae doctoribus hanc placere ſententiam, nonnulli putant, quod inuidiam ei hac ratione creare velint, ac ſi corruptionis in theologia auctor ſit; cum ideo alieno ab eo ſint animo, quod BERENGARIO ſe oppoſuit; vid. ADAM. TRIBBECHOVIVS, *de doctoribus ſcholaſt. c. VI. p. 281.* Quidquid eius ſit, a LANFRANCO primam theologiae ſcholaſticae originem repeti non poſſe, ex iis, quae antea tradidimus, manifeſtum eſt. Cumque re uera nihil certi de ea definiri queat, vt itidem ex antea dictis liquet; calculum pariter non promerentur, qui, aut a PET. ABAELARDO, aut PET. LOMBARDO, primam ſcholaſticorum aetatem inchoandam, autumant; conf. IAC. THOMASIVS, de *theol. ſcholaſt. & eius initio, §. LXIV. ſeqq. p. 242. ſeqq.* Non magis

enim primo ſcholaſticorum aetatis initio certum aliquod tempus, quam ipſi theologiae ſcholaſticae origini, adſignari poteſt. Ad primam interim hancce aetatem praeter PET. LOMBARDVM, ceterosque quos *libros ſententiarum* ſcripſiſſe, antea memorauimus, adhuc referendus eſt ROBERTVS BVLLVS ſeu PVLLEYNVS gente Anglus, qui circa annum 1144 floruit. Anglia ob ciuiles motus relicta, docuit aliquamdiu magna celebritate in academia Pariſienſi, & hinc in patriam reuerſus in Oxonienſi, tandemque cardinalis ab Innocentio II, & a Lucio II eccleſiae Romanae cancellarius creatus eſt. Huius exſtant *ſententiarum de trinitate libri VIII.* cum PETRO Pictauienſi, Pariſiis an. 1655 editi, integrum aliquod theologiae ſyſtema exhibentes. Praeferendus PETRO LOMBARDO vel hoc nomine eſt, quod rationibus potius & ſcripturae dictis, quam patrum, in decidendis controuerſiis, vtitur teſtimoniis; a ſubtilioribus etiam & metaphyſicis ſibi temperet quaeſtionibus, grauioraque & ſolidiora conſectetur; conf. LVD. ELLIES DV PIN, in *noua biblioth. ſcript. eccleſiaſt, tom. IX. p. 213*. Locum praeterea hic ſibi vindicat ALEX. ALESIVS, ſe DE HALES, gente itidem Anglus, patria Gloceſtrienſis, ob iuris canonici pariter ac theologiae ſcholaſticae peritiam celebris, & hinc *doctor irrefragabilis* vulgo adpellatus, qui circa annum 1230 claruit. Is *commentarium* reliquit, in *quatuor libros ſententiarum* PET. LOMBARDI, qui & *ſumma vniuerſae theologiae in quatuor partes diſtributa* inſcribitur, quemue iuſſu Innocentii IV, romani pontificis, confeciſſe dicitur. Falluntur namque, qui *commentarium* eius *in libros ſententiarum*, a *ſumma vniuerſae theologiae* diſtinguunt, cum vnum hoc idemque ſit opus. Receptum autem valde, & vſitatum hac aetate, vsque ad THO. DE AQVINO fuit, vt commentariis *libri ſententiarum* LOMBARDI illuſtrarentur, quorum adeo haud exiguus exſtat numerus, quos tamen recenſere aut enumerare operae pretium non foret.

In altera ſcholaſticorum aetate primum principemque locum tenet ALBERTVS magnus, a quo eadem & inchoari ſolet. Suo autem is iure, ſi nonnullos audias, *magnus*, immo PAVLO IOVIO iudice, *maximus* audit, in *elog. doct. p. 15.* cum ingenii praeſtantia, & eruditionis gloria, omnes ſaeculi ſui homines longo poſt ſe reliquerit interuallo. De eius in philoſophiam meritis ſupra iam ſubinde verba fecimus. Ad theologica vero ſcripta ſpectat *compendium* eius *theologicae veritatis, libris VII. digeſtum*, quod & inter reliqua eius ſcripta, 21 tomis edita, exſtat, & ſeorſim quoque prodiit; itemque *ſumma theologiae in duas partes diuiſa*, nec non *commentarius in libros quatuor ſententiarum.* Sed hiſce tantam celebritatem, ac reliquis ingenii ſui monumentis, conſequutus non eſt. Eodem, quo ALBERTVS, ſaeculo vixit IO. BONAVENTVRA, graece EVSTACHIVS, epiſcopus Albanenſis, & romanae eccleſiae cardinalis, *doctor ſeraphicus* inter ſuos dictus; vir iudice IO. TRITHEMIO, *profundus, non verboſus, ſubtilis, non curioſus, diſertus, non vanus, flammantia non inflantia verba proferens, vnde & ſecurius legitur, facilius ab amante intelligitur, vtilius frequentatur, dulcius & fructuoſius retinetur*; de *ſcriptor. eccleſ. c. CCCCLXIV. p. 113.* in *bibliothec. eccleſ.* IO. ALB. FABRICII. Praeter multa alia itidem *commentaria* ſcripſit in *libros quatuor ſententiarum*, itemque *principium compendioſum in libros ſententiarum.* Scilicet, iam tum ex ſyſtematibus maioribus compendia facere ſolebant. Immo idem BONAVENTVRA *libros ſententiarum* carmine exprimere conſultum duxit. Exſtant namque eiusdem *libri quatuor ſententiarum carmine digeſti.*

Digitized by Google

digeſti. Sed mitto reliquos, & ad THOMAM DE AQVINO me conuerto, cui alter poſt LOMBARDVM, inter ſcholaſticorum principes, debetur locus. Quantam is inter romanae eccleſiae theologos conſequutus ſit auctoritatem, dicere non attinet, cum id neminem fugiat. Legi merentur, quae hac de re colligit IO. GE. DORSCHEVS, in *Thoma Aquinate, veritatis confeſſore, procem. p. 2. ſeqq.* *Summa* eius *theologiae* tam vnanimi fere conſenſu recepta & adprobata eſt, vt ab ea vix ſine haereſeos ſuſpicione diſſentire liceat. Hinc infinitus fere illorum numerus eſt, qui eam commentariis ſuis illuſtrare adgreſſi ſunt; quos recenſere nullius pretii, ſed laboris ſuperuacanei res foret. Prae ceteris autem celebratur THOMAS DE VIO CAIETANVS, cardinalis, cuius pariter ac CAPPONI & IAVELLI cum commentariis, haecce *ſumma theologiae*, Venetiis prodiit, 1596 5. vol. fol. Ex reliquis editionibus praecipuas enumerant IAC. QVETIF, & IAC. ECHARD, in *ſcriptoribus ordinis praedicatorum recenſitis, tom. I. ſaec. XIII. p. 322. ſeqq.* Translata etiam eſt haecce THOMAE *ſumma theologiae* in ſermonem graecum, immo, Arabes ac Sinenſes eam ſua lingua legere, GE. HORNIVS auctor eſt, *hiſtor. philoſoph. lib. VI. c. IV. p. 299.* Sunt tamen rurſus, qui THOMAM plagii accuſant, contenduntque eum, quae in *ſumma* ſua *theologiae* de moralibus praecipit, ex VINCENTII Bellouacenſis *ſpeculo morali* accepiſſe, immo ipſum velut *ſpeculum morale* in *ſummam* ſuam transtuliſſe. Alii autem probabilius putant, VINCENTIVM potius e THOMA, quam hunc ex illo, ſua hauſiſſe, ſiquidem VINCENTIVS in *ſpeculo naturali* multa nominatim ex THOMA transſcripſerit. Parumque ad rem facit, quod annis aliquot ante THOMAM obierit VINCENTIVS, cum & a viuo accipere potuerit, quibus vteretur. Legendus hac de re IAC. THOMASIVS, de *plagio litterar.* §. *DLX. p. 248. ſeqq.* add. IO. MOLLERVS, in *homonymoſcopia, p. m. 641.* Nec firmiori nituntur fundamento, qui, THOMAM ALEXANDRO DE HALES ſua debere, contendunt. Grauior illorum eſt diſputatio, qui, an omnino *ſumma* haecce *theologiae* THOMAM agnoſcat auctorem, diſquirunt. Negare id auſus eſt IO. LAVNOIVS, in libro: *veneranda romanae eccleſiae circa ſimoniam traditio*, inſcripto, *obſeruat. VIII. p. 290. ſeqq.* Clementis nimirum VI pontificis cumprimis nititur auctoritate, qui in *ſermone de Thoma*, opera eius recenſens, *ſummae* huius *theologiae tripartitae* nullam faciat mentionem. Sed peculiarem LAVNOIO diſſertationem oppoſuit NAT. ALEXANDER, quam *hiſtor.* ſuae *eccleſiaſt. ſaec. XIII. & XIV. p. 391. ſeqq.* inſeruit, in qua auctoritate GVIL. DE THOCO, GVIL. LAMARENSIS, AEGIDII Romani, aliorumque, huncce foetum THOMAE vindicat. Idem ſibi datum credidit IAC. QVETIF, qui itidem peculiari diſſertatione THOMAE cauſſam egit, quam repetit in *ſcriptoribus ordinis praedicatorum recenſitis*, a IAC. ECHARD continuatis, & ad finem perductis, *ſaec. XIII. p. 293. ſeqq.* Tria nimirum ibi euincenda ſibi ſumit capita. Primo contra IO. LAVNOIVM probat, THOMAM omnino *ſummae* iſtius *theologiae* auctorem eſſe. Deinde eos refellit, qui, moralia THOMAE ex VINCENTII Bellouacenſis *ſpeculo morali* depromta, contendunt. Tandem & contra eos diſputat, qui, doctorem angelicum, (ita THOMAM vocant) ab ALEXANDRO DE HALES ſua accepiſſe, adſerunt. De ipſa autem haecce *ſumma theologiae* vt aliquid addamus, tribus ea abſoluitur partibus. In *prima*, praemiſſa doctrina, de theologia in genere, ſeu, vt ipſe loquitur, de *ſacra doctrina*, agit de Deo, eiusque eſſentia, attributis, operationibus, beatitudine, tribus perſonis diuinis, illarum proceſſi-

ceſſionibus, relationibus &c. *Secunda* iterum bipartita eſt, diſſeritque primum de vltimo hominis fine, de actionibus moralibus, earumque principiis, de virtutibus vitiisque, generatim ſpectatis, itemque de lege & gratia; tum porro in altera partis huius ſecundae parte, ſeu *ſecunda*, vt vocari ſolet, *ſecundae*, ſpeciatim de virtutibus, tum theologicis, tum moralibus, verba facit, omniaque adeo complectitur, quae hodie *theologiae moralis* nomine venire ſolent. *Tertia* denique parte de mediis praecipit, quae hominem ad ſummam ducunt felicitatem, adeoque & de incarnatione Chriſti, & ſacramentis, additis, de extremis hominum, quaeſtionibus. Atque haec eſt illa methodus, quam in pleriſque, qui etiam recentiori aetate ſyſtemata theologica condiderunt, ſequuti ſunt, vti ſupra iam obſeruauimus, cum de PET. LOMBARDI *libris ſententiarum* verba faceremus. Multa quidem, quod non diffitendum, in hacce THOMAE *ſumma theologica*, minime contemnenda, ſuaque non defraudanda laude, occurrunt. Scio etiam, a magnis paſſim doctorem huncce angelicum laudari viris. *Meo quidem animo*, inquit DESID. ERASMVS, *nullus recentiorum theologorum, cui par ſit diligentia, cui ſanius ingenium, cui ſolidior eruditio; planeque dignus erat, cui linguarum quoque peritia, reliquaque bonarum litterarum ſupellex contingeret &c.* in *Rom. I. p. 244.* Sic & ROLANDVS MARESIVS: *Thomae quidem Aquinati, qui ſumma vi ingenii, & ſingulari doctrina praeditus fuit, quod linguas, politioresque litteras, ignorauerit, condonandum eſt, & illius ſaeculi, quod profunda barbaries occupauerat, infelicitati tribuendum*; *lib. II. epiſt. XLI. p. 463.* Immo & in ipſis, iisque maximi momenti dogmatibus, eum multa longe ſanius, rectiusque, quam alii romanae eccleſiae doctores, recentiori cumprimis aetate, fecerunt, tradidiſſe, conſtat, & ex inſtituto demonſtrauit IO. GE. DORSCHAEVS, in *Thoma Aquinate, confeſſore veritatis euangelicae &c.* Addenda, quae ipſemet hac de re dixi, in *diſſertatione, de Pelagianiſmo in eccleſia romana, per bullam anti-Queſnellianam triumphante, §. X. XI.* Vti autem errorum dogmaticorum expers non eſt THOMAS, ita nec reliquorum vitiorum, ob quae ceteroquin doctores ſcholaſtici male audiunt. Quaeſtionibus vanis, inanibus, plus ſubtilitatis, quam vtilitatis, habentibus, vbique indulget, ſubinde patrum potius auctoritate, quam ſcripturae teſtimoniis pugnat, & haec pariter, ac patrum effata in ſenſu ſaepe peruerſo adfert. Nimis eum fuiſſe Ariſtotelicum, LVD. VIVES pronuntiat, ad *Auguſtinum de ciuit. Dei, lib. XI. c. XXXIV.* Inter patres autem praecipue ſequutus eſt AVGVSTINVM, quem pro fonte quodam vberrimo theologiae ſcholaſticae recte haberi, ſupra iam documus. FRANC. SIXTVS Senenſis, cum obſeruaſſet, THOMAM omnem Ariſtotelis philoſophiam commentariis luculentiſſimis illuſtraſſe, addit: *in ſacris vero ſincerioris theologiae ſtudiis ita ſapientiſſimo Auguſtino proximus inceſſit, atque ita mentem eius, & omnes reconditos ſenſus introſpexit, exhauſitque, vt iuxta Pythagorae μετεμψύχωσιν communi doctiſſimorum omnium adagio iactatum ſit, Auguſtini animam migraſſe in Thomam*; *biblioth. ſanctae lib. IV. p. 384.* Varia, quae ad huncce THOMAE ſummam ſpectant, monet ANT. POSSEVINVS, in *biblioth. ſelecta, lib. III.* vbi & *c. XII. p. 135. ſeqq.* de ratione *interpretandi ſummam theologicam Thomae &c.* verba facit. Plura de THOMA, & quidem ſelecta, prorſusque egregia dabit PETR. ZORNIVS in *programmate, de varia fortuna Aquinatis in ſcholis pontificiorum, praeſertim Gallorum*, quod *opuſculorum* eius *ſacrorum tomo primo* inſertum legitur, *p. 445. ſeqq.* Praeter THOMAM eadem, & ſequen-

Digitized by Google

ſequenti aetate, fuere plurimi, qui eiusmodi ſcripta componerent, quae ad ſyſtematicam referri poſſunt theologiam; quamuis non vna, eademque id facerent ratione. Nonnulli namque aut nouas *ſummas*, ſeu ſyſtemata theologica condebant, aut ſummam THOMAE commentariis ſuis illuſtrabant, & hinc *ſummiſtae* dicebantur; alii adhuc PET. LOMBARDI *libros ſententiarum* explicabant, indeque *ſententiarii* audiebant; ab vtrisque autem diuerſi erant *quodlibetarii*, hoc eſt, qui de variis argumentis theologicis disquiſiuerunt, nec tamen integrum aliquod theologiae ſyſtema condiderunt, vel eidem ſe adſtrinxerunt; aut potius, qui diſputationes ita inſtituebant, vt more veterum academicorum, vel ſcepticorum, nihil deciderent, ac determinarent, aliisque *quodlibet horum*, ſeu alterutram, quam vellent, ſententiam libere impugnandi poteſtatem facerent; conf. GEBH. THEOD. MEIERI *introduct. in theolog. mor. c. XVI. §. XII.* Primum *quodlibetorum* auctorem GVALTERVM, epiſcopum Pictauienſem, nonnulli eſſe, contendunt, cuius exemplum ipſemet imitatus ſit THOMAS DE AQVINO, relictis *quaeſtionibus quodlibeticis XII.* Hunc vero alii deinceps magno numero ſequuti ſunt; vid. GISB. VOETIVS, *diſput. ſelect. tom. I. p. 20.* Si de omnibus, qui in hocce temporis interuallo ſcripta, ad theologiam ſyſtematicam ſpectantia, concinnarunt, dicendum eſſet, HENRICVS Gandauenſis, RICHARDVS DE MEDIAVILLA, aliique quam plurimi, mihi commemorandi eſſent, quod & longum nimis, & nullius vſus foret. AEGIDIVS tamen DE COLVMNA, a patria *Romanus* dictus, vel hoc nomine ſilentio praetermittendus non eſt, quod THOMAE DE AQVINO fortiſſimus propugnator, conſtantiſſimusque fuerit aſſecla; quiue & *defenſorium* ſeu *correctorium librorum S. Thomae contra Guilielmi Lamarenſis, Thomaemaſtigis corruptorium*, ſcripſit, Venetiis 1501 alibique editum. Sunt quidem, qui hocce opus IOANNI Pariſienſi, ordinis Dominicani monacho, & theologo Pariſienſi tribuunt, qui itidem circa finem ſaeculi 13 vixit. At, GVIL. CAVEO iudice, nihil obſtat, quo minus vterque librum eiusdem argumenti ſcripſerit; *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſ. ſaec. XIII. p. 522.* Intelligere autem inde licet, non omnibus ea aetate placuiſſe doctrinam THOMAE, ſed exſtitiſſe, qui in ea nonnulla reprehenderent. Immo ſtatim poſt eius mortem nonnullos eiusdem ordinis homines acriter quaedam eius impugnaſſe placita, RICH. SIMON obſeruat, *biblioth. critic. tom. II. c. XXV. p. 371. ſeqq.* Luculenter idem patuit ſaeculo decimo quarto, quo IO. DVNS, Scotus, ordinis minorum monachus, *doctor ſubtilis* adpellatus, magnam nominis conſequutus eſt celebritatem. Hic, cum circa initium huius ſaeculi theologiam ſcholaſticam, ad ductum PET. LOMBARDI, & philoſophiam Ariſtotelis in ſchola Pariſienſi traderet, THOMAE DE AQVINO & BONAVENTVRAE placita ad limam reuocare coepit. Cumque nec THOMAE defenſores deeſſent, orta ſunt *Thomiſtarum* & *Scotiſtarum* nomina, quae ſcholarum ſubſellia adſiduis iurgiis & rixoſis clamoribus per plura ſaecula impleuerunt. Noua inde ad ſyſtematicam theologiam acceſſit corruptio, cum ſpinoſarum & inutilium quaeſtionum numerus per haſce diſputationes mirifice augeretur, quas ſyſtematibus ſuis inſerere, pulchrum omnino ducebant, ne ſubtilitatis aucupandi laudem vmquam deeſſet occaſio. In dogmatibus, IOANNI huic DVNS, Scoto, propriis, forte non ſine ratione quaedam reprehenduntur; cum rationi corruptae in rebus theologicis nimium indulſerit. Speciatim in eo nonnulli notant, quod, dum de omnibus quaeſtionibus ita in vtramque partem diſputat, vt

lectoribus permittat, in quamcumque velint deſcendere ſententiam, viam ad ſcepticiſmum aperire videatur. *Si in hanc*, inquit, *ita reſpondeto contrariis argumentis; ſin vero in illam, habes & hic, quod ad contraria argumenta reſpondeas.* Interdum & dubia proponit, vt nullam ipſemet addat ſolutionem. *Et quaere*, inquit, *ſolutionem; reſpondeat, qui poteſt; quid certi?* Per *quodlibetarios*, quos antea memorauimus, haec in vtramque partem diſputandi ratio inter ſcholaſticos introducta videtur; quae tandem apud nonnullos in ſcepticiſmum abiit, quem & non ſemel ſcholaſticis exprobratum nouimus. Legenda, quae hac de re obſeruat AD. TRIBBECHOVIVS, de *doctoribus ſcholaſticis, c. IV. p. 131.* IOANNES autem ille DVNS Scotus, de quo diximus, praeter alia *quodlibeta*, & *commentaria in libros quatuor ſententiarum*, edidit, de quibus vid. HENR. WHARTON, in *append. ad Guil. Caue hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſ. p. 3.* Fuerunt eodem ſaeculo decimo quarto & alii, qui eiuſdem generis ſcriptis eruditionis, aut ſi mauis, ſubtilitatis laudem, nominisque decus ſibi conciliare adgreſſi ſunt; quos inter FRANC. MAYRONIVS, diſcipulus SCOTI, *doctor illuminatus & acutus* dictus, itemque PET. AVREOLVS eminent. Sed RAYMVNDVM tantum LVLLVM adhuc commemorare iuuat, aliis quoque nominibus ſatis notum, qui circa finem ſaeculi XIII & initium XIV vixit, & *librum quaeſtionum ſuper quatuor libros ſententiarum* compoſuit; de quo, vti & reliquis auctoris huius ſcriptis, eiuſdemque fatis, vid. NIC. ANTONIVS, *biblioth. hiſpan. vet. tom. II. lib. IX. c. III.* De ALVARO PELAGIO, ob librum de *planctu eccleſiae*, notiſſimo, qui & *commentarium in libros quatuor ſententiarum*, & *ſummam* quoque *theologiae* ſcripſit, itidem NIC. ANTONIVS legendus, *biblioth. hiſp. vet. tom. II. lib. IX. c. IV. p. 100. ſeqq.* Mitto reliquos; cum omnes recenſere neceſſe non ſit.

In tertia, ſeu vltima ſcholaſticorum ante eccleſiae emendationem, aetate primo loco DVRANDVS comparet, in oppido, quod a S. PORTIANO abbate nomen habet, natus, indeque A S. PORTIANO dictus, alias *doctoris reſolutiſſimi* elogio ornatus; qui, vt alii complures, *commentaria in quatuor libros ſententiarum* reliquit. Noua autem ideo ab eo inchoatur ſcholaſticorum aetas, quod in hocce temporis interuallo, ſi quid forte boni adhuc in theologia ſyſtematica ſuperfuit, exſtinctum penitus, ac obſcuratum, nugis contra & quisquiliis cuncta obruta. Commentandi quoque in magiſtrum ſententiarum, pariter ac Ariſtotelem, quem tamen non intelligebant, nec modus, nec finis erat. Celebre prae reliquis nomen conſequutus eſt GVIL. OCCAM, gente Anglus, in vico cognomine agri Surreienſis natus, ordinis minoritarum theologus, primum *venerabilis inceptor*, tum *doctor ſingularis*, & tandem *doctor inuincibilis* dictus. Quam ſtrenuam Ludouico Bauaro, in adſerenda, contra iniquos romanorum pontificum auſus, imperatorum auctoritate, nauauerit operam, alibi exponitur, teſtaturque diſputatio eius, de *poteſtate eccleſiaſtica & ſaeculari*, apud MELCH. GOLDASTVM, in *monarchia S. rom. imp. tom. I.* Quod vero nec theologiam ſyſtematicam neglexerit, documento ſunt *quaeſtiones ſuper quatuor libros ſententiarum; centiloquium theologicum, & commentarius in librum primum ſententiarum.* Idem etiam cum eſſet diſcipulus IOANNIS DVNS Scoti, eiuſdem tamen poſtea factus eſt impugnator acerrimus, reſtaurauitque ſectam *nominalium*, cuius primus auctor a nonnullis fertur ROSCELINVS. Hinc acres eo tempore inter *nominales realesque* contentiones & odia, vt interdum nec a verberibus ſibi temperarent, vt auctor

ctor eſt AVENTINVS, *annal. Boior. lib. VI. p. 624.* Eos, qui de hiſce ſcholaſticorum controuerſiis plura dabunt, iam laudaui, *part. I. c. IV. ad §. XXII.* quibus iungendus AD. TRIBBECHOVIVS, de *doctorib. ſcholaſt. c. V. p. 224.* & GE. HORNIVS, *hiſtor. philoſ. lib. VI. c. V. p. 300.* Noua itaque & hinc ſyſtematicae theologiae adſperſa eſt labes; cum moris eſſet, omnes contentionum & litigiorum ſordes in ſyſtemata theologica deriuare. De OCCAMO porro legendus LVC. WADDINGVS, de *ſcript. ordinis minorit. p. 155.* Ex eodem ſaeculo decimo quarto, quo OCCAMVS vixit, commemorari adhuc poſſent PET. PALVDANVS, GVALT. BVRLAEVS, *doctor planus ac perſpicuus* dictus, IOANNES DE IANDVNO, aliique, quorum in *libros ſententiarum* exſtant commentarii; ſed, ſi omnes recenſere vellem, nullus fere huius laboris finis foret. Praetermittendus tamen non eſt PETRVS DE ALLIACO, Compedienſis Gallus, qui circa finem ſaeculi XIV & initium XV vixit, primum academiae Pariſienſis cancellarius, deinde epiſcopus Cameracenſis, ac tandem cardinalis, idemque ob libellum, de *emendatione eccleſiae*, concilii Conſtantienſis patribus oblatum, notiſſimus. Tanta nimirum eius fuit auctoritas, vt *aquila Franciae* & *malleus a veritate aberrantium indefeſſus*, diceretur, ſcripſitque itidem, praeter alia, *commentarios breues in libros quatuor ſententiarum*, itemque *quaeſtiones ſeu principia in eosdem.* Magnam quoque ſaeculo decimo quinto celebritatem conſequutus eſt IO. CAPREOLVS, Tholoſanus, ordini praedicatorum adſcriptus, Thomiſticae doctrinae acerrimus vindex. In *libros* namque *quatuor ſententiarum commentaria* ſcripſit, tum alias, tum & Venetiis an. 1514 edita, in quibus IO. SCOTI, PET. AVREOLI, & nominalium, contra THOMAE placita, in medium adlata argumenta, ſtrenue refellit, *principisque* ideo *Thomiſtarum* nomen elogiumque promeruit. Legendi de eo IAC. QVETIF, & IAC. ECHARD, in *ſcriptoribus ordinis praedicatorum recenſitis, tom. I. p. 795.* Iungendus denique hiſce, qui in tertia hac aetate agmen claudat, GABR. BIEL, Heluetius, & quidem Tigurinus, aut, vt alii volunt, Spirenſis, vel, quae aliorum eſt ſententia, Tubingenſis, certe in academia Tubingenſi doctoris munere functus, eo quippe ab Eberhardo comite Wurtenbergico, qui an. 1477 iſtam academiam condiderat, euocatus, vt theologiam & philoſophiam ibi doceret. Huius itidem in *libros quatuor magiſtri ſententiarum* exſtant commentaria, Baſileae an. 1512 & alibi edita. Diligenter & copioſe de hocce doctore ſcholaſtico diſſerit IO. IAC. MOSERVS, in *vitis profeſſorum Tubingenſium, decad. I. num. II. p. 21. ſeqq.* Interim feliciora iam adpropinquabant tempora, & aurora, orituri mox ſolis, orbemque litteratum & chriſtianum colluſtraturi, index aderat. Immo iam erant, quibus ſcholaſticorum quisquiliae ſordere incipiebant. In his IO. WESSELVS HERMANNI fuit; cognomento GANSFORTIVS, gente Friſo, ciuitate Groeningenſis, vir omni litterarum genere pro ſaeculi conditione excultus. Graecae nimirum, latinae, & ebraeae linguae peritus, ſcholaſticorum ineptias contemnere coepit, immo eousque progreſſus eſt, vt Platonem praeferret Ariſtoteli. Si quis THOMAE, aut alterius doctoris ſcholaſtici auctoritatem ei opponeret, reſpondere ſolebat: *Thomas fuit doctor, & ego ſum doctor. Thomas vix latine intellexit, & vnilinguis fuit; ego trium linguarum principalium mediocrem peritiam adſequutus ſum. Thomas vix vmbram Ariſtotelicam vidit; ego Ariſtotelem graecum in ipſa Graecia vidi.* Multis ideo eum diſplicuiſſe, vt etiam haereſeos nota illi inuſta ſit, mirum non eſt. A ieiuna illa

& ſterili ſcholaſticorum theologiam tractandi methodo quam longe abfuerit, vel hocce eius effatum, quod ſubinde in ore habuit, teſtatur: *Quis legens diuinas litteras, non ſibi quotidie magis ac magis vileſcit, & ſibi ipſi diſplicet, ac humiliatur, non fruſtra ſolum legit diuinas ſcripturas, verum etiam cum periculo.* Plura de eo ſuppeditabit HENR. LVDOLPH. BENTHEMIVS, *im hollaendiſchen Kirchen- und Schulen-Staat, part. II. p. 175. ſeqq.*

Ceterum de theologia ſcholaſtica cuius ortum & praecipua fata, vtpote cum ſatis theologiae ſyſtematicae connexa, paucis enarrauimus, legi porro merentur CHRISTOPH. BINDERVS, in *ſcholaſtica theologia, in qua diſſeritur de eius cauſſis, origine, progreſſu ac methodo legendi ſcholaſticos &c.* Tubingae 1614, 4. IO. HIMMELIVS, de *canonicatu, iure canonico & theologia ſcholaſtica*, 1632, 12. quem tamen ſua ex BINDERO depromſiſſe, viris doctis obſeruatum eſt; AD. TRIBBECHOVIVS, de *doctoribus ſcholaſticis, & corrupta per eos diuinarum humanarumque rerum ſcientia*, Gieſſae 1664, 4. & Ienae 1719, 8. qua in editione praeter alia acceſſit CHRISTOPH. AVG. HEVMANNI *praefatio, qua de origine, adpellatione, natura, atque* κεοφίᾳ *theologiae & philoſophiae ſcholaſticae diſputatur*; LAMB. DANAEVS, in *prolegomenis in Petri Lombardi libros quatuor ſententiarum*; GISB. VOETIVS, in *diſſ. de theologia ſcholaſtica*, in *part. I. diſputationum* eius *ſelectarum, p. 12. ſeqq.* & IACOBVS denique THOMASIVS, de *ſcholaſtica theologia, & eius initio*, in CHRIST. THOMASII *hiſtoria ſapientiae & ſtultitiae, tom. III. p. 225. ſeqq.* Notitiae porro adcuratiori ſcholaſticorum, qua vitam, qua ſcripta illorum, comparandae, praeter eos, qui ex inſtituto de ſcriptoribus eccleſiaſticis agunt, inſeruient, qui ordines eccleſiae romanae religioſos, & ſcriptores ex iis celebres deſcribunt, vt IAC. QVETIF, & IAC. ECHARD, in *ſcriptoribus ordinis praedicatorum recenſitis, notiſque hiſtoricis & criticis illuſtratis &c.* LVC. WADDINGVS, in *ſcriptoribus ordinis minoritarum*; IO. MABILLONIVS, in *actis ſanctorum ordinis ſancti Benedicti*, & in *annalibus* eiusdem *ordinis*; aliique, quos ſupra *part. I. c. IV.* ad *§. XIX.* laudauimus. Cum etiam academia Pariſienſis praecipuum theologiae ſcholaſticae fuerit theatrum; conferre iuuabit CAESARIS EGASSII BVLLAEI *hiſtoriam vniuerſitatis Pariſienſis*, quippe in qua non tantum controuerſiarum, inter ſcholaſticos doctores agitatarum, ſubinde iniicitur mentio; ſed ſingulis quoque tomis *catalogus illuſtrium academicorum* ſubiicitur; in quo haud pauci ex doctoribus ſcholaſticis recenſentur.

§. XI. *Catecheticae theologiae*, eo tempore, quo ſcholaſticum illud regnum floruit, nulla fere habita fuit ratio; ideoque hinc inde quaedam ſolum eius veſtigia deprehendere licet. Id quod corruptae admodum ac deprauatae hiſce ſaeculis eccleſiae documentum praebet luculentiſſimum. *

* Cum poſt ſaeculum ſextum magna orbem chriſtianum, praeſertim occidentalem eccleſiam, inuaderet barbaries; adeo proſtrata ſunt litterarum ſtudia, vt & inſtitutio in primis chriſtianae doctrinae elementis, quam catechiſationem vocamus, paſſim intermitteretur; immo pauci inter ſacri ordinis

dinis viros deprehenderentur, qui ad eam idonei eſſent. Subinde tamen in conciliis quibusdam, vt Bracarenſi, ſaeculo ſexto celebrato, Turonenſi, tempore Caroli magni, an. 1313, & Moguntino ſecundo, an. 1347 conuocato, decreta condita ſunt, quibus rudiorum inſtitutio, ſeu catechiſatio iniungebatur, quod & in *capitularibus* Caroli magni factum. Immo in hiſce *capitularibus*, vti & conciliis iſtis, praeſertim Moguntino, vt catechiſatio illa *lingua populari* fieret, conſtitutum. Ex iſtis porro conciliorum decretis, aliisque documentis, condiſcimus, doctrinae catecheticae capita eo tempore conſtitiſſe in decalogo, ſymbolo apoſtolico, & oratione dominica; quamquam interdum tantum aut ſymboli apoſtolici, & orationis dominicae, aut decalogi, & ſymboli apoſtolici, mentio fiat; interdum pro decalogo, enumeratio peccatorum capitalium, quae quemlibet chriſtianum euitare decet, ponatur. Legenda, quae hac de re erudite & eleganter obſeruat IO. GE. ECCARDVS, in *praefatione*, *incerti monachi Weiſſenburgenſis catecheſi theotiſcae*, praemiſſa, *p. 2. ſeqq.* Atque ipſe etiam B. LVTHERVS noſter tria haecce capita, decalogum, ſymbolum apoſtolicum, & orationem dominicam, quibus olim catechiſmus abſoluebatur, vtcumque ſub papatu conſeruata fatetur; cuius, quae huc ſpectant, verba ex *tom. II. Witteberg. fol. 229. & 230.* exhibui in diſſertatione, *iudicium beati Martini Lutheri de eccleſia romana expenſum & vindicatum*, inſcripta, §. *VII. p. 11.* Immo ipſe initio tribus hiſce capitibus catechiſmum incluſit, donec deinceps pro adultioribus doctrinam de ſacramentis, baptiſmi & euchariſtiae, adiiceret, vt mox pluribus oſtendemus. Doctrinae catecheticae, qualis medio hocce, de quo loquimur, aeuo fuit, monumentum, conſpicere licet, in *monachi* iſtius *Weiſſenburgenſis catecheſi theotiſca, ſaeculo nono conſcripta*, quam cum *monumentis catecheticis variis theotiſcis*, edidit IO. GE. ECCARDVS, Hannouerae 1713, 8. Continet autem iſta catecheſis orationem dominicam cum expoſitione, peccata criminalia, ſymbolum apoſtolicum, & Athanaſianum, & formulam: *gloria in excelſis.* De auctore iſtius catecheſeos nihil certi adfirmare licet, niſi quod fuerit monachus Weiſſenburgenſis, & ſaeculo nono vixerit. Poſſet quidem ipſe RHABANVS MAGNENTIVS MAVRVS, archiepiſcopus Moguntinus, auctor eius cenſeri, quippe cui rudiorum in capitibus praecipuis doctrinae chriſtianae inſtitutionem valde curae cordique fuiſſe, conſtat; vero tamen ſimilius ECCARDO videtur, OTFRIEDVM, monachum Weiſſenburgenſem, RHABANI MAGNENTII MAVRI diſcipulum & auditorem, catecheſin ad mentem magiſtri in theotiſcam linguam tranſtuliſſe, atque in litteras redegiſſe; *praefat. cit. p. 12.* Atque hinc quidem patet, non prorſus omnem catecheſeos memoriam exſtinctam & oblitteratam fuiſſe. Quo magis autem in hocce tenebrarum regno theologia ſcholaſtica, ſimulque ſuperſtitio, imperii papalis praecipuum fulcrum, effloruit; eo minus catecheſeos haberi ratio coepit. Caerimonialia, ritualia, breuiaria, & alii eiusmodi ineptiarum libelli, orbem occupauerant chriſtianum, & catecheticis inſtitutionibus nullum fere concedebant locum. Hinc, qui futilium eiusmodi, & inanium rerum pertaeſi, tyrannidis, quam romani praeſules in omnes exercebant, excutere iugum tentabant, id cumprimis agebant, vt catecheſin, ſeu genuinam rudiorum reſtituerent inſtitutionem. Idque inde patet, quod Waldenſibus vitio datum, immo inter cauſſas, cur haereſeos rei ſint, relatum ſit, quod ſe inuicem ad rerum diuinarum cognitionem erudirent; vti & viro clariſſimo IAC. LENFANT ob-

obſeruatum, in *diſſert. de catechiſmis*, addita eiusdem *innocentiae catechiſmi Heidelbergenſis demonſtratae p. 95.* De catechiſatione nimirum hoc eſt intelligendum, cum ex *confeſſione fidei*, quam Waldenſes Franciſco I, Galliae regi, an. 1545 exhibuerunt, pateat, catecheticam inſtitutionem apud eos vſitatam fuiſſe. Idem & de Wickleſitis conſtat. Certe inter opera IO. WICKLEFI etiam refertur, *pauper ruſticus*, ſiue miſcellanei tractatus varii, anglice ſcripti, qui pauperes, ſine multorum librorum adparatu, chriſtianae religionis capita edocent; quos inter maxime eminet: *expoſitio ſymboli apoſtolici, decalogi & orationis dominicae.* Hiſce enim tribus capitibus catecheſin olim abſolutam fuiſſe, antea obſeruauimus; conf. HENR. WHARTON, in *adpend. ad hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſ.* GVIL. CAVEI *p. 37.* IO. HVSSVM, cui poſt WICKLEFVM praecipuus inter veritatis confeſſores debetur locus, de rudiorum inſtitutione ſollicitum fuiſſe, non eſt, quod dubitemus. Saltem *explicationem* quamdam *ſymboli apoſtolici*, *decalogi & orationis dominicae*, (quibus partibus, vt aliquoties iam diximus, catecheſis eo tempore conſtabat) reliquit, Conſtantiae in carcere compoſitam, quae in *operibus* eius 1715 recuſis *p. 38. ſeqq.* exſtat; quamuis in ea ſymbolum apoſtolicum qua ſingula capita non explicet, ſed generatim tantum quaedam de fide diſſerat. Atque haec cum agerent, qui eccleſiae romanae vitia cordate detegebant, & impugnabant; mirum non eſt, ſi tandem nonnulli ex eidem eccleſiae addictis, neceſſitatem rudiores inſtituendi intelligerent. Certe IO. CHARLIERIVM DE GERSON, Pariſienſis academiae cancellarium, ſua aetate celeberrimum, non tantum tractatum, *de paruulis ad Chriſtum trahendis*, ſcripſiſſe, ſed vltimam aetatis ſuae partem paruulis catechiſandis impendiſſe, conſtat.

§. XII. Inter beneficia itaque, quae benigniſſimum Numen, per eccleſiae emendationem, opera beati MARTINI LVTHERI ſuſceptam, in nos contulit, haud vltimum locum tenet, ſed celebranda potius maximopere, catecheſeos reſtitutio; ſiquidem non modo ipſemet LVTHERVS libellos elegantiſſimos ad rudiorum informationem in ſacrae doctrinae praecipuis capitibus, compoſuit, ſed alios etiam, vt idem facerent, exemplo ſuo concitauit. *

* Licet catechetica inſtitutio ante B. LVTHERVM non prorſus deleta eſſet, quin potius nonnulli exſiſterent, qui eam vtcumque reſtiruere conarentur; pauci tamen admodum de ea ſolliciti erant, pauciores adhuc, immo nemo, ea id, qua par erat, faciebat ratione, vt adeo tenuis ſolum quaedam eius ſupereſſet vmbra. Magna itaque rerum diuinarum vbique fere erat ignorantia; cui vt medelam adferret B. MART. LVTHERVS, diuinitus ad eccleſiae emendationem excitatus, duplicem catechiſmum, *minorem*, pro ſimplicioribus, pro prouectioribus *maiorem* concinnauit. *Minorem* primum, & quidem an. 1529, deinde vero *maiorem* prodiiſſe, recepta eſt ſententia; ſed IO. MELCH. KRAFFTIVS, primum *maiorem*, deinde *minorem*, lucem adſpexiſſe, contendit; additque, *maiorem* iam an. 1529 menſe Iulio, a VINCENTIO OBSOPOEIO, Onolzbacenſis ſcholae tum moderatore, latine fuiſſe verſum, eamque verſionem eamdem eſſe, quam poſtea eccleſiae noſtrae doctores, piique confeſſores, an. 1580 libris ſymbolicis inſeruerint; in *emendandis*

Digitized by Google

dis ac corrigendis quibuſdam in hiſtoria verſionis germanicae bibliorum Martini Lutheri, Io. Frid. Mayeri &c. §. XIV. p. 33. Equidem iam an. 1518, & iterum 1520, ſub initium reformationis B. LVTHERVS, catechiſmum quemdam: *breuis formula decalogi, ſymboli apoſtolici & orationis dominicae*, inſcriptum, ediderat; quemadmodum & an. 1523 in *formula miſſae & communionis* poſt alios ritus, *eadem ſumma doctrinae chriſtianae capita catechiſmo antiquitus comprehenſa*, addita *ſalutatione angelica*, delineauit; deinceps tamen, viſitatione peracta, an. 1527. & 28, ad catechiſmum maiorem & minorem, quorum vterque hodie tantum hocce nomine venit, edendum, animum ſuum adiecit. Quanam inductus ſit cauſſa, vt minorem catechiſmum concinnaret, ipſemet in *praefatione* expoſuit. *Miſerabilis*, inquit, *illa facies, quam proxime, cum viſitatorem agerem, vidi, me ad edendum hunc catechiſmum, ſimpliciſſime & breuiſſime tractatum, coëgit. Deum immortalem! quantam calamitatem ibi vidi; vulgus, praeſertim autem illud, quod in agris viuit, item plerique parochi, adeo nullam chriſtianae doctrinae cognitionem habent, vt dicere etiam pudeat; &c.* Cum vero hactenus catechiſmus tribus conſtiterat capitibus, decalogo, ſymbolo apoſtolico, & oratione dominica, quod & ipſe teſtatur LVTHERVS, in vtrinſque & *maioris & minoris catechiſmi praefatione*, verbatus doctrinam de *ſacramentis baptiſmi & euchariſtiae*, eo, quod ipſa res poſtularet, vt rudiores de his quoque rectius informarentur, addidit; indeque factum, vt quinque capitibus in poſterum catechiſmus includeretur. Acceſſit vero deinceps doctrina de poteſtate clauium. Quod qua ratione factum, hunc in modum IO. BENED. CARPZOVIVS nos condocet: *in catechiſmo, libro concordiae, ex tom. VIII. Ienenſ. fol. 380. ſeqq. inſerto, haec pars* (de poteſtate clauium) *quidem deeſt, poſtquam Lutherus eam ſacrae coenae adnumerauerat; ſed hodie in catechiſmo, prout in ſcholis ac templis legitur, ac docetur, habetur illa, & quidem loco eorum, quae in illo de confeſſione, quomodo ſimpliciores de ea erudiendi ſint, a Luthero in catechiſmo minori monita fuerant. Factum eſt hoc augmentum ſine dubio patrum noſtrorum tempore, vbi Caluiniſtae confeſſionem & abſolutionem ex eccleſiis eiicere, omni ſtudio conati fuerant*; *iſagog.* in *libros eccleſiar. Lutheranar. ſymbolicos, p. 951.* Beatum vero LVTHERVM vtrumque huncce libellum conſcribendo magno beneficio eccleſiam vniuerſam ſibi obſtrinxiſſe, agnoſcunt omnes, quotquot iuſtum huic eius labori ſtatuere didicerunt pretium. Promeruitque omnino vterque libellus elogia iſta, quibus paſſim ornatur. *Iſte libellus*, inquit CONR. PORTA, de catechiſmo minori verba faciens, *quantumuis paruus & in ſpeciem vilis adpareat, admiranda breuitate totum negotium ſalutis noſtrae neruoſius complectitur, quam multorum prolixi, & intricatis quaeſtionibus, ineptis ac impiis gloſſulis refertiſſimi libri, adeo, vt omnes portae inferorum, & hoſtes atque haeretici omnes in vnum collecti, nihil praeualituri ſint aduerſus illum. Ideoque rectiſſime iudicavit D. Ionas, quando dixit: non Lutherum ſolummodo, ſed ipſum ſpiritum ſanctum eius libelli auctorem & ſcriptorem, aut certe dictatorem fuiſſe*; in *oration. de Luthero, eiusque ſcriptis diligenter legendis*, addita MICH. NEANDRI *theologiae Lutheri, Bernhardi & Tauleri, lit. D d p. 6.* Legenda &, quae in ſequentibus *lit. D d p. 8. & lit. E e p. 1.* copioſe de vtroque hocce LVTHERI catechiſmo, maiori & minori diſſerit. Non minus quoque praeclare de catechiſmo LVTHERI ſentit VITVS LVD. SECKENDORFIVS. *Interim*, inquit, *eſt in libello hoc* (catechiſmo minori) *& orthodo-*

xia

xia & ſpiritus, vt in ſuo genere parem non habeat, id quod lectoribus ipſis, qui veritati praefracte non repugnant, explorandum & iudicandum relinquimus. Excellit ante omnia explicatio ſymboli apoſtolici. Deinde depellendis calumniis, ac ſi ſolam fidem, id eſt, nudam eius profeſſionem, excluſa vitae ſanctimonia, aut imaginationem de merito Chriſti imputato, eccleſiae obtruſiſſet Lutherus, breuis & neruoſiſſima interpretatio orationis dominicae ſufficit; in *hiſtor. Lutheraniſmi, lib. II. §. LI. p. 145. ſeqq.* Translatus etiam eſt catechiſmus Lutheri in varias linguas, ipſeque IOACH. CAMERARIVS, cum expoſitione vberiori, eum in graecam conuertit; Lipſiae 1573.

LVTHERI deinceps exemplum plures ſequuti ſunt, tum ex noſtratibus, tum ex illis, qui alias in religione amplectuntur opiniones. Et ex noſtratibus quidem nonnulli alios catechiſmos condendo, copioſius tantum ediſſerere, quae breuius ab eo dicta erant, aut quae deeſſe videbantur, ſupplere voluerunt; alii autem notis, obſeruationibus, commentariis, eumdem LVTHERI catechiſmum illuſtrarunt. Illorum, qui ad priorem claſſem pertinent, magnus eſt numerus, ſatisque noti ſunt ipſius PHIL. MELANCHTHONIS, IO. BRENTII, (cuius non tantum exſtant *ſermones in catechiſmum Lutheri*, ſed & *explicatio aperta, facilis & pia*) IO. MATTHESII, NICOLAI SELNECCERI, DAV. CHYTRAEI, IO. WIGANDI, NIC. HEMMINGII, aliorumque labores catechetici, in *compendiis, quaeſtionibus, elucidationibus, &c.* propoſiti; quos cum aliis eiusdem generis ſcriptis catecheticis recenſet CASPAR FIEDLERVS, *in dem erleuchteten Catechiſmus-Prediger, c. I. p. 35. ſeqq.* Immo, ſingulae fere prouinciae & vrbes illuſtriores Germaniae, quae noſtrae eccleſiae ſacra ſequuntur, ne quid nunc de aliis regnis populisue dicam, ſuos habent catechiſmos, quibus catechiſmus LVTHERI explicatur, & illuſtratur. Sic noti omnibus ſunt, *catechiſmus Gothanus*, a SAL. GLASSIO noſtro confectus, *Altenburgenſis*, *Argentoratenſis*, aliique. *Dantiſcanam catecheſin* prae reliquis laudat ABR. CALOVIVS, in *paedia de methodo ſtudii theologici, artic. poſterior. c. III. p. 338. Dresdenſis*, *Francofurtanae & Quedlinburgenſis* honorifice meminit PHIL. IAC. SPENERVS, in *reſponſis theologicis* (germanicis prioribus) *part. III. p. 839.* & *part. IV. p. 261. & 568.* Et ipſe ſane SPENERVS omne hic punctum tulit, in libello catechetico, *einfaeltige Erklaehrung der chriſtlichen Lehre nach der Ordnung des kleinen catechiſmi des theuren Mannes Gottes Lutheri &c.* inſcripto, in quo exquiſitum viri iſtius iudicium abunde elucet. Cuncta enim fidei capita plene ac perſpicue tradit, omnia ſolide ex ſcriptura ſacra probat, & ad pietatis praxin ſapienter dirigit; vnde & hicce libellus *incomparabile opus* vocatur a IO. FRID. MAYERO, in *muſeo miniſtri eccleſiae, part. II. c. III. p. 335.* Eiusdem SPENERI exſtant quoque *tabulae catecheticae*, ad ſenſum genuinum adcurate comprehendendum, & breuiter exhibendum, vel maxime comparatae; quarum altera editio priori multum auctior Francofurti ad Moenum 1687, 8. prodiit. Plura eiusdem generis ſcripta catechetica, a noſtratibus elaborata, dabit IO. HENR. HOTTINGERVS, in *bibliothecar. quadripartito, lib. III. c. I. p. 335.* cumprimis autem IO. CHRISTOPH. DORNIVS, in *bibliotheca theologico-critica, part. II. lib. VIII. c. III. §. XIV. ſeqq. p. 637. ſeqq.* vbi diſerte Wittebergenſium, Tubingenſium, Lipſienſium, aliorumque in rem catecheticam merita enarrat. Conferenda &, quae HENR. ITTERSHAGENIVS monet, de variis catechiſmis in eccleſia noſtra receptis, qui & IO. GVIL. PETERSENI

cate-

catechiſmum an. 1689 editum hoc nomine laudat, quod ad propoſitas quaeſtiones ipſius ſcripturae ſacrae verbis dictisque reſpondeat; in *candidato miniſterii litterato, ſect. III. p. 267.* Sunt vero nonnulli, qui, dum catechiſmum explicant, aut illuſtrant, talia adferunt, quae rudiorum captum multum ſuperant, & ad acroamaticam potius, quam exotericam, ſeu catecheticam theologiam, referenda ſunt. Huius generis ſunt IO. CVNR. DIETERICI *inſtitutiones catecheticae*, ita concinnatae, vt praecipuarum etiam controuerſiarum in iis habeatur ratio; ad quarum etiam ductum paſſim in ſcholis & academiis praelectiones ſunt inſtitutae, vnde & praeſtantiſſimorum in academia noſtra theologorum CHRIST. CHEMNITII, & FRIDEMANNI BECHMANNI, in eas enatae ſunt *adnotationes.* Saepius *inſtitutiones* iſtae *catecheticae* excuſae ſunt, & cum adnotationibus quidem CHRIST. CHEMNITII, Lipſiae 1677, 8. FRIDEM. BECHMANNI *adnotationes vberiores* in easdem, Ienae prodierunt 1707, 4. Idem cenſendum de IO. CONR. DANHAVERI *lacte catechetico*, amplo & erudito opere, in quo in omnem ſe diffundit theologiae campum, de quo adeo & recte nonnulli pronuntiarunt, eo non tam lac, quam στερεὰν τροφὴν contineri. Sunt & alii quam plurimi, qui *conciones* ſeu *ſermones ſacros* in catechiſmum Lutheri ediderunt, quos itidem recenſet, quem antea iam laudauimus, CASP. FIEDLERVS, *loc. citat. c. I. p. 35. ſeqq.* & IO. CHRISTOPH. DORNIVS, in *biblioth. theolog. critica, part. II. lib. VIII. c. III. §. XXVI. ſeqq. p. 651. ſeqq.* Id ſolum adhuc addimus, cum romanenſes viderint, quanta per *catechiſmum minorem* LVTHERI ad eccleſiam noſtram facta ſit acceſſio; infenſum erga illum quouis modo eos prodidiſſe animum. Fuerunt vero etiam ex iisdem, qui ex ſcriptis LVTHERI, ſed locis, aut deprauatis, aut alibi reuocatis, vel rectius explicatis, *catechiſmum* quemdam, ſeu doctrinae ſacrae enchiridion, ad errores romanae eccleſiae comprobandos, concinnarent, quibus SAM. SCHELGVIGIVS, libellum, *Catechiſmus-Reinigung* oppoſuit. Non tantum romanenſium, ſed aliorum etiam, catechiſmum LVTHERI vellicantium, variaque eidem obiicientium, aut quaedam in ſenſum peruerſum trahentium, inſultibus obuiam iuit, eosque repreſſit IO. MART. SCHAMELIVS, in *vindiciis catecheticis, id eſt, gründlicher Rettung vnd Beantwortung vnterſchiedener bedencklicher Vmſtaende, Stellen und Redensarthen, in dem kleinen catechiſmo des ſel. Lutheri &c.* Lipſiae 1713, 8. inſtituto perquam laudabili & valde commendando.

Romanenſes exemplo LVTHERI, noſtraeque eccleſiae, inductos, de catechiſmo diligentius tractando cogitationes ſuſcepiſſe, adeo verum eſt, vt qui inter eos cordatiores ſunt, hoc neutiquam diffiteantur. Ingenue ANT. POSSEVINVS: *Quid ergo? ſi ita poſthac fiat, vt catechiſmum doceamus, exiſtimabit populus, aut hoc manaſſe ab aliis* (ſcilicet haereticis, ſeu Lutheranis) *aut hactenus nos dormitaſſe. Atqui vt verum vtrumque eſt, ita chriſtiani hominis eſt, potius culpam ſuam agnoſcere, quam reipublicae periculo tegere priuatum vitium;* in *epiſtol. de neceſſitate, vtilitate ac ratione catholici catechiſmi*, Ingolſtadii 1583. edita, *p. 45.* Addenda, quae ex inſtituto hac de re diſſerit IO. FRID. MAYERVS, in *eccleſia papaea Lutheranae reformationis patrona & cliente, diſſ. II. c. IV. p. 92. ſeqq.* IGNATIO LOIOLAE hanc gloriam, quod catechizandi pueros methodum primus in eccleſiam romanam reduxerit, vindicat CLAVDIVS FLEVRY, in *praefatione catechiſmi hiſtorici*, deinceps memorandi. Et negari nequit, ſocie-

ſocietati Ieſu adſcriptos maiorem, quam reliquos romanenſes, in erudienda iuuentute collocaſſe diligentiam, eaque ratione ſocietatis ſuae egregie promouiſſe commoda. Decretum vero etiam in ipſo concilio Tridentino eſt, vt catechiſmus pro rudiorum informatione componeretur, qui & iuſſu tandem PII V, pontificis, lucem adſpexit, ſaepiusque impreſſus eſt Antwerpiae, Coloniae, Dillingae, alibique. Ad auctorem huius catechiſmi quod attinet, ſunt quidem, qui, eum a SIRLETO cardinali compoſitum, contendunt; ſed AND. FABRICIVS, Leodius, in *praefatione*, quam editioni ſuae huius catechiſmi praemiſit, adſerit, ſoli SIRLETO eum tribui non poſſe, ſiquidem plures viri docti ad eum operam ſuam contulerint. Refert hoc PAVLVS COLOMESIVS, qui &, vt confirmet, quae FABRICIVS dixerat, ex libello, *quaeſtio theologica, hiſtorica, & iuris pontificii, de mente concilii Tridentini circa gratiam efficacem, & ſcientiam mediam, anno 1647 iuxta exemplar impreſſum anno 1607*, ſequentia recitat verba: *Sub finem concilii catechiſmus componitur, praeſertim a Leonardo Morino, archiepiſcopo Lancianenſi, ex ordine praedicatorum, Aegidio Fuſcarario, epiſcopo Mutinenſi, & Franciſco Forerio eiusdem ordinis. Hi Romam ire iubentur, vt opus illud abſolutum iudicio ſanctae ſedis euulgent, recenſitum & perfectum ab illuſtriſſimo Sirleto, qui Tridentino concilio interfuerat, cum cardinali ſanctae crucis, cuius tunc erat domeſticus, & Syluio Antoniano cardinali;* in *bibliotheque choiſie, p. 34. 35.* aut in operibus COLOMESII, a IO. ALB. FABRICIO iunctim editis, *p. 410.* Stilum in hocce catechiſmo PAVLI MANVTII eſſe, nonnulli autumant, apud eumdem COLOMESIVM *l. c.* Magnifice admodum romanenſes de hocce catechiſmo ſentire, facile coniicere licet. Et IACOBVS quidem BAIVS, in *dedicatione inſtitutionum religionis chriſtianae, ad methodum catechiſmi romani concinnatarum*, de eo ita pronuntiat: *Suo iure principem locum inter omnia doctorum ſcripta obtinet, cum non vnius priuati hominis ſenſum, ſed eccleſiae totius, (quae columna & firmamentum veritatis eſt) iudicium, & apoſtolicam a beato Petro & Paulo doctrinam, Romanis traditam contineat: iuxta quam populo in templis, & iuuentuti in ſcholis proponenda doctrina omnis attemperari debeat, ita vt hic vnus liber inſtar omnium, tam docentibus, quam diſcentibus, lydius lapis, certiſſima & infallibilis norma, ad quam examinanda ſit omnis doctrina, eſſe queat.* Similia & apud alios occurrunt. Aliter ſentiunt, qui, romanae eccleſiae grauiſſimos errores in eo proponi, aut palliari, intelligunt; nec ſine ratione nonnulli dixerunt, recte huncce catechiſmum vocari *romanum*; ſi enim *chriſtianus* diceretur, tunc tractationem non reſponſuram inſcriptioni; conf. LENFANT, in *diſſertat. de catechiſmis, p. 98.* Nec defuerunt, qui eumdem obſeruationibus, adnotationibus, commentariis, ſermonibus illuſtrarent, ex catechiſmo iterum ſyſtema aliquod theologicum facientes. *Elucidationem ſcholaſticam* in eum, itemque *ſummam in gratiam ordinandorum*, edidit IO. CHAPEAVVILLE; *adnotatiunculas & indicem*, ANDR. FABRICIVS, Leodicenſis; in *epitomen* & *tabulas* digeſſit GE. EDERVS; alii aliud quid in eum moliti ſunt; de quibus vid. IO. HENR. HOTTINGERVS, in *bibliothecario quadripartito, lib. III. c. I. p. 336.* In linguam germanicam eumdem tranſtulit PAVL. HOFFAEVS. Praxin vero eius euulgauit IO. EVSEBIVS NIEREMBERGIVS, quae, vti ſaepius recuſa eſt, ita per Hiſpaniae eccleſias, epiſcopis iubentibus, publice legi conſueuit, etiam concionis loco inter ipſa miſſarum ſolemnia, vti ex PHIL. ALEGAMBE *bibliothec.* *ſcri-*

ſcriptor. ſoc. Ieſu p. 444. obſeruat IO. FRID. MAYERVS, in *eccleſia papaea Lutheranae reformat. patrona & cliente, diſſert. II. c. IV. §. II. p. 94.* Praeter huncce catechiſmum romanum, qui publica auctoritate editus eſt, & alii quam plurimi in eadem eccleſia, a ſocietati Ieſu maxime addictis, concinnati ſunt; quos inter haud vltimum locum tenet, qui PET. CANISIVM auctorem agnoſcit. Maxima enim omnium fere in hac eccleſia exceptus eſt adprobatione, & in varias quoque linguas conuerſus. Ferdinandi I imperatoris iuſſu & voluntate inductum CANISIVM, huncce in ſe ſuſcepiſſe laborem, NIC. ORLANDINVS auctor eſt, *hiſtor. ſoc. Ieſu, lib. XIV. num. XLIII. p. 459.* De *maiori* autem praeſertim, quod diximus, eius intelligendum eſt *catechiſmo*, qui & in iuſtum excreuit volumen, poſtquam PET. BVSAEVS, integra adiecit teſtimonia, quae a CANISIO in margine libri tantum erant indicata. Idem vero & *inſtitutiones chriſtianae pietatis*, ſeu *paruum catholicorum catechiſmum*, in lucem emiſit, qui non minori omnium adprobatione exceptus, & in varias itidem linguas translatus eſt. Sequuti deinceps alii, & in concinnandis catechiſmis ſtudium, operamque ſuam collocarunt, quos inter eminent ROB. BELLARMINVS, in *chriſtianae doctrinae copioſa explicatione*, FRANC. COSTERVS, in *catechiſmo duplici, breuiori & prolixiori*, IO. HESSELIVS, LVDOV. GRANATENSIS, & reliqui, quos recenſere omnes longum nimis, pariterque taedioſum foret. Plurimos laudat IO. HENR. HOTTINGERVS, in *bibliothecario quadripartito, lib. III. c. I. p. 336.* nonnullos quoque, cumprimis qui gallicana lingua catechiſmos ſcripſerunt, IO. MABILLONIVS, in *catalogo optimorum librorum*, eius tractatui *de ſtudiis monaſticis* ſubnexo, *num. XIII. p. 626.* Addendus IO. CHRISTOPH. DORNIVS, *biblioth. theolog. crit. part. II. lib. VIII. c. III. §. VIII. p. 627. ſeqq.* Catechiſmos a ſocietati Ieſu addictis ſcriptos, in compendio exhibet auctor *imaginis primi ſaeculi ſocietatis Ieſu, lib. III. c. VI. p. 354.* & ex eo IO. FRID. MAYERVS, *in eccleſia papaea, Lutheranae reformat. patrona & cliente, diſſertat. II. c. IV. §. IV.* qui & ex PHILIPPI ALEGAMBE *bibliotheca ſcriptorum ſocietatis Ieſu*, eiusque continuatione a SOTVELLO adornata, catecheſes, in varias linguas, aethiopicam, braſilicam, arabicam, ebraicam, & maroniticam, aliasque a Ieſuitis translatas, commemoratis & ſingularum verſionum auctoribus, recenſet. Nimirum, cum romana eccleſia id agat, vt ſubinde ſacri ordinis viros in longe diſſitas regiones mittat, qui gentiles aut haereticos ad pontificis obſequium reducant, conuerſionem ad religionem chriſtianam obtentui ſumentes; conſultum duxerunt, qui haecce conſilia promouere ſuarum duxerunt eſſe partium, quos inter ſocietati Ieſu adſcripti eminent, catechiſmum in varias orbis linguas transferre, vt eo felicius gentes primis religionis chriſtianae elementis ad mentem romanenſium imbuere queant. Hinc itaque tanta verſionum catechiſmi a Ieſuitis confectarum exſtitit multitudo. Qui tamen paullo adcuratius, quo pacto in gentium conuerſione verſentur, conſiderauerit, deprehendet, eos de ritibus potius, & caerimoniis romanae eccleſiae vbique introducendis, quam de doctrina chriſtiana propaganda, ſollicitos eſſe. Obſeruatum hoc iam aliis, nuper vero luculenter demonſtrauit MATVRINVS VEYSSIERIVS LA CROZE, in *hiſtoria chriſtianiſmi Indorum*, gallice ſcripta, *lib. II. & III. p. 87. ſeqq.* Priusquam a romanenſibus diſcedam, facere nequeo, quin CLAVDII FLEVRII adhuc iniiciam mentionem, cuius quippe *catechiſmus hiſtoricus, in compendio comple-*

ſtens hiſtoriam ſacram & doctrinam chriſtianam, gallicana lingua ſcriptus, multorum elogia promeruit. Quarta eius editio prodiit Pariſiis, an. 1688, 12. Certe, ſi errores romanae eccleſiae, cuius placita ſequitur, demas, vix quiſquam de concinnaudo catechiſmo rectius ſenſiſſe videtur. Simplex vtique factorum narratio, cui deinceps doctrina ſuperſtruatur, ad captum rudiorum valde eſt adcommodata. Hiſtorias omnes libenter audiunt, & facile percipiunt, cum dogmata contra, abſtracte propoſita, a pauciſſimis intelligantur. Quae & ratio eſt, quod pauci ex plebeiis ſummam doctrinae chriſtianae teneant, aut ſi teneant, verba ſolum, quorum ſenſum neſciunt, recitare queant. Obſeruat idem auctor, bis mille a condito mundo annis ita in religione inſtitutos fuiſſe homines a patribus auisque, geſta Dei narrantibus; immo & ipſos ſcriptores ſacros eadem vſos methodo, quae iucunditate pariter ac facilitate ſe commendet omnibus. Multa alia de catechiſmis concinnandis idem auctor recte monet, in iis ſcilicet ſolius ſcripturae ductum ſequendum, nec niſi certiſſima proponenda, euitatis incertis & curioſis, quaeſtiones problematicas non miſcendas cum dogmatibus fidei; id praecipue agendum, vt cor moueatur & erigatur, cum in lectoribus tum haud difficulter excitari poſſit attentio; ſermone ſimplici cuncta proponenda, procul faceſſere iuſſis terminis ſcholaſticis, & quae alia ſunt eiusdem generis. Duobus tomis catechiſmus hicce abſoluitur, prior *catechiſmum* exhibet *minorem*, cuius pars prior hiſtorica complectitur, poſterior dogmatica. In illa ſcripturae fere inſiſtit veſtigiis, paucis exceptis, in quibus ſecundum romanae eccleſiae conſuetudinem traditione nititur; in hac omnium ſe attemperare ingenio laborat. Poſterior tomus *catechiſmum* ſiſtit *maiorem*, eadem methodo concinnatum. Prior namque pars hiſtorica capita, eodem quo in primo tomo, ordine recenſet, ſed vberius & copioſius explicata; poſterior iterum dogmata, fuſius itidem expoſita, & eccleſiae romanae placitis magis adcommodata. Ex noſtratibus equidem etiam vir clariſſimus IO. GE. HAGELGANS catechiſmum quemdam hiſtoricum, ſiue *Catechetiſche Bibel, darinne der Weg zur Seligkeit nach der Ordnung des catechiſmi Lutheri, durch Frag und Antwort in lauter bibliſchen Geſchichten auf das deutlichſte gezeiget &c.* edidit, qui cum praefatione beati IO. HENR. MAII Francofurti ad Moenum 1711, 8. prodiit. Sed inſtitutum eius plane diuerſum eſt. Catechiſmum enim tantum beati LVTHERI exemplis ac hiſtoriis, ex ſacra ſcriptura petitis, illuſtrat. Qua in re longe tamen rectius verſatus eſt, quam illi ex romanenſibus, qui itidem catechiſmos hiſtoricos dederunt, ſed non tam hiſtoriis illuſtratos, quam fabulis & commentis obſcuratos, commaculatosque, cuiusmodi eſt *catechiſmus hiſtoricus* ANT. DAVROVLTII, qui Duaci 1603 prodiit.

Nec ſegniores, quam noſtrates, aut romanenſes, in tractanda doctrina catechetica, aut condendis catechiſmis, fuerunt reformatae eccleſiae doctores. Quod ſi IO. HENR. HOTTINGERO credimus, Heluetii & Galli, reliquis praeiuerunt exemplum. *Ex reformatis*, inquit, *tempore praeiuerunt Heluetii & Galli, vſu & complemento ſequuti ſunt Germani, Palatini praeſertim; bibliothecar. quadripart. lib. III. c. I. p. 333.* Quod bene ſe habet, ſi tantum de reformatis intelligatur. Ceteroquin enim MART. LVTHERVM primum fuiſſe, qui velut ſignum aliquod ad bene ſperandum ſuſtulerit, conſtat. Inter reformatos autem praecipua forte laus debetur IO. CALVINO,

NO, qui an. 1545 lingua gallicana catechiſmum edidit, quem deinceps in linguam latinam tranſtulit. Tantamque is conſequutus eſt auctoritatem, vt in omnibus Galliae eccleſiis reformatis, ſingulis diebus dominicis poſt meridiem, explicaretur, vsque ad edicti Nannetenſis reuocationem; idque ex decreto ſynodorum quarumdam nationalium. Legenda quae hac de re adfert IAC. LENFANT, in *diſſert. de catechiſmis, p. 101. 102.* qui & ex *vita Caluini* a THEOD. BEZA ſcripta, obſeruat, in varias linguas huncce CALVINI catechiſmum translatum, & in graecam quidem ab HENR. STEPHANO, in ebraicam autem ab IM. TREMELLIO. Sequuti deinceps magno numero ſunt eiusdem eccleſiae doctores, & catechiſmos condiderunt, quorum praecipuos IO. HENR. HOTTINGERVS *l. c.* recenſet. Nobis vero adhuc commemorandus eſt *catechiſmus Heidelbergenſis*, cuius quippe praecipua in hacce eccleſia eſt auctoritas. Conſcriptus is eſt iuſſu & auctoritate Friderici III, electoris Palatini, a ZACH. VRSINO & CASP. OLEVIANO, quibus nonnulli PET. BOQVINVM, & IM. TREMELLIVM addunt; examini deinde ſubiectus, & ab inſpectoribus eccleſiarum in Palatinatu probatus, an. 1563 lucem publicam adſpexit, & a loco, vbi confectus atque receptus eſt, *Palatini*, itemque *Heidelbergenſis catechiſmi* nomen ſortitus eſt. Multis vtique, & ob methodum concinnam, & ob perſpicuitatem, dictorumque ſcripturae ſelectum, ſeſe probauit; magnaque inde non tantum a reformatae eccleſiae addictis, conſenſione receptus, ſed & a noſtratibus interdum laudatus eſt. IO. HENR. HOTTINGERO *abſolutum puri oris theologiae ſyſtema* audit, *receptum proinde non modo in Germania, ſed etiam Belgio, Hungaria, Heluetia*; qui & commentatores eius VRSINVM, PAREVM, MYLIVM, REVTERVM, aliosque, quorum haud exiguus eſt numerus, laudat; *l. c. lib. III. c. I. p. 334.* Non defuerunt rurſus, qui aliter de hocce catechiſmo ſentirent, immo ſcriptis eum impugnarent; quod ex romanenſibus ANGELVS DE MONTE BELLO, Louanienſis, fecit, refutatus aliquot diſputationibus Groeningae habitis ab HENR. ALTINGIO, qui morte praepeditus, eas ad finem perducere non potuit; itemque I. A. COPPENSTEINIVS, in *catecheſi Heidelbergenſi ex-caluinizata*, cui IAC. LAVRENTIVS an. 1621 *vindicias* oppoſuit, ab aliis iterum vindicandas. Sed ex ipſis etiam reformatae eccleſiae theologis THEOD. VOLCHARDVS CORNHERTIVS, inueniſſe ſibi, quod in hocce catechiſmo reprehenderet; viſus eſt, idque peculiari libello egit, quem IO. GEROBVLVS, paſtor Vltraiectinus, itemque ARNOLDVS CORNELIVS, & REINERVS DONTECLOECK, paſtores Delphenſes, an. 1585 refutarunt, illo iterum *replicam* his opponente, quae poſt auctoris obitum an. 1610 lucem adſpexit. Diſplicuit quoque hicce catechiſmus remonſtrantibus, eum quippe non niſi correctum & emendatum recepturis, quibus antea iam laudatus HENR. ALTINGIVS, in *explicatione catechetica*, obuiam iuit, edita an. 1646. Tandem tamen in Belgio triumphauit, adprobatusque eſt in ſynodo Dordracena, ſeſſione decima ſeptima, & in numerum librorum ſymbolicorum eccleſiarum Belgicarum receptus, confirmatusque denuo eſt in conuentu Hagae Comitum, an. 1651 inſtituto. Iam antea quoque an. 1648 auctoritate & ſumtibus ordinum generalium in linguam hodiernam Graecorum translatus eſt. Haec omnia luculenter ediſſerit HENR. LVDOLPH. BENTHEMIVS, in *dem hollaendiſchen Kirchen- und Schulen-Staat, part. I. c. VI. p. 195. ſeqq.* Inter eos, qui catechiſmum Heidelbergenſem commentariis ſuis illuſtrarunt, ſi ab iis diſcedas, quos IO. HENR. HOT-

HOTTINGERVS *l. c.* aliique laudarunt, eminent IO. COCCEIVS, cuius *Heidelbergenſis catecheſis religionis chriſtianae, ex ſacra ſcriptura explicata & illuſtrata*, Lugduni Batauorum prodiit, 1684, 8. GVIL. MOMMA, in *meditationibus in catecheſin Heidelbergenſem*, Lugduni Bat. 1684, 8. IAC. ALTINGIVS, in *analyſi exegetica catecheſeos Palatinae*, quae & *tom. VI.* operum eius iunctim editorum exſtat: MELCH. LEYDECKERVS, in *veritate fidei reformatae, eiusdemque ſanctitate, ſiue commentario ad catechiſmum Palatinum*, Vltraiecti 1694, 4. & denique ANT. HVLSIVS, in *examine catechetico-didactico*, Lugduni Bat. 1676 2. vol. 4. Mitto reliquos, eos praeſertim, qui lingua germanica aut belgica huncce catechiſmum explicarunt; de quibus & conferre iuuabit HENR. LVDOLPHVM BENTHEMIVM, in *dem hollaendiſchen Kirchen- und Schulen-Staat, part. II. c. VI. p. 668.* Non praetermittendus vero hic eſt vir clariſſimus IAC. LENFANT, qui vindicias catechiſmi Heidelbergenſis, contra duos Ieſuitae cuiusdam libellos edidit, inſcriptas: *l' innocence du catechiſme de Heidelberg, demontrée contre deux libelles d' un Ieſuite du Palatinat*, Amſtaelodami 1723, 8. Addita huic libello eſt *diſſertatio de catechiſmis, (diſcours ſur les catechiſmes)* a nobis non ſemel laudata, in qua tum generatim de catechiſmorum, tum de Heidelbergenſis, hiſtoria, quaedam lectu digna adferuntur. Iam & reliqui commemorandi eſſent, qui ex reformatae eccleſiae doctoribus catechiſmos concinnarunt. Sed longum nimis foret, omnes recenſere; praecipuos quoque iam laudauit IO. CHRISTOPH. DORNIVS, *bibliothec. theolog. critic. part. II. lib. VIII. c. III. §. XXIX. p. 655. ſeqq.* BALTH. BECKERI, cuius & alias nomen ſatis iam notum eſt, *catechiſmus*, aut ſi mauis, *commentarius in catecheſin Palatinam*, vel ideo obſeruatu dignus eſt, quod magnis in Belgio turbis occaſionem dederit, quas diligenter enarrat MICH. LILIENTHALIVS, in *ſelectis hiſtoricis & litterariis, obſeruat. II. §. XII. p. 31. ſeqq.* Inter recentiſſimos autem, qui a reformatae eccleſiae doctoribus compoſiti ſunt, catechiſmos, magnam prae reliquis celebritatem conſequutus eſt, quem vir doctiſſimus I. F. OSTERWALDVS compoſuit, quiue an. 1704 Amſtaelodami lingua gallicana recuſus eſt. Laudatur vel hoc nomine, quod doctrinae chriſtianae capita, concinne inter ſe connexa, perſpicue proponat, controuerſias raro attingat, adcuratius contra & copioſius explicet, quae ad formandos hominum mores faciunt. Compendium praeterea hiſtoriae ſacrae praemiſit, cum, qui ea imbuti non ſunt, elementa doctrinae chriſtianae vix recte capere queant. Qua in re FLEVRIVM antea laudatum imitatus videtur; idque merito; cum & res ipſa hoc poſtulet, & vtilitas huius inſtituti longe ſit manifeſtiſſima. Vt autem raro admodum liber egregius in lucem emittitur, qui non inuidorum, aut contentioſorum hominum morſus experiatur; ita & fuit in hocce catechiſmo, quod Bernenſibus theologis diſpliceret; vnde Tigurinorum & Baſileenſium iudicio & examini ſubmiſſus eſt, qui reſponderunt, adhibuiſſe auctorem loquendi formulas, in eccleſia reformata parum vſitatas, quia tamen hae commodum admittant ſenſum, cauſſam non eſſe, cur labes quaedam operi huic adſpergatur; conf. IAC. BERNARDVS, *nouvelles de la republ. des lettres an. MDCCIV. menſ. Octobr. p. 464.* De Anglorum, reformatae quidem eccleſiae ſacra ſequentium, ſiue epiſcopales ſint, ſiue puritani, laboribus catecheticis, multa dici poſſent; ſiquidem non minor apud eos libellorum catecheticorum, quam eidem reformatae eccleſiae, in Heluetia, Gallia, Germania, Belgio addictos, fuit prouentus; ſed ſuffecerit

con-

conſuluiſſe IO. WILKINS *eccleſiaſten*, ſeu *diſſertationem de dono concionandi* &c. quam ex lingua anglicana in germanicam translatam, & *candidatus miniſterii litteratus* inſcriptam, edidit HENR. ITTERSHAGENIVS, *ſect. III. p. 205.*

Socinianis inſtitutionem catecheticam non diſplicuiſſe, vel *catechiſmus* illorum *Racouienſis* teſtatur. De quo cum dicturi ſimus ex inſtituto, quando de theologia ſymbolica verba faciemus, nunc nihil addimus. Conferre interim iuuabit CHRISTOPH. SANDIVM, qui de eius auctoribus agit, in *bibliotheca antitrinitariorum, p. 99. 106. 117. 130.* alibique; IO. ANDR. SCHMIDIVM, in *programmate de catechiſmo Racouienſi*, Helmſtadii 1707, & quae dicta ſunt in *der hiſtoriſchen und theologiſchen Einleitung zu den vornehmſten Religions-Streitigkeiten; c. V.* ad §. *V. p. 567. ſeqq.* Quakeri habent ROB. BARCLAII catechiſmum, qui ex anglicana lingua in germanicam translatus, inſcriptusque: *Catechiſmus und Glaubens-Bekaentnis, welche von der allgemeinen Verſammlung der Patriarchen, Propheten, und Apoſteln, gut geheiſſen &c.* Amſtaelodami 1679, 12, prodiit. De Iudaeorum doctrina catechetica ſupra dictum, ad §. *III.* Nunc illud tantum addendum, exſtitiſſe nonnullos, qui catechiſmos chriſtianae doctrinae ſummam complectentes, pro Iudaeis, aut germanice, aut ebraice, aut vtraque lingua conſcriberent; quos diligenter recenſet IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, *bibliothec. ebr. part. II. lib. V. ſect. IX. p. 1065.*

§. XIII. Nec ſyſtematica theologiam tractandi ratio reiecta plane fuit, ſed a quisquiliis & ineptiis ſcholaſticorum tantum repurgata, auctore cumprimis PHILIPPO MELANCHTHONE, qui, ad erudiendam in ſcholis & academiis iuuentutem, eam non modo aptam, ſed & neceſſariam eſſe, iudicauit. *

* Quod theologia a romanae eccleſiae erroribus, pariter ac ſordibus ſcholaſticorum repurgata ſit, id vnice per Numinis gratiam, B. MART. LVTHERO noſtro debemus. Nullum autem licet ſit doctrinae theologicae caput, quod non in ſcriptis ſuis adcurate & copioſe, & quidem non ſemel pertractet; ipſemet tamen, ſi a catechiſmo vtroque diſceſſeris, nec compendium, nec ſyſtema aliquod theologicum conſcripſit; quod & cur facere deberet, nulla praegnans aderat ratio. In variis equidem theſibus, vti illis, quas die 31 Octobris 1517 TEZELIO oppoſuit, quaeue eccleſiae emendationi occaſionem dederunt, aliisque, ſummatim praecipua quaedam doctrinae chriſtianae capita complexus eſt; in iis tamen, vti compendium aliquod theologiae exhibere noluit, ita falletur, qui eiusmodi quid in iis quaeſiuerit. Idem de ſeptemdecim articulis, ex quibus poſtea enata eſt Auguſtana confeſſio, quiue *tom. I. Altenburg. p. 25. ſeqq.* exſtant; itemque de articulis, in conuentu Smalcaldico an. 1537 compoſitis, cenſendum. Operae tamen pretium deinceps duxerunt viri docti, ex ſcriptis LVTHERI locos communes colligere, & ſyſtema aliquod theologicum ex ipſis eius verbis exſtruere. Hoc namque TIMOTH. KIRCHNERVS egit, in *theſauro* lingua latina & germanica, ex ſcriptis LVTHERI congeſto, editoque Francofurti 1568; ANDR. MVSCVLVS, in libello, *frommer Kinder Gottes Güldenes Kleinodt* dicto, qui Hamburgi, cum praefatione ABR. HINCKELMANNI recuſus eſt; THEODOSIVS FABRICIVS, qui *locos communes*

nes forma gnomologica & aphoriſtica ex ſcriptis LVTHERI collegit, Londini quoque an. 1651 euulgatos; ex cuius parentis ANDR. FABRICII collectaneis, *theologiam Lutheri* concinnauit MICH. NEANDER; quae Wittebergae an. 1584 inſcripta: *theologia megalandri Lutheri, ſiue aphoriſmi breues & ſententioſi, de omnibus chriſtianae doctrinae capitibus, &c.* vna cum *theologia Bernhardi & Tauleri* prodiit; additae etiam ſunt ANDR. FABRICII pariter, ac CONR. PORTAE *orationes de Luthero.* Exhibentur vero in hacce *theologiae Lutheri* a NEANDRO concinnatae editione, dicta illuſtria LVTHERI, non ſecundum ordinem locorum theologicorum, ſed tomorum, quibus opera LVTHERI conſtant, primo latinorum, deinde & germanicorum. Deinceps vero haec ipſa *theologia Lutheri,* in linguam germanicam conuerſa (qua eam partem, quae ex tomis latinis deſumta erat) in certos articulos redacta, per tres paſtores in comitatu Waldecccenſi reuiſa, emendata,& luci publicae expoſita fuit ab ERASMO GRVBERO, Ratisbonae; vti IO. HENR. MAIO obſeruatum in *theologia Lutheri pura & ſincera,* & quidem in *prolegomenis de theologia Lutheri, §. XVII. p. 16.* Exſtat etiam eiusdem NEANDRI *theologia chriſtiana ſacrae ſcripturae, patrum graecorum graecis & latinorum latinis, & tandem theandri Lutheri dictis & teſtimoniis illuſtrata & expoſita,* Lipſiae 1595, 4. quae ob effata Lutheri copioſe adducta hic itidem locum quodammodo ſibi vindicat. Poſſent his adhuc addi, qui *Lutheros rediuiuos* ſcripſerunt, vt MART. STATIVS, & IO. MICHAELIS, aliique; ſed omnium induſtriam ſuperauit, quem iam laudauimus, beatus IO. HENR. MAIVS, in *Lutheri theologia pura & ſincera, ex viri diuini ſcriptis vniuerſis, maxime tamen latinis, per omnes articulos fidei digeſta & concinnata*; Francofurti ad Moenum, 1709, 4. Plenum enim, integrumque ſyſtema, idque apte diſpoſitum exhibet, ſelectuque & iudicio ſingulari, in colligendis Lutheri teſtimoniis, quibus cuncta illuſtraret, vſus eſt. Supplementa huius operis itidem Francofurti ad Moenum an. 1710 lucem adſpexerunt. Iungendus denique hiſce eſt ABR. CALOVIVS, qui, dum in adpendice *paediae theolog. de methodo ſtudii theolog. p. 390. ſeqq.* ſcripta Lutheri, per ſingulas theologiae partes recenſet, etiam loca, in quibus de ſingulis chriſtianae doctrinae capitibus ex inſtituto agit, ſecundum ordinem ſyſtematis theologici indicat. Qui autem primum conſilium de corpore quodam, ſeu ſyſtemate theologico ex ſcriptis Lutheri colligendo ſuſceperunt, ideo hoc feciſſe videntur, quod exiſtimarent, locos theologicos PHIL. MELANCHTHONIS plurimum adhuc ex theologia ſcholaſtica trahere; ad puritatem itaque doctrinae, ac ſimplicitatem conſeruandam, neceſſe eſſe, vt ipſis LVTHERI verbis integrum aliquod theologiae ſyſtema exhibeatur. Nec diſſimulat hoc beatus IO. HENR. MAIVS. Cum enim commemoraſſet, quanti ipſemet LVTHERVS *locos communes* MELANCHTHONIS feciſſet, addit: *Quia vero Philippus, quemadmodum ipſemet in praefatione ad locos communes fatetur, Damaſcenum & Lombardum, qui Ariſtotelici, ſcholaſtici fuerunt, ſecutus, & aliquando a ſchola, verba mutuatus eſt, quae Lutherus, luce ac duce ſcriptura ſacra contentus, eliminauit, ac poſt obitum megalandri ſcholaſtica theologia, plenis velis in eccleſiam rurſus inuecta eſt; viſum fuit viris cordatis vtile pariter ac neceſſarium, ad ſeruandam puritatem & ſimplicitatem, ex ipſiſſimis Lutheri ſcriptis & verbis, theſaurum explicationum omnium articulorum verae ac piae doctrinae colligere, & in ordinem conuenientem digerere; l. c.* & quidem *prolegom. de theologia Lutheri, §. XVII. p. 16.* Quod iſtorum virorum conſilium vt minime vituperandum; ita

Digitized by Google

ita nec eam, quam PHIL. MELANCHTHON ſequutus eſt, tractandi theologiam, rationem prorſus reiiciendam eſſe, patebit ex iis, quae nunc porro dicemus.

PHILIPPVS nimirum MELANCHTHON, ad reſtaurandas in Germania bonas litteras natus, idemque ad compendia & ſyſtemata ſcribenda valde pronus erat. Nec quisquam temere ad hoc magis idoneus; quippe qui cum breuitate coniungere perſpicuitatem, & confuſa redigere in ordinem, egregie didicerat. Variis itaque eius generis ſcriptis theologiam quoque dogmaticam locupletauit. Huc namque ſpectat *examen eorum, qui audiuntur ante ritum publicae ordinationis, qua commendatur eis miniſterium euangelii.* Prodiit Wittebergae 1554, 4. & in *operibus* eius legitur *tom. I. p. 306. ſeqq.* In linguam quoque germanicam conuerſum proſtat, cum praefatione luculenta IOACH. IVSTI BREITHAVPTI, Halae 1704, 8. Continet autem quaeſtiones, obiectiones, & reſponſiones ad easdem, ex praecipuis locis theologicis. Subiici huic libello ſolent *definitiones multarum adpellationum, quarum vſus eſt in eccleſia*; in quibus laudabili inſtituto voces in ſcholis theologorum receptas ſuccincte & neruoſe explicat. Vterque hicce libellus exſtat in *corpore doctrinae Philippi Melanchthonis*, de quo alibi copioſius & ex inſtituto erit dicendi locus. Nec praetermittenda eſt eiusdem auctoris *epitome renouatae eccleſiaſticae doctrinae*, quae *tom. II. operum* eius *p. 1. ſeqq.* legitur, & cuius occaſionem edifferit IO. CHRISTOPH. WENDLERVS, in *diſſ. de praecipuorum quorumdam ſaec. XVI. & XVII. theologorum Lutheranorum, Martini Lutheri, Philippi Melanchthonis, &c. eruditione, in eccleſiam meritis, & ſcriptis*, quam moderatore CHRISTOPH. SONNTAGIO, Altdorffii an. 1710 eruditorum examini expoſuit, *c. II. ſect. II. §. VI. p. 88.* De *Auguſtana confeſſione*, eiusque *apologia*, itemque *repetitione Auguſtanae confeſſionis*, quae itidem inter ſcripta dogmatica MELANCHTHONIS referri ſolent, opportunior erit dicendi locus, cum de libris ſymbolicis eccleſiae noſtrae diſſeremus. De *locis* autem *theologicis* MELANCHTHONIS paullo diligentius adhuc nobis agendum eſt, quippe a quibus prima ſyſtematicae theologiae in noſtra eccleſia repetenda eſt origo. Prima illorum editio Wittenbergae 1521, 8. prodiit, ita inſcripta: *Loci communes theologicarum rerum, ſeu hypotypoſes theologicae.* Praemiſſa iis eſt praefatio ad TILEMANNVM PLETTNERVM, quem pium & eruditum virum vocat, in qua profitetur, ſe inuito breuem quamdam lucubrationem, in qua argumenta epiſtolae ad Romanos propoſuerat, publici iuris factam, quam cum reuocare non poſſet, ſe eam locis hisce communibus explicare voluiſſe. Deinde in *praefatione* editioni Lipſienſi anni 1543, quae *tomo I. operum* eius, *p. 147.* inſerta eſt, & in *corpore* quoque *doctrinae*, exſtat, refert, ſe initio hoſce locos ad vſum domeſticum inſtituiſſe, & cum videret, turbulentis illis temporibus, interdum aliqua explicatione opus eſſe, addidiſſe ſe aliquas deſcriptiones, aut partitiones, vnde tandem hocce opus enatum fuerit. Cum enim haec poſtea in manibus multorum circumferrentur; ea recognoſcendi & augendi ſibi impoſitam fuiſſe neceſſitatem. Subiicit porro; *Non ambitione, non φιλονεικίᾳ, non aemulatione, non vt ſererem rixas, haec & inſtitui, & collegi, ſed primum vt me ipſum erudirem, deinde vt & aliquorum, qui haec legebant, honeſta & pia ſtudia adiuuarem.* LEONH. HVTTERVS, qui diligenter admodum & adcurate, de hisce *locis* PHIL. MELANCHTHONIS diſſerit, optat, vt primae iſtius editionis exſtent exempla, vel vt CASP. PEVCERVS eos tomis Philippicis adiunxiſſet, tum vt profectus & incrementa eccleſiae

eccleſiae recens emendatae rectius conſpici, tum vt de doctrina MELANCHTHONIS certius iudicium informari poſſet; in *prolegom. locor. theologic. c. III. p. 9.* Et ſane rariſſimus hactenus iſte libellus fuit, donec HERMANNVS VON DER HARDT eum *hiſtoriae* ſuae *litterariae reformationis* infereret, *part. IV. p. 30. ſeqq.* Obſeruat LEONH. HVTTERVS porro, in prima hacce *locorum* PHIL. MELANCHTHONIS editione, nihil occurrere, quod cum analogia fidei pugnet, ſi vnum hoc exceperis, quod eo tempore MELANCHTHON cenſuerit, *omnia ſimpliciter neceſſario euenire.* Cauſſam tamen MELANCHTHONIS hic egit VITVS LVD. SECKENDORFIVS. *Quidquid de neceſſitate illa*, inquit, *ſcripſerit Melanchthon, certum eſt, eum vel de concurſu phyſico, vel de permiſſione ac directione diuina, vel de aeterna Dei praeſcientia & prouidentia agere, & poſterioribus libris, ſi quae in prioribus paradoxe aut obſcurius ſcripſerit, ita explicaſſe, vt veritatem minime laeſerit*; in *hiſtor. Lutheraniſmi, lib. III. ſect. XXI. §. LXXIX.* addit. *XIX. not. I. p. 289.* At adcuratiorem, mea ſententia, haecce res promeretur inquiſitionem. Primam hancce, de qua hactenus loquuti ſumus, editionem, mox ſequutae ſunt aliae, an. 1522, itemque 23, cum aliqua ἐπιδόσει, & recognitione ipſius auctoris, vt tamen error antea notatus, non ſublatus, ſed confirmatus potius fuerit. Noua rurſus an. 1525 lucem adſpexit, ab auctore itidem recognita, & thematibus de duplici iuſtitia, deque regimine corporali & ſpirituali, aucta, ſententia autem de libero arbitrio neutiquam mutata. Et de hiſce quidem, quas hactenus commemorauimus, LEONH. HVTTERVS elogium illud intelligendum contendit, quo B. LVTHERVS hoſce MELANCHTHONIS *locos*, ſeu *hypotypoſes* ornauit, quando eos *inuictum libellum, & non ſolum immortalitate, ſed quoque canone dignum*, vocauit, *tom. II. Witteberg. p. 241.* Hoc namque LVTHERI iudicium cum an. 1525 proditum ſit, perperam illud ad editiones ſequentes trahi, exiſtimat, in multis quippe capitibus a prima diſcrepantes. Anno ſcilicet 1533 alia iſtorum *locorum* prodiit editio, auctior & locupletior, eaque inſcripta: *Loci communes theologici recens collecti & recogniti a Philippo Melanchthone, cum praefatione ad Henricum VIII Angliae regem*; in qua, iudice HVTTERO, tolerabilia erant pleraque, quin & error, de fatali neceſſitate, correctus & ſublatus. Tandem anno 45 noua plane editio lucem publicam adſpexit, prioribus illis duplo, immo triplo auctior, quam alii ex praefatione eidem praemiſſa ad annum 43 referendam eſſe colligunt; & hancce, ad quam ſequentes omnes adornatae ſunt, acerrimus ille MELANCHTHONIS cenſor, HVTTERVS, multis erroribus refertam eſſe, pronuntiat; cui & minime probabile videtur, hanc editionem LVTHERO lectam aut probatam fuiſſe, ſiquidem ipſe PHILIPPVS, in *epiſtola ad Carolouizium*, an. 1548 ſcripta, diſerte fateatur, ſe a LVTHERO in multis capitibus doctrinae chriſtianae, & cumprimis in articulo de libero arbitrio, ad ERASMVM defeciſſe. Verba tamen MELANCHTHONIS ita ſe habent: *Multa ſponte & liberaliter ego largior, de quibus acerrime pugnarunt alii*, (Lutherus ſcilicet & collegae.) Id certum, non ſemper ſibi conſtitiſſe MELANCHTHONEM, virum cetera ſummum, adeoque, vt in aliis ſcriptis ſuis, ita & cumprimis in *locis* hiſce *theologicis* ſubinde quaedam mutaſſe: quod & exemplis luculentiſſimis oſtendit vir doctiſſimus IO. MELCH. KRAFFTIVS, in *emendandis & corrigendis quibusdam, in hiſtor. verſionis germanicae bibliorum beati Martini Lutheri, Io. Frid. Mayeri &c. p. 30.*

Magna multorum adprobatione *locos* hoſce,

Digitized by Google

hoſce ſeu *hypotypoſes* MELANCHTHONIS exceptos, magniſque ornatos elogiis, conſtat. Quanti eos ipſemet beatus LVTHERVS, ſaltem priores editiones, fecerit, iam antea diximus. MART. CHEMNITII, DAV. CHYTRAEI, aliorumque MELANCHTHONIS diſcipulorum, praeclare admodum de iis ſententium effata, nota ſatis ſunt; quorum nonnulli, nec in poſterioribus editionibus, aliquid, quod a veritate alienum ſit, inueniri, ſibi perſuadere potuerunt. NIC. SELNECCERVS *locos* hoſce *theologicos*, & *corpus doctrinae* MELANCHTHONIS tanti fecit, vt primum poſt ſcripturam ſacram locum iis concederet:

Non melior liber eſt vllus poſt biblia Chriſti,
Quam qui doctrinae corpusque locique vocatur.

A IVSTO IONA *locos* hoſce in linguam germanicam conuerſos eſſe, obſeruat VITVS LVD. SECKENDORFIVS, in *hiſtoria Lutheraniſmi, lib. III. §. II. p. 142.* Addit ibidem, hanc verſionem ab electore per PONTANVM die 9 Octobris 1536 Luthero reuidendam, transmiſſam, qui nihil in ea reprehenderit, id ſolum monens, *articulos de iuſtificatione & ſacramento ſatis quidem bene tractatos eſſe, ſed nimis breuiter.* PAVLVM AB EITZEN, theologum Hamburgenſem, & MELANCHTHONIS diſcipulum, *locos* eius *theologicos* aduerſus obtrectatores defendiſſe, nouamque eorumdem editionem, adnotationibus ſuis & ſcriptis veterum apologeticis auctiorem, molitum, teſtatur IO. MOLLERVS, in *iſagoge ad hiſtor. Cherſoneſi cimbr. part. II. c. VII. p. 179.* Eosdem hoſce *locos* Venetiis italico idiomate impreſſos, ſub nomine PHILIPPI DE TERRA NIGRA in Italia magna adprobatione exceptos, & Romae auide lectos, in *Scaligerianis ſecundis p. 207.* traditur, & paſſim repetitur; conf. ANT. TEISSIERIVS, in *elogiis eruditorum Thuanaeis, tom. I. p. 188.* item IO. CHRISTOPH. WENDLERVS, in *diſſertat.* antea laudata, *c. II. §. IV. p. 84.* Non minus tamen multi exſtitere, qui, in hiſce *locis*, quod reprehenſione dignum eſſet, ſibi inueniſſe, viſi ſunt. Nihil nunc de romanenſibus dicam, quibus eos diſplicuiſſe, nemo mirabitur, cum illorum errores in iis paſſim profligentur; vnde & quidam RICARDVS SMYTAEVS, Anglus, ſed romanae eccleſiae ſacris addictus, contra eosdem ſcripſit *refutationem locorum communium theologicorum Philippi Melanchthonis, Germani, Martini Lutheri diſcipuli primarii &c.* Duaci 1563, 8. Nihil etiam de illis dicam, qui id aegre ferunt, quod MELANCHTHON in hiſce *locis*, in doctrina de libero arbitrio, & aliis quibusdam capitibus, a ſententia B. LVTHERI diſceſſerit. Id ſolum praetermittere nequeo, ipſum illud inſtitutum MELANCHTHONIS locos theologicos concinnandi, nonnullis diſplicuiſſe, ac ſi theologiam ſcholaſticam a LVTHERO proſcriptam, poſtliminio reuocare in eccleſiam voluerit. Et negari ſane nequit, MELANCHTHONEM in ſuo de theologia ſcholaſtica iudicio itidem non ſatis ſibi conſtitiſſe. In primis horum *locorum* editionibus de ſcholaſticae theologiae nugis & quisquiliis acerbe paſſim queritur. Sic ſtatim ab initio *p. m. 31.* edit. HERM. VON DER HARDT, cum dixiſſet, veteres quosdam, cum ſummam quamdam doctrinae chriſtianae dare voluerint, id *parce & ſobrie feciſſe*, addit; *Ex recentioribus vero Damaſcenum ac Longobardum* (eius modi ſummam concinnaſſe,) *inepte vtrumque. Nimium enim*, ita pergit, *philoſophatur Damaſcenus, Longobardus congerere hominum opiniones, quam ſcripturae referre ſententiam, maluit.* Rationem deinde redditurus, cur locum de Deo, deque trinitate, non attigerit, *proinde*, inquit, *non eſt, cur multum operae ponamus in locis il-*

 lis

lis ſupremis de Deo, de vnitate, de trinitate Dei, de myſterio creationis, de modo incarnationis. Quaeſo te, quid adſequuti ſunt iam tot ſaeculis ſcholaſtici theologiſtae, cum in his locis verſarentur? Nonne in diſceptationibus ſuis, vt ille ait, vani facti ſunt, cum tota vita nugantur de vniuerſalibus, formalitatibus, connotatis, & neſcio, quibus aliis inanibus vocabulis? Et diſſimulari eorum ſtultitia poſſet, niſi euangelium interim & beneficia Chriſti obſcuraſſent nobis illae ſtultae diſputationes. Similia & alibi in hiſce ipſis *locis* legas. Deinceps vero in editionibus, quae an. 1535 & ſequentibus, prodierunt, paullo aliter de ſcholaſticis & ſentire, & loqui coepit. In *dedicatione* namque ad Henricum VIII Angliae regem, DAMASCENVM & LONGOBARDVM, eiusmodi ſcriptis & labore, *gratiam & celebritatem ſummam adſequutos, ideoque vel primae claſſis ſcriptoribus adnumeratos eſſe*, adſerit. Docet etiam, liberalem eruditionem non ſolum ornamento eſſe eccleſiae chriſtianae, *ſed aliquid ipſi doctrinae lucis addere.* Quae cum a mente LVTHERI plane aliena eſſent, omiſſa rurſus ſunt, cum ipſa iſta praefatione, in editionibus, quae poſt an. 1541 lucem adſpexerunt; in quibus etiam haud raro ſcholaſticorum nugas & futiliſſimas rixas perſtrinxit, vt tamen ipſam theologiam & philoſophiam ſcholaſticam non prorſus reiicere, ſed fouere potius videretur. Legenda, quae erudite hac de re obſeruat IO. MELCH. KRAFFTIVS, *loco* antea *citato p. 30. 31.* Non omnia itaque cum in ſcholaſticis MELANCHTHON damnauerit, ac eos quodammodo in *locis* ſuis concinnandis ſequutus ſit; acrem quorumdam noſtra aetate reprehenſionem incurrit, ac ſi ſcholaſticae theologiae in eccleſia noſtra, non ſine detrimento veritatis receptae, auctor exſtiterit. Ita ſane IO. GVIL. ZIEROLDVS, vir clariſſimus, ſentit, qui copioſe hac de re diſputat, in *der Einleitung zur gründlichen Kirchen-Hiſtorie mit der hiſtoria philoſophica verknüpffet, &c. c. VII. §. III. p. 387. ſeqq.* itemque GOTTFR. ARNOLDVS, in *der Kirchen- und Kezer-Hiſtorie, part. II. lib. XVI. c. IX. §. IV.* quem hoc nomine ſibi refutandum ſumſit, vt ſimul hiſtoriae *locorum theologicorum* a MELANCHTHONE concinnatorum lucem adfunderet, GE. FRID. STIEBERVS, in *hiſtoria theologiae dogmaticae, Lutheri & Melanchthonis opera reſtauratae, &c.* quae Guſtrouiae 1712, 8. prodiit, cumprimis *§. XXV. p. 132. ſeqq.* Et in eo ſane, quod MELANCHTHON ordinem methodumque theologiam dogmaticam tractandi, quam ſcholaſtici doctores adhibuerunt, retinuerit, vt tamen vitia eorum ſimul ſedulo euitaret, quid culpandum ſit, non video; niſi omnem ſimul theologiam ſyſtematicam reiicere velimus; quod cur facere debeamus, nulla praegnans adferri ratio poteſt. Sed hac de re deinceps. Incommoda quaedam, ſeu abuſum huius inſtituti ſequutum non nego; quin potius ex dicendis iſtud patebit; id vero MELANCHTHONI, conſilio non malo, *locos* hoſce *theologicos* concinnanti, tribui nequit.

§. XIV. Imitati hocce PHILIPPI MELANCHTHONIS exemplum ſunt alii quam plurimi; vnde ingens compendiorum ac ſyſtematum theologicorum exſtitit numerus. Nec tamen vna omnes eademque ratione, in hacce theologiae parte tradenda, verſati ſunt. In prima poſt eccleſiae repurgationem aetate, cum doctrinae puritate ſimplicitas ad veteris eccleſiae exemplum proxime accedens, adhuc vtcumque regnabat; quam deinceps reuo-

cata

cata poſtliminio ſcholaſticorum obſcurare coepit ſubtilitas, cum vocum ex metaphyſica depromtarum abuſu coniuncta; donec noſtra aetate priſtinam quodammodo ſyſtematica theologia recuperare faciem coepit. *

* Poſtquam originem, aut, ſi mauis, reſtitutionem theologiae ſyſtematicae in eccleſia noſtra, perſpeximus, vt de eius quoque fatis dicamus, ipſa inſtituti noſtri poſtulat ratio. Sunt quidem nonnulli, qui de inualeſcente iterum, iam tempore PHIL. MELANCHTHONIS, theologia ſcholaſtica conqueruntur, cui *loci* eius *theologici* occaſionem dederint; conf. IO. MELCH. KRAFFTIVS, in *emendandis & corrigendis quibusdam in hiſtoria Mayeriana verſionis germanicae bibliorum Lutheri, p. 31.* & IO. GVIL. ZIEROLDVS, in der *Einleitung zur gründlichen Kirchen-Hiſtorie &c. c. VII. §. III. p. 388.* Quod ſi ita intelligatur, fuiſſe iam tum, qui neglecta ſcriptura ſacra, theologiae ſyſtematicae, plus quam decet, dederint, & more ſcholaſticorum ea ad controuerſias parum vtilitatis adferentes, abuſi ſint; non magnopere me ſibi refragantem habebunt. Si tamen dicendum quod res eſt, chriſtiana ſimplicitas in ſyſtematibus & compendiis theologicis ſatis conſeruata fuit, donec cum terminis metaphyſicis, ſcholaſticorum etiam quisquiliae, vanaeque & inutiles controuerſiae, iterum inueherentur. Id vero ab eo praecipue tempore, quo colloquium Ratisbonenſe circa initium ſaeculi XVII inſtitutum fuit, factum eſſe, ſaltem primam inde ducendam originem, viris doctis, nobisque ipſis ſupra iam ad *part. I. c. IV. §. XXXVIII.* obſeruatum eſt. In eo enim, cum, vti ibidem dictum, IAC. GRETSERVS, ADAM TANNERVS, BALTH. HAGERVS, Ieſuitae, terminis metaphyſicis caliginem noſtratibus obfundere adniterentur; florere inde metaphyſices ſtudium coepit, cum neceſſitas quaedam id poſtulare videretur. Non errauerit itaque, qui tres theologiae ſyſtematicae in noſtra eccleſia conſtituerit periodos, quarum prima, veterum ſimplicitatem vtcumque retinens, ab eccleſiae emendatione vsque ad colloquium Ratisbonenſe, ſeu initium ſaeculi XVII, progreditur; altera terminis metaphyſicis, & ſcholaſticorum ſubtilitatibus indulgens, ab initio ſaeculi decimi ſeptimi, vsque ad illud tempus, quo per REN. CARTESIVM in logicis & phyſicis, per SAM. PVFENDORFIVM, aliosque, in moralibus, reiecta recentium ſcholaſticorum barbarie, noua philoſophandi introducta eſt ratio. Exinde enim quidam ex theologia quoque ſuperflua & inania ſcholaſticorum commenta, cum abuſu terminorum metaphyſicorum proſcribere coeperunt. Confirmatur hac ratione, quod alibi iam obſeruatum, coniuncta fere, & arctiſſimo vinculo colligata inter ſe eſſe, philoſophiae atque theologiae, praeſertim ſyſtematicae, fata.

Initio itaque regnabat in ſcholis & academiis PHIL. MELANCHTHON, *loci*que eius *theologici* paſſim praelegebantur. Cumque non deeſſent, qui adnotationibus & commentariis eos explicarent; idem in academia Wittenbergenſi, monente, & in difficilioribus operam ſuam promittente, ipſomet PHILIPPO, adgreſſus eſt MART. CHEMNITIVS, eosque adeo hypomnematibus ſuis illuſtrauit. Haec poſtea, Brunſuigam vocatus, partim lectionibus publicis, partim lucubrationibus priuatis, ita dilatauit, ac locupletauit, vt tandem in maioris ſyſtematis molem excreſcerent; quod inſcriptum: *loci theologici domini Martini Chemnitii, quibus & loci communes Philippi Melanchthonis perſpicue explicantur, & quaſi integrum doctrinae chriſtianae corpus eccle-*

ſiae Dei ſincere proponitur, circa finem ſaeculi XVI, an. 1591 luci publicae expoſuit POLYC. LYSERVS, non ſemel ſemel deinceps recudendum. Primum hoc principemque inter doctrinae purioris ſyſtemata, ſiue ordinem, ſiue doctrinam, ſiue ſelectum rerum ac argumentorum, ſiue ſobrium iudicium, ſiue luculentum & planum dicendi genus ſpectes, ſuo iure tenet locum. Si quid forte deſit, ex eiusdem auctoris *examine concilii Tridentini* ſuppleri poterit. Laudandum cumprimis, quod ſingulis locis hiſtoriam certaminum praemiſerit, indeque praecipua, quaeue maxime in cenſum veniunt, deriuauerit doctrinae capita. Haec tamen augeri valde, & in quibusdam emendari poſſent, poſtquam hodie hiſtoriae & antiquitatis eccleſiaſticae ſtudio longe maior lux adfuſa eſt. Controuerſias, quae poſt iſta tempora exortae ſunt, attingere non potuit; fundamenta tamen ſuppeditat, ex quibus & iſtas diiudicare pronum fuerit. Ex *locis* hiſce *theologicis* CHEMNITII compendium aliquod concinnauit BALTH. MENZERVS, inſcriptum: *repetitio Chemnitiana, ſeu enucleatio locorum theologicorum Martini Chemnitii*, quod Gieſſae prodiit 1635. Sed & IO. BENED. CARPZOVIVS *ſpecimen* dedit *theologiae Chemnitianae, in duobus locis de Deo & Chriſto*, Lipſiae 1699, quod deinceps acceſſionibus quibusdam locupletatum, recuſum eſt. Ipſemet etiam praeter *locos theologicos*, ſummam quamdam doctrinae chriſtianae, in gratiam paſtorum, fidei ſuae, in dioeceſi Brunſuicenſi commiſſorum, conſcripſit, linguaque germanica edidit, dictam: *die fürnehmſten Hauptſtücke der chriſtlichen Lehre, wie darinn die paſtores examiniret und unterwieſen werden*, Guelferbyt 1569, 8. In linguam latinam hunc libellum conuertit IO. ZANGERVS, Oenipontanus, inſcriptum: *breuis & ſimplex forma examinis de praecipuis doctrinae caeleſtis capitibus, primum germanice per reuerendum virum D. M. C. in vſum paſtorum minus exercitatorum conſcripta nunc vero voluntate auctoris, & loco confeſſionis miniſterii eccleſiae Brunſuicenſis latine conuerſa &c.* Vrſellis 1671, 8. Excuſus deinde non ſemel eſt, latine pariter ac germanice, dictusque: *Handtbüchlein der fürnehmſten Hauptſtücke der chriſtlichen Lehre &c. enchiridion praecipuorum capitum caeleſtis doctrinae &c.* De cauſſa, qua inductus CHEMNITIVS libellum huncce concinnauit, legendus PHIL. IVL. REHTMEYERVS, in *antiquitat. eccleſiaſt. vrb. Brunſuigae, part. III. c. VIII. p. 328.* qui & *p. 530.* varias eius editiones recenſet. Quod antea diximus, fuiſſe, qui *locos theologicos* PHIL. MELANCHTHONIS in ſcholis & academiis praelegerent, indeque MART. CHEMNITII *locos theologicos* enatos eſſe, id non minus de *examine eorum, qui audiuntur ante ritum publicae ordinationis*, cuius itidem ſupra facta eſt mentio, intelligendum. Pro optimo hoc habebatur doctrinae ſacrae compendio; ad cuius etiam ductum theologia dogmatica paſſim in ſcholis & academiis tractabatur. Non deerant equidem ea aetate & alii, qui eiusdem generis libellos, ſeu compendia theologica, concinnarent; quorſum & VRBANI RHEGII *collationem doctrinae nouae* (ſeu romanae) *ad veterem euangelicam & apoſtolicam*, quae, 1526, 8. euulgata, in *operibus* eius *latinis, part. I. p. 17.* exſtat, in quibus etiam *p. 278. ſeqq. loci* eius *theologici*, quos ex patribus, ſcholaſticis, neotericis ſeu orthodoxis, collegit, inueniuntur; itemque IO. SPANGENBERGII *margaritam theologicam*, Baſileae 1544, 8. editam, in qua tamen *locos* ſolum *theologicos* PHIL. MELANCHTHONIS in compendio per quaeſtiones exhibet, vt reliquos, qui minoris adhuc momenti ſunt, mittam, referre licet; *examen* tamen illud MELANCHTHONIS

NIS

Digitized by Google

NIS celebritate & auctoritate omnes ſuperabat, & longe lateque in ſcholis dominabatur, praeſertim ſaxonicis; licet quoque reperirentur, qui illud arroderent, & quaedam in illo deſiderarent; vt IOACH. CAMERARIVS teſtatur, in *vita Melanchthonis*, *p. 17*. Cum vero deinceps poſt mortem beati Lutheri inteſtina eccleſiae noſtrae certamina erumperent, & MELANCHTHON ob nimiam lenitatem, & propenſum erga reformatos animum, multis inuiſus eſſet; ipſi etiam poſtea, crypto-Caluiniani, vt vocari ſolent, hocce *examine*, vti aliis PHILIPPI ſcriptis, ad placita ſua propaganda, abuterentur; conſultum viſum, aliud quoddam compendium conficere, quod in locum *examinis*, & *locorum theologicorum* MELANCHTHONIS, ſubſtitui poſſet. Hoc ex mandato & voluntate Chriſtiani II electoris Saxoniae, in ſe ſuſcepit, atque perfecit LEONH. HVTTERVS, cuius *compendium*, vtpote adcurate libris eccleſiae noſtrae ſymbolicis reſpondens, non tantum in Saxonia, ſed alibi quoque, receptum, maximam exinde in eccleſia noſtra obtinuit auctoritatem. Eum vero in finem cum praecipue compoſitum ſit, vt Caluinianorum non minus, quam romanenſium erroribus obuiam iretur; illorum quidem inſtituto, qui ad controuerſias theologicas accedere cupiunt, valde eſt adcommodatum; nec auctori adeo vitio vertendum, quod quaedam praetermiſerit, quae illos neſcire non decet, qui paullo plenius in chriſtianae doctrinae elementis ſunt inſtituendi. Fuerunt hinc etiam, qui adnotationibus & commentariis hocce *compendium Hutterianum* illuſtrarent, quos inter eminent GOTHOFR. CVNDISIVS, SAL. GLASSIVS, & B. FRIDEM. BECHMANNVS noſter, qui omnium copioſiſſimus eſt. Exſtant quoque CHRIST. CHEMNITII *praelectiones in locos theologicos Huttero-Cundiſianos*; TOB. SEYFARTI, *anatome logica compendii Hutteriani*, CASP. HEVNISCHII *epitome analytica compendii Hutteriani*, & quae alia ſunt eiusdem generis. Reformatae eccleſiae doctoribus huncce HVTTERI laborem non admodum placuiſſe, coniicere facile licet. MARCVS tamen FRIDER. WENDELINVS ex hocce ipſo compendio Hutteriano probare voluit, reformatos in pleriſque cum noſtratibus conſentire. Quod neutiquam eum euiciſſe, rurſus GE. MOEBIVS, theologus Lipſienſis, oſtendit, in *vindiciis Hutterianis pro compendio theologico D. Leonhardi Hutteri*, Lipſiae 1672, 4. Praeter *compendium* autem iſtud *theologicum* LEONH. HVTTERVS *locos* quoque *theologicos* edidit, ad ordinem locorum PHIL. MELANCHTHONIS, Wittebergae 1619 impreſſos, ibidemque 1653, & Francofurti ad Moenum 1661 recuſos. Controuerſiarum, ſui praeſertim temporis, in iis habuit rationem, aeque ac in *compendio* ſuo *theologico*; ſimulque *locos* MELANCHTHONIS ita explicauit, vt, quid in iis ſibi reprehendendum videretur, indicaret. Immo ad Melanchthoniana placita eliminanda, cum alii HVTTERI labores, tum & hicce comparatus fuiſſe videtur; idque vel ex *prolegomenis* colligas, in quorum *capite quarto*, dum de methodo tractationis diſſerit, *ſimul etiam*, inquit, *quae vel incommode, vel minus orthodoxe dicta occurrent, ad analogiam fidei, & trutinam caeleſtis veritatis appendamus.* Pro *Melanchthoniana* itaque eo tempore *Hutteriana* maxime celebrari coepit theologia. Si omnia ſcripta dogmatica, quae circa finem ſaeculi decimi ſexti, & initium decimi ſeptimi, lucem adſpexerunt, enumerare vellem; ANDR. MVSCVLI, quod in ſcholis Brandenburgicis maxime receptum fuit, TILEMANNI HESHVSII, SAL. GESNERI, IOACH. ZEHNERI, NIC. SELNECCERI, aliorumque compendia commemoranda eſſent. De IAC. HEERBRANDI, theo-

theologi Tubingenſis, *compendio theologico*, a MART. CRVSIO in linguam graecam translato, & Conſtantinopolin ad IEREMIAM patriarcham transmiſſo, vid. CHRIST. KORTHOLTVS, in *prodromo ingenui theologiae cultoris academico*, §. *V. p. 7.* De CHRISTOPH. PELARGI *compendio theologico*, an. 1603, cum adhuc noſter eſſet, edito, deinceps an. 1616 ad reformatae eccleſiae placita immutato, controuerſiisque hinc inter PELARGVM & FRID. BALDVINVM, theologum Wittebergenſem, exortis, eumdem conferre iuuabit KORTHOLTVM, *l. c.* §. *III. p. 4. 5.* MATT. HAFENREFFERI, theologi Tubingenſis *loci theologici*, in gratiam Ioannis Friderici, ducis Würtenbergici, circa initium ſaeculi decimi ſeptimi concinnati, inter melioris notae compendia haud vltimum tenet locum; & vel ideo memoratu digni ſunt, quod in Suecia pariter, ac Dania, magno conſenſu ſint recepti & adprobati, in Suecia etiam publica auctoritate lectiones academicae ad illorum ductum inſtitutae. Recuſi itaque ſunt Holmiae, 1612, & 1686, teſte IO. VLR. PREGIZERO, in *Suecia & Wurtenbergia ſacra, p. 370.*

Quod antea diximus, poſt colloquium Ratisbonenſe, circa initium ſaeculi decimi ſeptimi inſtitutum, cum abuſu metaphyſices theologiam ſcholaſticam in noſtra eccleſia inualuiſſe; id non ita intelligendum, ac ſi non circa initium huius ſaeculi exſtiterint, qui ad priſtinam ſimplicitatem proxime accederent, ac theologia ſcholaſtica caute ac ſobrie vterentur. Secus enim ſe rem habere, exempla eiusmodi librorum dogmaticorum, quos commemorauimus, & quorum nonnulli ad ſaeculi decimi ſeptimi initium referendi ſunt, comprobant. Circa initium vero iſtius ſaeculi etiam vixit magnus IO. GERHARDVS noſter, qui omnium fere eorum, qui ſyſtemata, aut locos communes theologicos dederunt, gloriam obſcurauit. Sunt quidem, qui eum accuſant, quod theologiam ſcholaſticam vel maxime in eccleſiam noſtram reuocauerit; quod ex *locis* eius *theologicis*, ſcholaſtica quadam ratione tractatis, pateat; iidem tamen fateri neceſſe habent, cautiorem eum reliquis fuiſſe, qui eum inſequuti ſunt, & a commixtione philoſophiae cum theologia magis ſibi temperaſſe; conf. IO. GVIL. ZIEROLDVS, in *der Einleitung zu der gründlichen Kirchen-Hiſtorie, mit der hiſtoria philoſophica verknüpfft, p. 396. ſeqq.* Incepit beatus GERHARDVS hosce *locos theologicos* an. 1610, cum Heldburgi adhuc ſacrorum antiſtitis munere fungeretur, tomosque quatuor priores edidit, reliquos vero Ienae confecit, cum ad docendam ibi theologiam vocatus eſſet. Finem autem iis impoſuit die 5 Kal. Martii an. 1621. Cum integrum hocce opus prodiiſſet, inſcriptum fuit: *locorum theologicorum, cum pro adſtruenda veritate, tum pro deſtruenda quorumuis contradicentium falſitate, per theſes neruoſe, ſolide & copioſe explicatorum, tomi IX. auctore Io. Gerhardo.* Acceſſit deinceps: *Exegeſis, ſiue vberior explicatio articulorum de ſcriptura ſacra, de Deo, & de perſona Chriſti, in tomo primo locorum theologicorum conciſius pertractatorum &c.* De qua *locorum* iſtorum ἐπιγραφῇ vir beatus *tomo II.* poſt *epiſtolam dedicatoriam* monet, eam neutiquam a ſe, ſed ab alio quopiam additam eſſe, qui nominis ipſius ſtudioſior fuerit, quam fortaſſe par eſſet. Singulis tomis auctor praemiſit *epiſtolas dedicatorias, non inanibus & adulatoriis verbis turgidas, ſed grauiſſimis argumentis inſtructas, adeoque lectu & meditatione digniſſimas.* Ita IO. FABRICIVS, qui & ſingularum argumenta recenſet, in *hiſtor. biblioth. Fabric. part. II. p. 176.* quod & ERDM. RVD. FISCHERVS facit, in *vita Io. Gerhardi*, anno proxime elapſo 1723 euulgata, *c. XIX. p. 388. ſeqq.* quem & de variis horum *locorum* editionibus

Digitized by Google

onibus, de quibus *p. 390. ſeqq.* verba facit, conſulere iuuabit. In votis quidem vir beatus habuit, vt hocce opus, quod inter omnia eius ſcripta praecipuum eſt, denuo perluſtrare & perpolire poſſet; ſed per alia hoc ei non licuit negotia. Compenſare equidem quodammodo hocce damnum, iudice filio eius, IO. ERN. GERHARDO, poſſent *diſputationes* eius *iſagogicae*, ſi & has ei ad finem perducere benigniora fata conceſſiſſent. Id enim in iis agere illi conſtitutum erat, vt, quae in locis fuſius dicta erant, in compendium redigeret, ſuppleret autem, quae praetermiſſa erant. Sed quae ex iſtis *diſputationibus iſagogicis* ab eo confectae editaeque ſunt, an. 1634, ad primum & ſecundum tantum tomum ſpectant; vnde easdem continuare inſtituit GOTHOFR. CVNDISIVS, in *ſpecimine iſagoges ad locos theolog. Gerhardi*, cuius *decas prima* 1648, altera autem an. 1650 prodiit. Filius quoque auctoris IO. ERN. GERHARDVS, *iſagogen* iſtorum *locorum* compoſuit, quae an. 1658 lucem adſpexit. *Epitomen* eorumdem *locorum*, in *tabulas vnius tomi redactam*, dedit IOACH. CNAPIVS, Erffurti 1664 fol. id quod iam antea praeſtiterat IO. ERN. GERHARDVS, euulgata *epitome*, *XXXI. tabulis*, locos iſtos exhibente, Ienae 1660 fol. Immo &, quod celeberrimus Argentoratenſium theologus SEB. SCHMIDIVS concinnauit, *compendium theologiae, in quo capita chriſtianae fidei iuxta cauſſarum ſeriem, per theſin & antitheſin plene & perſpicue traduntur, ſcripturaeque fundamentis confirmantur*, Argentorati 1697, 8. ex *locis theologicis* GERHARDI noſtri congeſtum eſt; cuius ita inſiſtit veſtigiis, vt ſubinde ipſa eius verba retineat. Recte vero de *locis* hiſce *theologicis* GERHARDI pronuntiat beatus CHRIST. KORTHOLTVS: *omnium inſtar eſſe poſſunt loci communes Ioannis Gerhardi; niſi quod quae ad Arminianorum ſeu remonſtrantium, ſimileſque recentiores ſpectant controuerſias, aliunde ſuppleri oporteat;* in *prodromo ingenui theologiae cultoris academico*, §. *V. p.* 7. Quod recentiorum, quae poſt editos hoſce locos demum exortae ſunt, controuerſiarum, GERHARDVS nullam mentionem faciat, id nemo ei vitio vertet; ſiquidem id eius generis libris non contingere nequit; cum certaminum theologicorum numquam futurus ſit finis, nouisque adeo controuerſiis non poſſit non ſemper eccleſiae turbari quies. Qui cuncta recte expendunt, & a partium ſtudio alieni ſunt, fatebuntur, eximium hocce eſſe GERHARDI opus, longeque praeſtantiſſimum, & quod omnibus eiusdem generis dubiam reddat palmam; in quo etiam cum diligentia ſtupenda, profunda & exquiſita eruditio eluceat. Qui laborem admirantur, ſed iudicium deſiderant, ipſimet, ſe iudicio deſtitui, produnt; cum certus ſim, quod nullum ἀκρισίας exemplum proferre queant. Magnis itaque, & merito quidem, a viris doctiſſimis, *loci* iſti *theologici* ornati ſunt elogiis, quae diligenter collecta exhibet ERDM. RVD. FISCHERVS, in *vita Ioan. Gerhardi, c. XIX. p. 393. ſeqq.* Nonnullos quoque, qui hoſce locos laudarunt, indicat IO. FABRICIVS, in *hiſt. biblioth. Fabric. part. II. p. 179.* Mihi vnicum illud obſeruare liceat, ex ipſis romanenſibus LVDOVICVM ELL. DV PIN praeclare admodum de B. GERHARDO noſtro, eiusque *locis theologicis*, ſenſiſſe. Adſerit enim, hocce opus *multa eruditione refertum eſſe (rempli de beaucoup d'erudition) Gerhardumque ex omnibus proteſtantibus argumenta, quae attigit, maximo lumine perfudiſſe, eaque & docte, & ſapienter pertractaſſe.* Ordine hinc locos iſtos theologicos recenſet, cumque ad articulum de Deo perueniſſet, in eius tractatione nihil eſſe, quod doctrinae catholicae aduerſetur, adfirmat, *refertum* potius *elegantiſſimis patrum teſtimoniis, dignum-*

que eſſe, aeque ac eum de trinitate, qui a theologo catholico legatur. Concludit tandem, *inter praeſtantiſſimos Lutheranorum theologos poſt* MELANCHTHONEM, GERHARDVM *referendum eſſe; linguarum eum fuiſſe peritum; ſcripturam ſacram & ſcripta patrum diligenter legiſſe, recte vt bonum diſputatorem decet, eum ratiocinari, poſſeque adſeri, nullum habuiſſe Bellarminum aduerſarium, qui magis illi formidandus eſſet, quam Gerhardum; biblioth. auctorum, qui a communione eccleſiae romanae diſceſſerunt, tom. II. part. I. p. 74. ſeqq.* In tanto doctiſſimorum virorum de operis huius praeſtantia conſenſu, mirum eſſet, fuiſſe, etiam ex noſtratibus, qui in eo, quod reprehenderent, ſibi inueniſſe viſi ſunt; niſi conſtaret, quantopere liuore, inuidia, aliisque adfectibus prauis, in tranſuorſum agi mortales ſoleant. Patet hoc exemplo ALB. GRAVERI, qui, vt alias alieno a GERHARDO fuit animo, ita vt *locis* eius *theologicis* labem quamdam adſpergeret, eosque deprimeret, omnem mouit lapidem; quo ipſo ſuae potius, quam GERHARDI exiſtimationi, nocuit. Legenda, quae hac de re obſeruauit GOTTFR. ARNOLDVS, in der *Kirchen- und Kezer-Hiſtorie, part. II. lib. XVII. c. VI. §. XXIV. p. 490.* CHRIST. DREIERVM, theologum quondam Regiomontanum, ingratum GERHARDI diſcipulum, *locos* eius *theologicos* tam contemtim habuiſſe, ABR. CALOVIVS refert, vt dixerit, *indignos eos eſſe, qui de terra tollantur;* in *hiſtor. ſyncretiſt. c. VI. §. I. p. 607.* Verum iſthaec, & quae alia ſunt eiusdem generis, gloriam, quam GERHARDVS opere iſto immortalem conſequutus eſt, obſcurare nequeunt. Reliquas obtrectationes, non alio loco habendas, commemorant IO. FABRICIVS & ERD. M. RVD. FISCHERVS, *locis citatis.* GERHARDO noſtro iungimus CASP. (ERASMI filium) BROCHMANNVM, theologum Haffnienſem, & Seelandiae epiſcopum non minus celebrem, qui dimidiam ſaeculi decimi ſeptimi partem fama & doctrina ſua illuſtrauit, vita functus 1652. Huius namque itidem exſtat, *vniuerſae theologiae ſyſtema, in quo omnes religionis chriſtianae articuli ita pertractantur, vt vera ſententia adſeratur & adſeratur, controuerſiae priſcae & recentiores expediantur, praecipui caſus conſcientiae ex verbo diuino decidantur;* Haffniae 1633 duobus tomis in 4. Lipſiae 1638. fol. Mirifice & hocce multis ſeſe probauit ſyſtema, quod pluribus docet IO. MOLERVS, in *hypomnematib. ad Albertum Bartholinum de ſcriptis Danorum,* in *biblioth. ſeptentrionis erudit. p. m. 180.* vbi & elogia, quibus IO. AD. SCHERZERVS, THEOPH. SPIZELIVS, IO. HVLSEMANNVS, GERH. MEYERVS, aliique illud ornarunt, refert. Nec diſſimulat, reiicit tamen ſimul, ἐπίκρισιν IO. AD. SCHERZERI. *Nodum,* inquit, *in ſcirpo quaerere videtur Scherzerus, maiorem in illo deſiderans* ἀκρίβειαν *auctorumque, e quibus aduerſariorum deprompta ſunt obiectiones, mentionem; & doctrinam eiusdem, de quatuor communicationis idiomatum generibus, ac reſurrectione impiorum merito Chriſti parta, cum aliis doctoribus Lutheranis noſtro communem, ibidem & in programmat. num. XVII. p. 224. virgula notans cenſoria.* In compendium hocce ſyſtema miſit ipſe auctor, in *epitome* edita Haffniae 1649; quod & PHIL. HENR. FRIEDLIEBIVS fecit, in *medulla theologica,* & IANVS BIRCHERODIVS, in *ſynopſi locorum theologicorum,* de quibus, vti & reliquis viris eruditis, qui inter Danos de theologia dogmatica & ſyſtematica praeclare meriti ſunt, legendus ALBERTVS THVRA, in *idea hiſtor. litter. Danorum, part. II. c. I. §. II. p. 246. ſeqq.* Eodem, quo BROCHMANNVS vixit, tempore, in academia

academia Wittebergenſi docuit, nominisque conſequutus eſt celebritatem, WILH. LYSERVS, qui *ſyſtema thetico-exegeticum* concinnauit, quod poſt dimidii fere ſaeculi decurſum ex variis manu ſcriptis, diligenter inter ſe collatis, edidit IO. GE. NEVMANNVS. *Syſtematis* autem *thetico-exegetici* nomine hocce opus venit, quia vniuerſam theologiam auctor hoc ordine tradidit, vt dicta, ſedes doctrinarum complexa, ex codice ſacro vtriusque foederis, centurias conficientia quatuor, depromeret, ſelecta, ea, licet plerumque breuius, explicaret, vimque & efficaciam, dogmata probandi, inde erueret.

Inter eos, quibus vitio datum, quod ſcholaſticae theologiae plus, quam decet, tribuerint, & cum ea errores quoque quosdam romanenſium adoptauerint, eminet GE. CALIXTVS, Helmſtadienſis theologus, vir, ſi eruditionem ſpectes, nemini ſecundus; vid. ABR. CALOVIVS, *hiſtor. ſyneret. c. VI. p. 609.* Eidem CALIXTO, exprobratum, quod logicam ac metaphyſicam pluris faceret, quam linguas, ſacri codicis interpretationi inſeruientes, ſupra iam obſeruauimus, ad *part. I. c. IV. §. VI.* Praeter alia vero *epitomen theologiae* ſcripſit, quae primum 1619 prodiit; nouiſſimam vero editionem, quae Helmſtadii 1661 cum declaratione GERH. TITII, lucem adſpexit, prioribus longe adcuratiorem eſſe, notat IO. FABRICIVS, in *hiſtor. bibliothec. Fabric. p. II. p. 294.* At non omnibus haec *epitome* placuit. Primus de ea ſententiam dixit BALTH. MENZERVS, theologus Gieſſenſis, in litteris 1620 ad generum ſuum HENR. WIDEBVRGIVM, tunc aulae Guelferbytanae concionatorem primarium, datis. Animaduertiſſe ſe in ea dotes haud vulgares, ait, ſed & veſtigia adparere errorum haud quaquam leuium. *Opus*, inquit, *habet accurata lima liber iſte, ſi recipi debeat. Non faciam mentionem erratorum in veſtibulo, & prolegomenis occurrentium, in quibus excuſandis ſcio, quid praetexi ſoleat. De imagine Dei, deque peccato, video multa ad palatum papiſtarum, quae cordatis theologis probari non poſſunt. Doctrina de praedeſtinatione recte proponitur, ſed miror, hanc locutionem vſurpari, electionem noſtram nihil aliud eſſe, quam decretum de noſtra ſalute; nam electio eſt facta ſecundum decretum ſiue propoſitum Dei, tanquam regulam. De vnione hypoſtatica quaedam erudite diſſeruntur, ſed de communicatione idiomatum ſermo lubricus eſt, & vbi de officio redemtionis agitur, pia mens acquieſcere non poteſt in eo, quod humanae naturae tribuitur tantum, quod humanum eſt, non facta mentione communicationis operationum, iuxta canonem concilii Chalcedonenſis. Neque probare poſſum verba: meritum Chriſti eſſe aliqua ex parte infinitum. Iuſtificationi adſignantur duae partes, remiſſio peccatorum, & imputatio iuſtitiae Chriſti; atqui non ſunt illae diuerſae partes, ſed qui vnum dicit, dicit alterum, nimirum, remiſſis peccatis iuſtitia imputatur, & imputata iuſtitia, peccata remittuntur.* Haec, aliaque in iſta CALIXTI *epitome* deſiderat MENZERVS; cuius hancce ἐπίκρισιν ex IO. HVLSEMANNI *dialyſi apologet. problem. Calixt. de myſterio trinitatis praefat. p. 201.* refert ANDR. CAROLI; in *memorabilib. eccleſiaſt. ſaec. XVII. lib. III. c. V. p. 517.* IO. autem FABRICIVS, theologus itidem Helmſtadienſis doctiſſimus, monet, ipſum CALIXTVM hanc epitomen *nec recognouiſſe, nec edidiſſe, ſed nec retractaſſe.* Idem porro, cum Menzerianae iſtius ἐπικρίσεως mentionem feciſſet, obſeruat, epitomen hanc CALIXTI, non ſolum a IOACH. HILDEBRANDO laudari, ſed & ab ipſo IO. HVLSEMANNO, in *methodo ſtudii theologici p. 298.*

 ſiqui-

ſiquidem ibi ſcribat, *cum formula concordiae, Hutteri compendio, & Seberi hortulo biblico conferri a diſcentibus poſſe locos Hafenrefferi & epitomen Georgii Calixti*; certe, ita legi in editione anni 1625; nam in editione quinta, quae Wittebergae 1667 prodiit, vltima illa de *epitome* CALIXTI verba inducta, & haec ſubſtituta eſſe: *& epitome credendorum D. Nic. Hunnii*; quod, quo ſpiritu factum ſit, ſe neſcire, profitetur; *hiſtor. biblioth. Fabric. part. IV. p. 295.* Eodem, quo GE. CALIXTVS tempore vixit, & Helmſtadienſem academiam eruditione ſua colluſtrauit CONR. HORNEIVS, qui & eadem cum illo defendit placita, hinc & eosdem nactus eſt aduerſarios. Huius praeter alia ſcripta etiam exſtat *compendium theologiae, quo vniuerſa fidei chriſtianae, tam credendorum, quam agendorum doctrina, tribus libris dilucide pertractatur*, poſt auctoris equidem obitum an. 1655 editum, at minime contemnendum, ſed commendandum potius, ſi a placitis quibusdam, academiae Iuliae theologis eo tempore propriis, diſcedas. Sed & aliorum eiusdem academiae theologorum ſimilia proſtant ſcripta; quibus omnibus recenſendis cum immorari non liceat, eius ſolum adhuc compendii, quod IO. HENICHIVM auctorem agnoſcit, mentionem faciendam eſſe, exiſtimaui. Rinthelenſis is equidem fuit theologus, ſed GE. CALIXTI genuinus diſcipulus, ac ſtrenuus ſectator, ipſi ABR. CALOVIO ideo laudatus, quod gratum erga praeceptorem demonſtrarit animum, in *hiſtor. ſyncret. c. VI. p. 609.* Primum hocce compendium lucem adſpexit Rinthelii, 1655, 8. non ſemel deinceps recuſum: tertia vero editio, quae Brunſuigae 1665, 4. prodiit, ideo obſeruatu digna, quod praecedentibus ſit auctior. Et ſecundum hancce quidem inſcribitur: *inſtitutiones theologicae, ita concinnatae, vt iis potiſſimum, qui in ſtudio homiletico operae pretium facere ſatagunt, inſeruire, & copiam enthymematum ex ſacra ſcriptura, & antiquorum patrum monumentis depromptorum praebere poſſint &c.* Patet ex iſta inſcriptione, hocce compendium illorum cumprimis vſibus deſtinatum, qui ad ſtudium homileticum ſeſe conferre volunt. Quod minime reprehendendum eſt inſtitutum. Nec id culpandum, quod auctor diligenter teſtimoniis patrum vſus eſt, modo illa ſcripturae ſacrae non aequiparentur auctoritati, & quis ſobrie atque caute in illis verſetur. Mirum itaque non eſt, quod multorum, maxime tamen illorum, qui Helmſtadienſium theologorum placita ſequebantur, calculo hocce compendium ſit adprobatum; in electoratu quoque Hannouerano, & vicinis quibusdam prouinciis, ita receptum, vt & in ſcholis quam plurimis fundamenti loco in theologica inſtitutione ponatur, & ad eius ductum candidatorum miniſterii profectus explorentur. Legenda, quae de eodem ex inſtituto, diligenter ſimul & erudite, commentatur IONAS CONR. SCHRAMMIVS, in *programmate, de compendii Henichiani variis editionibus, quo ſimul dicitur, de compendiorum theologicorum vſu ac pretio*, Helmſtadii 1711 edito. Vehementer haſce inſtitutiones commendauit HERM. CONRINGIVS, in *epiſtola ad* IO. HENICHIVM, ex qua in programmate laudato praecipua momenta recitantur, *p. 32. ſeqq.* Suntque ea vel ideo lectu digna, quod characteres veluti praecipuos egregii compendii exhibeant. Laudat nimirum HERM. CONRINGIVS, quod latius proſequutus ſit ea, quae ad ſanctimoniam morum attinent, quippe quod perperam vulgo negligi ſoleat. Ad ſua haud dubie reſpicit tempora, illorumque perſtringit morem, qui theologiam dogmaticam vnice ad controuerſias tractandas volebant eſſe comparatam, eorum, quae ad vitam & mores ſpectant, nulla fere habita ratione.

one. Quem errorem deinceps alii quoque intellexerunt, aliamque hinc tractandi theologiam ingreſſi ſunt viam. Laudat porro CONRINGIVS auctorem, quod non verſetur in iis, quae aliena ſunt a ſacra inſtitutione; cuiusmodi ſunt quaeſtiones dubiae, nec dum ſatis deciſae, & fidem non attingentes; recte quidem, modo non quaedam pro eiusmodi quaeſtionibus venditentur, de quibus ad ſcripturae ſacrae ductum aliter pronuntiandum; laudat, quod non tam dictitet, vt inſolentes magiſtri, quae ſentiat, quam probet idoneis argumentis, quae tam plana ſint maximam partem, vt nihil impediat, etiam proponi pueris; quod tantum non omnia muniuerit ex aureo eccleſiaſticae antiquitatis aeuo petitis teſtimoniis, (quod quousque laudandum ſit, antea iam monuimus;) quod ordinem inſtruendi laudabilem ſequatur, etiamſi non eodem cum aliis incedat tramite, & quae alia ſunt eiusdem generis.

Cum plures GE. CALIXTO, & iis, qui cum eo faciebant, ſe oppoſuerint; primum tamen fere, principemque inter eos locum tenet ABR. CALOVIVS, theologus quondam Wittebergenſis longe celeberrimus, cuius praeter alia itidem exſtat, *ſyſtema locorum theologicorum, e ſacra potiſſimum ſcriptura & antiquitate, nec non aduerſariorum confeſſione, doctrinam, praxin, & controuerſiarum fidei, cum veterum, tum imprimis recentiorum pertractationem luculentam exhibens.* Conſtat 12 tomis, in 4. quorum primus Wittebergae an. 1655, duodecimus ſeu vltimus ibidem an. 1677 prodiit. Laudandum in eo maximopere, quod ſcripturae cumprimis habuerit rationem, & in eius teſtimoniis, quae magno numero adducit, omne cauſſae praeſidium collocauerit; quamuis nec patrum negligat conſenſum, quin potius eorum effata diligenter & copioſe in ſingulis capitibus adferat. In prioribus tamen tomis maiori cum diligentia verſatum, quam in poſterioribus, res ipſa docet. Praeter alias, etiam controuerſias cum Arminianis attingit; maxime autem contra GE. CALIXTVM, ceterosque, qui *ſyncretiſtarum* nomine veniunt, quauis data occaſione quam fuſiſſime diſputat. Immo primo tomo ſubnexa iterum eſt *digreſſio* ſatis ampla, *de noua theologia Helmſtadio-Regiomontanorum ſyncretiſtarum, Georgii Calixti, Conradi Horneii, Michaelis Behmii, Chriſtiani Dreieri, Io. Latermanni*, quae iam antea lucem adſpexerat. Iſtarum itaque controuerſiarum adcuratiori cognitioni hocce ſyſtema mirifice inſeruiet. In ipſa dogmatum tractatione CALOVIVS equidem ſequitur methodum cauſſalem, ſeu Ariſtotelico-ſcholaſticam, iam tum receptam; ad reliqua tamen theologiae ſcholaſticae vitia non adeo propenſus eſt, quin potius ſcripturae vbique, quod iam antea in eo laudauimus, vrget auctoritatem. Immo de ipſa theologia ſcholaſtica ex inſtituto differens, non tantum romanenſes, plus quam decet, eidem tribuentes, ſed & CONR. HORNEIVM reprehendit, quod illius ſtudium linguarum originalium culturae praetulerit. Suam vero hac de re ita declarat ſententiam: *Sed nec inutile cenſemus moderatum ſcholaſticorum theologorum ſtudium, & imprimis adcuratiori theologo multum conferre iudicamus, ad confutandas ipſasmet papiſtarum hypotheſes, cum mutuis ſe conficiant contradictionibus &c. nequaquam tamen tanti eam eſſe concedimus, vt ſine fidei diſcrimine contemni nequeat, aut vt adcuratior theologia, quod vult Horneius, eius notitia carere non poſſit; nec vllatenus formam docendi ac diſputandi ſcholaſticorum probare poſſumus, praeſertim in ſequioribus aetatibus, quia multa in illis merito deſiderari cenſemus; ſyſtem. theol. tom. I. prolegom. quaeſt. XV. p. 76. 77.* Edidit quoque idem CALOVIVS *theologiam poſitiuam, per definitiones, cauſſas, adfectiones & diſtincti-*

ſtinctiones, an. 1682, 8. quam an. 1686 excepit eiusdem *apodixis articulorum fidei, e ſolis ſacrae ſcripturae locis credenda demonſtrans*; de qua deinceps ex inſtituto dicendi locus erit. CALOVIO iungimus IO. HVLSEMANNVM, theologum ſui temporis eruditiſſimum, eumdemque itidem Helmſtadienſium ſtrenuum oppugnatorem; quibus tamen nimium theologiae ſcholaſticae amorem exprobrare non poterat, cum ipſemet eius ſe ſtudioſiſſimum demonſtrauerit; adeo, vt ſint, qui eum pro praecipuo theologiae ſcholaſticae in eccleſia noſtra reſtauratore venditare non dubitant; vid. IO. GVIL. ZIEROLDVS, in *der Einleitung zur gründlichen Kirchen-Hiſtorie &c. c. VII. §. VII. p. 397.* Huius loci eſt *breuiarium* eius *theologicum*, quod *enucleatum atque auctum* dedit IO. ADAM. SCHERZERVS, diſcipulus HVLSEMANNI, luci autem publicae expoſuit VAL. ALBERTI, theologus itidem Lipſienſis percelebris, qui praefationem toti operi, ſingulisque capitibus tabulas praemiſit; Lipſiae 1687, 4. Quid in ipſo *breuiario Hulſemanniano* nonnulli deſiderent, non diſſimulat SCHERZERVS. *Inuenies etiam*, inquit, *inter eos quoque, (ceteros enim non curamus) qui ſaeculi noſtri doctis, immo doctoribus volunt accenſeri, quibus beati Hulſemanni ſtilus barbarus, ſcholaſticus, Holcoticus, Scoticus ac tenebricoſus, vt non poſſit intelligi, eſſe videatur.* Ad quae ita reſpondet, non difficile eſſe, ſcholaſticorum terminos ac formulas intelligere; vt ſuam adeo tantum prodant ignorantiam, qui de obſcuritate breuiarii Hulſemanniani conquerantur. In gratiam tamen illorum, qui iſtam ſcholaſticorum barbariem ferre nequeant, ſe voces, quantum potuerit, magis perſpicuas adhibuiſſe. *Vt vero diſcipulis*, inquit, *qui hodie omnes ferme adcuratiores voces, cane peius & angue fugiunt, ſcholaſticosque ſine delectu ac diſcrimine pro meris ſpectris ac lemuribus in vniuerſum habent, condeſcendam, ne amplius barbaras iſtas querelas audire cogamur; textum libelli praeſentis, verbis perſpicuis* κατὰ δύναμιν *reddam; prolegom. §. XI.* Interim ipſemet HVLSEMANNVS acriter in ſcholaſticos inuehitur, beatumque LVTHERVM magnopere laudat, quod ſcholaſticam theologiam ex academiis profligauerit, GISBERTVM contra VOETIVM acriter perſtringit, quod methodo plane ſcholaſtica diſputationem conſcripſerit; in *dedicatione*, libro de *auxiliis gratiae* praemiſſa. Nimirum, cum veriora certioraque citra controuerſiam in theologia ſequeretur principia, quam romanenſium ſcholaſtici, & ab erroribus illorum dogmaticis alienus eſſet; reliqua eiusmodi non eſſe, forte exiſtimauit, vt ideo in eumdem cum illis referri deberet ordinem. *Breuiario* iſti *Hulſemanniano*, quod hæc differendi nobis dedit occaſionem, illuſtrando quodammodo etiam deſtinatum fuit IO. ADAMI OSIANDRI, theologi Tubingenſis, *collegium theologicum ſyſtematicum*, Stutgardiae 1687, 4. luci publicae expoſitum, quippe quod ex variis eius praelectionibus ad HVLSEMANNI *breuiarium* (cuius maximam partem & ordo ſeruatur, & verba) HAFENREFFERI *compendium*, BROCHMANNI & KROMAYERI *ſyſtemata*, aliisque eiusdem recitationibus collectum eſt. IO. ADAMVS SCHERZERVS vero, non tantum de *breuiario Hulſemanniano* praeclare meritus eſt, ſed ipſemet etiam *ſyſtema theologiae* dedit *XXIX definitionibus abſolutum*, impreſſum primum 1682, recuſum vero, tum alias, tum & 1704, 4. itemque *breuiculum theologicum*, in quo ex vna poſitione generali reliqua deriuantur omnia, Lipſiae 1679, 12. in linguam germanicam etiam translatum, & ſaepius denuo euulgatum. Eminentiori quodam modo terminorum metaphyſicorum & theologiae ſcho-

ſcholaſticae abuſus conſpicitur in IO. FRIDERICI KOENIGII, theologi primum Gryphici, tandem Roſtochienſis, *theologia poſitiua acroamatica*, Roſtochii primum an. 1664 & deinde ſaepius edita. Paucis quidem & neruoſe, multa auctor complexus eſt; ſed per nimium breuitatis & ἀκριβείας ſtudium effecit, vt ſceleton aliquod exhiberet, ſucco omni ac ſanguine deſtitutum. Terminos, quos vocant, metaphyſicos, ſine neceſſitate cumulat, interdum nec recte adplicat, hinc litibus ac quaeſtionibus, nihil commodi adferentibus, occaſionem praebet, in probationibus ſubinde deficit, dum dicta ſcripturae, quae nihil ad rem faciunt, adducit. Celebritatem itaque quod olim hocce compendium nactum ſit, non aliunde factum, quam quod eo tempore theologia ſcholaſtica in eccleſia noſtra hinc inde regnaret. Nimium hinc theologiae ſcholaſticae ſtudium in hocce auctore notat vir doctiſſimus IOACH. LANGIVS, in *medicina mentis, part. V. c. I. §. LII. p. 473.* Lucem minime contemnendam libello huic adfudit, & quae in eo rectius & adcuratius dici potuiſſent, oſtendit HERMAN. IOACH. HAHNIVS, in *Koenigio contracto & illuſtrato, &c.* Lipſiae 1710, 8. Dum vero idem vir doctus in praefatione IOACH. LANGII iudicium antea laudatum improbat, ſimul tamen naeuos libelli Koenigiani diſſimulare nequit; in omnem ſe verſat partem, ne neſcio cuius ἑτεροδοξίας ſuſpicionem incurrat; metu ſe torquens plane ſuperuacaneo, cum nemini vitio verti queat, ſi cordate de libro quodam ſententiam ſuam dicat. Pro commentario etiam compendii Koenigiani reputari poteſt IO. ANDR. QVENSTEDII *theologia didactico - polemica*, Wittebergae 2 tomis in fol. 1685 edita, Lipſiaeque 1715 recuſa. Certe methodum KOENIGII ſequitur, ipſemet ordinis & methodi obſeruantiſſimus, modo non nimius. Perſpicue & neruoſe controuerſiae cum omnibus diſſentientibus ab eo tractantur, maiorem adhuc laudem relaturo, ſi in augendo haereticorum numero parcior fuiſſet, nec ſtatim magnos eccleſiae noſtrae theologos, ob leuem quemdam a Wittebergenſibus diſſenſum in antitheſi collocaſſet, aut omnino iis aliquid attribuiſſet, quod illis in mentem non venit. In Ienenſi denique noſtra academia beatus IO. GVIL. BAIERVS *compendium theol. poſitiuae*, exquiſito ſtudio conſcriptum, reliquit, quod primum an. 1686, 8. prodiit, nec ſemel deinceps recuſum eſt. Multorum illud promeruit adprobationem, receptumque paſſim fuit, adeo, vt non tantum apud nos, ſed alibi quoque ad eius ductum recitationes academicae inſtituerentur. Sequutus autem auctor eſt in eo veſtigia beati IO. MVSAEI, ex cuius ſcriptis maximam partem iſtud concinnatum eſt, & quorum velut epitomen quamdam exhibet. Cumque & ſententias MVSAEI, in quibus ab aliis diſſentire viſus eſt, retineat; operam ſimul nauat, vt eas illuſtret neruoſe, & adiectis aliorum theologorum teſtimoniis, euincat, nihil eum docuiſſe, quod non praeſtantiſſimis eccleſiae noſtrae theologis probatum ſit. Vix itaque recte etiam intelligetur, aut explicari poterit, niſi quis adcurata controuerſiarum, eo tempore inter noſtrates agitatarum, notitia ſit imbutus. Methodo ceteroquin auctor vtitur cauſſali, ſeu Ariſtotelico-ſcholaſtica; immo cum beato IO. MVSAEO ipſo nimium adhuc ſcholaſticae theologiae tribuere videtur. Obſeruauit hoc, & exemplis quibusdam demonſtrauit, CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, in *praefatione*, AD. TRIBBECHOVII libro de *doctoribus ſcholaſticis* praemiſſa, *p. 31.* Controuerſiarum etiam quarumdam, quae B. MVSAEO cum aliis interceſſerunt, non aliam originem, quam terminorum metaphyſicorum vſum di-

uer-

uerſum, fuiſſe, res ipſa docet. Excuſandus tamen merito vterque, & MVSAEVS, & BAIERVS eſt; cum eo, quo vixerunt, tempore, haec tractandi theologiam ratio vbique fere recepta eſſet. Qui hinc inde ἀκρίβειαν in *compendio Baieriano* deſiderant, & minutias quasdam carpunt, nihil aliud agunt, quam vt nodum in ſcirpo quaerant, & litigandi pruritum, animumque ad contentiones pronum, prodant. IO. FABRICIVM, theologum Helmſtadienſem longe clariſſimum, adnotationes quasdam ad hocce compendium edidiſſe, conſtat. BAIERVM quoque noſtrum ſequutus eſt IO. ANDR. SCHMIDIVS, Helmſtadienſis itidem hodie theologus celeberrimus, in *compendio theologiae dogmaticae*, iterum Helmſtadii 1704 edito, in quo ipſa breuitate, adiectis etiam tabulis, memoriam diſcentium adiuuare voluit. Idem inſtitutum fuit beati IO. SAM. TROMSDORFII, cuius *theologia* δι' ὀλίγων, ex *Baieriano* maxime *compendio* concinnata, cum *cenſura & adprobatione* mea Hannouerae prodiit, an. 1708, 8. Non minus praeclare in academia noſtra de theologia dogmatica meritus eſt beatus FRIDEMAN. BECHMANNVS noſter. De *adnotationibus* eius *vberioribus in compendium Hutterianum* iam ſupra diximus. In lucem vero etiam emiſit *inſtitutiones theologicas*, vel ob ſummam perſpicuitatem maximopere commendandas; ideoque & a me commendatas in *praefatione*, quam editioni ſecundae an. 1706 praemiſi.

Ingens adhuc ſupereſt illorum numerus, qui in hocce, de quo loquimur, temporis interuallo, ſcriptis ſuis dogmaticam theologiam illuſtrarunt. Nec contemnenda profecto, aut poſtponenda reliquis, opera, quae huc ſpectant, IO. CONR. DANHAVERI, theologi Argentoratenſis, IVSTI FEVRBORNII, MENNONIS HANNEKENII, KILIANI RVDRAVFFII, Gieſſenſium, IO. FABRICII, Altdorffini, IO. BENED. CARPZOVII, ſenioris, HENR. HOEPFNERI, HIERON. KROMAYERI, FRIDER. RAPPOLTI, Lipſienſium, IAC. MARTINI, ANDR. KVNADI, IO. MEISNERI, Wittebergenſium, IOACH. HILDEBRANDI, & HENR. WIDEBVRGII, Helmſtadienſium, IO. GE. DORSCHEI, & ZACH. GRAPII, Roſtochienſium, aliorumque; quos ſummatim indicant CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *introduct. ad hiſt. theol. litter. notis ampliſſimis illuſtrata*, *lib. II. §. V. p. 216. ſeqq.* IOACH. LANGIVS, in *inſtitutionibus ſtudii theologici litterariis*, *ſect. VI. c. I. §. XI. p. 583. ſeqq.* & IO. CHRISTOPH. DORNIVS *bibliothec. theol. crit. part. II. lib. IX. c. II. p. 687. ſeqq. & c. IV. p. 764. ſeqq.* At, hiſce omnibus vt diutius immoremur, neceſſe non eſt; cum noſtra eo praecipue comparata ſit tractatio, vt hiſtoriae theologiae dogmaticae ac ſyſtematicae lucem adfundamus; adeoque eos tantum auctores, qui reliquis ſunt praeſtantiores, vel eiusmodi etiam ſcripta, quae ad noſtrum inſtitutum ſpecialiori quadam ratione faciunt, etſi in ſe conſiderata forte non adeo magni ſint momenti, commemoremus. Omnium ac ſingulorum recenſionem nemo iure a nobis poſtulauerit. Cum vero plerique ex hactenus enumeratis ad ſecundam ſyſtematicae theologiae in noſtra eccleſia, quam ſupra conſtituimus, ſpectent claſſem; de tertia adhuc obſeruandum, cum alia philoſophandi, aliam etiam theologiam tractandi rationem, ſenſim introduci coepiſſe. Per *Carteſianam* enim, in phyſicis, & *Pufendorfianam*, in moralibus, philoſophiam, ſcholaſtica & philoſophia & theologia apud plurimos omne pretium amiſit. Non adeo multa ex eo tempore prodierunt aut ſyſtemata, aut compendia; in iis autem, quae prodierunt, aut nulla, aut pauca ſcholaſticae theologiae veſtigia inuenies. Immo cum beatus

Digitized by Google

beatus PHIL. IAC. SPENERVS, & alii quidam viri cordati, de naeuis nonnullis eccleſiae noſtrae querelas mouerent, quae magnis deinceps certaminibus occaſionem praebuerunt; inter alia & abuſus terminorum metaphyſicorum in theologia, & ſcholaſtica eam tractandi ratio, ad controuerſias vnice, non autem ad vitae inſtructionem comparata, ſubinde reprehenſa fuit. Aliam hinc etiam viam ingreſſus eſt IOACH. IVSTVS BREITHAVPT, theologus Hallenſis percelebris, verbisque ac formulis, ex ſcriptura ſacra tantum depromtis, ſi excipias terminos in vniuerſa eccleſia receptos, & quibus theologia prorſus carere nequit, *inſtitutionum theologicarum libros duos* concinnauit, quorum prior *credenda*, ſeu *articulos fidei*, poſterior *agenda*, ſeu *moralia* complectitur, vna cum *vſu practico & experimentali*, Halae 1695. De quibus cum deinceps plura dicenda ſint, nunc nihil addimus. De IO. GE. NEVMANNI *theologia aphoriſtica*, ac SAM. SCHELGVIGII *ſynopſi controuerſiarum*, & quae his oppoſita fuerunt, IOACH. LANGII *dialyſi elenchtica theologiae aphoriſticae Neumanni &c.* eiusdemque *idea theologiae Schelguigianae*: IO. GVIL. ZIEROLDI *ſynopſi veritatis diuinae &c.* HENR. LYSII *ſynopſi controuerſiarum &c.* ſimilibusque ſcriptis, hic itidem agendi locus non eſt; cum ad theologiam polemicam ſpectent. Ea tamen, quae dogmaticae propria ſunt, ſimul attingit IO. GVIL. ZIEROLDVS, in *theologia vere euangelica &c.* quae Berolini 1706 prodiit. IO. WOLFG. IAEGERI *ſyſtema theologicum dogmatico-polemicum*, dogmata copioſius quidem, quam antea in *compendio*, ab eo edito, factum, exhibet; praecipue tamen controuerſiis quibusdam, iisque recentioribus, eſt deſtinatum. Impreſſum eſt Tubingae 1715, 4. CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS de eo ita pronuntiat: *Non eodem vbique tenore res hic agitur, & multa etiam ex aliis viri doctiſſimi tractatibus paſſim inſeruntur, plurima etiam in hoc ſyſtemate reperiuntur, quae in aliis vix inuenies*; in *introd. ad hiſtor. theolog. litterar. notis ampliſſimis illuſtr. lib. II. §. V. p. 220.* Singulare, ſed laudabile ſimul, fuit inſtitutum beati IO. HENR. MAII, dum compendium aliquod theologicum ex ipſis verbis Chriſti concinnauit, quod ſequenti modo inſcriptum: *ſynopſis theologiae chriſtianae ex ſolis verbis Chriſti, relatis ab euangeliſtis, eruta atque monſtrata*; Francofurti ad Moenum 1708, 4. lucem adſpexit. Cumprimis autem hic commemorandus eſt vir eruditiſſimus celeberrimusque CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, ob *inſtitutiones theologiae dogmaticae & moralis*, Tubingae 1720 primum editas; quippe in quibus non tantum id egit, ſed ſe agere aperte profeſſus eſt, vt a ſcholaſticorum quisquiliis theologiam repurgaret; quamuis interdum mori recepto aliquid dederit, vt tamen haud obſcure, ſe id ex animi ſententia non facere, ſignificaret. In *prologo*, quem vocat, *galeato*, inſtituti ſui rationem ediſſerens, in theologia ſyſtematica, prout hactenus tractata fuit, deſiderat, *quod, cum vnum ſyſtema ex altero extractum atque erutum ſit, eadem hic ſemper chorda, pauciſſimis inflexis, oberretur, & quae duriore ſubinde ſono, atque minus iucundo, eruditas aures adficit, metaphyſica illa cauſſarum campana, heic, recurrentibus vbique iisdem terminis, iugiter tinniat.* Non prorſus tamen ſcholaſticorum tenebras ſe euitare potuiſſe, in ſequentibus fatetur: *Qui enim cogitaueramus, campum theologiae dogmaticum & moralem ſine vllis ſcholaſticis grallis peruolare, atque omnia dictionum altarum ſpectra in exilium hic agere, vbi vel maxime ad locum de Chriſto proceſſimus, vidimus, nos, quae ad pacem eccleſiaſticam promouendam dicere neceſſarium eſſe videbatur,*

haud efferre poſſe, niſi cum ſpectris metaphyſicis hic luctam quamdam iniremus. Abnegato itaque tantiſper, ſuasque ſibi res habere iuſſo ſimplicitatis theologicae ſtudio, in campum ſpectrorum, hoc eſt, in campum metaphyſicum tantiſper ſeceſſimus, & condeſcendimus, & terminos ſcholaſticos, quibus ſolis magnum aliquod iurgium aliquando innititur, euoluimus &c. Conſtitutum praeterea illi fuiſſe, in hiſce *inſtitutionibus* pacem eccleſiaſticam, ſeu vnionem inter noſtrae ac reformatae eccleſiae doctores, promouere, itidem non tantum res ipſa docet, ſed ipſemet etiam vir doctiſſimus profitetur. Quod cum in aliis quoque ſcriptis egerit, plurimos tamen hac in re ſibi habuerit repugnantes; experiundo haud dubie didicit, maioribus, quam prima fronte videtur, hocce negotium premi difficultatibus. Sunt &, quibus alia quaedam in hiſce inſtitutionibus diſplicuerunt; quae vt diſcutiamus, huius loci non eſt. Nec ideo laude ſua defraudandae, quin potius commendandae ſunt, tum ob alia praeclare in iis dicta, tum quod ſubinde hiſtoriae dogmatum theologicorum lucem egregiam adfundant. Epitomen quamdam illarum ipſemet vir clariſſimus dedit, in *aphoriſmis theologiae dogmaticae & moralis*, Tubingae 1723, 8.

Optime theologiae cultorem ſtudiis ſuis conſulturum, beatus CHRIST. KORTHOLTVS pronuntiat, qui ſynopſi alicui latinae iunxerit *epitomen credendorum* NIC. HVNNII, vel SEBERI *hortulum biblicum*. Vtrumque deinde libellum, ob perſpicuitatem & ἀκρίβειαν, laudat, recteque eos facere, adſerit, qui verba aliquando ad populum de rebus ſacris facere cupiunt, ſi exinde lingua vernacula dogmata fidei luculenter proponere condiſcant; in *prodromo ingen. theol. cultor. academ. c. I. §. I. p. 2.* Et HVNNII quidem *epitome*, quae primum Wittebergae 1633, 8. prodiit, multis valde probata fuit. Non minus tamen, nec ſine ratione, plurimis placuit IO. ANAST. FREYLINGHAVSENI *Grundlegung der theologie*, compendium itidem theologicum lingua germanica exhibens, Halae 1703, 8. Libellum ſane vtiliſſimum eſſe, deprehendent, qui eum legerint. Perſpicue, eleganter, & ſolide, dogmata fidei proponit, explicat, probat, & cuncta ad vitae praxin dirigit. Beati inſuper LVTHERI noſtri teſtimoniis ſelectiſſimis, ſubinde a ſe dictis lucem adfundit, & ſimul pondus addit. PHIL. IAC. SPENERVS, in ſermonibus ſacris, qui *Glaubens-Lehre* inſcribuntur, cuncta doctrinae chriſtianae capita tam adcurate tractat, vt non erraturus ſit, qui hocce opus inter ſyſtemata theologica, lingua germanica ſcripta, retulerit. Ex inſtituto vero amplum aliquod *ſyſtema thetico-polemicum* germanica lingua dedit IO. HENR. LOEDERVS, Lipſiae 1712, 4. romanenſibus maxime, &, qui his ex noſtratibus fauent, ſyncretiſtis, oppoſitum; ob hiſtorica etiam, quae paſſim admiſcet, lectu dignum. Ad ſcriptores theologiae dogmaticae, vt vnicum hocce addam, illi quoque referendi ſunt, qui certa quaedam doctrinae ſacrae capita ex inſtituto ſibi pertractanda ſumſerunt. Quorum vt inſignis interdum vſus eſt, cum maiori diligentia quis in vno, quam omnibus fidei dogmatibus verſari queat; ita numerus non exiguus, vt eosdem, ne inſtituti noſtri limites transgrediamur, enarrare non liceat. Otium praeterea hic nobis fecit CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, qui magna diligentia eos collegit in *introd. in hiſtor. theolog. litterar. notis ampliſſimis illuſtrata, lib. II. §. X. p. 280. ſeqq.* Praecipuos quosdam indicat IOACH. LANGIVS, in *inſtitut. ſtudii theolog. litterariis, ſect. VI. c. I. §. XXIX. ſeqq. p. 609. ſeqq.*

§. XV.

§. XV. Romanae eccleſiae doctores plerique cum theologia ſyſtematica ſcholaſticorum etiam retinuerunt non tantum errores dogmaticos, ſed & reliqua vitia; nonnulli tamen inter eos exſtiterunt, qui haec vtcumque emendare, & meliorem theologiae conciliare faciem, adgreſſi ſunt. * Nec inter reliquos, qui a nobis diſſentiunt, defuerunt, quibus ſyſtematica haecce docendi theologiam ratio placeret. **

* Cum in eccleſia romana theologia ſyſtematica vna cum ſcholaſtica praecipue enata ſit, maximosque progreſſus fecerit, ad tuendos inſuper ac propagandos errores in ea receptos, & ſupremam romani pontificis auctoritatem conſeruandam plurimum faciat; rationes facile, cur tam diligenter in eadem retineatur, perſpicere licet. Idque maximus ille ſyſtematum, ac compendiorum, poſt eccleſiae etiam emendationem a romanenſibus conſcriptorum, numerus teſtatur. Fuerunt equidem inter eos, qui ſyſtematicam, ſeu dogmaticam theologiam, emendare, & a vitiis ſcholaſticorum repurgare adgreſſi ſunt; ſed hoc de ipſis dogmatibus non eſt intelligendum, in quibus poſt adprobata concilii Tridentini decreta, facti ſunt deteriores; cum in veteribus contra ſcholaſticis ſubinde praeclara adhuc exſtent veritatis teſtimonia. Barbariem itaque ſolum priorum temporum, adhibitis ſcripturae ſacrae, linguarum, & antiquitatis eccleſiaſticae, ſubſidiis, vtcumque abſtergere, nonnulli animum induxerunt ſuum. Ad quod exemplo proteſtantium eos excitatos, ipſemet MART. BECANVS, *praefat. opuſcul. tom. III.* fatetur. *Multi*, inquit, *catholici per Lutheranos & Caluiniſtas, de ſomno excitati ſunt, & fidem ac religionem chriſtianam doctiſſimis libris ac commentariis illuſtrarunt. Et ſane, ſi haec noſtra tempora conferantur cum ſuperioribus proximis aetatibus, quibus vel nulli vel pauci haeretici eccleſiam turbarunt; facile conſtabit, tantum lucis ac ſplendoris ad catholicae eccleſiae doctrinam acceſſiſſe, quantum, ſi haeretici nulli eſſent, acceſſiſſet numquam.* Idem & ingenue agnoſcit LVD. ELLIES DV PIN, in *methodo ſtudii theologici, c. II. p. 24.* Nec tamen hoc factum eſt ab omnibus. In plurimis enim romanenſium ſyſtematibus, ceterisque ſcriptis dogmaticis, cum nugis & ineptiis, barbaries ſcholaſticorum adhuc regnat. Interim, non vno eodemque loco ſcriptores dogmaticos eccleſiae huius habendos, nemo non facile perſpicit. Fuerunt namque, qui, reiectis ſcholaſticorum ratiociniis, & philoſophicis, quibus theologiam obruerunt, diſputationibus, veteris eccleſiae doctorum preſſius ſequi veſtigia, & ex horum tantum monumentis dogmata deriuare theologica, conſultum duxerunt. Atque hinc diſcrimen illud, apud romanenſes vſitatum, inter theologiam *poſitiuam* & *ſcholaſticam* exortum eſt, de quo ſupra ad §. I. huius *capitis* dictum. Ad *poſitiuae* itaque *theologiae* ſcriptores hac ratione eos omnes referre licet, qui per latiſſimos antiquitatis eccleſiaſticae campos ſe diffundentes, ex patrum ſcriptis ac monumentis, quae ad rem ſuam facere putant, colligunt; quos inter principatum tenet DIONYS. PETAVIVS, in *dogmatibus theologicis*. Sed de hiſce omnibus, cum in ſequentibus *c. III.* vbi de theologia patriſtica agemus, nobis ex inſtituto verba facere animus ſit; nunc eos mittimus. Illud tantum addere liceat, inter eos, qui de emendanda theologia ſcholaſtica ſolliciti fuerunt, primum fere praecipuumque locum tenere IO. MALDONATVM, ſocietatis Ieſu theologum, de quo ANT. POSSEVINVS: *cum vero haereſium torrens inundaret ſaeculo hocce Germaniam*

Galliamque, nec preſſior illa ſcholaſticorum docendi ratio ab omnibus probaretur, aut percipi poſſet; Ioannes Maldonatus, ſocietatis noſtrae theologus, Pariſiis vtiliſſimam quidem tempori & regno illi rationem theologiae ſcholaſticae addiſcendae docuit, quae fuit haec &c. Tum methodum, qua vſus ſit MALDONATVS, a methodo THOMAE, & reliquorum ſcholaſticorum, diuerſam, refert, atque haec porro ſubiicit: *de iis, inquam, cum egiſſet Maldonatus, adiecit tractationes iis de rebus, e quibus theologia percipi planius poſſet, nimirum ex re ſubiecta, ex principiis, ex argumentis, ex definitione ſcientiae, ex ratione qua agit de re ſubiecta; deinceps autem in ipſam theologiam ingreſſus, patres ac ſynodos adhibuit, ad confutandas haereſes, quae tum potiſſimum vigebant*; *biblioth. ſelect. lib. III. c. IX. p. 131.* Floruit MALDONATVS circa medium ſaeculi decimi ſexti, & primum Salamancae in Hiſpania, tandem Pariſiis docuit; laudaturque ob eruditionem ſingularem, morumque probitatem a IAC. AVGVSTO THVANO *hiſtor. lib. XXVIII. p. 481.* Nec vero integrum aliquod theologiae ſyſtema ab eo typis exſcriptum habemus; etſi alia eius ſcripta, poſt obitum eius edita, exſtent, inter quae eminent *commentaria*, tum in alios ſcripturae ſacrae libros, tum maxime in *quatuor euangeliſtas*, de quibus alibi erit dicendi locus. Proſtant etiam, quae ſpeciatim de *gratia*, de *peccato originali*, de *prouidentia*, & *iuſtitia &c.* commentatus eſt; iunctimque quaedam eius ſcripta dogmatica prodierunt Pariſiis 1677 conf. PETR. BAELIVS, *dictionar. hiſtor. critic. voc. Maldonatus, p. 2011.* Antitrinitariorum eum non adprobaſſe placita, oſtendit RICH. SIMON, *biblioth. critic. tom. I. c. XXVII. ſeqq. p. 378. ſeqq.* Eodem circiter, quo MALDONATVS, tempore vixit, MELCHIOR CANVS, illis itidem adnumerandus, qui de emendanda repurgandaque theologia ſcholaſtica fuere ſolliciti; certe vitia & naeuos ſcholaſticorum eum probe perſpexiſſe, deinceps demonſtrabimus. Gente Hiſpanus fuit, praedicatorum ordini adſcriptus, FRANCISCI VICTORIAE diſcipulus, & in academia Salmanticenſi ſucceſſor, mox epiſcopus Canarienſis, quo tamen ſe abdicauit munere: nec vltimum inter concilii Tridentini patres obtinuit locum. Hic *locorum theologicorum*, aut potius *de locis theologicis, libros XII.* ſcripſit, tum alias, tum & cum reliquis eius *operibus*, (quorum tamen maximam partem conſtituunt) editos ab HYACINTHO SERRY, qui & *praefationem inſtar prologi galeati* praemiſit, Pataui 1714, 4. Laudat eos ANT. POSSEVINVS, dum, *de quibus*, inquit, *non negandum, quin e foecundo, erudito & facundo ingenio prodierint, eo commendandi magis, quod ipſe noſtra aetate primus ea breuitate, copia, diſpoſitione ac perſpicuitate de iis perutiliter egerit.* Nec tamen, quaedam in iis ſibi diſplicere, abnuit, quando addit: *in qua tanta ſegete rerum & hiſtoriarum ſi quid irrepſit, ex aliis minus fidis ſcriptoribus, id iam ab aliis eſt indicatum*; in *adparatu ſacro, tom. II. p. 101.* Nimirum varias ſuorum cenſuras expertus eſt CANVS, non tantum, quod peculiares quasdam fouere ſententias videretur, & theologiae ſcholaſticae, aut ſi mauis, ſcholaſticorum, immo & ipſorum quandoque patrum naeuos, non diſſimularet; ſed &, quod de ſocietatis Ieſu patribus non adeo praeclare ſentiret. Atque hinc *prologus* iſte *galeatus* enatus eſt; quem HYACINTHVM SERRY, theologum Patauinum, & ex aliis ingenii monumentis, de quibus alibi dicemus, notum, *operibus* eius praemiſiſſe, antea diximus; in quo ad omnia, quae illi obiecta fuerunt, reſpondere conatur. Quod de *ſocietate*, quam vocant, *Ieſu*, eiusque theologis non adeo praeclare ſenſerit, inde colligas, quod *lib. IV.*

de

de locis, *c. II. p. 109.* de voce *eccleſiae* verba faciens, cum verba apoſtoli, *fidelis Deus, per quem vocati eſtis, in ſocietatem filii eius Ieſu Chriſti, 1 Cor. I. 9.* recitaſſet, addit: *quae ſine dubio ſocietas, cum Chriſti eccleſia ſit, qui titulum illum ſibi arrogant, ii videant, an haereticorum more penes ſe eccleſiam exiſtere, mentiantur.* Quibus verbis eum *ſocietatem Ieſu* pungere, manifeſtum eſt. Nec negat hoc HYACINTHVS SERRY, ſed pro excuſando CANO reſpondet, *illum ea aetate temporum ſcripſiſſe, qua rebus nondum ad liquidum perductis, ſiniſtrae neſcio quae de naſcente ſocietatis inſtituto ſuſpiciones, virorum etiam inſignium ingenia occupauerant, quas ſucceſſu temporis religioſa ſocietas eluit. Nec mirandum idcirco*, ita pergit, *ſi ſiniſtrum quidpiam de arrogato ſibi, vt plurimis videbatur, ſuperbo ſocietatis Ieſu nomine fuerit ſuſpicatus, vir alias prudentiſſimus. Fuit enim haec illi tum temporis cum aliis multis ſuſpicio communis, cuius nobis & domeſtici ſocietatis, & extranei teſtes fidem plurimam faciunt;* id quod FRANC. SVAREZII, SFORTIAE PALLAVICINI, cardinalis, IAC. AVG. THVANI, aliorumque teſtimoniis comprobat, *loc. cit. c. X.* Quidquid eius ſit, ſocietatis Ieſu theologos non adeo aequo in MELCH. CANVM eſſe animo, inde coniicere licet. Neſcio, quaenam cauſſa ſit, quod GABR. NAVDAEVS, ingenii quidem, immo & iudicii laudem CANO tribuat, at pietatem in eo deſideret. Politicum enim ſuum ad controuerſias theologicas rite percipiendas erudiens, *vtile etiam*, inquit, *Caſſandrum euoluere, qui tot lites aperte quidem componere tentauit, licet maiori pietate, quam ingenio, & Melchiorem Canum, qui hoc idem, ſed occulte conatus eſt, ingenio maiori, quam pietate, ac propemodum admirabili iudicio; bibliograph. polit. c. IX. p. m. 534.* IOANNE vero RAINOLDO iudice, CANVS melioris mentis, ſaniorisque iudicii fuit, quam ſunt plerique doctores pontificii; in *ſumma colloquii cum Io. Harto, de capite & ſine eccleſiae, p. 289.* Quod tamen in eo non prodidiſſe, alii obſeruant, dum *lib. VI. de loc. theolog. c. VIII.* ſcribit, *papae concluſiones eſſe veras & neceſſarias, & ſi praemiſſae nec verae nec rectae ſint;* id quod IO. HVLSEMANNVS *nouum in logica priuilegium* vocat; in *manuali Auguſt. confeſſ. diſp. XIII. p. 575.* add. THO. CRENIVS, in *notis ad Gabr. Naudaei bibliograph. polit. p. 536.* Et lubens ſane fateor, non omnia probanda eſſe, quae MELCH. CANVS ſcripſit; cum, vt errores romanae eccleſiae exueret, a ſe impetrare non potuerit. Id tamen vel ex ipſis, quas expertus eſt, aliorum reprehenſionibus, patet, virum fuiſſe ſingulari iudicio praeditum, qui naeuos theologiae in eccleſia romana receptae, praeſertim ſcholaſticae, probe perſpectos habuerit, quosdam etiam cordate detexerit. Huc namque *libri* eius *duodecim de locis theologicis*, antea memorati, praecipue ſpectare videntur, in quibus neutiquam integrum aliquod theologiae ſyſtema, ſecundum vſitatam methodum, exhibetur; ſed vt ipſa inſcriptio docet, *vera refellendi vniuerſos chriſtianae religionis hoſtes, confirmandique ſacra dogmata, ratio ac vſus exacte oſtenditur;* ſimul vero *omnia fere, quae hodie in controuerſia habentur, luculentiſſime examinantur;* vel, vt NIC. ANTONIVS ſummam illorum exhibet: *topica haec ſunt theologica, ſiue loci argumentorum, a theologis vſurpandi;* qui & FRANC. SIXTVM Senenſem, ac SERAPHINVM RAZZIVM notat, quod argumentum iſtorum librorum non recte expreſſerint, & alia notatu digna de illis ſuppeditat, in *biblioth. hiſpan. noua, tom. II. p. 97.* Nimirum, cum *libro I.* totius operis partitionem tradidiſſet; & de locorum theologicorum ordine atque numero diſputaſſet; *libro ſecundo* de auctoritate ſcriptu-

rae, *tertio* de traditionibus apoſtolicis, *quarto* de eccleſiae catholicae, *quinto* de conciliorum, *ſexto* de eccleſiae romanae, *ſeptimo* de ſanctorum, *octauo* de doctorum ſcholaſticorum auctoritate, differit; porro *libro nono* de argumentis rationis naturalis, *decimo* de philoſophorum auctoritate, *vndecimo* de humanae hiſtoriae auctoritate, & denique *duodecimo* de locorum vſu in ſcholaſtica diſputatione, verba facit. Vnde patet, quod de principiis tantum ac fundamentis, quibus theologia dogmatica ex mente romanenſium nititur, in hocce opere agat; quod etſi ita faciat, vt in plerisque romanae eeclesiae placita tueatur, ſaltem tueri videatur; ſubinde tamen haud obſcure, quae in iis ſibi diſpliceant, indicat, & quae veritati ſunt conſentanea, docet, vbique eruditionem haud vulgarem, & ſingulare ingenii acumen demonſtrat. Exemplo vt quod diximus comprobemus, ſimulque oſtendamus, eum theologiam tractandi rationem ſcholaſticis vſitatam emendare voluiſſe, *libro VIII. p. 224. ſeqq.* auctoritatem quidem doctorum ſcholaſticorum, ſed certis limitibus circumſcriptam, contra Lutheranos defendit; naeuos tamen & vitia eorumdem, tantum abeſt vt adprobet aut excuſet, vt libere potius redarguat. *Sed in omni*, inquit, *oratione, memento*, lector, *eam me defendere ſcholae doctrinam, quae ſacrarum litterarum fundamentis conſtituta ſit. Ex quo id efficitur, quod ego magno cum adſenſu omnium dicere me video, miſeram eſſe ſcholae doctrinam, quae ſe titulis magiſterii defendat; miſeram etiam, atque haud; ſcio an multo magis, quae detracta ſcripturae ſacrae auctoritate ſyllogiſmis contortis de rebus diuinis philoſophatur; immo ne de rebus diuinis quidem, ſed nec de humanis, verum de his, quae nihil ad nos attinent. Intelligo autem, fuiſſe in ſchola quosdam theologos adſcriptitios, qui vniuerſas quaeſtiones theologicas friuolis argumentis abſoluerint, & vanis inualidisque ratiunculis magnum pondus rebus grauiſſimis detrahentes, ediderint in theologiam commentaria, vix digna lucubratione anicularum. Et cum in his ſacrorum bibliorum teſtimonia rariſſima ſint, conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis ſanctis oleant, nihil ne ex graui philoſophia quidem, ſed fere e puerilibus diſciplinis; ſcholaſtici tamen, ſi ſuperis placet, theologi vocantur, nec ſcholaſtici ſunt nedum theologi, qui ſophiſmatum faeces in ſcholam inferentes, & ad riſum viros doctos incitant, & delicatiores ad contemtum.* Paucis quibusdam interiectis, ita pergit: *intelligo etiam, in ſchola fuiſſe nonnullos, quaſi ad diſcordiam natos, qui tum optime ſe diſſeruiſſe putant, cum contra doctores dixerint, vt non tam verum inueniſſe velle videantur, quam aduerſarios conuincere, concertationibusque & rixis totas chartas implere. Atque hos, ſunt in eccleſia multi, qui tanquam milites auctorati vel tuentur, vel impugnant, & tota eorum de re theologica diſputatio, partium ſtudium eſt, contentio atque diſſidium. Quos ego probare, nec debeo, nec poſſum*; *l. c. lib. VIII. c. I. p. 225.* Similia & alibi paſſim in hocce opere occurrunt; ex quibus, quaenam auctoris mens ſententiaque fuerit, ſatis liquet. Inter eos porro, qui de emendanda, repurgandaque theologia ſcholaſtica apud romanenſes ſollliciti fuerunt, referendus etiam videtur LVDOVICVS DE CARAVAIAL, Baeticus, quippe qui, auctore NIC. ANTONIO, *theologicarum ſententiarum librum ſingularem, ſiue reſtitutae theologiae, & a ſophiſtica & barbarie pro virili repurgatae ſpecimen, de Deo*, ſcripſit, Coloniae 1545, & Antwerpiae 1548, 8, editum; additque idem ANTONIVS: *cuius nominis* reſtitutae ſcilicet theologiae, *inuidiam depellere a ſe modeſte, ſerioque contendit*; *biblioth. hiſpan. noua tom. II. p. 21.* Alios adhuc, qui ex ipſis romanenſibus de emendanda theologia

logia ſcholaſtica ſolliciti fuerunt, laudat CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *introd. ad hiſtor. theol. litterar. notis ampliſſimis illuſtrata, lib. II. §. II. p. 199.* vbi viciſſim DIONYS. PETAVIVM, IO. BAPTISTAM DE BENEDICTIS, alioſque, qui ſcholaſticos defenderunt, commemorat. Nos id ſolum praetermittere nefas ducimus, quod RICH. SIMON obſeruat, belgicos theologos, ſpeciatim Louanienſes, & Duacenſes, multum praeferendos eſſe Pariſienſibus, eo, quod illi ad ſcripturae ſacrae, patrumque ſtudium animum adpulerint, cum hi contra vnice theologiae ſcholaſticae dediti fuerint, cuius in conuincendis haereticis non adeo magnus vſus ſit; *biblioth. critic. tom. II. c. I. p. 1. ſeqq.* Quod, quo iure, aut quo animo ab eo dictum ſit, inquirere, noſtrum non eſt; id tamen merito inde colligimus, eſſe hodie haud paucos inter romanenſes, qui non adeo magnum theologiae ſcholaſticae pretium ſtatuunt.

Vt praecipuos quoſdam, qui theologiam dogmaticam & ſyſtematicam ex romanenſibus tradiderunt, commemoremus; inter primos IOANNES ille ECCIVS fuit, cuius inter infelices Lutheri aduerſarios haud ignotum nomen eſt, in *enchiridio locorum communium aduerſus Lutherum, & alios eccleſiae hoſtes*, ſeptimum cum adnotationibus P. TALMANNI editum, Ingolſtadii 1535. vid. ANT. POSSEVINVS, in *adparatu, p. 871.* Ea ſolum pertractat capita, ſuper quibus illo tempore diſputatum fuit; quae LVD. ELLIES DV PIN recenſet, in *biblioth. auctor. eccleſiaſtic. tom. XIV. p. 165.* Circa medium ſaeculi decimi ſexti floruit IO. VIGVERIVS, ſeu VIGVERA, gente Hiſpanus, patria Granatenſis, in academia Toloſana theologiae profeſſor, qui edidit *inſtitutiones ad naturalem & chriſtianam philoſophiam, maxime vero ad ſcholaſticam, quam vocant, theologiam, vniuerſalium conciliorum auctoritate, nec non doctorum eccleſiaſticorum, praeſertim D. Thomae Aquinatis, eruditione confirmatas*, tum alibi, tum & Pariſiis 1582 excuſas: quas NIC. ANTONIVS *opus in paucis doctum, atque vtile*, vocat, *biblioth. hiſpan. noua, tom. I. p. 611.* PETRI DE SOTO, Cordubenſis, Dominicanorum familiae adſcripti, cuius *eximium decus* NIC. ANTONIO audit, *inſtitutionum chriſtianarum libri tres*, Auguſtae 1548 alibique prodierunt. Idem & *doctrinae catholicae compendium in vſum plebis chriſtianae recte inſtituendae*, reliquit; Dillingae 1560. vid. NIC. ANTONIVS, *bibliothec. hiſpan. noua, tom. I. p. 194.* Ex Ieſuitarum ordine VINC. FILLIVCCIVS, Senenſis, *ſynopſin vniuerſae theologiae* conſcripſit, poſt eius mortem, quae illi 1622 contigit, impreſſam Herbipoli 1626, vid. PHIL. ALEGAMBE, *biblioth. ſcriptor. ſoc. Ieſu, p. 443.* PETRI A WITFELD *doctrina chriſtiana*, Monaſterii prodiit 1656. LVD. ABELLI *medulla theologiae*, Pariſiis 1658. TOB. LOHNERI *inſtitutiones theologicae*, Dillingae 1681. MARTINI autem BECANI *manuale controuerſiarum*, quod prae reliquis notum, ad ſcripta polemica potius referendum eſt; vnde & alibi de eo erit dicendi locus; quamquam & in plerisque, quae hic recenſemus, ſcriptis dogmaticis, controuerſiae ſimul attingi ſoleant. Fuerunt etiam nonnulli, qui ex patribus dogmata theologica colligerent; de quibus tamen nos in *theologia patriſtica* acturos, antea iam ſignificauimus. Alii rurſus veteres ſcholaſticos poſtliminio reuocarunt, atque quemdam ex iis, quem ſequerentur, aut commentariis illuſtrarent, elegerunt; quidam ſcilicet ALBERTVM magnum, alii BONAVENTVRAM, alii IOANNEM DVNS Scotum; alii denique, & quidem plerique, THOMAM DE AQVINO. Ingens hinc eiusmodi ſcriptorum exſtat numerus; quos ſi recenſere vellemus, magnopere & tempo-

re

re noſtro, & lectorum abuteremur patientia. Cum vero apud Hiſpanos praecipue, poſt eccleſiae emendationem, theologia ſcholaſtica regnauerit; NIC. ANTONIVM adeat, qui plurimos noſſe cupit, nomina eorum exhibentem in *biblioth. hiſpan. noua, tom. II.* in *indice materiarum num. III. p. 502. ſeqq.* Iungendus ei PHIL. ALEGAMBE, in *biblioth. ſcript. ſoc. Ieſu*, cum continuatione NATHAN. SOTVELLI; ſiquidem ex hacce ſocietate Ieſu maxima neo-ſcholaſticorum turba prodiit. Celebriores reliquis ſunt ADAM TANNERVS, ob *diſputationes theologicas in omnes ſummae ſancti Thomae partes, libris IV.* Ingolſtadii 1618, itemque ob *theologiam ſcholaſticam, ſpeculatiuam, practicam*, Ingolſtadii 1626 & 27; MART. BECANVS, ob *theologiam ſcholaſticam*, Moguntiae 1647 in fol. editam; THO. COMPTONVS CARLETONVS, Anglus, ob *theologiam ſcholaſticam*, Leodii 1659 fol. FRANC. LABATA, ob *theologiam ſcholaſticam*, quae ſeptem tomis Toloſae 1669 prodiit, IO. BAPT. GONETVS, ob *clypeum theologiae Thomiſticae*, Lugduni 1681 ſex volum. in fol. recuſum, itemque ob *manuale Thomiſticum, ſeu breuem theologiae curſum*, Coloniae iterum 1707 euulgatum. Nec praetermittendus hic AVGVSTINVS GIBBON DE BVRGO, Hibernus, ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini, theologiae profeſſor Erffurtenſis, ob *theologiam ſcholaſticam in Thomam*, quae ſeptem tomis in 4. abſoluitur, quorum primus 1669, vltimus 1679 lucem adſpexit; longe tamen notior eſt ob *Luthero-Caluiniſmum, ſchiſmaticum quidem, ſed reconciliabilem*, quippe quo effecit, vt inter diuerſarum religionum conciliatores, quos alii ſyncretiſtas vocant, haud vltimum locum conſequeretur; vid. IO. FRID. MAYERVS, in *ſyllabo praecipuorum ſcriptor. qui Romam reconciliabilem voluerunt*, addito IOSEPHI HALLI *Romae irreconciliabili*, *p. 26.* IO. FABRICIVS, in *hiſtoria biblioth. Fabric. part. IV. p. 214.* ANDR. CAROLI, in *memorabilibus eccleſ. ſaec. XVII. part. II. lib. VI. p. 219.* Celebre quoque admodum in ſcholaſticorum gente nomen conſequutus eſt RODERICVS DE ARRIAGA, gente Hiſpanus, qui philoſophiam primum Valliſoleti, tum theologiam Salmanticae, tandemque Pragae in Bohemia docuit, ibidemque 1667 obiit. Praeter *curſum philoſophicum* etiam *curſum theologicum*, ſeu *diſputationes theologicas in Thomam de Aquino* reliquit, partim Antwerpiae, partim Lugduni octo tomis in folio, diuerſo tempore, excuſos; quibus quo minus nonum adderet, morte praepeditus eſt; vid. NIC. ANTONIVS, *biblioth. hiſpan. noua, tom. II. p. 219.* & NATHAN. SOTVELLVS, *bibl. ſcript. ſoc. Ieſu, p. 728.* An ſcepticis adnumerandus ſit, diſputat PET. BAELIVS, *dictionar. hiſtor. critic. voc. Arriaga, p. 379. 380.* Antiquior eo eſt FRANC. AMICVS, Conſentinus Italus, cuius *curſus theologicus*, nouem conſtans tomis, Antwerpiae 1650 impreſſus eſt. PHILIPPI a SS. TRINITATE haud obſcurum inter eruditos nomen eſt, ob *hiſtoriam ordinis Carmelitarum*, cui ipſe adſcriptus fuit, itemque ob *itinerarium orientale*. Idem quoque *diſputationes in Thomam*, integrum aliquod theologiae ſcholaſticae ſyſtema conſtituentes, edidit, Coloniae 1656, quatuor tomis in 4. Cui vero inter ſcholaſticos doctores ignotus eſt GABR. VASQVEZIVS? At & hic *commentarios in Thomam* reliquit, Antwerpiae 1621 octo voluminibus euulgatos. Paullo propius ad noſtra tempora accedit AVGVSTINVS LAVRENTIVS, ſocietati Ieſu addictus, gente Luſitanus, cuius *ſyntagmata theologica, ſiue principalis theologiae tractatus*, tomis duobus Leodici 1694 prodierunt, in quibus itidem THO. AQVINATIS ductum ſequitur; itemque IVVENALIS ANNANIENSIS, ordinis minorum Capucinorum, cuius

thea-

theologia rationalis ad hominem & ex homine, quae per argumenta naturalia potiſſimum ex homine deſumta, nec non ad illius emolumentum directa, non abſque canonici textus, & theologiae ſcholaſticae ſalis condimento, reſperſa, faciliori methodo res theologicas pertractat &c. Auguſtae Vindelicorum 1706, 4. lucem adſpexit. Haereticis nimirum non tantum, ſed atheis etiam, ac Muhammedanis, hocce opus auctor oppoſitum voluit. Sed mitto reliqua eiusdem generis ſcripta, quorum longe ſunt plurima, eo ſolum maximam partem comparata, vt intelligamus, fuiſſe ſemper in ecclefia romana, & eſſe hodie adhuc, qui nondum nugari deſierint. Patet hinc etiam, quam parum illorum profuerint conſilia, qui emendare ac repurgare theologiam ſcholaſticam, adniſi ſunt. Plures interim qui noſſe cupit, CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVM adeat, in *introd. ad hiſtor. theolog. litterar. notis ampliſſimis illuſtrata, c. II. §. II. p. 200. ſeqq.* In Gallia tamen, quod non diffitendum, recentiori aetate theologia ſcholaſtica paullo meliori facie interdum prodiit; etſi ideo non omnium naeuorum expers. Haud vltimum inter illos, qui in ea elaborarunt, locum tenet IO. BAPT. DV HAMEL, cuius & inter philoſophos haud ignotum nomen eſt, quiue, theologiam ſcholaſticam cum patriſtica coniungendo, illam vtcumque emendare voluit; quemadmodum & philoſophiam veterem cum recentiori coniunxerat. Prodiit eius *theologia ſpeculatrix & practica iuxta ſanctorum patrum dogmata pertractata, & ad vſum ſcholae adcommodata*, Pariſiis anno 1691 ſeptem voluminibus in 8. ex quibus deinceps compendium concinnauit inſcriptum: *theologiae clericorum ſeminariis adcommodatae ſummarium*, editumque Pariſiis 1694 quinque voluminibus in 12. Inter recentiora ceteroquin, quae Gallia dedit, ſyſtemata theologica, eminent NATALIS ALEXANDRI *theologia dogmatica & moralis*, Pariſiis 1703 duobus tomis in folio; LVD. HABERTI *theologia dogmatica & moralis, ad vſum ſeminarii Catalaunenſis*, recuſa Pariſiis 1721, octo voluminibus in 8. NICOLAI L' HERMINIER *ſumma theologiae ad vſum ſcholae adcommodata*, Pariſiis 1721 ſeptem voluminibus in 8. Cuius operis dum vir longe doctiſſimus GE. WALLINVS mentionem facit, addit: *ſed obſeruandum eſt, tomos quartum & quintum, qui agunt de gratia Dei, hodie inter ipſos Gallos tot diſputationum & rixarum materia, plane eſſe proſcriptos, vt, niſi rariſſime, & caſu, haud reperiantur;* in *Lutetia Pariſiorum eruditi ſui temporis c. II. p. 59.* Nimirum non omnibus haecce *theologiae ſumma* placuit, eo quod auctor IANSENII placita ſequeretur. Idemque obſeruandum de CASP. IVENINI *inſtitutionibus theologicis ad vſum ſeminariorum*, Lugduni 1704 ſeptem voluminibus 12. editis. De vtroque, & NIC. L' HERMINIERIO & CASP. IVENINO legendus LVD. EL. DV PIN *nou. biblioth. des auteurs eccleſiaſt. tom. XIX. p. 358. 359.* Reliquos tum ex Gallis, tum ex Italis atque Hiſpanis, quorum ſcripta dogmatica & ſyſtematica innotuerunt, recenſet CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *introd. ad hiſtor. theol. litterar. notis ampliſſimis illuſtrata, lib. II. p. 209. ſeqq.* Diffitendumque non eſt, eiusmodi ſcriptorum notitiam adcuratiorem a nobis exſpectandam non eſſe, cum illa, quae in Italia ac Hiſpania, vbi librorum ad ſcholaſticam & ſyſtematicam theologiam ſpectantium, vberrimus prouentus eſt, imprimuntur, raro ad nos perueniant; in ephemeridibus quoque eruditorum vix vlla eorum habeatur ratio. Ex Gallis autem, & quidem recentiſſimis, adhuc addendus ANT. BOVCAT, qui *theologiam patrum ſcholaſtico-dogmaticam, ſed maxime poſitiuam*, edere coepit. Conſtabit opus

opus hocce quinque voluminibus in fol. vel viginti in 8. quorum ſi vltimam formam ſpectes, quatuor priora iam lucem adſpexerunt, quibus tomus decimus ſeptimus, reliquis, qui praecedere debebant, tantisper ſepoſitis, ſeu *tractatus de ſacramentis*, an. 1724 acceſſit. Videtur equidem, ſi inſcriptionem ſpectes, BOVCATIVS inter eos referendus, qui theologiam patriſticam tractant: ſed ſcholaſticis potiori iure eum adnumerandum, methodus, problematice de rebus grauiſſimis in vtramque partem diſputandi, demonſtrat; quod in eo recte reprehendunt auctores *diarii eruditorum (iournal des ſçauans) anno 1724. menſe Octobr. p. 355. ſeqq.* ANDREAE LE SOVDIER *curſus theologicus*, ſcholaſtica itidem methodo concinnatus, ac Pariſiis 1724, 4. editus, ibidem recenſetur, *p. 418. ſeqq.* In tanta autem dogmaticorum ſcriptorum, quibus eccleſia romana abundat, copia, mirum eſt, IO. MABILLONIVM *inſtitutiones theologicas* SIM. EPISCOPII ſuis, demtis tamen locis quibusdam, commendaſſe, de *ſtudiis monaſticis part. II. c. VI. p. 288.* Addit, HVG. GROTIVM tanti feciſſe hocce opus, vt ſemper illud ſecum portaret; cum tamen maius ſit, quam quod circumferri queat, ac praeterea quinque annis poſt GROTII obitum lucem adſpexerit; obſeruante id PHILIPPO A LIMBORCH, in *hiſtoria vitae Simonis Epiſcopii, p. 323.* LVDOVICVS quoque ELLIES DV PIN, proteſtantium ſcripta dogmatica, vtpote ex quibus multum bonae frugis hauriri queat, laudare non dubitat. *Licet theologi catholici*, inquit, *ad proteſtantium doctrinam componere ſe haud debeant, expedit tamen, vt qui exercitatiores euadere cupiunt, praecipua eorum opera theologica conferant, vbi in dogmatibus nobiſcum communibus vtilia ſibi inuenient, quae autem ſanae doctrinae contrariantur, vſus poſtulat, vt opiniones horum theologorum, eorumque rationes, quibus vtuntur, cognoſcant, quo euitare, infringere atque refutare eas poſſint; euolui itaque poterunt loci theologici Philippi Melanchthonis, eiusque apologia Auguſtanae confeſſionis, ipſa confeſſio Auguſtana, liber interim, ſeu formula in comitiis Auguſtanis anno 1548 protruſa, Io. Gerhardi loci theologici, Caluini, Io. Forbeſii a Corſe, & Simonis Epiſcopii inſtitutiones, noxiores licet, & non niſi exercitatiorum theologorum manibus committendae*; in *methodo ſtudii theolog. c. XVI. p. 177.*

** Poſt romanenſes, reformatae eccleſiae doctores hic maxime in cenſum veniunt; apud quos theologia dogmatica & ſyſtematica eadem fere, ac apud nos, habuit fata. Primo enim nihil fere, quod ſcholam ſapiebat, in illorum deprehendere licebat commentationibus; cuius linguam barbaram cum nouis ſubtilitatibus deinceps poſtliminio inuehere, non dubitabant alii; donec per IO. COCCEIVM, eiusque pariter ac REN. CARTESII ſectatores, priſtinus vtcumque cultus theologiae reſtitui coepit. Initium in hoc ſcribendi genere fecit HVLD. ZWINGLIVS, cuius *breuem & chriſtianam in euangelicam doctrinam iſagogen*, itemque *commentarium de vera & falſa religione*, in quo non θετικῶς tantum, ſed & ἀντιθετικῶς progreditur, & alia ſcripta huc refert IO. HENR. HOTTINGERVS, in *bibliothec. quadripart. lib. III. c. II. p. 374.* Hunc ſequutus eſt HENR. BVLLINGERVS, cuius *compendium theologicum*, & *antitheſes pontificiae* eidem auctori laudantur. Sed omnium mox obſcurauit famam IO. CALVINVS, in *inſtitutione chriſtianae religionis*, quam operis longe maximi rudimentum vocat THEOD. BEZA, qui & occaſionem eius edendae hunc in modum tradit. Cum Franciſci I Galliae regis crudelitatem erga reformatos aegre ferrent Germaniae principes, qui euangelio nomen

dederant; horum vero tum ille quaereret amicitiam; eam vt obtineret, hoc vnicum σοφὸν φάρμακον. auctore Guilielmo Bellaio Langaeo, repererat, vt ſeſe non niſi in anabaptiſtas, pro verbo diuino ſuum tantum ſpiritum iactantes, & omnium magiſtratuum contemtores, animaduertiſſe diceret. *Hoc vero*, inquit BEZA, *dedecus, verae religioni iniuſtum non ferens Caluinus, eius edendi libri occaſionem arripuit, meo quidem iudicio incomparabilis: addita excellenti ad regem ipſum praefatione, quam ſi forte legiſſet ille, aut ego vehementer fallor, aut magnum eſſet illi meretrici Babylonicae iam tum vulnus illatum*; in vita *Caluini p. 367.* De prima autem cumprimis editione, quae Baſileae 1535 prodiit, intelligendum, quod Beza dicit, fuiſſe hanc *inſtitutionem* operis longe maximi rudimentum. In ſequentibus enim editionibus ipſe CALVINVS magis magiſque eam auxit, emendauit, perpoliuit, donec vltima demum, eaque perfectiſſima ab ipſo auctore reuiſa an. 1559, in fol. Geneuae prodiret, in qua & opus hoc in quatuor diſtributum eſt libros. LVD. MAIMBVRGIVS atque HENR. SPONDANVS, ille in *hiſtoria Caluiniſmi, c. XXII*, hic autem ad *annum 1535* gallicana lingua haſce primum a CALVINO editas *inſtitutiones* adſerunt, quod PET. BAELIVS in medio relinquit, hoc ſolum exploratum ſibi eſſe, adfirmans, iam ante annum 1544 gallicana eas prodiiſſe lingua, verſionemque gallicanam ab ipſo CALVINO eſſe adornatam; in *diction. hiſtor. & critic. voc. Caluinus. p. 731.* Eadem vero haecce *inſtitutio* in linguam germanicam, belgicam, hiſpanicam, anglicanam, translata eſt, ſaepiusque edita. Fallitur tamen ANT. TEISSIERIVS, dum, eam tanto adplauſu exceptam fuiſſe, ait, vt breui tempore plus, quam mille eius editiones prodierint; in *elogiis Thuanaeis tom. I. p. 132.* Enimuero IO. PAPYRIVM MASSONIVM, ad quem prouocat, non recte intellexit; quippe qui, dum *millies excuſam* CALVINI *inſtitutionem* dicit, hoc tantum ſibi vult, ſaepius eius editionem eſſe iteratam; vti PET. BAELIVS obſeruat *l. c.* Ingenium & iudicium ſummum, eruditionem exquiſitam, cum facundia, quam IAC. AVG. THVANVS *admirabilem* vocat, omnes in hoc opere agnoſcunt, etiam illi, qui alia in rebus ſacris placita ſequuntur. Vnde, quanti eius ſectatores illud faciant, haud difficulter intelligitur; docetque notum illud PAVLI THVRII diſtichon:

Praeter apoſtolicas poſt Chriſti tempora chartas
Huic peperere libro ſaecula nulla parem.

Laudatur etiam in *Scaligerianis primis, p. 40.* & in *ſecundis p. 41.* Et ad priorem *quidem* locum in *notis*, TANAQVILLVS FABER, *eorum*, ait, *omnium, qui hodie viuunt, qui ſe bellos homines & elegantes, & diſertos & eloquentes, popello faciunt, reperiri neminem, qui id praeſtare poſſit, quod Ioannes Caluinus, in epiſtola ad Franciſcum I Galliae regem praeſtitit, cum egregium illud, & nunquam interiturum chriſtianae inſtitutionis opus, ad tantum principem mitteret.* Poſt CALVINVM eccleſiae reformatae cauſſam ſtrenue fortiterque ſuſtinuit THEOD. BEZA, aliis vtique ſcriptis & factis longe clarior, quam compendio quodam theologico; quamquam & hoc *quaeſtionum ac reſponſionum chriſtianarum* libellus exhibeat, in quo praecipua chriſtianae religionis capita traduntur; quorſum & eiusdem *theſes theologicae* ſpectant, quas ANT. FAIO in ſchola Geneuenſi propoſuit. Sequuti deinceps ſunt & alii, qui in eiusmodi ſcriptis concinnandis ingenii vires ſunt periclitati; ſed dignus prae reliquis omnibus eſt, qui commemoretur ANDR. GERARDVS, a patria HYPERIVS dictus, cuius & ſupra honorificam mentionem iniecimus.

mus. Vir fuit omnium confeſſione eruditiſſimus, qui cum ſolida rerum theologicarum, & antiquitatis eccleſiaſticae, notitia, ſermonis puritatem & elegantiam coniunxit. Praeter multa alia autem ſcripſit *methodi theologiae, ſiue praecipuorum chriſtianae religionis locorum communium libros tres; denuo iam,* (vt inſcriptio habet,) *in lucem editos* 1568. Prima editio 1566 prodiiſſe videtur, & quidem poſt auctoris obitum, qui adeo opus hocce ad finem perducere non potuit. Hinc HENR. VIETOR, ſacrarum litterarum in ſchola Marpurgenſi profeſſor, in *epiſtola nuncupatoria*, quam eidem praemiſit, *vtinam autem*, inquit, *hoſce ipſi libros recognoſcere & abſoluere licuiſſet. Nunc quia morte interceptus fuit, ſatius eſſe duximus, vt imperfecti ederentur, quam vt tam pium opus periret.* Nimirum conſtitutum HYPERIO fuerat vniuerſam theologiam ad ſex capita, ſeu locos reuocare, qui erant, *Deus, creatura atque homo, eccleſia, doctrina legis & euangelii, ſigna ſeu ſacramenta, conſummatio.* Sed ex his tres tantum priores totidem libris abſoluit, reliquos, morte praepeditus, non attigit. Hocce nihiloſecius diligenter legiſſe opus, non poenitebit quemquam. Inter reliquos reformatae eccleſiae theologos, qui ſaeculo decimo ſexto eruditionis famam conſequuti ſunt, haud vltimi erant WOLFG. MVSCVLVS, & PETRVS MARTYR; quorum vterque an. 1562 viuendi finem fecit, & *locos theologicos* reliquit. Et MVSCVLI quidem Bernae 1573, & deinde Baſileae 1599; MARTYRIS autem Tiguri 1587, & deinde Amſtaelodami 1656 prodierunt. Addunt his nonnulli VICTORINVM STRIGELIVM, & CHRISTOPH. PEZELIVM, PHIL. MELANCHTHONIS ſectatores, & hinc proniores in partes reformatorum. Ille nimirum ex Ienenſi Lipſienſis, & poſt varia fata Heidelbergenſis theologus, adductum PHIL. MELANCHTHONIS *locos* edidit *theologicos* tribus partibus, Neapoli Nemetum an. 1582, 4. in quibus ſe MELANCHTHONIS in eo quoque diſcipulum demonſtrat, quod ſubinde ex poëtarum, aliorumque ſcriptorum veterum monumentis, quaedam adſpergit. Virum enim fuiſſe eruditiſſimum, negari nequit. Hic vero, ſiue CHRISTOPH. PEZELIVS, ex Wittebergenſi Bremenſis gymnaſii theologiae profeſſor, & ex *melliſicio*, quod vocant, *hiſtorico*, celebrior, *argumenta* compoſuit, *& obiectiones de praecipuis articulis chriſtianae doctrinae, cum reſponſionibus, quae paſſim exſtant in ſcriptis Melanchthonis*, Neapoli Nemetum 1591. BENED. ARETII, MATTH. VIRELLI, GVIL. ADOLPHI SCRIBONII, LVC. TRELCATII, BARTHOL. KECKERMANNI, AMANDI POLANI, quorum nonnulli iam ſaeculum decimum ſeptimum attigerunt, in hoc genere ſcripta lubens praetereo. Circa eiusdem etiam ſaeculi decimi ſeptimi initium vixit, mortuus quippe 1626, IO. PISCATOR, theologiae in gymnaſio Herbornenſi profeſſor, qui praeter alia *aphoriſmos doctrinae chriſtianae* ex IO. CALVINI *inſtitutione chriſtianae religionis* concinnauit, quos ipſemet *exegeſi* quadam illuſtrauit. Nec ignotum eſt IO. WOLLEBII, theologi Baſileenſis an. 1629 mortui, *compendium theologiae chriſtianae*, Baſileae 1626 editum, ſaepiusque recuſum. De CHRISTOPH. PELARGI, qui primum noſter fuit, deinde ad reformatae eccleſiae caſtra tranſiit, *compendio theologico*, quod itidem ad hocce temporis interuallum pertinet, iam ad §. *praecedentem* diximus. Omnium autem, qui hucusque in hocce campo ingenii ſui vires exercuerunt, induſtriam ſuperauit, multisque poſt ſe reliquit paraſangis, DAN. CHAMIERVS, qui circa initium ſaeculi decimi ſeptimi floruit, & an. 1621, cum in Monte-Albano vrbe obſeſſis oratione ac hortatione

ani-

animum adderet, in vallo obambulans, globo ictus, vitam finiit. Vaſtiſſimae, qua inſtructus fuit, eruditionis immortale monumentum, in *panſtratia* ſua *catholica*, ad poſteros transmiſit; in qua cum controuerſias tractet, quae proteſtantibus cum romanenſibus intercedunt, ROB. BELLARMINVM praecipue refellens; ad polemicos potius quam dogmaticos ſcriptores referendus videri poterat; niſi id fere locorum communium ſcriptoribus ſollemne eſſet, controuerſiarum cumprimis habere rationem. Prodiit hocce opus poſt auctoris obitum an. 1626, quatuor voluminibus in fol. obſtetricias adhibente manus BENED. TVRRETINO, qui & *praefationem* praemiſit. Nec tamen coronidem illi impoſuit, cum grauiſſimus de eccleſia articulus deſit, qui ampliſſimum, ingenii vires demonſtrandi, opesque eruditionis explicandi, illi ſuppeditare potuiſſet campum, & quintum conſtituere debebat volumen. In patrum praecipue teſtimoniis colligendis, & ab exceptionibus romanenſium vindicandis, explicandis etiam iis, quae ab his proteſtantibus opponuntur, ſummam adhibuit diligentiam; vt adeo optimo iure hocce opus ad theologiam quoque patriſticam referri queat. In compendium illud miſit FRID. SPANHEMIVS, inſcriptumque: *Chamierus contractus* Geneuae 1645 edidit. Legenda quae de CHAMIERO, eiusque ſcriptis PET. BAELIVS diſſerit, *dictionar. hiſtor. & critic. voc. Chamier*, vbi & *p. m. 834.* oſtendit, quam ridicule CHAMIERVS a IAC. GVALTERO pro capite *metaphoriſtarum* venditetur. Ad initium ſaeculi decimi ſeptimi adhuc referendus DAV. PAREVS, tum ob alia ſcripta quam plurima, tum & ob *collegium theologicum*, notus, quod Francofurti 1610, 8. prodiit; eodem vero ſaeculo paullisper progrediente, IO. HENR. ALSTEDIVS *compendium theologicum* euulgauit, Hanouiae 1624, 8. & *theologiam didacticam* ibidem 1627, 4; GVIL. AMESIVS, *medullam theologiae* edidit, Franecquerae 1638, 8. IO. CROCIVS *ſyntagma theologiae*, Bremae 1638, 8.

Cumprimis hic commemorandus nobis eſt IO. MACCOVIVS, ſeu MAKOWSKI, nobilis Polonus, tandemque theologiae in academia Franecquerana profeſſor, qui 1644 vitam cum morte commutauit. Neque tantum ideo obſeruatu dignus, quod *locos communes theologicos* concinnauit, Franecquerae an. 1650, 4. impreſſos; ſed &, quod, ſi non primus, certe inter primos, fuit, qui apud reformatos ſcholaſticam theologiam tractandi rationem poſtliminio reuocauit. Nimirum, cum in ſynodo Dordracena plurimorum errorum, a SIBRANDO maxime LVBBERTO, poſtulatus eſſet; illi, qui iuſſu ſynodi cauſſam hancce cognoſcebant, tandem pronuntiarunt, errorum, qui illi obiiciebantur, MACCOVIVM immunem eſſe, in eo tamen illum peccaſſe, quod *phraſibus ſcholaſticis* vſus eſſet, & *ſcholaſticum docendi modum* in belgicis academiis conaretur introducere. *Legitur*, inquit auctor, quem deinceps laudabimus, *iudicium deputatorum a ſynodo in cauſſa Maccouiana, cuius ſumma haec erat*: *D. Maccouium nullius gentiliſmi, iudaiſmi, Pelagianiſmi, Socinianiſmi, aut alterius cuiuscumque haereſeos reum teneri, immeritoque illum fuiſſe accuſatum; peccaſſe eum, quod quibusdam ambiguis, & obſcuris phraſibus ſcholaſticis vſus ſit; quod ſcholaſticum docendi modum conetur in Belgicis academiis introducere; quod eas ſelegerit quaeſtiones diſceptandas, quibus grauantur eccleſiae belgicae; monendum eum eſſe, vt cum ſpiritu ſancto loquatur, non cum Bellarmino aut Suarezio, &c.* Haec aliaque de MACCOVIO refert GVALTERVS BALCANQVALLVS, in *epiſtolis eccleſiaſtic. & theologic. p. 573.* editionis, quae an. 1684, fol. prodiit; & ex eo

PET. BAELIVS, *diction. hiſtor. & crit. voc. Makowski p.* 2310. 2311. Eodem itaque circiter tempore ſcholaſtica theologia apud reformatos introducta eſt, quo & in noſtra iterum inualuit eccleſia. Occaſionem itidem dedit nimium metaphyſices ſcholaſticae ſtudium, & vana perſuaſio, tum demum adcurate theologiam tractari, ſi omnia vocibus, ex methaphyſicorum ſcholis petitis, obruantur. Hinc & metaphyſices abuſum in MACCOVIO reprehendit ABR. CALOVIVS, eique ideo praecipue *metaphyſicam* ſuam *diuinam* oppoſuit; idque diſerte profitetur in *praefatione*, quam *ſcriptis* ſuis *philoſophicis* praefixit, *p.* 7. In ipſis etiam remonſtrantium & contraremonſtrantium controuerſiis, quae ſynodo Dordracenae occaſionem praebuerunt, patuit, iamtum, ſcholaſticam theologiam magna apud reformatos ſumſiſſe incrementa; ſiquidem vtraque pars alteri exprobrauit, quod cum terminis etiam principia ſua ex ſcholaſticorum lacunis hauſerit. Obſeruatum id IO. HVLSEMANNO in *praefatione*, quam *tractatui* ſuo *de auxiliis gratiae* praemiſit: *In Caluinianorum etiam ſcholas prorepſit haec gangraena, vt mutuis inuicem dicteriis lancinent Caluiniſtae & Arminiani, vtra pars terminos irreſiſtibilitatis, praedefinitionis, praedeterminationis, principia itidem probationum, pro dependentia vel independentia actuum vitioſorum ab influxu diuino, ex foetidis ſcholaſticorum lacunis hauſerit? vt legere eſt in iudicio Parei ad ſynodum Dordracenam miſſo, & actis inſerto &c.* Paullo ante MACCOVIVM, anno ſcilicet 1639, mortuus eſt ANT. WALAEVS, theologus Lugdunenſis, nec infimi inter reformatae eccleſiae doctores ordinis, qui non tantum praeter alia *locos communes theologicos* reliquit, Lugduni Batauorum an. 1647 excuſos; ſed &, cum IO. POLYANDRO, & ANT. THYSIO, auctor eſt *ſynopſeos purioris theologiae, LII diſputationibus comprehenſae*, editaeque Lugduni Bat. 1642 & 58, 8. Medium ſaeculi decimi ſeptimi viuendo attigit IO. CLOPPENBVRGIVS, theologus Franecqueranus, mortuus quippe 1652, qui *aphoriſmis theologiae chriſtianae*, Franecquerae 1648, 12. & *exercitationibus ſuper locos communes theologicos*, Franecquerae 1658, 4. hanc theologiae partem locupletauit. Eodem, quo CLOPPENBVRGIVS, anno, rebus mortalium exemtus eſt MARC. FRID. WENDELINVS, gymnaſii Anhaltini rector, & theologiae ac philoſophiae profeſſor, cuius compendium, ſeu *chriſtianae theologiae libri duo methodice diſpoſiti*, Amſtaelodami 1646, alibique, & alio tempore, excuſum eſt. Idem quoque *chriſtianae theologiae ſyſtema maius* reliquit, Caſſelis impreſſum, 1656, 4. Quae eius ſcripta cum in Germania maxime celebrarentur; nonnulli ex noſtratibus illa, in iis, in quibus a nobis reformati diſſentiunt, refutare ſuarum duxerunt eſſe partium. Addendi his porro SAM. MARESIVS, ob *ſyſtema vniuerſae theologiae*, Groeningae 1645 & alibi ſaepius, itemque ANDR. ESSENIVS, ob *ſyſtema theologicum*, Vltraiecti 1652, 4. & *compendium theologiae dogmaticum* ibidem 1669, 8. ABR. HEIDANVS, ob *corpus doctrinae chriſtianae*, poſt auctoris obitum, an. 1676 Lugduni Bat. editum; IO. HOORNBEECKIVM, ob *inſtitutiones theologicas*, Vltraiecti 1653, & Lugduni Bat. 1658, 8. Atque hi quidem, aliique, cum poſt ſynodum Dordracenam ſcripſerint; eos in doctrina de praedeſtinatione huius ſtetiſſe decretis, vt exiſtimemus, par eſt. Eius itaque ſententiae, quae ſupralapſariorum, quos vocant, eſt, plura apertioraque veſtigia in illis compendiis ac ſyſtematibus, quae ante ſynodum Dordracenam prodierunt, deprehendere licet, quam in iis, quae poſt eam edita ſunt. Acceſſerunt vero deinceps controuerſiae inter *hypotheticos*,

ticos, & *abſolutos*, quarum in ſyſtematibus, quae eo tempore lucem adſpexerunt, ſubinde habita eſt ratio; vtque ea, quae *abſolutorum* eſt, ſententia, recepta fere eſt, & a plerisque in eccleſia reformata, Belgis maxime, adprobata; ita quae ab iſtis auctoribus fuere concinnata compendia, ac ſyſtemata, ad eam ſententiam conformata fuiſſe, non eſt, quod dubitemus. Idem rurſus de illis cenſendum, quae ab *hypotheticis* fuere conſcripta, quos inter ipſemet eminet MOSES AMYRALDVS, cuius *theſes theologicae* hic maxime in cenſum veniunt; editae Salmurii 1665, 4. De ſcriptis polemicis, huc ſpectantibus, alibi dicetur.

In hocce temporis interuallo maximum adhuc theologiae ſcholaſticae apud reformatos ſtatuebatur pretium, quae & in GISBERTO VOETIO ſummum faſtigium conſequuta videtur. Paſſim is in ſcriptis ſuis ſcholaſticos doctores longo agmine adducit, laudatque; ſed eorum etiam methodum, modumque diſputandi, & res theologicas tractandi, ſequitur. Documento eſſe poſſunt *ſelectae* eius *diſputationes theologicae*, quae quinque voluminibus, ſeu *partibus* comprehenſae proſtant, quarum prima Vltraiecti an. 1648, vltima an. 1669 prodiit; quaeue integrum aliquod plenumque theologiae corpus exhibent. Ingens fateor rerum variarum in iis occurrit adparatus, qui & infinitam fere auctoris lectionem, & diligentiam ſingularem arguit, &, ſi recte digeratur, vſui eſſe poteſt. Scholaſticorum nimium amorem, cum praepoſtero eos imitandi ſtudio, vbique fere deprehendas. Hinc & ab aduerſariis eius hoc illi exprobratum, obſeruatque IO. HVLSEMANNVS, in *praefatione*, ſeu *dedicatione*, quam operi *de auxiliis gratiae* praemiſit, *quod plane in morem ſcholaſticorum; loco diſputationis inauguralis, themata quodlibetica propoſuerit, tam ratione obiecti inutilia, quam ratione principiorum probandi, plane falſa. Et ſtructura ſane*, ita pergit HVLSEMANNVS, *atque methodus diſputandi inſpecta, nihil differt a diſputatione inaugurali Mendozae, mox allegata; qua proponuntur quaeſtiones ſcholaſticae, poſitiuae, quodlibeticae. Eumdem in modum diſputaturus Voëtius de praeiudiciis verae religionis, vt promittebat titulus, ampliſſima ſane controuerſia, vix periodis viginti verborum in ſeſquipaginam coniectis, mox ad corollaria, quodlibeta, paradoxa, probabilia, diſquiſibilia excurrit &c.* Eodem, quo VOETIVS in Vltraiectina, in Lugdunenſi academia docuit, magnamque nominis conſequutus eſt celebritatem, tempore IO. COCCEIVS; per quem alia, meliorque facies, profligata iterum ſcholaſticorum barbarie, theologiae apud reformatos reddi coepit. Cum enim vir iſte doctiſſimus in perſcrutandis ſacris litteris totus eſſet; ad earum etiam ductum tantum theologiam tractari voluit; ideoque & ſerio illi conſtitutum fuit, a ſcholaſticorum terminis, inutilibus diſtinctionibus, quaeſtionibusque otioſis, theologiam repurgare; vid. HENR. LVDOLPHVS BENTHEMIVS, in *dem holländiſchen Kirchen - und Schulen - Staat, part. II. c. III. §. XXX. p. 159.* Contigit vero eodem tempore, vt Carteſiana caput extolleret philoſophia; vnde omnino factum, vt nonnulli Cocceianiſmum, & Carteſianiſmum, nullo quidem iure, coniungerent. Hactenus tamen id fieri poterat, quod Carteſiana philoſophia ſcholaſticae philoſophiae, hinc & theologiae, iugulum peteret. Certe, ex eo tempore plurimos, etiam ex illorum numero, qui nec Cocceiani, nec Carteſiani erant, ſcholaſticae theologiae taedium inuaſit; meliorique & elegantiori habitu exornata compendia ac ſyſtemata theologica in ſcholis reformatorum prodierunt. IOAN. autem COCCEIVS in eo quoque a recepta

cepta theologiam tractandi ratione diſceſſit, quod cuncta ex ratione, ac ordine foederum diuinorum, deriuare voluit. Eoque ſpectat *ſumma doctrinae de foedere & teſtamento Dei explicata*; cuius editio ſexta Francofurti ad Moenum an. 1703, 8. lucem adſpexit. Qua in re & alii eum ſequuti ſunt, vt deinceps, cum de variis methodis theologiam ſyſtematicam tradendi praecipiemus, exponemus pluribus. Nunc promiſcue illos recenſebimus, qui compendia ac ſyſtemata theologica dederunt, & ad vltimam hancce ſyſtematicae theologiae periodum apud reformatos pertinent, qua, reiectis ſcholaſticorum commentis, melior facies ſacrorum dogmatum tractationi reſtituta eſt, ſiue cum COCCEIO fecerint, ſiue, aut in omnibus, aut quibusdam, ab eo diſſenſerint. CHRISTOPHORI equidem WITTICHII *theologia pacifica*, Lugduni Bat. 1671, 4. edita, nos non morabitur; quippe quae ad controuerſias, quibus eo tempore philoſophia Carteſiana occaſionem praebuit, ſpectat, & praecipue SAM. MARESIO oppoſita fuit. Quare ad FRANC. BVRMANNVM, theologum Vltraiectinum, potius nos conuertimus, qui *theologiae ſynopſin* conſcripſit, tomis duobus Traiecti ad Rhenum 1671 & 81, 4. editam; ex qua rurſus aliam ſynopſin confecit, quae: *ſynopſis ſynopſeos theologiae, & ſpeciatim oeconomiae foederum Dei, ab initio ſaeculorum vsque ad conſummationem eorum*, inſcripta, Amſtaelodami 1690, 12. lucem vidit. Ceterum BVRMANNVM in iſta ſua *ſynopſi lib. I. c. XXV.* vbi de omnipotentia Dei agit, quaedam ad verbum ex SPINOZAE *cogitatis metaphyſicis c. IX.* deſcripſiſſe, obſeruat PHILIPPVS A LIMBORCH *theolog. chriſtian. lib. II. c. XV. §. VI. ſeqq.* Defenſionem BVRMANNI equidem in ſe ſuſcepit, & obiectum illi cum SPINOZA conſenſum pro calumnia venditare voluit IOANNES VAN DER WAYEN, in *diſſ. de λόγῳ aduerſus Io. Clericum, p. m. 175. ſeqq.* Sed LIMBORCHIVS iterum, nihil a ſe dictum, quod non veriſſimum eſſet, prolatis vtriusque & BVRMANNI & SPINOZAE locis, demonſtrauit, in libello, qui poſtea tertiae *theol giae* eius *chriſtianae* editioni ſubiectus eſt. Idem vero, cuius mentionem fecimus, IO. VAN DER WAYEN, quiue inter COCCEII ſectatores itidem non vltimum locum tenet, *ſummam* quamdam *theologiae chriſtianae* dedit, cuius *pars I.* Franecquerae 1689, 4. prodiit, quemadmodum & *theologices chriſtianae enchiridium* concinnauit. IOANNIS autem MARCKII *compendium theologiae chriſtianae didactico-elenchticum, cum immixtis problematibus plurimis, & quaeſtionibus recentioribus adauctum, in vſus academicae iuuentutis*, Groeningae lucem adſpexit, an. 1686, 8. PETRI VAN MASTRICHT *theologia theoretico-practica*, anno equidem 1682, Amſtaelodami, prodiit, ſed plus, quam tertia parte auctior, Traiecti ad Rhenum 1699, 4. In ea praeter *theologiam dogmaticam* exhibetur etiam *hiſtoria eccleſiaſtica, idea theologiae moralis, & hypotypoſis theologiae aſceticae.* Praeterea theologiam dogmaticam ita tractat, vt in ſingulis capitibus *partem exegeticam* excipiat *dogmatica*, hanc *elenchtica*, & hanc iterum *practica.* Iungendus hiſce NICOL. GVRTLERVS, cuius *inſtitutiones theologicae* Amſtaelodami 1694 in lucem emiſſae proſtant, in quibus cum theſi antitheſin ita coniungit, vt diſſentientium placita ipſis illorum verbis proponat, *labore*, vt ipſemet in *praefatione* loquitur, *ingenti & prolixo.* Laudandus & in eo, quod in fine ſingulorum capitum adiecerit vſus ad pietatem ac conſolationem; *exemplo*, vt ipſemet iterum ait, *forſan nouo, difficilique, ſed neceſſario, & omnibus ſequendo; ne in theologica diſciplina diſputare ſaltem, vel altercari, ſed & pie viuere diſcamus.*

Fate-

Fateor tamen, ita paucis interiectis pergit, *& lubentiſſime fateor, nullam totius operis partem hac eſſe imperfectiorem.* Multa noua quadam ratione auctor proponit, multa egregie obſeruat, adeoque dubium non eſt, quin praeſtantiſſimis in hoc genere ſcriptis, inſtitutiones iſtae ſint adnumerandae; etſi in doctrina de abſoluto decreto rigidiora placita ſequatur. A Belgis ſi ad Heluetios transeamus, cumprimis ſe nobis offert vir longe doctiſſimus, & ob praeſtantiſſima ingenii monumenta celeberrimus, IO. HENR. HEIDEGGERVS, non tam ob *medullam theologiae chriſtianae*, quae Tiguri 1696, 4. prodiit, quam ob *corpus theologiae chriſtianae, exhibens doctrinam veritatis, quae ſecundum pietatem eſt, eamque contra aduerſarios quoscunque, veteres & nouos, vel in fundamento fidei, vel circa illud errantes, ita adſerens, vt ſimul hiſtoriae eccleſiaſticae veteris & noui teſtamenti contineat* διατύπωσιν, *adeoque ſit pleniſſimum theologiae didacticae, elenchticae, moralis & hiſtoricae ſyſtema*; quod poſt auctoris obitum itidem Tiguri an. 1700 *duobus tomis* in *folio* lucem adſpexit publicam, nobis commemorandus. Opus hocce omni eſſe eruditionis genere refertum, perfectiſſimumque ſpecimen, quod doceat, quo pacto theologia dogmatica, ſolide ac eleganter, ſine ſcholaſticorum quisquiliis, tractari queat, nemo, qui illud legerit, diffitebitur; meritoque adeo commendandum, ſi a ſententiis placitisque, reformatae eccleſiae propriis, diſcedas. Methodo equidem foederali non incedit; quae tamen de foederibus diuinis ſcitu ſunt neceſſaria, ſuis quaelibet locis adcurate & diligenter tradit. Ad Belgas vt reuertamur, non praetermittendus nobis eſt SALOMON VAN TIL, cuius *theologiae vtriusque compendium cum naturalis, tum reuelatae, vna cum adpendice, de origine controuerſiarum noſtri temporis*, Lugduni Batauorum, an. 1704, 4. editum, hoc peculiare habet, quod theologiam naturalem ſeparatim a theologia reuelata tradat; auctorque, ſe magnopere ab vtriusque mixtura abhorrere, profitetur. *A mixtura vtriusque*, inquit in *dedicatione, incepit theologia ſcholaſtica, & abiit in* ματαιολογίαν; *ex hoc principio notum fere eſt, quod quidam nimium ratiociniis ſuis indulgentes, philoſophiam ſuam fecerint ſcripturae interpretem, aut ſaltem theologiae incumbentes, ac philoſophandi amore abrepti, argumenta ex ſacris deſumta, fere neglexerint; quorum acumen tandem in ſugillationem ſacrarum litterarum exiit, & contemtum.* Commendat ſe inſuper hoc compendium breuitate, ſtili perſpicuitate, facilique ordine ac methodo. Non ſatis tamen aequus eſt auctor erga noſtrae eccleſiae doctores; vnde DAV. GERTMANNO enata occaſio edendi *exercitationem anti-Tillianam, qua innocentia Lutheranorum ab imputato ipſis a Salomone van Til, in theologiae compendio, crimine, quod reuelationes rationi contradictorias ſtatuant, vindicatur, ex oppoſito vero, quod huius ſic dicta theologia reuelata, rectae rationi contradicat, oſtenditur*; Francofurti 1707, 4. Eamdem fere, qua SALOMON VAN TIL vſus eſt, theologiam dogmaticam tractandi rationem ſequitur TACO HAIO VAN DEN HONERT, ex cuius quippe *commentario de veris Dei viis, theologiam naturalem & reuelatam per aphoriſmos delineatam* exhibuit ISA. VERBVRGIVS, Amſtelodami 1715, 12. In *libro* enim *primo* de rerum eſſentia atque exiſtentia, in *ſecundo* de officiis, in *tertio* de peccato dominante, in *quarto* de criteriis diuinae reuelationis, in *quinto* de diuina bibliorum origine & auctoritate, diſſerit, & tum denique in *ſexto* ad theologiam reuelatam progreditur. Nec praetermittendus hic eſt BENED. PICTETVS, theologus Geneuenſis longe clariſſimus, qui lingua gal-

licana ſcripſit *la theologie chretienne & la ſcience du ſalut &c.* id eſt, *theologiam chriſtianam, & ſcientiam ſalutis &c.* in qua non tantum, vt inſcriptio porro docet, veritates, in ſcriptura ſacra reuelatas, exponit, & errores iis oppoſitos refellit, ſed hiſtoriam quoque praecipuorum errorum, ſententiasque patrum, & quidquid in hiſtoria eccleſiaſtica maxime obſeruatu dignum, exhibet. In altera editione praeter argumenta noua, theſin comprobantia, variaque veterum ac recentiorum doctorum teſtimonia, aliaue, integra acceſſerunt capita, e. g. de *articulis fundamentalibus*, de *diis gentilium*, *quorum in ſcriptura iniicitur mentio*, de *indulgentiis*, de *iubilaeo*, de *vnione Lutheranorum & reformatorum*, & quae alia ſunt eiusdem generis. Verſio germanica praeſtantiſſimi huius operis prodiit Lipſiae 1723 duobus tomis in 4. Eos, quos ex reformatae eccleſiae ſcriptoribus ſyſtematicis praetermiſimus, ſuppeditabit CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *introduct. ad hiſtor. litter. theolog. notis ampliſſimis illuſtrat. lib. II. §. VIII. p. 258. ſeqq.*

De Anglis hactenus nihil diximus, apud quos theologiam ſcholaſticam ante eccleſiae emendationem vel maxime floruiſſe, conſtat. Sed nec poſt eam defuerunt, qui compendia ac ſyſtemata theologica conderent; quos inter ipſe THO. CRANMERVS, archiepiſcopus Cantuarienſis, & ſtrenuus doctrinae euangelicae in Anglia promotor, haud vltimum locum tenet; quippe qui praeter alia, huc ſpectantia, *locorum communium libros XII* concinnauit, recuſos Londini 1621. Hinc & alii quam plurimi theologiam dogmaticam ſcriptis egregiis illuſtrarunt; licet compendiorum ac ſyſtematum theologicorum in hac gente tantus non inueniatur numerus, quam alibi. De iis enim, qui aut ſymbola vel veteris, vel anglicanae eccleſiae illuſtrarunt, aut de theologia hiſtorica ſolliciti fuerunt, nunc nobis ſermo non eſt; cum de vtrisque in ſequentibus dicendum ſit. CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, vir doctiſſimus, cum quorumdam Anglorum, quorum ad dogmaticam theologiam ſpectare ſcripta, exiſtimat, mentionem feciſſet, addit: *At vero theologorum Anglorum non eſt, ſcholaſticis rerum euolutionibus inhiare, ſed eleganti dictione & ſuauiore atque ſimpliciore ratiocinio, vocata & in partes veteris eccleſiae traditione, ſua tradere*; in *introd. in hiſtoriam theologiae litterariam, notis ampliſſimis illuſtr. lib. II. §. VII. p. 253.* Addenda, quae idem in *prolegomenis* §. *VI. p. 36.* de ratione theologiam tractandi apud Anglos vſitata, diſſerit. Nec praetermittendum, quod IO. WILKIN in *eccleſiaſte*, quem ex anglicana lingua in germanicam tranſtulit HENR. ITTERSHAGEN, *ſect. III. p. 206.* ex Germanis, Heluetiis, Belgis, varios ſyſtematicae theologiae ſcriptores, ex Anglis vix vnum alterumue laudet.

Ad reliquos, qui a nobis diſſentiunt, quod attinet, rariora apud eos compendia ac ſyſtemata deprehendi, mirum non eſt, cum nec ſcholas publicas, ſi ab Arminianis diſceſſeris, nec academias habeant, aut ſi quas habuerunt, eas amiſerint, in quibus quae inſtituuntur recitationes, plerisque eiusmodi ſcriptis occaſionem praebent. Ex Arminianis ſeu remonſtrantibus SIMON EPISCOPIVS *inſtitutionum theologicarum libros quatuor* reliquit; at poſt mortem demum eius editos, nec ad finem perductos, auctore operi huic immortuo, priusquam dimidia eius pars perfecta eſſet. IO. MABILLONII circa haſce *inſtitutiones* errorem ſupra iam notauimus. Scopum, quem in iis ſibi conſtitutum habuerit EPISCOPIVS, ita ediſſerit PHILIPPVS A LIMBORCH: *Eo opere non tantum inquiſiuit in veritatem ſingulorum dogmatum religionis chri-*

ſtianae

ſtianae, ſed etiam momentum eorum, neceſſitatemque expendit, vt viam ſternat paci & concordiae in chriſtiana eccleſia. Omnes theologi officio ſuo ſatis ſe defunctos credunt, ſi veritatem ſuae ſententiae, vt putant, & falſitatem aduerſariorum doctrinae probent: iudicantes ſeſe hoc facto iure a ſuis aduerſariis ſeparatos manere. Plane aliud ſentiebat Epiſcopius; putabat, homines varias quidem tueri poſſe ſententias, attamen vna in eccleſia & communione coniunctos remanere; quando nempe dogmata in controuerſiam vocata non ſunt eius momenti, vt circa ea errans extra ſalutis ſpem conſtituatur, ſed vt ſalutiferam fidem nihilominus retineat, eamque confiteatur. Eum in finem opus id adgreſſus erat, ac poſtquam in cuiusque dogmatis veritatem inquiſiuiſſet, ſtatim ſubiungebat examen eius neceſſitatis, vt videntes, quidnam neceſſarium eſſet, & circa id conſentientes, in reliquis nos inuicem, licet ſententiis variantes, fratres amice toleraremus, nec in partes Chriſti eccleſiam diuelleremus; in *hiſtoria vitae Simonis Epiſcopii, p. 316. 317.* Quod quidem EPISCOPII conſilium, vt, in ſe ſpectatum, neutiquam vituperandum; ita caute ſatis atque circumſpecte vbique eum inceſſiſſe, adfirmare non auſim; nec adfirmabit, qui adcurate cuncta conſiderauerit. Nimio enim concordiae, diſſentientesque tolerandi, ſtudio, ea interdum ad fidem ac ſalutem minime neceſſaria, iudicauit, quae vetus eccleſia ipſa, ſcripturae ſuffragio hac in re non deſtituta, adeo neceſſaria pronuntiauit, vt aeternae ſalutis ſpem non habeat, qui ea negare aut impugnare auſus fuerit. Exemplo luculento hoc oſtendit GE. BVLLVS, in *iudicio eccleſiae catholicae trium priorum ſaeculorum, de neceſſitate credendi, quod dominus noſter Ieſus Chriſtus ſit verus Deus, adſerto contra Simonem Epiſcopium, alioſque.* EPISCOPIVM excepit STEPH. CVRCELLAEVS, eius quoque in munere docendi ſucceſſor, ſed praematura itidem morte impeditus, quo minus *inſtitutionem* ſuam *religionis chriſtianae* perficeret. Opera eius theologica, quorum partem praecipuam haec ipſa *inſtitutio* conſtituit, prodierunt Amſtelodami 1675, cura PHILIPPI A LIMBORCH, qui poſt POELENBVRGIVM in munere profeſſoris theologiae CVRCELLAEVM excepit. Et hic ipſe tandem LIMBORCHIVS conſequutus eſt, quod reliquis fata denegarunt; expoſita luci publicae an. 1686 *theologia chriſtiana, ad praxin pietatis ac promotionem pacis chriſtianae vnice directa,* cuius editio tertia 1700, quarta & vltima autem, cui *relatio hiſtorica, de origine & progreſſu controuerſiarum in foederato Belgio, de praedeſtinatione, tractatus poſthumus,* acceſſit, an. 1715 Amſtaelodami in fol. prodiit. Placidum viri huius animum, ingeniumque moderatum, in hoc opere facile agnoſcas, quod & ob perſpicuitatem merito commendatur; eorum tamen, qui ex Arminii ſchola prodierunt, placita ſequitur, etſi reliquis in quibusdam cautior ſit ac circumſpectior. Sub examen hancce LIMBORCHII *theologiam chriſtianam* reuocauit CHRISTOPH. FRANCKIVS, theologus Kilonienſis in *exercitationibus anti-Limborchianis,* Kilonii 1694, 4. Sed hac de re alibi. Inter Socinianos ipſe FAVSTVS SOCINVS *ſummam* quamdam *religionis chriſtianae* reliquit; quae italice conſcripta, & in latinam linguam translata, cum eiusdem libro *de auctoritate ſacrae ſcripturae* Racouiae an. 1611, 8. prodiit, recuſa 1654, 12. inſerta deinceps eſt *operibus* eius, in *bibliotheca fratrum Polonorum, quos vnitarios vocant,* editis, *tom. I. p. 281.* Exſtant etiam *ibidem p. 537. ſeqq.* eiusdem *praelectiones theologicae,* in quibus quaedam tantum theologiae capita pertractat. Hinc vero *p. 651. ſeqq.* ſequitur *chriſtianae religionis breuiſſima inſtitutio, per interrogationes & reſponſiones, quam catechi-*

ſmum vulgo vocant, *p. 651. ſeqq.* Sed haec ad libellos catecheticos, de quibus ſupra dictum, adhuc referri debet; conf. & CHRISTOPH. SANDIVS, in *bibliotheca anti-trinitariorum p.* 77. CHRISTOPHORVS porro OSTORODVS *compendiolum doctrinae eccleſiae chriſtianae tunc in Polonia potiſſimum florentis* concinnauit, confutatum a IO. CLOPPENBVRGIO, qui & teſtatur, hoc ei cum ceteris libris in Belgio ereptum fuiſſe. Poſtea tamen editum eſt an. 1630. Belgice quoque prodiit, inſcriptum; *compendiolum doctrinae Socinianorum.* Sunt qui, CONR. VORSTIVM auctorem huius libelli eſſe, contendunt, idque ab eo ex Socinianorum ſcriptis congeſtum, in cuius etiam manu ſcriptis ita inſcriptum fuerit: *ſumma doctrinae Sarmatarum*; vid. CHRISTOPH. SANDIVS, in *bibliotheca antitrinitar. p. 91.* Nec praetermittendus eſt IO. VOLCKELIVS, Grimmenſis Miſnicus, eccleſiae Philippouienſis, poſtea Smiglenſis paſtor, qui, praeter alia, *de vera religione libros quinque* ſcripſit, quibus praefixus eſt IO. CRELLII liber, *de Deo & eius attributis*, ita vt vnum cum illis opus conſtituat, Racouiae 1630, 4. Prodiit & Amſtelodami, vbi magiſtratus iuſſu exempla huius libri typographo ablata, & die vigeſimo Ianuarii 1642 publice combuſta ſunt. Eodem vero etiam anno idem opus cum refutatione SAM. MARESII Groeningae lucem adſpexit. Refert CHRISTOPH. SANDIVS, in Galliis pro vno eius exemplo perſolutos fuiſſe viginti quinque nummos hungaricos aureos; in *bibliothec. antitrinitar. p. 96.* Sed haec de hiſce ſufficiant.

§. XVI. Quae in ſcholaſticis reprehenduntur vitia, non ſtatim theologiae ſyſtematicae aut theticae ſunt tribuenda; multo minus haec, ob incommoda quaedam aut abuſus, improbanda ac reiicienda. Sua enim habet commoda eaque longe maxima; immo, ſi praeſentem eccleſiae ſtatum ſpectemus, non modo vtilis eſt, ſed & neceſſaria. *

* Fuiſſe, qui theologiam ſyſtematicam reiicerent, &, vt hoc cum ſpecie quadam atque πρόφασει facere poſſent, ſcholaſticorum vitia illi tribuerent, conſtat. De fanaticis, quos vocant, Quakeris ſpeciatim, aliisque hoc notum eſt, paſſimque viris eruditis obſeruatum. ROB. BARCLAIVS de ſcholaſtica theologia verba faciens, *quae quidem*, inquit, *monſtrum eſt, ex ſcripturalibus quibusdam veritatis notionibus, & ethnicis terminis & axiomatibus productum*; *& eſt quaſi paganica philoſophia chriſtianizata, vel potius externa litteralis Chriſti ſcientia paganizata*; *eſt homo in primo lapſae naturae ſtatu, cum diabolica ſua ſapientia, ſibimet quibusdam veritatis notionibus placens &c.* in *theologiae vere chriſtianae apologia, theſ. X. §. XXI. p. 200.* Quae, vt & reliqua, quae ibi ſequuntur, non ſolum contra theologiam corruptam ſcholae pontificiae, ſed generatim contra omnem theologiam ſyſtematicam proteſtantium dicta eſſe, iudicat, atque probat IO. GVIL. BAIERVS in *diſſ. de theologia ſyſtematica*, quae ſexta eſt in eius *ſynopſi & examine theologiae enthuſiaſtarum recentiorum, ſeu Quakerorum, praecipue Roberti Barclaii*, ſed ab eo ob praematurum obitum ad finem non perducta, §. *V. ſeqq.* Qua de re & non dubitabit, qui ponderauerit, quae idem BARCLAIVS diſſerit, §. *XXII. p. 201. ſeqq.* Nec aliter intelligenda, quae generatim de Quakeris pronuntiat GERH. CROESIVS, in *hiſtor. Quaker. lib. II. p. 308.* Vt autem hiſce, aliisque eiusmodi hominum

cenſuris

cenſuris eo rectius obuiam eatur; diſcrimen, quod inter theologiam ſyſtematicam, & ſcholaſticam κατ' ἐξοχὴν ſic dictam, intercedit, probe obſeruandum. Etſi enim, cum ſcholaſtica theologia, ſyſtematica proprie ſic dicta exorta ſit, vti ſupra docuimus; non prorſus tamen inter ſe conueniunt, nec vno eodemque habendae ſunt loco. Vtrique hoc commune eſt, quod fidei dogmata, rite inter ſe connexa, certo ordine ac methodo tradat, ea explicet, confirmet, contra diſſentientium inſultus defendat; ſcholaſtici autem intra hoſce neutiquam ſubſtitere limites, ſed rationem cum reuelatione, philoſophiam cum theologia commiſcuerunt, neglecto genuino theologiae fonte, ſcriptura ſacra, quam ne intellexerunt quidem, ad traditiones, dicta patrum, ratiocinia, maximam partem inepta, deuoluti ſunt, quaeſtionibus friuolis, ſpinoſis, ludicris, ad ingenii potius oſtentationem, quam fidei & vitae inſtructionem, facientibus, vocibus inſuper terminiſque barbaris ac obſcuris, compleuerunt omnia. Atque ab hiſce vitiis cum per eccleſiae emendationem, duce & anteſignano B. MART. LVTHERO ſuſceptam, theologia ſyſtematica repurgata ſit; non eſt, quod haec ſcholaſticae nomine traducatur. Fuerunt equidem, quod non diffitemur, ſed antea ipſimet docuimus, tum inter noſtrates, tum inter reformatae eccleſiae doctores, qui velut poſtliminio ſcholaſticorum barbariem & ineptias reuocare & inuehere conati ſunt; ſed, vti non omnibus iſtud placuit inſtitutum; ita non defuerunt, qui illud palam improbarent; indeque factum, vt noſtra aetate theologia hinc inde meliorem iterum faciem induere coeperit. Syſtematicam itaque theologiam, a ſcholaſticorum quisquiliis repurgatam, nemo iure improbauerit. Nec enim, quid in eo reprehendendum ſit, video, quod dogmata fidei, apte inter ſe connexa, proponantur, explicentur, defendantur. Quin potius, vt doctrina caeleſtis eo luculentius diſtinctiuſque percipiatur, atque omnibus, quibus obſcurari poteſt, eo maiori efficacia obuiam eatur, erroribus, veritas contra eo facilius & confirmetur, & retineatur, & propagetur; ſyſtematica haec tractandi ratio confert plurimum. Nec obſtat, quod termini quidam, aut in eccleſia recepti, aut ex philoſophorum ſcholis petiti, interdum adhibeantur. Id enim, ſi caute ac ſobrie fiat, vitio caret; & eo ſolum ſpectat, vt ſine ambagibus, eoque clarius mentem noſtram, de dogmatibus, ex ſcriptura ſacra hauſtis, explicare queamus.

Syſtematicam itaque theologiam tractandi rationem vti hoc pacto merito retineri cenſemus; ita ſcholaſticorum contra ineptias, & inanes ſubtilitates, ceteraque vitia, procul abeſſe volumus. Eaque in re viros doctos ac cordatos fere innumeros nobiſcum conſentientes habemus. Immo ex eo tempore, quo haec theologia enata eſt, ſemper exſtiterunt veritatis teſtes, qui acerbe de ea conquererentur. Sic ipſe iam ANSELMVS, qui initio ſaeculi vndecimi vixit, cum ſemina tantum ſophiſticae huius theologiae videret, & quae inde euentura eſſent, mente proſpiceret; *dialectici*, inquit, *moderni nihil eſſe, credunt, niſi quod imaginationibus comprehendere poſſunt; de incarnat. verbi, c. III.* Et GRATIANVS, iuris canonici compilator, ad eos adplicat illud HIERONYMI: *vino inebriantur, quando ſacras ſcripturas male intelligunt atque peruertunt, ſicera, quando abutuntur ſaeculari ſapientia, & dialecticorum tendiculis; can. vino, diſt. XXXVII.* Saeculo duodecimo PETRVS cantor, Pariſienſis vixit, ſcripſitque inter alia librum *de verbo abbreuiato*, in quo acriter in ſcholaſticorum inuehitur corruptelas. Legenda, quae ex eo refert, quaeque addit MATTH.

Digitized by Google

FLACIVS, illyricus, in *catalogo teſtium veritatis, lib. XIV. p. 479.* qui & ſubinde alia, huc ſpectantia, exhibet. Eundo autem per omnia ſaecula, vsque ad eccleſiae emendationem, eiusmodi veritatis teſtimonia collegit AD. TRIBBECHOVIVS, de *doctoribus ſcholaſticis, c. VII. p. 344. ſeqq.* Ad repurgatae eccleſiae ſi accedamus tempora, cumprimis ſeſe offert DESID. ERASMVS Roterodamenſis, qui integris libris hoc egit, vt ſcholaſticorum ac monachorum ſtultitiam toti orbi deridendam propinaret. Scripta eius, quae huc ſpectant, indicat THO. CRENIVS, in *notis* ad *Gabrielis Naudaei ſyntagma de ſtudio liberali, p. 625.* In *epiſtolis obſcurorum virorum*, quae vulgo VLRICO AB HVTTEN tribuuntur, itidem monachorum pariter ac ſcholaſticorum ineptiae lepide perſtringuntur. At ſerio rem egit B. MART. LVTHERVS noſter, theologiam iſtam ſcholaſticam *ignorantiam veritatis, & inanem fallaciam* adpellitans, & ſubinde impietatem ac ſtultitiam horum hominum acriter impugnans. Dicta eius contra theologiam ſcholaſticam diligenter congeſſit IO. GVIL. ZIEROLDVS, in libro: *D. Martin Luthers euangeliſche Auffmunterung zur Liebe des Wortes Gottes, wieder das Ariſtoteliſch-Scholaſtiſche Chriſtenthum*, inſcripto, editoque Stargardiae 1700, 4. addatur ABR. CALOVIVS, in *paedia theolog. c. IX. p. 369. ſeqq.* LVTHERO adiungimus PHIL. MELANCHTHONEM, qui paſſim in ſcriptis, ſuis cumprimis & in oratione *de corrigendis ſtudiis*, quae *declamationum* eius *ſelectarum tomo I. p. 507. ſeqq.* exſtat, barbariem & ineptias ſcholaſticorum caſtigauit. Idem deinceps certatim fecerunt alii ex noſtratibus, quorum longum producere poſſem agmen, niſi id iam feciſſet THO. CRENIVS, *loco* ante *citato, p. 625.* Fuerunt vero etiam in ipſa romana eccleſia, qui ſcholaſticorum ineptias aegre ferrent, & vt theologia ab iis repurgaretur, optarent; vt iam ad *§. praecedentem* docuimus, vbi ſpeciatim de MELCH. CANO copioſe diximus. Addi his adhuc debet THO. CAMPANELLA; quem in libro de *gentiliſmo non retinendo* ſcholaſticos ex inſtituto impugnaſſe, nonnulli obſeruant. Nimirum ſcholaſticos ſui temporis cum Carpocratianis & Theodotianis haereticis confert, & *non minus*, inquit, *faciunt moderni, qui dicunt, Ariſtoteli non eſſe contradicendum, propter quod Melchior Canus iratus ait: habent Ariſtotelem pro Chriſto, Auerroëm pro Petro, Alexandrum pro Paulo; quaeſt. I. p. 18.* Quam irritus vero illorum labor fuerit, qui in romana eccleſia ex theologia ſcholaſticorum eiicere quisquilias conati ſunt; recentioresque ſcholaſticos veteribus non multum meliores, in quibusdam omnino deteriores eſſe, ſupra iam oſtendimus; idemque confirmat ROLANDVS MARESIVS, *lib. II. epiſt. XLV.* Laudant quidem nonnulli ſcholaſticos ob ingenium, & ſubtilitatem in illorum operibus admirantur, vt IO. PICVS, DESID. ERASMVS, Roterodamenſis, vtut alias iis infenſior, H. GROTIVS, alii. Verum recte iam FRANC. BACO DE VERVLAMIO pronuntiauit, aranearum telas ob ſubtilitatem itidem admirandas eſſe, quae nihilofecius ab omnibus, vt quisquiliae, remoueantur; de *augmentis ſcientiar. lib. I. p. 15. 16.* cui & GABR. NAVDAEVS ſuffragatur, qui iisdem quibus VERVLAMIVS id fecit, verbis, diſſimulato tamen eius nomine, ineptias ac commenta iſtorum hominum perſtringit, in *ſyntagmate de ſtudio liberali, p. 609.* edit. THO. CRENII. Summam nimirum ſubtilitatem in ſummam ſaepe abire ſtultitiam, ſi ſapientia directrix non accedat, ſupra docuimus. Et, ad ingenium quod attinet, recte ADA. TRIBBECHOVIVS, *ingenioſiſſima quaeque*, inquit, *ſi ab vſu hominum remota ſint, Salomone iudice, vanitas ſunt, & adflictio ſpiritus*,

ſpiritus, in quibus qui laborem & operam conſumſerint, parum commodi conferent ad ornandam hominum ſocietatem, quin & animum ſuum tenui cognitionis radio illuſtrabunt; de *doctoribus ſcholaſticis, lib. II. p. 55.* Inanes de vocibus concertationes, ſeu λογομαχίας ſcholaſticorum, quae inter reliqua eorum vitia haud vltimum tenent locum, merito reprehendit SAM. WERENFELSIVS, in elegantiſſima de *logomachiis eruditorum diſſertatione*, paſſim, maxime autem *c. IV. §. XIII. p. 92.* Denique & LIBERIVS DE SANCTO AMORE, vt vir quidam doctus vocari voluit, in *epiſtolis theologicis, epiſt. VII. p. 178. ſeqq.* in ſyſtematica ſcholaſticorum theologia vitia quaedam notat, ſed ita, vt generatim ſyſtematicam tractandi theologiam rationem, apud proteſtantes etiam receptam, feriat, idque eum in finem, vt eo magis nouam iſtam, quam ibidem proponit, theologiam tractandi methodum, omnibus commendet. Qua de re ſtatim plura dicemus.

§. XVII. Licet in theologiae theticae ſeu dogmaticae tractatione methodus Ariſtotelico-ſcholaſtica maxime recepta fuerit; non omnibus tamen, recentiori cumprimis aetate, ea ſe probauit. Nonnulli enim ordinem, in ipſa ſcriptura ſacra obſeruatum, praeferendum duxerunt, eumque in oeconomia foederum diuinorum ſe inueniſſe, ſibi perſuaſerunt. Alii, ordinem quemdam hiſtoricum, & ſcripturae ſacrae, & indoli theologiae conuenientiorem eſſe, crediderunt. Alii rurſus, methodum mathematicam rebus adcommodare ſacris, auſi ſunt, ſimulque periculum facere, num tolli hac ratione, vel imminui controuerſiae theologorum poſſint, quarum immunes ſint diſciplinae mathematicae. Optima vero haud dubie methodus eſt, quae & quam pauciſſimis incommodis premitur, & ſine ambagibus, aut erroris periculo ad finem propoſitum nos ducit. *

* Non vnam vtique tractandi theologiam dogmaticam rationem, methodumque viri docti ſequuti ſunt. Simpliciſſima & planiſſima illa eſt, quae ordinem, in catechiſmo receptum obſeruat, & hinc *catechetica* vocari ſolet. Hac enim methodo ea etiam interdum exhiberi, quae ad theologiam acroamaticam pectant, vel IO. CVNRADI DIETERICI *inſtitutiones catecheticae*, & CHRIST. CHEMNITII pariter, ac beati FRIDEM. BECHMANNI in eas commentationes, IO. CONR. DANHAVERI *lac catecheticum*, ſimiliaque ſcripta, teſtantur. Nec aliud in hocce auctorum iſtorum inſtituto, quod reprehendi debeat, occurrit, quam quod a fine & ſcopo catecheticae inſtitutionis prorſus abeant, ipſaque adeo haecce denominatio cum tractatione non conueniat. Altera methodus, eaque longe vſitatiſſima, eſt *Ariſtotelico-ſcholaſtica*; qua THOMAM DE AQVINO, immo ipſum PET. LOMBARDVM iam vſum, ſupra obſeruauimus. Praecipuum in ea eſt, quod ad modum diſciplinarum practicarum theologia ita tractatur, vt primum de *fine*, tum *obiectiuo*, tum *formali*, praecipiatur, hinc de *ſubiecto*, & tandem de *mediis*, quibus finis obtineri poſſit. Accedit, quod in ſingulis theologiae capitibus ſecundum cauſſarum genera cuncta exhibeantur; eumque in finem voces variae ex metaphyſicorum ſcholis arceſſantur, iisque interdum cuncta ſine neceſſitate obruantur. Videntur autem iure nonnulla in hac methodo deſiderari. Equidem vt diſciplinae practicae, quibus theologiae recte adnumeratur, *methodo*, quam vocant, *analytica*

tica, pertractentur, a ratione minime abhorret; non omnia tamen, quae in theologia dogmatica tradenda ſunt, ſecundum hanc methodum rite diſponi poſſe, res, puto, ipſa docet. Vt exemplo rem declaremus, illi ipſi, qui hancce methodum ſequuntur, prorſus inter ſe non conueniunt, vbi de praedeſtinatione agendum ſit. Nonnulli in articulo de Deo, quando de decretis diuinis praecipiunt, etiam praedeſtinationis mentionem facere ſolent; cum tamen rei grauitas poſtulet, vt de ea ex inſtituto, & peculiari capite, agatur. Alii cum cauſſas ſalutis explicare incipiunt, inter eas cum gratia vniuerſali primo loco praedeſtinationem collocant; quod licet non malo faciant conſilio, reformatae tamen eccleſiae doctoribus occaſionem praebent, hancce methodo ad abſolutum ſuum decretum abutendi. Hinc rurſus alii ad hocce incommodum euitandum, poſtquam omnia, quae ad vniuerſum ordinem ſalutis ſpectant, expoſuerunt, tandem de praedeſtinatione praecipiunt, ex exſequutione concludentes, cuiusmodi ſit diuina praedeſtinatio. Recte quidem, ſi rem ipſam ſpectes; ſed parum commode, ſi methodi analyticae habeas rationem. Sed ſunt & alia ſacrae doctrinae capita, quorum tractatio in theologia dogmatica eſt neceſſaria, de quibus, ſi tantum methodo analyticae inſiſtere vellemus, nihil dicendum eſſet. Nec tamen ideo hanc methodum plane improbo; ſed tantum incommodis quibusdam eamdem premi, contendo. Praeclare nimis, ni fallor, de illa ſenſit theologus cetera ſummus IO. CONR. DANHAVERVS, dum eius veſtigia omnino in ſcriptura ſacra inueniſſe ſibi viſus eſt. *Atque*, inquit, *vt* οὐράνιον δῶρον *Ariſtoteli e caelo conceſſum, (vti Mentelio ars typographica) ſyllogiſmum theologus adhibet ſuis diſputationibus; ita nec alterius genuini doni, methodi ſcilicet Ariſtotelicae, eum pudere debet. Quid? quod eius veſtigia adpareant facta in ergaſia epiſtolae ad Romanos, vbi apoſtolus exorſus a fine cum homini damnationis reo, beatificando, finem ſ ſalutem & beatitudinem proponit, c. I, 16. III, 9. ſubiungit media iuſtificationis, & huius fructum, ſanctimoniam, ſolatia, diſciplinam.* Addit, eamdem methodi rationem, in *notis* ad *Matth. V. p. 79.* notaſſe ERASM. SCHMIDIVM; in *hodoſophia chriſtiana, praefat. p. 5.* Neſcio an omnes in hiſce locis methodum analyticam ſint deprehenſuri; id certum, ſeruatorem noſtrum, pariter ac Paulum, de hacce methodo non cogitaſſe, multo minus regulas ab Ariſtotele praeſcriptas, ſed ordinem, quem ipſa rerum conſideratio ſuppeditabat, in loquendo atque ſcribendo ſequutos eſſe. Ad methodum cauſſalem quod attinet, quae in ſingulis capitibus obſeruari ſolet, non minoribus & illa laborat incommodis. Praeterquam enim, quod per eam ſaepe, quae manifeſta & perſpicua ſunt, obſcurentur; vnius eiusdemque rei in ſingulis fere capitibus recurrens repetitio, non poteſt non maximum creare taedium. Saepe namque aliquid dicendum eſt, non quod res ipſa hoc poſtulet, ſed quod methodi hoc requirant leges, hoc eſt, quod plane ſuperuacaneum ſit. Nec omnia rurſus iſta methodus exhaurit, cum ſubinde quaedam maximi momenti addenda ſint, quae in cauſſarum enumeratione non continentur. Accedit, quod cum per hancce methodum occaſio detur, vocibus ex metaphyſicorum ſcholis petitis, theologiam obruendi, & iſtae non vna ſemper ab omnibus ratione accipiantur; logomachiis, contentionibusque & certaminibus, & controuerſiis complentur omnia, iisdemque theologiae dignitas omnium ludibrio exponitur, ſimulque turbatur quies eccleſiae.

Haec itaque incommoda cum alii perſpi-

perſpicerent, de alia methodo, quae ad ordinem ipſius ſcripturae ſacrae propius accederet, fuere ſolliciti. Praecipuum inter hoſce locum tenet IO. COCCEIVS, quem id egiſſe, vt a ſcholaſticorum commentis, terminiſque, theologiam purgaret, ſupra iam obſeruauimus. Idem porro, cum oeconomiam foederum diuinorum pro fundamento theologiae exegeticae poneret; intellexit, dogmaticam quoque theologiam eadem ratione tractari poſſe. Eiusque rei ſpecimen dedit in *ſumma doctrinae de foedere & teſtamentis Dei*, de qua itidem ſupra iam diximus. Huc etiam comparata eſt diſſertatio *de oeconomia diuina*, quam moderatore conflictus COCCEIO in academia Lugdunenſi an. 1662, eruditorum examini WILH. MOMMA expoſuit. Fuerunt equidem, qui antea foederum diuinorum mentionem facerent; primus tamen COCCEIVS hancce doctrinam ita excoluit, vt ſecundum eam integrum aliquod theologiae exſtrui poſſet ſyſtema. Sequuti hinc eius exemplum ſunt & alii, quorum nonnullos ſupra iam indicauimus, cum theologorum reformatae eccleſiae ſyſtemata recenſeremus; quibus adhuc addendus IO. BRAVNIVS, cuius *doctrina foederum, ſiue ſyſtema theologiae didacticae & elenchticae*, perſpicua & facili methodo an. 1688 prodiit, recuſum Amſtelodami 1691, 4. HERMANNVS quoque WITSIVS, in *libris quatuor de oeconomia foederum Dei cum hominibus*, quorum editio tertia Traiecti ad Rhenum an. 1694, 4. lucem vidit, pleraque doctrinae ſacrae capita ita tractat, vt pro ſyſtemate quodam theologico reputari queant. Non omnibus tamen eiusdem eccleſiae doctoribus haecce methodus placuit. MELCH. LEYDECKERVS palam profeſſus eſt, eos ſibi non probari, qui omnem theologiam ad oeconomiam foederum Dei reducunt. Aliam itaque viam ingreſſus eſt, editis *de oeconomia trium perſonarum, in negotio ſalutis humanae libris VI, quibus vniuerſa reformata fides, ex certis principiis, congruo nexu explicatur, demonſtratur ac defenditur*; Traiecti ad Rhenum 1682, 12. Seriem nimirum, ordinemque dogmatum theologiae, ex oeconomia gratiae trium ſacro-ſanctae trinitatis perſonarum, in negotio ſalutis noſtrae occupatarum, deriuare adnititur; reiicitque adeo ſententiam illorum, qui ſecundum oeconomiam foederum diuinorum theologiam tractant; idque partim ideo, quod ex hac omnium fidei capitum demonſtratio non tam commode inſtitui queat, ac ex illa; partim quod in methodo foederali oeconomia ſacro-ſanctae trinitatis ſupponatur, quippe in qua haec πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως manifeſtetur. Aliam rurſus viam ingreſſus eſt HENR. HVLSIVS, tum ex aliis ſcriptis, tum ex *ſyſtemate theologiae pleno*, Lugduni Batauorum 1694 edito, notus. Cocceianis namque licet ceteroquin faueat hypotheſibus; naturali tamen tum demum filo ſe ſyſtema aliquod theologicum conditurum, exiſtimauit, ſi *molitionem*, *opus*, & *ſabbathum Dei*, tractationis ſuae cynoſuram conſtitueret, Numenque ſupremum in molitionibus, ex abyſſo aeternitatis ad extra prorumpens, dehinc in opere, quae molitum antea fuerat, exſequens, ac tandem opere omni abſoluto, & ad colophonem dignum perducto, feriatum, ſabbathumque celebrans decentiſſimum ac beatiſſimum, intento vbiuis oculo reſpiceret. Voces ceteroquin ex ſcholaſticorum fontibus petitas idem reſpuit, planoque dicendi genere cuncta ediſſerit. Foederalem methodum ex noſtratibus calculo ſuo adprobauit SAM. PVFENDORFIVS, quippe qui ea vſus eſt in *iure feciali diuino, ſeu exercitatione poſthuma, de conſenſu & diſſenſu proteſtantium*, Lubecae 1695, 8. Quo in opere etſi id praecipue agat, vt oſtendat, quo vsque, & qua ratione prote-

proteſtantes inter ſe vniri queant; ſimul tamen compendium velut quoddam theologicum, methodo foederali conſcriptum, exhibet. Occaſio hinc data IO. WOLFG. IAEGERO, edendi *ius Dei foederale*, Tubingae 1693, 8. vtpote in quo ſubinde ad partes vocat PVFENDORFIVM; quem magno quidem cum acumine hocce argumentum pertractaſſe, fatetur, ſed ita, vt ſubinde a veri linea diſceſſerit. PVFENDORFII rurſus defenſionem in ſe ſuſcepit I. B. ETTENHVSIVS, cui *epiſtolam apologeticam* oppoſuit IAEGERVS, Tubingae 1699, 8. Voluit autem idem vir doctiſſimus hocce opuſculum prodromum tantum eſſe operis maioris *de foedere gratiae, eiusque ſponſore;* ſiquidem in eo ſolum de foedere primo agit, quod cum homine adhuc ſtante Deus iniit; ad foedus illud nouum, quod per Chriſtum ſancitum fuit, alio tempore ſe progreſſurum, profeſſus. Quod an fecerit, ignoro, niſi huc referre velis, quae in *ſyſtemate theologico-dogmatico polemico*, ſupra iam nobis laudato, *p. 321. ſeqq.* hac de re diſſerit. De reliquis, qui adhuc commemorari hic poterant, conferendus CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *introd. in hiſtor. theolog. litterar. notis ampliſſimis illuſtrata, lib. II. §. V. p. 230. ſeqq.* Dum autem, qui methodum foederalem ſequuntur, ſubinde vocem *oeconomiae* adhibent; & ea recentiori aetate celebrari in theologorum ſcholis coepit; quamquam nec veteribus incognita fuerit, qui illam ad humanam Chriſti naturam referebant, vti a me obſeruatum in *inſtitut. theol. dogmat. lib. I. c. I.* ad *§. XXXVII.* Hodie de decretis, operibusque diuinis, & ſapientiſſima eorum diſpenſatione vſurpari ſolet; quae cum haud minimam theologiae partem complectatur; eamdem vocem ſyſtemati theologico etiam adcommodauit PET. POIRET, in *oeconomiae diuinae libris ſex, in quibus Dei erga homines propoſita, agendi rationes atque opera demonſtrantur*, qui ex gallica lingua in latinam tranſlati, & ab auctore recogniti, Lipſiae prodierunt an. 1605, duobus tomis in 4. Opus hocce enatum eſt, cum de praedeſtinatione aliquid commentari, illi animus eſſet. Hocce enim argumentum dum in prima ſua origine, vt ipſemet loquitur, conſiderabat, & ad prima principia reducere conabatur; praeſtantiſſimae, & hactenus nondum obſeruatae, illi occurrebant veritates, ſimulque animaduertebat, maximas quoque, & quae aliis inſuperabiles viſae erant, difficultates, ad hancce originariae veritatis lucem, fumi inſtar euaneſcere. Hinc &, cum intelligeret, magnam inde & ad alios redundare poſſe vtilitatem; *totius* tandem *oeconomiae diuinae ſyſtema quoddam vniuerſale* ſcribere adgreſſus eſt, inque eo *res* tum *diuinas*, tum *naturales diuinis adnexas*, exponere. Et negandum vtique non eſt, auctorem apte ſatis cum principiis ſuis concluſiones connectere, & aedificium non male cohaerens, exſtruxiſſe. Dum vero principia non ſatis firma adſumſit, ſuisque interdum coniecturis nimis indulget, ſubinde etiam BVRIGNONIAE auctoritate ſe abripi patitur; fieri aliter non potuit, quam vt haud raro ad παράδοξα, & ſcripturae ſacrae repugnantia dogmata, prolaberetur. Ad foederalem, de qua dicere coepimus, vt reuertamur methodum; negari equidem nequit, ea, quae Deus cum hominibus egit, ſubinde in ſcriptura ſacra ſub foederis ſchemate exhiberi, *Geneſ. XVII, 9. ſeqq. Exod. XIX, 5. XXIV, 8. Ierem. XXXI, 31. Hoſ. VI, 7.* ſed caute tamen hac in re incedendum, res ipſa docet, cum maxima inter foedera humana, & quae Deus cum hominibus inire dicitur, ſit diuerſitas. Praeterea reformatae eccleſiae doctores hancce ita proponere doctrinam ſolent, vt ſuas eidem admiſceant hypotheſes; quod & ab illis, qui alia in variis doctrinae ſacrae capitibus ſequun-

quuntur placita, fieri, quilibet facile intelliget. Licet vero ab iis, quibus methodus foederalis probatur, quaedam minime contemnenda, nec alibi temere obuia, quibus & ipſi doctrinae ſacrae, & ſcripturae locis nonnullis lux adfundatur, tradantur; pleraque etiam theologiae dogmaticae capita haud inconcinne ex iſta foederum diuinorum oeconomia deriuari queant; fatendum nihilominus, non omnia eam exhaurire, quae ſcitu credituque ſunt neceſſaria; vnde & illis, quibus ea placet, multa, ceu iam euicta, praemittenda, aut hinc inde ſine certo nexu inſerenda ſunt, vt ſuo ſatis inſtituto faciant. Accedit, quod, quae recte & praeclare in hacce foederum doctrina dicta occurrunt, retineri etiam, ſuisque locis inſeri queant, ſi vel maxime recepta methodo vtamur; quod & ab aliis, & a me ipſo in *inſtitutionibus theologiae dogmaticae*, factum eſt.

Noua plane eſt theologiam tractandi methodus, quam vir doctiſſimus, ſub LIBERII DE S. AMORE nomine latitans, commentus eſt, in *epiſtol. theol. epiſt. VII. p. 178. ſeqq.* Nimirum, cum de ſyſtematibus theologicis, huc vsque euulgatis, nonnulla conqueſtus eſſet, & naeuos praecipuos locorum communium indicaſſet; σκιαγραφίαν quamdam theologicae inſtitutionis *p. 195. ſeqq.* exhibet, ita comparatam, vt ordinem fere ſcripturae ſacrae ſequatur, dum a creatione huius vniuerſi incipit; & per praecipua hiſtoriae ſacrae momenta decurrendo, in geſtis Chriſti ac apoſtolorum ſubſiſtit; vnde methodus haecce *hiſtorica* vocari poſſet. Nec vno ea ſe commendat nomine. Namque naturalis prorſus eſt, & ſcripturae, vt diximus ductum ſequitur. Rationi etiam eſt conueniens, vt a facilioribus ad difficiliora progrediamur. Eadem porro haecce methodus iucunda eſt, & omnium captui adcommodata. Quo nomine & *catechiſmos hiſtoricos* ſupra iam laudauimus. At, quae auctor doctiſſimus hinc inde admiſcet, ex Arminianorum ſchola petita, adſenſum ab omnibus non impetrabunt. Immo hunc in finem, vt eiusmodi hypotheſibus via muniretur, tota illa methodus excogitata videtur. Illis, qui primis religionis chriſtianae elementis imbuendi ſunt, methodum hiſtoricam recte commendari, lubens fateor. Qui autem ad ſublimiora praeparantur, eiusmodi inſtituendi ſunt methodo, quae non modo explicandis & confirmandis, ſed adſerendis etiam, defendendisque contra diſſentientium inſultus, dogmatibus ſacris, inſeruiat. In ſyſtematibus etiam receptis quaedam vir doctiſſimus reprehendit, quae vitio carent. Cuiusmodi eſt, quod in iis primo loco de ſcriptura ſacra tractetur, & inter diuinae, qua polleat, auctoritatis characteres, dogmata quaedam ſublimia referantur; quorum veritas dum deinceps iterum ex ſcriptura ſacra probetur, cui, vtpote verbo diuino, credendum ſit, circulum inde prorſus nugatorium enaſci, exiſtimat. Verum, cum de characteribus diuinae auctoritatis, qua ſcriptura ſacra fulget, ſermo eſt, non tam ſublimitas, quam veritas dogmatum ſacrorum in cenſum venit; quae cum tantisper, ceu aliunde iam euicta, ſaltem ita comparata, vt fruſtra impugnetur, ſupponatur; quod hic diuina ſcripturae auctoritas per circulum nugatorium probetur, dici nequit. Bonae interim methodi ratio poſtulat, vt de principiis & fundamentis primo loco ſimus ſolliciti, ex quibus reliqua deinceps deducantur. Eiusdem generis eſt, quod, ex ſyſtematum theologicorum lectione claras rerum ideas vix efformari poſſe, pronuntiat; cum tamen ex ipſa rerum ſublimitate hoc oriatur, quod non vbique in rebus diuinis claras atque diſtinctas mente concipere valeamus ideas; vnde inter ſyſtematum hoc neutiquam referri debebat vitia.

Diſcrimen nimirum, quod inter *euidentiam obiecti*, & *euidentiam teſtimonii* conſtitui ſolet, hic probe obſeruandum. In myſteriis, rebusque vim rationis ſuperantibus, cum *euidentia obiecti* locum non inueniat, ſufficit *euidentia teſtimonii*. Sed mitto reliqua; cum omnia diſcutere, huius loci non ſit.

Cumprimis de illis adhuc dicendum, qui theologiam *methodo mathematica* tractare voluerunt, & magna inde ſibi pollicentur commoda. Neſcio, an iam GVIL. POSTELLO eiusmodi quid in mentem venerit, cuius quippe exſtant *ſacrarum apodixeon, ſeu Euclidis chriſtiani libri duo*, Pariſiis 1543, 8. Sed eos cum ipſemet non viderim; nihil certi hac de re adfirmare poſſum. Eadem deinceps methodo *demonſtrationem* ſuam *euangelicam* concinnauit PET. DAN. HVETIVS, in qua ſummam & exquiſitam eruditionem omnes admirantur. Diuerſa tamen, quod non diſſimulandum, opus hocce expertum eſt doctorum virorum iudicia. Nihil de IO. TOLANDO dicam, atheorum facile impudentiſſimo, a cuius iniquis obtrectationibus HVETIVM vindicarunt IAC. FAYVS, in *defenſione religionis, nec non Moſis & gentis iudaicae, differt. poſter. c. I. & II. p. 168. ſeqq.* & MORINVS in peculiari diſſertatione, quae exſtat in *diſſertationibus varii argumenti, de religione & philologia*, a TILLADETO lingua gallicana editis, *tom. I. p. 438. ſeqq.* Nec CHATELETIVM commemorabo, auctorem libelli: *la politique du clergé de France*, qui *part. I. p. 74.* ſcribere non veretur, *confirmari potius ex eius lectione atheos, in ſua impietate, quam emendari*; cuius aliis merito improbatur ſententia, vti obſeruat MART. DIEFENBACHIVS, *de vero mortis genere, ex quo Henricus VII imperator obiit, ſect. I. §. XXXVII. p. 89.* vbi plura de opere hocce Huetiano ſuppeditat. Fuerunt namque & alii, qui laudi huius operis nihil detractum voluerunt; nec tamen diſſimularunt, nou vbique eam conſpici concludendi rationem, quae omnibus ſatisfaciat. Quod documento eſt, ſolam methodum mathematicam non efficere, vt aliquid certum, & extra dubitationis aleam poſitum cenſeri queat. HVETII tamen exemplo ſe in eam induci paſſus eſt ſententiam SAM. PVFENDORFIVS, vt exiſtimaret, magnam litium, quibus orbis chriſtianus diſtrahitur, partem tolli poſſe, ſi ſyſtema aliquod theologicum methodo mathematica concinnaretur; idque in *epiſtola ad fratrem* ES. PVFENDORFIVM teſtatus eſt, quae in *actis eruditor. Lipſ.* legitur, *ſupplem. tom. II. ſect. II. p. 98.* Nec ipſi HVETIO, a quo PVFENDORFIVS eiusmodi ſyſtema conſcribi optauerat, hocce conſilium prorſus diſplicuit; etſi agnoſcat, maximas & fere inſuperabiles, huic inſtituto obſtare difficultates; in *litteris* ad *marchionem* DE FEVQVIERES, Galliae regis eo tempore in Suecia legatum; quas itidem Lipſienſes exhibent, in *actis eruditorum l. c. p. 201.* Vtramque & PVFENDORFII, & HVETII epiſtolam *introductioni* ſuae in *hiſtoriam theologiae litterariam* inſeruit CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, *lib. II. p. 113. ſeqq.* Mentionem quoque huius rei facit HVETIVS, in *Huetianis, num. XVI. p. 47.* Doctrinam equidem ſacram, ſeu theologiam, methodo mathematica proponi poſſe, dubio caret. Nec enim quidquam obſtat, quo minus theoremate vel problemate quodam propoſito, explicatis per definitiones terminis, principia quaedam conſtituantur, ex quibus problema, ſeu theorema demonſtretur. Id vtique fieri poſſe, exemplo quodammodo HENR. WIDEBVRGIVS, theologus quondam Helmſtadienſis clariſſimus, oſtendit, in *ſyſtemate theologiae poſitiuae*, quod Helmſtadii 1698, 4. lucem adſpexit publicam. Specimen etiam

iam aliquod demonſtrationis mathematicae, qua veritas religionis chriſtianae generatim, ſpeciatim principia eccleſiae anglicanae probantur, exſtat in *deſcriptione inſulae Formoſae*, quae gallice Amſtelodami 1705 prodiit, *c. XXXVIII. p. 284. ſeqq.* An vero ex hac methodo ea ſtatim euidentia ſperanda, quam ceteroquin mathematici ſibi vindicant, & an controuerſiae theologicae hac ratione, non dicam tolli, ſed ſaltem imminui queant? id vero eſt, de quo merito dubitatur. Enimuero ad hoc non ſufficit, methodo mathematica incedere, niſi & principia adhibeantur, quae aeque euidentia ſint, ac principia mathematicorum, & poſtulata tam aequa, vt nemo, niſi ineptiſſimus mortalium, ea reiicere auſit. Haec ſi non adſint, ſola methodus, & externa demonſtrationis ſpecies, parum iuuat. Principiorum autem euidentia, cum ex euidentia idearum, & haec ex obiecti euidentia oriatur; in mathematicis quidem eam ſummam eſſe oportet; at minime in theologicis, vbi in rebus, ſupra rationem humanam poſitis, euidentia obiecti, & adeo idearum fruſtra quaeritur, res contra omnis, vt antea iam diximus, ad euidentiam teſtimonii redit; quemadmodum rurſus in hac interpretatio & ἀντιλογίας ſcripturae ſacrae vtramque facit paginam. Adhiberi vero methodum mathematicam poſſe, vbi a veritate toto, quod aiunt, caelo aberratur, tantum abeſt, vt de ea lectores conuincantur, exempla teſtantur. Nihil nunc de BENEDICTO DE SPINOZA dicam, qui in *ethica* ſua *ordine geometrico demonſtrata*, ipſum hac ratione omnibus propinauit atheiſmum. PET. POIRETVS, in *cogitationibus rationalibus, de Deo, anima & malo, lib. III. c. VIII. p. 312. ſeqq.* myſterium trinitatis itidem methodo mathematica demonſtrare voluit; ſed pro vero dogmate Sabellianiſmum nobis obtruſit. IO. CRAIG *theologiae chriſtianae principia mathematica* edidit, Londini 1699; ſed vt veritatem chriſtianae religionis, quam ſtabiliuiſſe videri voluit, euerteret potius, ac labefactaret; refutatus ideo a IO. EDVARDI, in *doctrina fidei & iuſtificationis*, cuius ſumma exhibetur in *act. erudit. Lipſ. 1709 menſ. Aug. p. 353. ſeqq.* Atque haec cum ita ſint, recte de hacce mathematicorum methodo pronuntiauit IVST. CHRISTOPH. SCHOMERVS: *Mathematicam demonſtrandi methodum nupere quidam in moralem diſciplinam inferri laborarunt, & inprimis famoſus, & poſt hominum memoriam audaciſſimus atheiſmi doctor Spinoza, nulla alia in re felicior, quam vt ſuo exemplo oſtenderet, quantopere cuiuis inſaniae inuoluendae hoc pallium aptum ſit, atque adeo vana ſit, de illius methodi infallibili euidentia, communis perſuaſio. Etenim mathematicarum diſciplinarum, & inprimis geometriae euidentia, non ab illo, quo vtuntur, proponendi modo, ſed a ſenſibus pendet oculorum, quibus pictura ita obiicitur, vt inſtitutio nulla aequiuocatione ludere poſſit, quae plerorumque alias errorum mater eſt. Schemata illa vbi abſunt, aeque facile, immo facilius inter operoſas tautologias (quarum neceſſitatem geometris imperat figurarum difficultas) decipit & decipitur terminorum abuſu demonſtrator, quam ſi ſimplici & plano ſtilo vſus eſſet; theolog. moral. c. I. §. XX. p. 29.* Iungenda hiſce, quae copioſe & acriter; contra methodi mathematicae ad alias diſciplinas adplicationem diſſerit RVARDVS ANDALA. Nimirum, cum &c. ipſe de SPINOZA verba feciſſet, *hinc iam conſtare*, inquit, *poterit lectori, a quo originem trahat quorumdam obtentus, & praetextus de mathematica, & quidem ſynthetica methodo in omnes diſciplinas inuehenda; quamque ille ſit vanus. Speciem habet, fateor, ſummam in diſciplinis quaerere certitudinem, quis vituperet? Sed nouimus illos, qui ſub ſpecioſo*

ſpecioſo hoc praetextu certiſſimas diſciplinas, philoſophiam, ipſamque theologiam, & myſteria in verbo Dei reuelata, in ſuſpicionem falſitatis adducere ſtuegerunt, praetendendo, talia myſteria non poſſe mathematice demonſtrari, nec diſciplinas eſſe ſatis certas, niſi ſynthetica methodo tradantur. Hiſce & alia quam plurima, lectu digniſſima, ſubiicit, in *examine ethicae Geulingii, diſſert. I. §. X. ſeqq. p. 9. ſqq.* Cumprimis vero *§. XV. p. 13.* oſtendit, apud eos, qui phyſicam aut metaphyſicam methodo mathematica tractant, *longe maiorem obſcuritatem, incertitudinem, fictionem, contradictionem, & ſententiarum diuerſitatem, quam in praeſtantiorum aliorum phyſicorum vel metaphyſicorum ſcriptis, deprehendi.*

Neſcio, an methodis, huc vsque commemoratis, etiam *comparatiuam* addere debeam? Certe IAC. GAERDENVM *theologiam pacificam, ſiue comparatiuam* ſcripſiſſe, conſtat, cum PET. POIRETI *bibliotheca myſticorum ſelecta* recuſam. Eo nimirum hocce eius inſtitutum comparatum eſt, vt, quodnam quilibet articulus fidei pondus ac momentum habeat, expendat, indeque concludat, quaenam doctrinae ſacrae capita prae aliis ad ſalutem creditu ſint neceſſaria. Idem etiam SIM. EPISCOPIVM in *inſtitutionibus* ſuis *theologicis* feciſſe, ſupra obſeruauimus; placetque haec methodus illis, qui diſſentientes circa religionem inter ſe conciliare, aut eccleſiae eo vsque dilatare pomoeria ſatagunt, vt eius ambitu comprehendi omnes queant, qui in paucis quibusdam, ac maxime vniuerſalibus capitibus conſentiunt. Quo ipſo ſimul viam ad ἀδιαφορίαν religionum eos pandere, manifeſtum eſt. Recte quidem agunt, qui dogmata ſacra inter ſe comparant, vt quaenam fundamentalia, aut non fundamentalia ſint, diſpiciant. Sed, caute hic incedendum, ne viam ſalutis latiorem, quam par eſt, faciamus; & non fundamentalia cenſeamus, quae omnino ſunt fundamentalia. De *methodo* denique *practica*, vt vel tria addamus verba; tota theologia dogmatica, intuitu finis ſpectata, practica eſt, ſeu ad fidei & vitae praxin comparata. At plerumque in compendiis ac ſyſtematibus ita tractari ſolet, vt, qui ea condiderunt, de controuerſiarum potius variarum deciſione, quam vita recte inſtituenda, ſolliciti fuiſſe videantur; cum tamen vtrumque fieri & poſſit, & debeat. Huncce itaque naeuum vt emendarent alii, eam elegerunt methodum, quae vnice ad fidei vitaeque praxin lectores perduceret. Id certe beato IO. GERHARDO noſtro conſtitutum fuit, in *ſchola pietatis*, omnibus ſatis nota; in qua integrum velut ſyſtema, methodo practica concinnatum, exhibet, dum oſtendit, quo pacto cuncta ſacrae doctrinae capita ad vitam pie, recteque inſtituendam, referenda ſint. Idem & beatus IO. HENR. MAIVS egit, dum *praxin pietatis in cognitione veritatis, ſiue ſynopſin theologiae moralis, per omnes articulos theologicos, ad normam ſcripturae ſacrae, & ductum librorum ſymbolicorum adornatam*, an. 1697, 4. edidit. Nec abludunt hinc IOACH. IVSTI BREITHAVPTI *inſtitutiones theologicae credendorum & agendorum fundamentales*, quae *inſtitutionum* eius *theologicarum*, libris duobus comprehenſarum, quas ſupra commemorauimus, ſynopſin quamdam exhibent. In cunctis enim ſacrae doctrinae capitibus vir venerabilis notitiam experimentalem ſummopere vrget; quae & genuina ratio eſt, cuncta ad vitae chriſtianae vſum recte transferendi. Quem eius ſcopum qui conſiderauerit, vitio ei non vertet, quod primo loco de imagine Dei egerit.

§. XVIII.

§. XVIII. Qui theologiam theticam, ſeu dogmaticam, recte, & cum fructu docere cupit, id merito ſibi datum credet, vt ordinem naturalem, partiumque ſingularum nexum, & aptam coniunctionem, obſeruet; * vt vocibus ex metaphyſicorum ſcholis petitis caute & ſobrie vtatur; ** vt de rebus magis, quam de vocibus, ſit ſollicitus; *** definitiones ſi adhibere velit, vt claras ac perſpicuas adferat; * vt dogmata non tantum explicet, ſed rationibus ſolidis demonſtret, adhibita, ſi opus fuerit, apodixi biblica; ** vt antitheſin, ſi inde lux quaedam tractationi dogmaticae adfundi queat, adiungat; *** nec hiſtoriam dogmatum, ſi fieri poteſt, praetermittat; * cumprimis denique, vt, quem quodlibet dogma in praxi vitae chriſtianae vſum habeat, diligenter oſtendat. **

* Nexus ille partium, omniumque ſacrae doctrinae capitum, quae ſcitu creditque ad ſalutem ſunt neceſſaria, tum ex *methodo*, tum ex *re ipſa*, oritur. Inter bonae namque methodi characteres haud vltimus eſt, ſi per eam cuncta rite, ordineque, quantum fieri poteſt, naturali inter ſe connectantur. Nobis vero de iſto nexu, qui ex re ipſa oritur, praecipue ſermo eſt. Atque ad hunc eo magis attendendum, quo luculentius inde patet, labefactata vnius capitis veritate, corruere & reliqua; adeoque dogmata quaedam eo diligentius inculcanda eſſe, quod non tantum in ſe ſpectata vera ſint, ſed aliorum ſimul, quae cum iis coniuncta ſunt, veritas ita in tuto collocetur. Sic, qui propoſitionem illam: *ſola fide iuſtificamur*, recte intellectam, adſerit; illi adſerenda etiam eſt ſatisfactio Chriſti, & qui hanc tuetur, illi fatendum, Chriſtum non tantum verum hominem, ſed verum quoque Deum eſſe, & qui hoc credit, is myſterium trinitatis reiicere nequit; vt de reliquis, quae prono alueo ex eadem propoſitione fluunt, & per totum theologiae ſeſe diffundunt campum, nihil dicam.

** Non loquimur de *terminis*, quos vocant, eccleſiaſticis, ſeu ab eccleſia vniuerſa receptis, & ad haereticorum fraudes detegendas, ac euitandas, comparatis; quippe qui merito retinentur; ſed de iis, quos ſcholaſticorum acumen ſine neceſſitate inuexit. Quantumuis enim & horum non omnino nullus ſit vſus: ſiquidem per eos rotunde & ſine ambagibus interdum quaedam exprimi poſſunt; cautione tamen opus eſt, ne praeter modum cumulentur, &, quod fieri ſolet, quae clara ſatis ac perſpicua ſunt, iis obſcurentur, inanibusque controuerſiis, ac λογομαχίαις occaſio praebeatur. Conferenda, quae ex inſtituto hac de re dixi in *program. de ſtudio theologiae ſolem. ſolide ac ſobrie inſtituendo*, in *ſyntagm. diſſertation. theolog. p. 692. ſeqq.*

*** Monendum illud ideo fuit, quoniam haud infrequens eſt illud vitium apud eos, qui theologiam dogmaticam ſyſtematica ratione tractant. Vocum vtique habenda eſt ratio, ſed non ita iis eſt inhaerendum, vt rerum ipſarum, quae vocibus iſtis ſignificantur, ſimus immemores. Cum dico: *ſubiectum operationis in theologia eſt homo peccator*; recte quidem, quid per *ſubiectum operationis*, per *theologiam*, per *hominem peccatorem* intelligendum, explicatur; ſed, ad rem ipſam quod attinet, de diuerſa hominum indole, variisque impedimentis conuerſionis, intuitu aetatis, ſtatus, ſexus, temperamenti, ceterisque dicendum, & tum demum

demum, quemnam haecce doctrina adferat vſum, perſpiciemus. Et ita in reliquis omnibus ſeſe res habet.

* Vt enim ideae, quae obſcuritate laborant, clariores fiant, & luce quadam perfundantur, definitiones adhiberi ſolent. Vnde & in ideis compoſitis, quae ſimplicibus obſcuriores ſunt, maxime locum inueniunt, & ad idearum, quae in definito latent, euolutionem comparatae ſunt. Qui igitur ideas iſtas compoſitas rite euoluere didicerunt, ſtatim quoque definitiones ipſimet conficient; vt adeo interdum ſufficiat, indicare, quaenam ideae in compoſita quadam lateant, vt quilibet deinceps definitionem inde exſtruere queat. Definitiones autem, quas non intelligimus, memoriae mandare, eſt, magno conatu nihil agere.

** Vt de veritate dogmatum ſacrorum firmiter perſuadeatur intellectus, & ad adſenſum pertrahatur, probatione opus eſt. Haec vero cum diuerſa ratione, pro obiecti pariter, ac principiorum diuerſitate, inſtitui queat; hic tamen de apodixi biblica, ſeu demonſtratione, quae ex ipſa ſcriptura ſacra petitur, ſermo eſt. Per hanc enim, ſi rite inſtituatur, animus non minus, quam per euidentiſſimas mathematicorum definitiones, ita conuinci poteſt, vt vel inuitus ad adſenſum rapiatur. Exemplum ipſe iam Apollos dedit, *actor. XVIII, 28.* Nec defuerunt ex veteris eccleſiae doctoribus, quorum labores huc quodammodo collineare videntur. Ex recentioribus vehementer, & merito quidem, eam dogmatum ſacrorum ex ſcripturae diligenti collatione demonſtrandi rationem commendauit vir doctiſſimus HENR. MVHLIVS, in *diſſertationibus academicis, de apodixi, ſiue demonſtratione ac probatione ſcripturaria,* lectu digniſſimis, quae Kiloni 1699, 4. prodierunt. Specimen autem optimum per ſingulos fidei articulos ABR. CALOVIVS dedit, in *apodixi articulorum fidei, ex ſolis ſcripturae locis, eorum contextu, antecedentibus & conſequentibus, ac parallelis, ſecundum fontes ebraeos ac graecos, credenda demonſtrans, &c.* quae & alias, & Luneburgi quoque 1684 excuſa eſt.

*** Antitheſis, ſeu controuerſiarum tractatio, ad theologiam polemicam ſpectat; & recte ſeorſim inſtituitur, cum rerum nimia copia & auditores, & lectores obruerentur, ſi quis cum ipſa dogmatum explicatione eam coniungere vellet, & tamen in neutra aliquid, quod ſcitu dignum ac neceſſarium, praetermittere. Breuiter autem ſi diſſentientium placita in theologia dogmatica attingantur; neutiquam hoc reprehendendum, ſed plane conſultum eſt; cum interdum dogmatum explicationi lux minime contemnenda inde adfundi queat. Exemplis quam plurimis, ſi opus eſſet, illud confirmari poſſet.

* Dogmatum hiſtoria eo ſpectat, vt eorumdem perpetuam ſucceſſionem, veraeque adeo doctrinae in eccleſia conſeruationem, intelligamus. Quam licet alii in theologia hiſtorica, ſeu patriſtica, exhibeant; nihil tamen obſtat, quo minus &, qua praecipua quaedam momenta, cum theologia dogmatica coniungatur. Idem de hiſtoria haereſium dicendum, quae itidem dogmaticae tractationi lucem conciliat; ex inſtituto autem partim in theologia polemica, partim in hiſtoria eccleſiaſtica de ea agitur.

** Id namque natura, indolesque theologiae poſtulat, quam intuitu finis ſpectatam, totam practicam eſſe, fatentur omnes. Laudandi itaque ſunt, qui ſingulis capitibus obſeruationes eiusmodi, & monita addunt, quibus oſtenditur, quo pacto cuncta ad fidei vitaeque chriſtianae vſum transferri queant; & debeant, ita quidem, vt adplicationis quoque ſerio & conſtanter inſtituendae, habeatur ratio.

§. XIX.

§. XIX. Illorum, qui rite in dogmatica theologia proficere cupiunt, partes ſunt, vt animum rite diſpoſitum, & praeiudicatarum opinionum expertem ſecum adferant; * vt generali quadam ſacrarum litterarum notitia iam ſint imbuti; ** nec rudes plane ſint linguae graecae ac ebraeae; *** vt initium faciant a theologia catechetica, & ita ad acroamaticam progrediantur; * vt illam cum hac ſemper coniungant; ** vt quae ex ore magiſtri audiuerunt, lectione ac repetitione confirment, meditatione in ſuccum & ſanguinem conuertant, & adplicatione ad vſum transferant. ***

* Praeparatio illa atque diſpoſitio animi in eo conſiſtit, vt quis non tantum percipere, atque intelligere dogmata ſacra queat; ſed de illorum veritate firmiter conuinci, vt voluntas ſimul ad obſequium flectatur. Pleriſque ſufficit, ſi dogmata theologica vtcumque intelligant, eaque iterum recitare, aliiſque inculcare poſſint; de quorum tamen veritate, ſerio ſi ſe ipſos explorare vellent, ſe minime conuictos, deprehenſuri eſſent; multo minus autem id agunt, vt vita moribusque, ſe conuictos eſſe, demonſtrent. Cumque inter alia, quae veritatis agnitionem, mentisque conuictionem impediunt, praeiudicatae hic ſe nobis offerant opiniones; de iis quidem exuendis ac remouendis theologiae cultor maxime ſollicitus eſſe debet, ita tamen, ne, dum praeiudicia auctoritatis euitat, ad alterum extremum procurrendo, in ea, quae ex praecipitantia originem ducunt, incidat. Sed dictum iam hac de re ſupra eſt.

** Exquiſitior enim ab illis demum exſpectanda, qui theologiae exegeticae operam nauarunt, cui ipſa theologia dogmatica inſeruit. Si quis autem generali ſcripturae notitia, quae & in quemlibet chriſtianum cadit, ſaltem hiſtorica, imbutus non ſit; ille quoque vix capiet, quae in theologia dogmatica traduntur. Superuacaneum foret hoc monere, niſi experientia doceret, ſcripturae ſacrae tractationem tum in ſcholis, tum in domeſtica inſtitutione nimis negligi. Optandum itaque, vt, quae Timotheo, omnibus obtingeret felicitas, quem Paulus laudat, quod ἀπὸ βρέφους ſacras litteras didiciſſet, *II. Tim. III, 15.*

*** Scripturae enim teſtimonia, quibus dogmata ſacra probantur, ex ipſis fontibus ſunt explicanda, ne forte, ſi verſio textui originali non reſpondeat, magno conatu nihil agamus. Repetenda, quae de vtriusque, graecae & ebraeae linguae neceſſitate, ſupra diximus, *lib. I. c. IV. §. V. & VI.*

* Ratio ipſa dictitat, a facilioribus progrediendum eſſe ad difficiliora, & fundamenta adcurate prius ponenda, quam de iis, quae illis ſuperſtrui queant, ſimus ſolliciti. Quod plurimi in theologia acroamatica parum aut nihil proficiant, haud raro inde oritur, quod doctrina catechetica non recte imbuti, ad eam accedant. Ordinem vero huncce ipſemet nobis commendat apoſtolus *Ebr. V, 13. 14.*

** Qui enim hoc negligunt, quaeſtionibus ſublimibus, ſaepe & curioſitati magis inſeruientibus, quam commodum aliquod adferentibus, ita adhaereſcunt, vt tandem catechetica, & quae ad fundamentum pertinent, ſordere iis incipiant. Hinc & ſacris officiis admoti, ad rudiorum hominum inſtitutionem, quae maxime neceſſaria eſt, quaeue nulla ratione intermitti debet, prorſus ſunt inepti. Et ita nec ſuae, nec aliorum recte conſulere ſaluti poſſunt.

*** Conferenda hic, quae ſupra *lib. I.* per integrum *c. III.* copioſe hac de re diximus, cumprimis *§. XIV. ſeqq.*

LIBRI POSTERIORIS
CAPVT SECVNDVM
DE
THEOLOGIA SYMBOLICA.

Σύνοψις.

Theologiae ſymbolicae nomine quid nobis veniat? §. *I.*
Symbolorum origo ex ſcriptura ſacra deriuari nequit; ſymbolum apoſtolicum ab apoſtolis confectum non eſt; §. *II.*
Symbola ante-Nicaena; §. *III.*
Nicaenum ipſum & Athanaſianum; §. *IV.*
Symbola occaſione controuerſiarum ab Arianis motarum condita; Conſtantinopolitanum; quorumdam veteris eccleſiae doctorum; §. *V.*
Pelagianorum ſymbola, item, quibus Neſtoriana haereſis occaſionem praebuit; quaedam etiam ſequentium temporum; §. *VI.*
Symbola recentiora, & noſtrae quidem primum eccleſiae; §. *VII.*
Scripta publica auctoritate concinnata, quae ad libros ſymbolicos quodammodo accedunt; corpora doctrinae; §. *VIII.*
Symbola eccleſiae romanae; §. *IX.*
Reformatae, aliarumque; §. *X.*
De illis, qui ſymbola tum vetera, tum recentiora, noſtrae praeſertim eccleſiae, explicarunt, aut commentariis illuſtrarunt; §. *XI.*
Quaenam ſit genuina libros ſymbolicos interpretandi ratio; §. *XII.*
Libris ſymbolicis nec plus nec minus, quam decet, tribuendum; §. *XIII.*
Quod & ſpeciatim de noſtrae eccleſiae libris ſymbolicis obſeruandum; §. *XIV.*
Eorumdem vſus & abuſus; §. *XV.*

§. I.

PEr *theologiam ſymbolicam* intelligimus complexum dogmatum ſacrorum, qui in ſymbolis, vel confeſſionibus, aut integrarum eccleſiarum, aut ſingulorum quorumdam hominum, deprehenditur. Cuius quidem, pro ipſa ſymbolorum diuerſitate, diuerſus quoque vſus eſt. *

* Symbolum proprie ſignificat teſſeram. Teſſerarum autem apud veteres varius & multiplex vſus erat, tum inter hoſpites, tum inter milites, ſub vno duce militantes, vt per eas ab hoſtibus diſcernerentur amici & commilitones. Translata hinc apud chriſtianos vox iſta ad ſacra eſt, vt, qui inter ſe in doctrinae caeleſtis capitibus conſentirent, per certam fidei profeſſionem a reliquis diſtinguerentur. Ita, & recte quidem, vt puto, GERH. IO. VOSSIVS, *de tribus ſymbolis, diſſ. I.* §. *XVIII. tom. VI. oper. p. 507.* Haec vocis iſtius ad ſacra translatio ante concilium Nicaenum non obtinuit; poſtea autem maxime inualuit, vt IO. BENED. CARPZOVIO obſeruatum, in *iſagoge ad libros ſymbolicos eccleſiar. Lutheranar. p. 2.* Alii de ſignificatione huius vocis, quaue ratione primum ad confeſſiones fidei deſignandas adhibita ſit, aliter ſentiunt. Conferendi, qui de ea plura dabunt, BALTH. BEBELIVS, in *antiquitat. eccleſ. ſaec. III. artic. II. ſect. II. p. 642.* & *ſaec. IV. artic. IV. p. 855. 858.* STEPHANVS LE MOYNE, in *notis ad varia ſacra, p. 325.* PET. KINGIVS, in *hiſtoria ſymboli apoſtolici, &c. c. I.* §. *I.* IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, in *notis ad Caſauboniana, p. 319.* PET. ZORNIVS, in *noua collectione*

ne plus quam ſexaginta ſymbolorum &c. (de qua mox plura dicemus) *p. 164.* Ad vſum itaque vocis huius ſi attendas, ſymbolorum & librorum ſymbolicorum nomine eiusmodi ſcripta veniunt, quae ab eccleſia aliqua ita recepta ſunt, vt per ea, & doctrinam, in illis comprehenſam, a reliquis coetibus & eccleſiis, quibuscum ceteroquin conſentire videri poterat, diſcerni velit ac ſeparari. IO. HENR. HOTTINGERVS equidem ſub hacce voce decreta & canones ſynodorum, confeſſiones, catechiſmos, liturgias, apologias, palinodias, diſputationes, ſiue colloquia comprehendit, *bibliothecar. quadripart. lib. III. c. I. p. 325.* Sed limites eius, vltra quam vſus permittit, profert. Confeſſiones enim, hunc in finem concinnatae, vt alii de doctrina, aut integrae eccleſiae, aut ſingulorum hominum, certi reddantur, ſi proprie & adcurate loqui velis, hoc tantum nomen promerentur; catechiſmi vero tum demum, ſi in librorum ſymbolicorum numerum ſint recepti. Ex reliquis catechiſmis, itemque cantionibus vſu receptis, liturgiis, & ſi qua alia ſunt eiusdem generis, licet vtcumque de doctrina publica iudicium ferri queat; vſu tamen receptum non eſt, vt ſymbola ſeu libri ſymbolici, adpellentur. In ſymbolis igitur, atque libris ſymbolicis, cum dogmata fidei contineantur, quae haec conſiderat, theologia *ſymbolica* dicitur. Nec ea mens noſtra eſt, quod omnia in quolibet ſymbolo fidei dogmata comprehendantur, aut quaerenda ſint. Experientia, ſecus ſe rem habere, docet. Ea enim, quotquot aut quaecumque demum ſint, quae in ſymbolis inueniuntur dogmata, theologia ſymbolica contemplatur. Idque tum de eccleſiae orthodoxae, eiusque doctorum, tum de haereticorum ſymbolis eſt intelligendum. Quae enim in illis exſtant dogmata, cognoſcenda ſunt; cum quilibet, qui eccleſiae verae addictus eſt, de eius quoque doctrina publica certus eſſe debeat, ſaepe etiam ea confirmanda, & contra diſſentientium inſultus defendenda ſint. Haereticorum autem, eorumque omnium, qui a veritatis tramite abeunt, ſymbola, & quae in iis continentur, dogmata, perſpecta cognitaque habere oportet, vt eo rectius ea refellere queamus, ac impugnare. Veteres ſymbola etiam πίστιν, ἔκθεσιν τῆς πίστεως, *regulam fidei* vocabant, quemadmodum & apud nos interdum *librorum normalium* nomine veniunt. Apud Graecos ſymbolum fidei & μάθημα dictum, eo, quod catechumenorum eſſet; iſtiusmodi ſymbolum memoriae infigere, obſeruat HENR. VALESIVS, ad *Socratis hiſtor. eccleſ. lib. I. c. VIII. p. m. 6.* add. IO. HERMANNVS AB. ELSWICH, de *reliquiis papatus eccleſiae Lutheranae temere adfictis, c. III. §. XII. p. 55.* De *corporibus doctrinae*, quo nomine interdum ſymbolorum collectiones deſignantur, in ſequentibus verba faciemus. Hiſtoriae theologiae ſymbolicae, notitiaeque ſymbolorum, & ſcriptorum, huc ſpectantium, comparandae, praeter auctores, qui generatim libros ad theologiam, ſingulasque eius partes ſpectantes, recenſent, inſeruiunt, qui de conciliis agunt, eorumque hiſtoriam tradunt; de quibus ſuo loco dicemus. Qui de haereſibus ac haereticis exponunt, itidem interdum quaedam, quae ſymbolis lucem adfundunt, attingunt. Sed &, qui libros ſymbolicos ediderunt, ſubinde, quae ad hiſtoriam illorum faciunt, praemittere aut ſubnectere ſolent; quos deinceps commemorabimus. IO. HENR. ALSTEDIVS copioſum ſymbolorum ſcriptorumque ſymbolicorum indicem exhibet, in *theſaur. chronol. c. XXXIII.* LVD. ELLIES DV PIN, in *bibliotheca ſcriptorum eccleſiaſt.* ſingulis ſaeculis indices ſymbolorum ſeu formularum ſubiecit. Exſtat etiam BALTH. BEBELII *ſynopſis hiſtoriae & doctrinae*

ctrinae ſymbolorum, antiquiſſimorum, vti & recentioris, ſeu Auguſtanae confeſſionis, a filio eius IO. BALTHASARE, an. 1690 edita; de qua tamen recte HENR. PIPPINGIVS pronuntiat, *nondum adeo elaboratum videri hoc ſcriptum, vt praelo id deſtinaſſe beatum auctorem, mihi perſuadeam*; in *der hiſtoriſch-theologiſchen Einleitung zu denen ſymboliſchen Schrifften der euangeliſch-Lutheriſchen Kirchen, c. I. §. XII. p. 5.* Cumprimis autem hic laudanda PET. ZORNII *noua collectio plus quam ſexaginta ſymbolorum, ſiue confeſſionum fidei, quas in veteri eccleſia inde a primis ſaeculis vsque ad duodecimum, haeretici, vel viri alii patribus ſuſpecti, in tanta ſenſuum de ſacris diſcrepantia edidere*, quippe in qua de veterum haereticorum, aut virorum haereſeos ſuſpectorum ſymbolis ac confeſſionibus, multa adcurate & egregie obſeruantur. Prodiit primum ſeorſim Roſtochii an. 1706, deinde *opuſculorum* eius *ſacrorum tomo primo* inſerta eſt, *p. 164. ſeqq.*

§. II. Qui ſymbolorum veſtigia in ſacra ſcriptura ſe inueniſſe, ſibi perſuadent, ad veram ac genuinam huius vocis ſignificationem non ſatis attendiſſe, videntur. * Sed &, quod *apoſtolicum* vocatur, ab ipſis apoſtolis non eſſe confectum, poſitum hodie eſt extra controuerſiam. **

* Non tantum in nouo, ſed omnino iam in veteri teſtamento, ſymbolorum ſe inueniſſe veſtigia, nonnulli exiſtimant. Valde autem dubito, an id, quod cupiunt, euincere queant. Nimirum, *Gen. IV, 26.* de cultus diuini, & quidem publici, aut introductione, aut reſtauratione, ſermonem eſſe, haud inuiti largimur; ſed, quo pacto inde ſequatur, ſymbolum aliquod, ſeu formulam fidei concinnatam eſſe, me perſpicere non poſſe, fateor. In verbis Noachi, *Gen. IX, 25. 26.* vaticinium equidem prorſus egregium, at non ſymbolum, ſeu formulam fidei deprehendo. Cum *actor. XVIII, 25.* de Apollo dicitur, quod tantum ſciuerit baptiſmum Ioannis; non abnuo, hoc & de doctrina Ioannis baptiſtae eſſe intelligendum; hanc autem quod certa formula ſeu ſymbolo complexus fuerit, nemo temere ſibi perſuaſerit. Paulus *Ebr. VI, 1.* praecipua quaedam doctrinae chriſtianae capita refert; qui vero putant, eum ſymbolum aliquod, ſeu formulam fidei tradere voluiſſe, non certiori nituntur fundamento, quam illi, qui ex iisdem verbis compendium aliquod, aut ſyſtema theologicum, exſculpere conantur. Sed mitto reliqua. Licet autem ſcriptura ſacra ſymbolorum exempla non exhibeat; eorumdem tamen vſum in eccleſia antiquiſſimum fuiſſe, ex dicendis patebit. Vnde illis, qui originem ſymbolorum ex papatu repetunt, ſuffragari nequeo. Legenda, quae hac de re diſſerit IO. HERM. AB ELSWICH, de *reliquiis papatus eccleſiae Lutheranae temere adfictis, c. III. §. XII. p. 55.*

** In ſymbolo, quod vocatur, apoſtolico, ab ipſis apoſtolis ſummam quamdam doctrinae chriſtianae comprehenſam fuiſſe, plurimi, praeeunte AMBROSIO, RVFFINO, ISIDORO, ſibi perſuaſerunt. Et licet de tempore inter ſe non conueniant; plerique tamen in eam ingrediuntur ſententiam, breui ante diſperſionem apoſtolorum ſymbolum hocce ab illis fuiſſe conditum, vt inſtar teſſerae eſſet, qua dignoſci poſſent, qui apoſtolicam doctrinam, eamque genuinam, eſſent amplexuri. Communis fere haec eſt romanenſium opinio, cui e noſtratibus *centuriatores Magdeburgenſes, centur. I. lib. II. p. 66.* & deinceps illi cumprimis acceſſerunt, qui, omnes eos in fundamento fidei conſentire, contenderunt, qui ſymbolo huic ſubſcribunt. Porro, ad modum, quo

quo ſymbolum hocce compoſitum ſit, quod attinet; ſunt, qui putant, ſingulos apoſtolos articulum aliquem *ſymbolae* inſtar contuliſſe; Petrum e. g. dixiſſe: *credo in Deum patrem omnipotentem*, Andream: *& in Ieſum Chriſtum filium eius*, Iacobum: *qui conceptus eſt de ſpiritu ſancto, &c.* Ita auctor *homiliae* AVGVSTINO adſcriptae *de ſymbolo*, quae in noua Benedictinorum editione inter ſpuria *tomi V.* exſtat, *ſerm. CCXL.* & auctor alius ſermonis, qui ibidem legitur, *num. CCXLI.* LEO quoque, *epiſt. XXVII.* VENANTIVS FORTVNATVS, in *exegeſi ſymboli apoſtolici*, PIRMINIVS, ſaeculi octaui ſcriptor, de *libris canonicis*, in *analectis* IO. MABILLONII, *tom. IV. p. 575.* aut ſecundum nouam editionem *p. 66.* Quorumdam ex hiſce teſtimonia recitat, & alia adhuc addit, IO. ALB. FABRICIVS, in *codice apocrypho noui teſtamenti*, *part. III. p. 339. ſeqq.* Vti autem ludicra prorſus eſt haec ſententia, & omni deſtituitur fundamento; ita certiora non ſunt, quae alii de formula hacce per ſermones vltro citroque habitos concinnata, aut e ſacris litterarum monumentis hinc inde congeſta, & communi ſuffragio perſcripta, nobis narrant. Qui, ſine aliorum ſcriptorum adminiculis ex ſpiritus ſancti ſubgeſtione ſymbolum hocce ab apoſtolis compoſitum contendunt; illud diuinitus inſpiratum cenſent, adeoque eamdem qua ſcriptura ſacra pollet illi non tribuere nequeunt auctoritatem. Sed haec omnia fruſtra dicuntur, quamdiu, ſymbolum hoc ab apoſtolis confectum eſſe, nondum eſt probatum. Hoc vero tantum abeſt, vt probari queat, vt luculentiſſimis potius rationibus euincere pronum ſit, perperam illud apoſtolis tribui. Silet namque in *actis apoſtolorum* Lucas, rem tanti momenti non temere praetermiſſurus. Silent IVSTINVS martyr, IRENAEVS, CLEMENS Alexandrinus, ORIGENES, TERTVLLIANVS, EVSEBIVS, HILARIVS, CYRILLVS Hieroſolymitanus, praeſtantiſſimi per quatuor a nato Chriſto ſaecula viri. Recepta fuerunt in eccleſiis orientalibus alia ſymbola, alia quoque in conciliis oecumenicis, Nicaeno, Conſtantinopolitanoque, condita aut confirmata, apoſtolici nulla facta mentione. Teſtimonia, ad quae ſecus ſentientes prouocant, nihil probant; cum aut ex ſcriptis ſpuriis ac ſuppoſititiis, aut ex eiusmodi auctoribus deprompta ſint, quorum hac in re nulla eſt auctoritas. Hinc & ex ipſis romanae eccleſiae addictis fuerunt, qui agnoſcerent, ſymbolum hocce ab apoſtolis conditum non eſſe. LAVR. VALLA non tantum, ab apoſtolis illud confectum, negauit, ſed omnino, in concilio Nicaeno compoſitum, adſeruit; in *antidoto in Poggium, lib. IV. p. 223. ſeqq.* vnde excerptus eſt libellus Argentorati 1522 editus, inſcriptusque: *calumnia theologica Laurentio Vallenſi Neapoli olim intentata, quod negaſſet ſymbolum membratim articulatimque per apoſtolos eſſe compoſitum.* Sic & DESID. ERASMVS Roterodamenſis, cum in *praefatione in Matthaeum* ſcripſiſſet: *ſymbolum, an ab apoſtolis proditum ſit? neſcio*, eamque ob cauſſam magiſtrorum Pariſienſium cenſuram incurriſſet; ſuam ex inſtituto vindicauit ſententiam, in *declarationibus ad cenſuram facultatis Pariſienſis, tit. XI. declarat. XXXVI. tom. IX. oper. p. 700.* His ex recentioribus acceſſit LVD. ELLIES DV PIN, qui variis rationibus probat, ab ipſis apoſtolis hocce ſymbolum minime concinnatum eſſe; in *bibliothec. ſcriptor. eccleſ. tom. I. p. 9. ſeqq.* eamque ſententiam denuo aduerſus cenſorem quemdam (PETITDIDIERIVM) tuetur, in reſponſo, quod *tomo VI.* ſubiecit, *p. 27.* Plerique tamen romanenſium in eo conſentiunt, ſymbolum hocce recte apoſtolis tribui. Cum autem diffiteri nequeant, non vna iſtud ea-

demque ratione in omnibus eccleſiis fuiſſe recitatum, ſed in quibusdam his, in nonnullis aliis verbis, moxque pluribus, mox paucioribus ſententiis conſtitiſſe, additionesque ac variationes ſucceſſu temporis in eo factas clariſſime deprehendi; & vero credibile non ſit, quemquam, in hoc ſymbolo aliquid mutare & adiicere, auſurum fuiſſe, ſi illud ab apoſtolis profectum eſſet; hinc vt ſe expedirent, non vnam ingreſſi ſunt viam. CHRIST. LVPVS, theologus quondam Louanienſis, qui variationes iſtas ac additiones diligenter collegit, in *ſcholiis* ad *Tertullianum de praeſcript. aduerſ. haeret. c. XIII. p. 267.* eo tandem ſe recipit, vt diſcrimen inter ſymbolum *traditum* & *ſcriptum* conſtituat, & *ſcriptum* quidem, non autem *traditum*, his mutationibus obnoxium fuiſſe, contendat; additque, ſymbolum fuiſſe ex iis, quae ſcripto mandari antiqua arcani diſciplina non permiſerit, & ne catechumenis quidem, vt illud pro iuuanda memoria deſcriberent, conceſſum fuiſſe, ſed omnes auditu illud perdiſcere oportuiſſe. NAT. ALEXANDER, cum itidem hocce, de mutationibus & additionibus in ſymbolo iſto factis, dubium ſibi propoſuiſſet; reſpondet, de aliis quidem hoc verum eſſe eccleſiis, non autem de romana; quippe in qua iisdem plane verbis & ſententiis, eodemque ordine, quo ab apoſtolis traditum ſit, recitetur; *hiſtor. eccleſ. nou. teſtam. ſaec. I. diſſert. XII. p. 139. ſeqq.* Quae omnia quam inania ſint, luculenter oſtendit THO. ITTIGIVS, in *ſelectis capitib. hiſtor. eccleſ. ſaec. I. c. III. ſect. I. §. VI. ſeqq. p. 83. ſeqq.*

Cum ergo certum exploratumque ſit, ab ipſis apoſtolis ſymbolum hocce conditum non eſſe; adeoque, ſi *apoſtolicum* dicatur, intuitu doctrinae, in eo comprehenſae, hoc intelligendum, recte viri docti iudicent; ſupereſt diſquiſitio, quando itaque iſtud ortum receptumque ſit in eccleſia? Nonnulli, ſaeculo quarto illud enatum, exiſtimant; quibus & LAVR. VALLA ſuffragatur, quem, in concilio Nicaeno illud compoſitum, cenſuiſſe, antea obſeruauimus. Perperam quidem. Errori autem impudentiam addit CHRISTOPH. SANDIVS, dum, ſymbolum hocce in ſynodo Nicaena ab iis, qui cum Ario faciebant, concinnatum, nobis perſuadere adnititur, vti, quod nos pro Nicaeno habemus, conditum ſit ab Oſio Cordubenſi, & Alexandro Alexandrino, aliisque orthodoxis; in *nucleo hiſtor. eccleſ. lib. I. p. 52.* & *l. II. p. 167.* merito ideo refutatus a BALTH. BEBELIO, *antiquitat. eccleſ. euangel. ſaec. IV. artic. IV. p. 881.* Altius adſcendunt alii; iamque ſaeculo ſecundo fundamenta huius ſymboli in eccleſia romana iacta eſſe, FRID. SPANHEMIVS auctor eſt; *introd. ad hiſtor. eccleſ. ſaec. II. c. III. p. 39.* Succeſſiuam tamen eius originem idem agnoſcit, *hiſtor. eccleſ. noui teſtamenti, ſeu chriſtian. ſaec. I. c. VI. p. 539.* Nimirum, proxime illi citra controuerſiam ad verum accedunt, qui, ſymbolum hocce ex ſollemni baptiſmi formula, qua baptizandi, ſe credere, profitebantur, in Deum patrem, filium & ſpiritum ſanctum, enatum, exiſtimant, ita quidem, vt ſubinde additamenta quaedam, haereticorum, qui eccleſiam turbabant; erroribus oppoſita, adiicerentur; donec in eam, qua hodie conſpicitur, formam exſurgeret. Diſtincte hoc docet SAM. BASNAGIVS FLOTTEMANVILLAEVS, in *exercitationibus hiſtorico-criticis, de rebus ſacris & eccleſiaſticis; contra Baronium, ad an. XLIV. n. XVII. p. 475. ſeqq.* fuſius autem, copioſiusque auctor *hiſtoriae ſymboli apoſtolici, cum obſeruationibus eccleſiaſticis & criticis, ad ſingulos eius articulos;* quae ex anglico ſermone in latinum tranſlata, Lipſiae 1706. 8 prodiit. Suffragatur eidem ſententiae THO. ITTIGIVS, in *ſelectis capitibus hiſtor. eccleſ. ſaec. I. c. III. ſect. I. §. VI. p. 83.*

Plura

Plura de hocce ſymbolo, praeter virum huncce, quem iam laudauimus, doctiſſimum, qui tum *l. c.* tum in *diſſertat. de pſeudepigraphis Chriſti*, *Mariae & apoſtolorum, c. VIII.* multa erudite de eo obſeruat, dabunt GERH. IO. VOSSIVS, de *tribus ſymbolis, apoſtolico, Athanaſiano, & Conſtantinopolitano*; quae commentatio *tom. VI. operum* eius exſtat; IAC. VSSERIVS, in *diatribe de romanae eccleſiae aliisque fidei ſymbolis*; IO. HENR. HEIDEGGERVS, in *diſſertat. de ſymbolo apoſtolico, tom. II. exercitation. ſel. num. XV.* WILH. ERN. TENZELIVS, in *diſſ. de ſymbolo apoſtolico*, quae inter *exercitationes* eius *ſelectas*, iunctim editas, prima eſt; IO. GEO. NEVMANNVS, in *diſſertatione hiſtorico-theologica, de conditoribus ſymboli apoſtolici*; SAM. BASNAGIVS, tum *loco* antea *citato*, tum & in *annalibus politico-eccleſiaſticis, ad annum Chriſti XLII. num. XVIII.* HERM. WITSIVS, *exercitation. I. in ſymbolum apoſtolicum*, aliique, laudati IO. ALB. FABRICIO, in *codice apocrypho noui teſtamenti, part. III. p. 361.*

§. III. Ad ſymbola ante-Nicaena, praeter illud, quod apud IRENAEVM, itemque TERTVLLIANVM exſtat, vt & GREGORII thaumaturgi *expoſitionem fidei*, * referenda romanum, Aquileienſe & orientale; de quorum tamen origine nihil certi conſtat. Antiochenum itaque primum eſt, cuius natales nobis innotuerunt; quippe quod in concilio Antiocheno, anno CCLXX celebrato, conditum, nouimus. **

* Exſtant vtique quorumdam huius aetatis patrum fidei profeſſiones, aut certe ab iis referuntur; quae vel hoc nomine obſeruatu dignae ſunt, quod veteris eccleſiae doctrinam condiſcere ex iis liceat. Nonnulli equidem, in IGNATII epiſtolis iam fidei confeſſionem quamdam, aut ſymbolum inueniſſe ſibi viſi ſunt, ideoque verba, quae in *epiſtola* eius *ad Philippenſes, §. II. p. 333.* editionis THO. ITTIGII leguntur, proferunt. Verum, ſpuriam hancce eſſe *ad Philippenſes* epiſtolam, viri eruditi vno veluti ore confitentur; conferendusque hac de re IAC. VSSERIVS, in *diſſertationib. Ignatianis*, in *bibliothec. patrum apoſtolic.* IO. BAPT. COTELERII, *p. 192.* itemque THO. ITTIGIVS, in *diſſ. de patrib. apoſtolic. §. LXXXVI. ſeqq.* Praeterea, ſi quis eccleſiae veteris doctor dogma aliquod fidei data occaſione explicet; non ſtatim confeſſionem quamdam aut ſymbolum exhibet. Hinc & verba eiusdem IGNATII, quae in *epiſtola ad Magneſianos §. XI.* exſtant: *Chriſtus ante ſaecula genitus eſt a patre, poſtea autem factus eſt ex Maria virgine &c.* neutiquam pro confeſſione fidei habuerim; quamuis & in interpolata tantum ad Magneſianos epiſtola legantur; confer. THOM. ITTIGII *bibliotheca patrum apoſt. p. 53. & p. 213.* Falluntur itaque etiam, qui, haec verba ex ſymbolo apoſtolico petita, contendunt. Sed, miſſo IGNATIO, ad eam confeſſionem progredimur, quae apud IRENAEVM, *lib. I. aduerſ. haereſ. c. II. p. m. 45.* editionis IO. ERN. GRABII legitur; ſi modo ita vocanda. Eam cum recitaſſet, addit: *Hanc praedicationem cum acceperit, & hanc fidem, quemadmodum praediximus, eccleſia, & quidem in vniuerſum mundum diſſeminata, diligenter cuſtodit, quaſi vnam domum inhabitans &c.* Vnde colligas, in hacce confeſſione doctrinam, eo tempore in vniuerſa eccleſia receptam, contineri. Immo ſunt, qui ex hiſce verbis probare ſatagunt, ſymbolum, quod apoſtolicum vocatur, iam tum receptum fuiſſe; tum, quod iſta, quam IRENAEVS refert, confeſſio, cum hocce ſymbolo plane conuenire videatur, tum, quod haud obſcure innuat,

nuat, ſe eam ab apoſtolis accepiſſe. Verum nubes iſti atque inania prenſant. Etſi enim IRENAEVS dicat, eccleſiam hancce fidem ab apoſtolis, & eorum diſcipulis accepiſſe; non tamen dicit, quod eam per ſymboli, aut formulae alicuius traditionem, acceperit. Deinde res ipſa docet, hancce, quam IRENAEVS refert, fidei chriſtianae ſummam, plane eſſe diuerſam a ſymbolo, quod vocatur, apoſtolico. Quaedam enim in illa adſunt, quae in hoc deſunt, & viciſſim, quaedam in ſymbolo apoſtolico adſunt, quae deſunt in confesſione illa. Vtriusque collatio hoc ſtatim docet; vnde, vt exemplis hoc comprobemus, neceſſe non eſt. Luculenter etiam id oſtendit IO. LVD. RVELIVS, in *hiſtor. concilior. tom. I. p. 209.* Apud TERTVLLIANVM duplex eiusmodi exſtat fidei confeſſio, fuſior altera, de *praeſcript. aduerſ. haeret. p. m. 235.* altera breuior, *lib. de virginib. velandis p. m. 192.* Et poſteriorem quidem ita incipit: *regula fidei vna omnino eſt, ſola, immutabilis & irreformabilis, credendi ſcilicet in vnicum Deum &c.* priorem vero ita: *regula eſt autem fidei, vt iam hinc quid defendamus, profiteamur, illa ſcilicet, qua creditur, vnum omnino Deum eſſe &c.* Sunt rurſus, qui, & in his confeſſionibus ſymbolum apoſtolicum ſibi inueniſſe, videntur. Sed, cum iſtae inter ſe differant, indicandum primum erat, quaenam ſymbolo apoſtolico reſpondeat. Deinde haec ipſa libertas, diuerſas fidei confeſſiones proferendi, oſtendit, nullum ſymbolum apoſtolicum TERTVLLIANO innotuiſſe, quo ceteroquin conſtanter haud dubie vſurus fuiſſet. Accedit, quod vtraque iſta TERTVLLIANI formula multis in capitibus, a ſymbolo, quod vocatur, apoſtolico, differat, quod luculentiſſime demonſtrat IO. LVD. RVELIVS, in *hiſt. concil. tom. I. p. 211.* Quando autem TERTVLLIANVS fidei, quam profert, confeſſionem, *regulam fidei immobilem & irreformabilem* vocat; neutiquam inde inferendum, ac ſi eiusmodi formula quaedam pro norma ac regula veritatis ſit reputanda, vt nonnulli contendunt, qui perperam ſibi, ac ſi de ſymbolo apoſtolico loquatur, perſuadent. Non enim de formula quadam, ſed ipſa doctrina eccleſiae, in ſcriptis prophetarum & apoſtolorum comprehenſa, loquitur; quae omnino normae ac regulae loco habenda. Quo ſenſu vero etiam ſymbolum aliquod regula ac norma dici queat, explicat IO. BENED. CARPZOVIVS, in *iſagog. ad libros ſymbol. p. 5.* Sed hac de re alibi. Notiſſima porro eſt GREGORII thaumaturgi *expoſitio fidei*, ſeu *confeſſio de ſacroſancta trinitate*; quam GREGORIVS Nyſſenus exhibet, in *vita Gregorii thaumaturgi, tom. II. opp. p. 976.* quamue de caelo per reuelationem illi traditam, perhibent. Dubitant autem nonnulli, an haecce confeſſio GREGORIVM iſtum auctorem agnoſcat; certe negat hoc CHRISTOPH. SANDIVS, in *tractat. de veteribus ſcriptorib. eccleſiaſticis*, *nucleo* eius *hiſtoriae eccleſiaſticae* praemiſſo, *p. 39.* At ſine ratione illud fieri, contendunt alii; cum & doctrina, in hacce confeſſione comprehenſa, conſentanea ſit doctrinae, ea aetate in eccleſia chriſtiana receptae, & non tantum GREGORIVS Nyſſenus *l. c.* ſed & RVFFINVS, *hiſtor. eccleſ. lib. II. c. XXV.* aliique, iſtam confeſſionem illi tribuant. Legendus GEO. BVLLVS, in *defenſ. fid. Nic. ſect. II. c. XII.* & GVIL. CAVE, in *antiquitatibus patrum eccleſiaſt.* in *vita Gregorii thaumaturgi, part. I. p. 507.* Et doctrinam quidem iſtius confeſſionis, doctrinae eo tempore receptae conſentaneam eſſe, dubio caret; quod autem ea dicitur de caelo per reuelationem quamdam illi obtigiſſe, merito nonnullis ſuſpectum videtur.

** Inter integrarum eccleſiarum ſymbola, quae tribus prioribus a Chriſto nato ſaecu-

ſaeculis, innotuerunt, primo loco occurrit romanum. Eccleſiam nimirum romanam iam ante concilium Nicaenum ſymbolum ſuum habuiſſe, ex hiſce VIGILII, *lib. IV. aduerſus Eutychianos* colligitur verbis: *Vniuerſitas profitetur, credere ſe in Deum patrem omnipotentem, & in Ieſum Chriſtum filium eius, dominum noſtrum. Huic capitulo, ob id, iſte* (Eutyches) *calumniatur: cur non dixit in* VNVM IESVM CHRISTVM *filium eius, iuxta Nicaeni decretum concilii? Sed Roma, & antequam Nicaena ſynodus conueniret, a temporibus apoſtolorum vsque ad nunc, & ſub beatae memoriae Caeleſtino, cui iſte rectae fidei teſtimonium reddidit, ita fidelibus ſymbolum tradidit: nec praeiudicant verba, vbi ſenſus incolumis permanet.* Meminit ſubinde ſymboli eccleſiae romanae RVFFINVS, in *expoſitione in ſymbolum apoſtolicum*, quae & inter *opera* CYPRIANI exſtat, *p. m. 154. ſeqq.* poſſetque inde vtcumque, cuiusmodi iſtud fuerit, colligi. Aquileienſem eccleſiam itidem ſuum habuiſſe ſymbolum, ex eiusdem RVFFINI *expoſitione in ſymbolum apoſtolicum* conſtat, qui & verba eius *tom. I. opp. fol. 170.* exhibet. Non minus vero & orientali eccleſiae ſuum fuit ſymbolum, antequam Nicaenum, aut Conſtantinopolitanum conderetur. Id vero iterum vel ex RVFFINO diſcimus, qui Aquileienſe ſymbolum cum romano pariter ac orientali confert; vbi per *orientale* neutiquam Nicaenum aut Conſtantinopolitanum intelligi poſſe, GERH. IO. VOSSIVS docet, de *tribus ſymbolis, diſſ. I. theſ. XXX. & XLVI. tom. VI. oper. p. 510. 511.* Licet autem, cuiusmodi ſymbolum illud eccleſiae orientalis fuerit, definiri nequeat, quoniam, vt in occidentis ſymbolis variatum, ita & in illo hoc factum videtur; cum tamen non adeo magnum illud diſcrimen fuerit, a vero non abhorret, Nicaenos patres, cum aduerſus Arium, aliqua eſſent veteri ſymbolo adponenda, illud elegiſſe, quod in plurimis, vel nobiliſſimis eccleſiis obtineret. Si ergo reſecentur, quae aduerſus Arium ſtatuta ſunt; quae remanent, vetus ſymbolum orientale dabunt. Ita GERH. IO. VOSSIVS, *l. c. §. XLVII. p. 513.* vbi & ſymbolum iſtud exhibet. Quod vero eccleſia orientalis ante concilium Nicaenum ſuum habuerit ſymbolum, inde quoque confirmatur, quod EVSEBIVS Caeſarienſis, dum in concilio Nicaeno ſuſpicionem haereſeos a ſe amoliri voluit, ſymbolum, quod tunc in vſu erat, loco confeſſionis ſuae obtulerit, adiectis dumtaxat quibusdam, quibus, mentem ſuam ab errore alienam, docere adnitebatur. Quae quidem formula, mutuae confeſſionis cauſſa producta, in concilio, paucu-lis tantum verbis mutatis, additisque illis, quae ob Arium adhuc addenda videbantur, ex imperatoris decreto retenta eſt, vt ipſemet EVSEBIVS teſtatur, in *epiſtola ad Caeſarienſes*, apud SOCRATEM, *hiſtor. eccleſ. lib. I. c. VIII. p. 23.* & THEODORETVM, *hiſtor. eccleſ. lib. I. c. XII. p. 37.* EVSEBII iſtam fidei formulam, pariter ac ſymbolum vetus eccleſiae orientalis, lectorum oculis ſubiecit IO. LVD. RVELIVS, in *hiſtor. concilior. tom. I. p. 181.* vbi & inter quatuor iſta, apoſtolicum, romanum, Aquileienſe, & orientale vetus, collationem inſtituit, vt demonſtret, in quo conueniant, aut a ſe inuicem diſſentiant; quod & iam ante eum fecerat GERH. IO. VOSSIVS, de *tribus ſymbolis, diſſ. I. theſ. XXX. p. 510. ſeqq.* De orientali autem porro legendus RVFFINVS, *lib. I. hiſtor. eccleſ. c. V.* ATHANASIVS, *ad Iouinianum de fide tom. I. oper. p. 247.* Praeter haecce, de quibus hucusque diximus, ſymbola, quae iam ante concilium Nicaenum in vſu fuiſſe dubio caret, licet de illorum origine nihil certi adſeri queat; commemoranda adhuc eſt confeſſio fidei, a doctoribus orthodoxis in concilio Antioche-

no edita. Celebrata equidem iam ſaeculo ſecundo & tertio varia ſunt concilia; ſed obſeruatu prae reliquis dignum eſt Antiochenum tertium, ob magnam epiſcoporum multitudinem, ex omnibus orientis prouinciis vndique collectorum, quod contra Paulum Samoſatenum an. 270 iterum conuocatum fuit. Namque iam antea an. 265 contra eumdem ibidem ſynodus coacta fuerat. In eo itaque concilio, quod an. 270 congregatum eſt, Paulus Samoſatenus errorum tandem, quos callide hactenus diſſimulauerat, conuictus, atque condemnatus eſt. Luculentam autem patres huius concilii ediderunt fidei confeſſionem, de tribus ſanctiſſimae trinitatis perſonis. Priusquam enim ad ſententiam in Paulum ferendam procederent, epiſtolam ad illum ſcripſerunt, qua fidem, quam ab initio acceperant, a beatis apoſtolis traditam, in eccleſia catholica hucusque ſeruatam, in lege, prophetis & euangelio adnuntiatam, de Chriſti deitate, & aeterna praeexſiſtentia, dilucide exponunt, & plurimis ſacrae ſcripturae teſtimoniis ſolide confirmant, &, an eadem ſecum ſentiat, doceatue, ſciſcitantur. Hanc epiſtolam, patrum huius ſynodi confeſſionem continentem, priori ſynodo, quae an. 265 congregata fuit, tribuit CAESAR BARONIVS, obſeruante GVIL. CAVEO, *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſtic. part. II. p. 40.* Primus eam eruit FRANC. TVRRIANVS, hinc a conciliorum collectoribus paſſim graece ac latine edita eſt; conferendus etiam eſt IO. CABASSVTIVS, *notit. eccleſiaſt. ſaec. II. p. m. 70.*

§. IV. Maioris momenti, celebritatisque eſt ſymbolum *Nicaenum*, in concilio quippe oecumenico primo, Nicaeae congregrato, editum, * & in altero concilio oecumenico, ſeu Conſtantinopolitano primo, cum additamento quodam repetitum, & ita inter noſtrae quoque eccleſiae ſymbola receptum. ** Quae inter licet & *Athanaſianum* conſpiciatur, id tamen ipſi Athanaſio perperam tribui, dubio caret. ***

* Congregatum eſt concilium hocce Nicaenum, quod primum inter oecumenica locum tenet, & in quo 318 adfuerunt epiſcopi, an. 325 a Conſtantino magno, imperatore, damnataque in eo eſt Arii haereſis. Miſſis autem reliquis, quae de hocce concilio dici poterant, ea tantum perſequemur, quae ad noſtrum inſtitutum ſpectant. Exſtat inter ATHANASII ſcripta diſputatio, in Nicaeno concilio ab eo contra Arium habita, *tom. I. p. m. 111. ſeqq.* editionis, quae Coloniae an. 1686 lucem adſpexit. In hac diſputatione, dum in aciem prodeunt Athanaſius & Arius, fidei primum ſuae vterque edidit confeſſionem. Dignam illam cenſuit IO. LVD. RVELIVS, quam integram *hiſtoriae* ſuae *conciliorum* insereret, *tom. II. p. 111. ſqq.* qui & ibidem eam exquiſitiſſimam vocat. Verum oppido bonus ille vir fallitur. Diſputationem enim hancce ſuppoſititiam eſſe, & ATHANASIO minime tribuendam, hodie fere inter eruditos conuenit. GVIL. CAVEO figmentum monachi cuiusdam delirantis ſequioris aeui eſſe videtur, quod ex multis in ipſa diſputatione deprehenſis indiciis pateat; *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſtic. ſaec. IV. p. 104.* CASIMIRVS OVDINVS, in *ſupplem. ſcriptor. eccleſiaſtic. Bellarmini, p. 31.* eam VIGILIO Tapſenſi tribuit, quam ſententiam pluribus confirmare adnititur; in *commentar. de ſcript. eccleſiaſtic. tom. I. ſaec. IV. p. 330.* Notum porro eſt, cum in eodem concilio, philoſophus quidam, patres ibi congregatos argutiis ſuis dialecticis adgrederetur, quibus diluendis illi pares non erant; ſenem quemdam confeſſorem, ſimpliciſſimi ingenii,

genii,

genii, ſed probatae ac expertae virtutis virum, ſurrexiſſe, ac edita fidei chriſtianae confeſſione philoſophum illum redegiſſe ad ſilentium. Referunt hancce confeſſionem RVFFINVS, *lib. I. hiſtor. eccleſiaſtic. c. III.* & SOZOMENVS, *lib. I. hiſtor. eccleſ. c. XVII.* ſed diuerſa ratione, vt ex collatione patet. Forte vtrique contenta confeſſionis huius tantum fuere nota, non autem verba. ZONÁRAS atque NICEPHORVS ſenem illum, qui cum philoſopho iſto in certamen hac ratione deſcendit, SPYRIDONEM Trimithuntium vocant; ille quidem *tom. III. annal. p. 84.* hic autem *hiſtor. eccleſ. lib. VIII. c. XIV.* Sed exiguam admodum horum in rebus hiſtoricis eſſe auctoritatem, neminem fugit. Praeter ſenem iſtum, quicumque demum fuerit, HOSIVS quoque, Cordubenſis epiſcopus, in conſeſſu Nicaeno de fide diſſerens, peculiari profesſione fidei, quomodo tres perſonas in vna illa ineffabili patris & filii, & ſpiritus ſancti diuinitate, credi oporteat, explicauit; conf. GELASIVS Cyzizenus, *comment. in acta concilii Nicaeni, lib. II. c. XII.* Ab Arianis itidem quamdam fidei formulam exhibitam, eamque diſcerptam ab orthodoxis, auctor eſt THEODORETVS, *hiſtor. eccleſ. lib. I. c. VII.* Hancce vero formulam ab EVSEBIO compoſitam fuiſſe, & eius blasphemiam certo argumento indicaſſe, teſtatur EVSTATHIVS Antiochenus, apud eumdem THEODORETVM, *l. c. cap. VIII.* Vnde HENR. VALESIVS auctorem iſtius formulae ſeu confeſſionis EVSEBIVM Pamphili, Caeſarienſem epiſcopum, eſſe adfirmat, ad *Theodoreti l. c.* Et ſane EVSEBIVM huncce Caeſarienſem formulam quamdam ſeu confeſſionem in concilio Nicaeno exhibuiſſe, ex *epiſtola* eius ad *Caeſarienſes*, quae apud THEODORETVM, *lib. I. c. XII.* & SOCRATEM, *lib. I. c. VIII.* exſtat, antea iam ad *§. praecedentem* docuimus. Cum vero ipſemet EVSEBIVS in *eadem epiſtola* referat, ſymbolum ſuum a patribus Nicaenis, ipſoque imperatore adprobatum fuiſſe; nullae praeterea in eo blasphemiae deprehendantur; quod THEODORETVS de diſcerpta ab orthodoxis Arianorum formula narrat, de eo intelligi nequit. Et licet EVSTATHIVS, auctore SOCRATE, *lib. I. c. XXIII.* EVSEBIVM Caeſarienſem perſtrinxerit, quod Nicaenam fidem adulteraret; eo tamen in loco, quem THEODORETVS attulit, non de Caeſarienſi, ſed Nicomedienſi epiſcopo loqui videtur; vti THOMAS ITTIGIVS obſeruat, in *hiſtor. concilii Nicaeni, §. XLII. p. 43.* Iam ad ipſum ſymbolum Nicaenum quod attinet, etſi SOZOMENVS ex arcani diſciplina illud proferre auſus non ſit, vt ipſemet profitetur; *lib. I. hiſtor. eccleſ. c. XX.* exhibent tamen illud ATHANASIVS, *in epiſtola ad Iouinianum de fide, tom. I. oper. p. 247.* EVSEBIVS, in *epiſtola ad Caeſarienſes* apud THEODORETVM, & SOCRATEM, *locis* antea *citatis*; HILARIVS, *de ſynodis, p. 242.* BASILIVS, *epiſt. LXXVIII.* LEO magnus, in *epiſtola ad Leonem Auguſtum,* quae in editione PASCHASII QVESNELLI eſt *CXXXIV.* aliique. Quisnam primus in concilio Nicaeno hancce fidei formulam conceperit, de eo non vna omnium eſt ſententia; nec deſunt hic ſibi trinitatis diuinae hoſtes, vt hinc aliquid, quo cauſſam ſuam exornent, captent. MACARIVM, Hieroſolymarum epiſcopum, eam conſcripſiſſe, IOSEPHVS aegyptius auctor eſt, apud IOAN. SELDENVM, *comment. in Eutychii origines, p. 72.* Verba eius ſunt: *iuſſit imperator, vt fides, quam ſcripſerat ei epiſcopus Hieroſolymitanus, legeretur ſynodo epiſcoporum.* HOSIVM, Cordubenſem epiſcopum, ſymbolum illud compoſuiſſe, adſerunt VRSACIVS & VALENS, Arii ſectatores, apud ATHANASIVM, in *epiſtola ad vitam ſolitariam agentes, tom. II. oper. p. 454.* Eamdem

dem ſententiam ex recentioribus ſequuntur SEVERINVS BINIVS in *notis ad concil. Nic. tom. I. concilior. p. 363.* FRANC. LONGVS A CORIOLANO, in *ſumma concilior. p. 211.* CAESAR BARONIVS, in *annalibus ad annum Chriſti CCCXXV. num. II.* ROBERTVS BELLARMINVS, *lib. I. de conciliis, c. XIX.* aliique. Et ſane HOSIVM in concilio iſto confeſſionem quamdam exhibuiſſe, ante iam obſeruauimus. Sunt nihiloſecius, qui BASILIO magis credendum exiſtimant, *epiſtola CCCXIX.* adfirmanti, HERMOGENEM aſiaticum formulam Nicaenae fidei concinnaſſe. Prorſus autem fallitur FRANC. CARRIERE, Aptenſis, ab EVSEBIO Pamphili conditum eſſe ſymbolum Nicaenum, contendens, in *hiſtor. chronolog. pontific. roman. p. 54.* cum tamen conſtet, EVSEBIVM primum circa ſymbolum Nicaenum, cum promulgaretur, propter vocem ὁμοούσιος eidem inſertam, haeſitaſſe, eidemque contradixiſſe; teſte ATHANASIO, in *epiſtola de ſynodi Nicaenae decretis, tom. I. oper. p. 251.* THEODORETO, *lib. I. hiſtor. eccleſ. c. VIII.* SOZOMENO, *lib. II. hiſtor. eccleſ. c. XX.* Eam praeterea confeſſionem, quam ab EVSEBIO in concilio Nicaeno exhibitam, antea diximus, diuerſam fuiſſe a ſymbolo Nicaeno, ex ipſa eius *ad Caeſarienſes epiſtola,* quam ibidem laudauimus, conſtat. CHRISTOPH. autem SANDII, ſymbolum, quod vocatur, apoſtolicum, ab Arii ſectatoribus in concilio Nicaeno conditum, illud vero, quod hodie Nicaenum vocatur, ab HOSIO Cordubenſi, ALEXANDRO Alexandrino, MARCELLO Ancyrano, & EVSTATHIO Antiocheno, homouſianis, & Sabellianis, ſeu Samoſatenianis, concinnatum, in *nucleo hiſtor. eccleſ. lib. II. p. 167.* adſerentis, impudentiam a BALTHAS. BEBELIO, *antiquit. eccleſ. euangel. ſaec. IV. artic. IV. p. 181.* caſtigatam, ſupra iam obſeruauimus. Iungendus WILH. ERNEST. TENZELIVS, in *exercitat. de ſymbolo apoſtolico, part. I. exercitat.* eius *ſelect. exercit. I. §. X. p. 12.* Atque idem vir doctus, quo pacto, qui, HOSIVM, aut HERMOGENEM, aut EVSEBIVM Caeſarienſem, ſymbolum Nicaenum confeciſſe, dicunt, inter ſe conciliari queant, oſtendit, *l. c. p. 13.* Probabilis mihi valde illorum ſententia videtur, qui, non vnius, ſed plurium epiſcoporum opera ſymbolum iſtud concinnatum fuiſſe, autumant, ea quidem ratione, vt ſymbolo eccleſiae orientalis adderentur, quae contra Arium addenda cenſebant. Id haud obſcure ipſe innuit ATHANASIVS, in *epiſtola de ſynodi Nicaenae decretis, tom. I. oper. p. 251.* ſcribens: *epiſcopi igitur* (Nicaeni) *ſublatis Euſebianorum vocabulis iſtam formulam ſanae fidei conceperunt.* Idem & in *epiſtola ad Iouinianum de fide, tom. I. oper. p. 247.* alibique, teſtatur. Sic & THEODORETVS ita hac de re loquitur, vt *fidei formulam, quae adhuc in eccleſiis ſeruatur, communi patrum conſenſu compoſitam eſſe,* adſerat, *lib. I. hiſtor. eccleſ. c. VII.*

Ceterum ſymbolum hocce, vt olim Arianis, ita & hodie eorum ſucceſſoribus, omnibusque anti-trinitariis vehementer diſplicuit; idque vel maxime ob vocem ὁμοούσιος quam ferre nullo modo poſſunt. Hine varia illorum contra eamdem ἐγκλήματα. Primum, vocem eſſe ἄγραφον, & ſcripturae ignotam, clamitant. Arianos a voce hac abhorruiſſe, CHRISTOPH. SANDIVS adſerit, *quia non erat ſcripta in ſacris litteris, & ab haereticis excogitata,* adeoque *iis noua & haeretica viſa fuerit, ſecundum illud apoſtoli: profanas vocum nouitates deuita; nucl. hiſtor. eccleſ. lib. I. p. m. 122.* At, licet vox haecce in ſcriptura non exſtet, ſufficit, quod res ipſa in ea contineatur. Vocabula autem in ſcriptura non exſtantia, ſi rei neceſſitas hoc poſtulet, & haereticorum callidis ſubterfugiis aliter obuiam iri nequeat,

Digitized by Google

nequeat, in eccleſiam introducere, non eſt nefas. Ipſemet SANDIVS Arium defendit, quod praeter ſcripturam adſeruerit, *filium eſſe creatum ex nihilo*, interque alia pronuntiat: *Certe multa non ſunt in ſcriptura expreſſa, quae tamen adſerere nulla ratione prohibetur*; *l. c. p. 145.* Maioris momenti eſſe videtur, quod obuertunt, vocabulum hoc eſſe nouum, & a patribus Nicaenis excogitatum. At fallunt iterum, ac falluntur turpiter. Vt enim res ipſa patribus ante-Nicaenis perſpecta ſatis ac explorata fuit; ita minime ignota quoque fuit vox ὁμοούσιος. Teſtatur hoc ipſe EVSEBIVS, in *epiſtola ad Caeſarienſes*, non ſemel nobis iam laudata, apud SOCRATEM, *hiſtor. eccleſ. lib. I. c. VIII.* Ἐπεὶ καὶ τῶν παλαιῶν τινὰς, inquit, λογίους καὶ ἐπιφανεῖς ἐπισκόπους καὶ συγγραφέας, ἔγνωμεν ἐπὶ τῆς τοῦ πατρὸς καὶ υἱοῦ θεολογίας, τῷ τοῦ ὁμοουσίου συγχρησαμένους ὀνόματι. *Quandoquidem nonnullos ex veteribus inſignes epiſcopos, & diſertos ſcriptores, in explicanda patris ac filii diuinitate, hoc vocabulo conſubſtantialis, vſos eſſe cognouimus.* Idem cum THEODORETVS *lib. I. hiſtor. eccleſiaſt. c. XII.* retuliſſet, *c. XIII. p. m. 40.* ſubiungit: *non eſſe igitur nouam illam adpellationem, conſubſtantialitatis, nec excogitatam ab illius conuentus patribus; ſed a maioribus ad poſteritatem deuolutam, perſpicuum teſtimonium dixit Euſebius.* Idem vero & ATHANASIVS ex inſtituto oſtendit, cum iam eo tempore vocis nouitatem obiicerent Ariani; de *decretis ſynodi Nicaenae contra Arianos, tom. I. oper. p. m. 274.* vbi diſerte ſcribit, *patres qui Nicaeae conuenerunt, non ex ſe, quod aduerſarii obiiciunt, haec vocabula* (οὐσίας & ὁμοουσίου) *finxiſſe, ſed ab aliis olim accepiſſe &c.* idque adductis THEOGNOSTI, DIONYSII, epiſcopi Alexandrini, & alterius DIONYSII romani, teſtimoniis, comprobat. Idem & alibi paſſim repetit. Recte itaque GE. BVLLVS, mirari ſe, ſcribit, ſiue inſcitiam, ſiue impudentiam SANDII, qui adfirmet, ipſum etiam ATHANASIVM inter eos fuiſſe, qui faterentur, τὸ ὁμοούσιον in concilio Nicaeno demum fabricatum; in *defenſ. fidei Nic. p. m. 29.* Vrgent rurſus anti-trinitarii, vocem ὁμοούσιος prioribus quidem ſaeculis in vſu fuiſſe, ſed apud haereticos; reiectam autem & diſerte repudiatam a ſynodo Antiochena, contra Samoſatenianos habita. At vero, non ab haereticis tantum, ſed & ab orthodoxis patribus vocem hancce ea aetate vſurpatam, ex hactenus dictis conſtat. A ſynodo itaque Antiochena dum reiecta iſta vox eſt, atque repudiata, non in orthodoxo, ſed in heterodoxo hoc factum eſt ſenſu, prout a Samoſatenianis accipiebatur. Vt vero patribus Antiochenis cauſſa iuſta fuit, vocem hancce reiiciendi; ita non minus Nicaenis cauſſa iuſta fuit; eam, ſed in ſano ſenſu, recipiendi. Legenda, quae beatus IO. GVIL. BAIERVS noſter hac de re diſſerit, in *diſput. pro concilio Nicaeno, c. V. §. VIII. p. 115. ſeqq.* Plura non addo, cum iam copioſe de hacce voce a me dictum ſit, in *inſtitutionibus theolog. dogm. lib. II. c. I.* ad *§. LI.* Auctores varios, qui de ſymbolo Nicaeno egerunt, laudat IO. LVD. RVELIVS, *hiſtor. concil. tom. II. p. 230. ſeqq.*

** Quod in noſtrae enim pariter ac romanae eccleſiae libris ſymbolicis ſub nomine ſymboli Nicaeni exſtat, reuera Conſtantinopolitanum eſt, aut Nicaeno-Conſtantinopolitanum dici debebat. Qua de re deinceps.

*** De eo ſymbolo, quod ATHANASIVS, in concilio Nicaeno, cum Ario in certamen deſcenſurus, ediidiſſe fertur, iam ſupra diximus, illudque, ceu ſpurium ac ſuppoſititium, repudiauimus. Nec ſermo nunc eſt de illis fidei confeſſionibus, quae hinc inde in ſcriptis ATHANASII reperiuntur, quaeue aut Arianis, aut aliis haereticis ſunt oppoſitae. Celebris namque

que illa, quae ſub ATHANASII nomine circumfertur, & incipit: *quicumque vult ſaluus eſſe, ante omnia opus eſt ipſi, vt teneat catholicam fidem &c.* nunc in cenſum venit. Ea quidem, ſi NATALI ALEXANDRO credimus, Athanaſio iam tributa in ſynodo Auguſtodunenſi in Gallia, ſub Leodegario epiſcopo an. 1570 congregata; immo iam an. 1533, in confeſſione fidei, quae edita eſt a concilio Toletano IV, quaedam ex eadem deſcripta, idem cum aliis contendit; *hiſtor. eccleſiaſt. ſaec. IV. c. VI. p. 209.* Laudat idem & quoſdam medii aeui ſcriptores, qui ſub ATHANASII nomine ſymboli iſtius mentionem fecerint. Alii contra, RVDOLPHVM & AYMONEM ex minorum, & HVGONEM ac PETRVM ex praedicatorum ordine, an. 1239 a Gregorio IX pontifice ad Graecos Latinis conciliandos, Conſtantinopolin miſſos, atque inde *apocriſiarios*, ſeu legatos eccleſiae dictos, primos fuiſſe, adſerunt, qui nomen Athanaſianum ſymbolo huic impoſuerint. Conferendus IO. HENR. HEIDEGGERVS, in *diſſertatione de ſymbolo Athanaſiano, tom. II. diſſertat. ſelect. diſſert. XVIII. p. 745. ſeqq.* itemque CASIM. OVDINVS, in *commentar. de ſcriptoribus eccleſiaſtic. ſaec. IV. p. 346. ſeqq.* ATHANASIVM ſymboli iſtius auctorem eſſe, plurimi romanenſium ſibi olim perſuaſerunt, CAESAR BARONIVS, in *annalib. ad annum 340.* SEVERINVS BINIVS, in *notis ad ſymbolum* hocce, *tom. I. concil. p. 420.* ANT. POSSEVINVS, in *adparatu*, voc. *Athanaſius*; ROBERT. BELLARMINVS, in *ſcriptoribus eccleſiaſt. p. m. 63.* & *lib. II. de Chriſto, c. XXV.* aliique. Et videntur ſane romanenſes rationes quaſdam peculiares habere, cur ſymbolum hocce ATHANASIO vindicent. Praeterquam enim, quod iſtud eccleſiae graecae, quacum iam per multa ſaecula litigant, aduerſatur, dum proceſſio ſpiritus ſancti a patre & filio diſerte in illo adſeritur; vnde & ab iis, qui pro Latinis contra Graecos ſcripſerunt, auctoritas eius ac γνησιότης cumprimis defenditur; admodum illis placet occaſio conditi huius ſymboli, quam fuiſſe autumant, cum ATHANASIVS Romam a Iulio pontifice citatus fuiſſet, vt ei, ceu epiſcopo oecumenico, & ſupremo rerum eccleſiaſticarum arbitro, ſeſe ſubmitteret. Haud contemnendum enim pro illa, quam romani pontifices ſibi vindicant, auctoritate inde enaſci argumentum, arbitrantur. Graecis contra hocce ſymbolum placere nequit, ob adſertam in eo, vti diximus, ſpiritus ſancti a filio proceſſionem. Agnoſcere tamen eos, ATHANASIVM eius auctorem eſſe, licet per ſummam impudentiam addant, eum tunc ebrium fuiſſe, cum iſtud ederet, NATALIS ALEXANDER adfirmat *l. c.* Ad noſtrae eccleſiae theologos quod attinet, nonnulli, ſaltem veteres, dum ſymbolum hocce ſub ATHANASII nomine laudant, eum quoque pro illius auctore agnoſcere videntur; vt ex ABR. CALOVII *theolog. nat. & reuelat. lib. I. p. 68. 69.* diſcere licet. Praeeuntemque ſibi hac in re habent ipſum beatum LVTHERVM, *tom. VI. Ien. p. 573.* quem tamen romanenſes ROB. BELLARMINVS, GREGORIVS DE VALENTIA, aliique adcuſant, quod oſor ſymboli Athanaſiani, ipſiusque trinitatis fuerit; patrocinium contra eius ſuſcipientibus IO. GERHARDO, BALTH. MEISNERO, aliiſque, apud IO. BENED. CARPZOVIVM, *iſagog. ad libros ſymbol. p. 72.* De reliquis doctoribus noſtris, qui ſymbolum hocce *Athanaſianum* vocarunt, idem CARPZOVIVS obſeruat, eos non niſi communem opinionem prodere, nec celare inſignes dubitandi rationes, a BALTHAS. MEISNERO, *diſp. III. praecogn. theol. theor. XXVIII.* adductas, *l. c.* Perperam vtique ſymbolum hocce ATHANASIO tribui, rationibus euidentiſſimis comprobari poteſt. Nullus namque auctor

ATHA-

Digitized by Google

ATHANASIO coaeuus aut ſuppar, immo nec ATHANASIVS ipſe in aliis ſcriptis ſuis, ſpeciatim apologiis, ſymboli huius meminit. Quae hic obuerti ſolent, diluit NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſiaſt. ſaec. IV. c. VI. p. 110.* Immo ipſe ATHANASIVS, procul ſe fuiſſe a condenda noua fidei formula, teſtatur; ſiquidem Nicaenae ſynodi ſymbolum ſit omnibus numeris abſolutiſſimum, in *epiſtola ad Antiochenſes, tom. I. oper. p. m. 576.* Nec temporum illorum permittere videbatur ratio, nouum condere ſymbolum; ſiquidem Ariani ac ſemi-Ariani in pſeudo-ſynodis ſuis hoc agebant, qui & hoc nomine Nicaenae ſynodi defenſoribus male audiebant. Nouum argumentum praebet ſilentium CYRILLI Alexandrini, ſynodi Epheſinae, LEONIS magni, & patrum concilii Chalcedonenſis, qui haud dubie contra Neſtorianam aut Eutychianam haereſin ad hocce ſymbolum prouocaturi fuiſſent, ſi iam eo exſtitiſſet tempore. Idem de Latinis dicendum, qui in controuerſia cum Graecis, de proceſſione ſpiritus ſancti a filio, in iſto ſymbolo luculenter adſerta, hocce telo pugnare potuiſſent, ſi quidquam de eo illis innotuiſſet. Iam vero, primi, qui hocce argumento vſi leguntur, fuerunt apocriſiarii Gregorii IX, de quibus antea dictum, cum haec controuerſia annis prope quingentis duraſſet. Stili porro, ſermoniſque indoles, auctorem huius ſymboli, non graecum, ſed latinum hominem fuiſſe, arguit. Nec enim credibile, ATHANASIVM, in exilio conſtitutum, cum iam aetate prouectus eſſet, eiuſmodi latini ſermonis facultatem ſibi comparaſſe, vt latina, quam graeca lingua, vti maluerit. Accedit, quod in antiquis, & probatae fidei codicibus manuſcriptis operum ATHANASII fere omnibus, hocce ſymbolum deſideretur. Nec praetermittendum, quod vox ὁμοούσιος in eodem non exſtet, quam rationem cumprimis vrget SAM. BASNAGIVS, in *annalibus politico eccleſiaſticis, tom. II. p. 807.* Hiſce denique addi poſſet, quod illi, qui ATHANASIO ſymbolum hocce tribuunt, prorſus inter ſe non conueniant, quando & qua occaſione iſtud ab eo ſit conditum: ſed cum ab aliis hoc iam ex inſtituto oſtenſum ſit, vt hiſce diutius immoremur, neceſſe non eſt. Hodie inſuper eruditiſſimi inter ipſos romanenſes viri agnoſcunt, ab ATHANASIO hocce ſymbolum profectum non eſſe. Ita praeter NATALEM ALEXANDRVM, a nobis iam laudatum, ſtatuunt PASCHAS. QVESNELLVS, *diſſertat. XIV.* ad *Leonis magni opera*, quae eſt *de variis fidei libellis, in antiquo romanae eccleſiae codice contentis, num. XII. p. 384. ſeqq.* IO. CABASSVTIVS, *notit. eccleſ.* in *hiſtorica ſynopſi ſaec. II. p. 54.* ANT. PAGI, in *critica hiſtorico-chronologica anti-Baroniana* ad *annum 340. num. VIII. tom. I. p. 441.* LVD. ELLIES DV PIN, in *bibliothec. ſcriptor. eccleſiaſt. tom. II. ſeu de ſcriptoribus ſaec. IV. p. 58. 59.* LVD. ANT. MVRATORIVS, *anecdotor. tom. II. p. 217. ſeqq.* Hoc ergo cum hodie apud viros harum rerum peritos poſitum ſit extra controuerſiam, ſymbolum hocce ATHANASIVM auctorem non agnoſcere; in eo tamen diſſentiunt, cuinam tribuendum ſit? Nonnulli namque, ab EVSEBIO, Vercellenſi epiſcopo, qui eodem, quo ATHANASIVS, tempore vixit, illud compoſitum, autumant; alii ANASTASIVM eius auctorem laudant, vt adeo ex nominum confuſione error natus ſit; alii aliter ſentiunt. PASCHAS. QVESNELLVS, *loco* antea *citato*, coniecturis haud contemnendis contendit, VIGILIVM Tapſenſem, in Africa epiſcopum, qui ſaeculo quinto floruit, ſymboli iſtius auctorem eſſe; cui etiam viri eruditiſſimi, anteaque laudati NATALIS ALEXANDER, ANT. PAGI, & LVD. ELLIES DV PIN, *locis citatis*, adſtipulantur. Addendus

hiſce

hiſce CASIM. OVDINVS, in *commentar. de ſcriptoribus eccleſiaſt. ſaec. IV. tom. I. p. 346.* IOSEPHVS rurſus ANTELMIVS, in *noua de ſymbolo Athanaſiano diſquiſitione*, Pariſiis an. 1693, 8. edita, VINCENTIO Lirinenſi ſymbolum hocce vindicat. Ab hiſce omnibus diſſentit LVD. ANT. MVRATORIVS, putatque, VENANTIVM FORTVNATVM eius auctorem eſſe poſſe, *anecdotor. tom. II. p. 217. ſeqq.* vbi & *p. 225. exemplar ſymboli Athanaſiani ex antiquiſſimo bibliothecae Ambroſianae codice* exhibet, & alia lectu digniſſima de eodem obſeruat. Satius interim eſſe alii arbitrantur, nihil hac de re definire, libereque fatentur, auctorem iſtius ſymboli ignotum eſſe; vt SAM. BASNAGIVS, in *annalibus politico-eccleſiaſticis anti-Baronianis, tom. II. p. 807.* Plura de hocce ſymbolo, praeter hucusque laudatos, dabunt GERH. IO. VOSSIVS, de *tribus ſymbolis, diſſertat. II. tom. VI. oper. p. 516. ſeqq.* IO. LVD. RVELIVS, in *hiſtor. concil. tom. II. percicop. IV. diatribe LXI. p. 647. ſeqq.* HENR. RIXNERVS, in *diſputat. theolog. exhibente ſymboli Athanaſiani perbreuem deſcriptionem hiſtoricam, eiusque ex ſola ſcriptura ſacra deductionem ac probationem*, Helmſtadii 1675. WILH. ERN. TENZELIVS, in *variis eruditorum iudiciis de ſymbolo Athanaſiano*, Gothae 1687, 12. IO. ALB. FABRICIVS, *bibliothec. graec. lib. V. c. II. p. 315.* De verſione ſymboli huius graeca duplici legendus IO. CABASSVTIVS, *loco* antea *citato p. 54.* immo generatim de eius verſionibus, IO. ALB. FABRICIVS, iam laudatus, *l. c.*

§. V. Certamina Arianorum cum orthodoxis, variis ſymbolis occaſionem dederunt, dum quaedam ab illis confecta, quibus alia ab his iterum ſunt oppoſita. * Per Conſtantinopolitanum vero illud, in quo Nicaenum confirmabatur, Macedonii profligatus error fuit. ** Hiſce & ſingulorum quorumdam eccleſiae doctorum, HILARII, BASILII, EPIPHANII, acceſſerunt; cumprimis autem obſeruatu dignum Hieroſolymitanum illud, quod CYRILLVS expoſuit. ***

* Vt catholici, ſeu orthodoxi, in defendendo ſeu conſeruando ſymbolo Nicaeno omnem operam induſtriamque collocabant; ita Ariani contra, vt auctoritatem illi detraherent, omnem mouebant lapidem. Hinc magno id agebant niſu, vt nouam fidei formulam, ſymbolumque in eccleſiam introducerent. Id maxime patuit ex concilio Antiocheno ſecundo, occaſione encaeniorum, Conſtantii imperatoris iuſſu ibidem celebrandorum, anno 341 congregato. Aderant ſub ductu EVSEBII Nicomedienſis, epiſcopi, teſte ATHANASIO, *epiſt. de ſynodis Arimin. & Seleuc. tom. I. oper. p. m. 894.* nonaginta, SOZOMENO autem *hiſtor. eccleſiaſt. lib: III. c. V.* auctore, nonaginta ſeptem ex Coelo-Syria, Phoenicia, Palaeſtina, Arabia, vicinisque regionibus collecti, quidam reuera catholici, reliqui, vt videri volebant, orthodoxi, verum in cauſſam Athanaſianam parum aequi. In hocce concilio varia condita ſunt ſymbola, ſeu confeſſiones, quas refert ATHANASIVS in *epiſt.* citata *de ſynod. Arimin. & Seleuc. tom. I. oper. p. 891. ſeqq.* de quibus cum non vna ratione viri docti ſentiant, audire cumprimis iuuabit ANT. PAGI, qui diligenter & adcurate in iis diiudicandis verſatus videtur; in *critica anti-Baroniana*, ad *annum 341. num. XIV. ſeqq. p. 449. ſeqq.* Primam nimirum formulam, quae & apud SOCRATEM exſtat, *hiſtor. eccleſ. lib. II. c. VII.* ſolis Euſebianis, qui in iſto concilio erant, tribuendam exiſtimat, quia confeſſionem iſtam hiſce auſpi-

auſpicentur verbis: *nos neque Arii ſectatores ſumus &c.* quae eo comparata ſint, vt Arianiſmi ſuſpicionem a ſe amolirentur, quae in orthodoxos non cadebat. Secundam formulam ſubdole ab Euſebianis editam, plerique poſt SOCRATEM ac SOZOMENVM credunt; ſiquidem & vox ὁμοούσιος in ea non exprimatur. Sed, ab orthodoxis potius eam concinnatam, & Arianis, maxime tamen Sabellianis, contra quos etiam ſynodus haecce congregata fuerit, oppoſitam fuiſſe, is, quem iam laudauimus, vir doctus, ANT. PAGI oſtendit. Certe, vocem ὁμοούσιος non ſemper etiam in orthodoxorum fidei profeſſionibus adhibitam, etiam DION. PETAVIVS obſeruat, ad *Epiphan. haereſi LXXII.* Cum vero in ſecunda hacce formula quaedam obſcurius dicta occurrerent, tertiam a THEOPHRONIO compoſitam, autumat, cui etiam omnes orthodoxi ſubſcripſerint. Acceſſiſſe, quod, ob reuiuiſcentem haereſin Sabellianam, concilii huius patres conſultum duxerint, nomen Sabellii anathemate ferire, quod & in tertia hacce formula factum ſit. Quartam denique fidei formulam a ſolis Euſebianis, non iam contra Sabellianam haereſin, ſed ad inuſtam haereſeos Arianae notam auertendam, doloſe compoſitam, editamque, contendit. Plura de iſtis confeſſionibus, fideique formulis, dabit EMMANVEL SCHELSTRATENVS, qui *concilium* hocce *Antiochenum* ampliſſimis *commentariis*, variiſque *diſſertationibus* illuſtratum, edidit, Antwerpiae an. 1681. 4. itemque GVIL. CAVE, *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſt. part. II. p. 68.* cumprimis autem in *antiquitatib. eccleſiaſt. part. II.* in *vita Athanaſii, ſect. VI. §. VI. p. 301. ſeqq.* Poſt Antiochenam hancce, an. ſequenti 342, Iulius pontifex aliam ſynodum Romae congregauit, in qua ATHANASIVS ſymbolum ſuum edidiſſe perhibetur; ſed ſine fundamento hoc adſeri, ex antea dictis patet. CAES. BARONIVM, qui ex hacce ſynodo duas facit, poſt HENRIC. VALESIVM *obſeruation. Eccleſiaſt. lib. I.* ſolide refutauit ANTON. PAGI, in *critica anti-Baroniana*, ad *an. 342. p. 457.*

Interea epiſcopi orientales iterum Antiochiae conuenerunt, an. 345, ibique πίστιν διὰ πολλῶν γραφῆσαν, *fidem multis verbis conſcriptam*, ſeu prolixum fidei ſymbolum, compoſuerunt, quod μακρόστιχος inde dictum. In eo doctrinam de ſacro-ſancta trinitate, & Dei filio, omiſſa ſola τοῦ ὁμοουσίου mentione, ſenſu, vt videtur, ſatis orthodoxo, exponunt. Exſtat haecce fidei confeſſio apud ATHANASIVM, in *epiſt. de ſynodis Arim. & Seleuc. tom. I. oper. p. m. 896.* item apud SOCRATEM, *hiſtor. eccleſ. lib. II. c. XV.* Cum autem haecce formula ad Italiae epiſcopos, in ſynodo Mediolanenſi an. 346 congregatos, mitteretur; hi illam recipere noluerunt. De tempore ſynodi huius Mediolanenſis inter viros doctos, ſpeciatim DIONYS. PETAVIVM, atque IACOB. SIRMONDVM, acriter diſputatum fuit; quibus interceſſit PET. DE MARCA, in *diatriba de tempore ſynodi Sirmienſis plenariae*, oſtendens, optimam, litem hanc componendi, rationem eſſe, ſi duae ſtatuantur ſynodi Mediolanenſes, quarum altera an. 346. altera an. ſequente 347. celebrata ſit, in qua etiam damnatus ſit Photinus. Eamdem ſententiam calculo ſuo adprobat ANTON. PAGI, in *critica anti-Baroniana* ad *an. 344. p. 463.* Prior itaque ſynodus Mediolanenſis, cum an. 346. celebrata eſſet; anno ſequenti 347. congregata fuit ſynodus Sardicenſis, in Illyrico; in qua cum diſſenſus inter occidentales & orientales epiſcopos exortus eſſet, ab his noua fidei formula, ad explendum velut ac declarandum ſymbolum Nicaenum, concinnata fuit, in qua qui exactiſſimi inter orthodoxos erant, quod deſiderarent, non inuenerunt, niſi quod voce ὁμοούσιος vti noluiſſent; hinc & ab HILARIO Pictauienſi adprobata eſt, qui & eamdem exhibet,

exhibet, *lib. de ſynodis, ſeu de fide orientalium, p.m. 1172.* Eamdem ceu orthodoxam defendit SAM. BASNAGIVS, in *annalibus politico-eccleſiaſt. tom. II. p. 799.* Dubitant viri docti, num Sardicae ab orientalibus haec geſta ſint? SOCRATES namque orientales, Philippopolin, vrbem Thraciae regreſſos, ſeorſim concilium ibi habuiſſe, auctor eſt; *hiſtor. eccleſ. lib. II. c. XX.* At SOZOMENVS, Sardicae haec acta, teſtatur, *lib. III. hiſtor. eccleſ. c. XI.* & ipſi quoque epiſcopi orientales in *epiſtola ſynodica* ſe Sardica ſcribere, diſerte profitentur; quam etiam ſententiam calculo ſuo adprobat GVIL. CAVE, in *antiquitat. eccleſiaſt. part. II. in vita Athanaſii §. VI. p. 327.* & SAM. BASNAGIVS, in *annalibus politico-eccleſiaſt. tom. II. p. 798.* Inter occidentales itidem nonnulli fuerunt, qui formulae Nicaenae aliquid addere voluerunt; at indigne id tulerunt reliqui, & decreto ſanciuere, ne quid vlterius de fide ſcriberetur, cum ſymbolo Nicaeno nihil deeſſet; teſte ATHANASIO, in *epiſtola ad Antiochenſes, tom. I. oper. p. 576.* Vnde patet, eam fidei profeſſionem, quam ſynodicae Sardicenſium epiſtolae ſubiunxit THEODORETVS, *lib. II. hiſtor. eccleſ. c. VII.* a tota ſynodo non eſſe ſcriptam, certe non adprobatam. Fallitur hinc etiam SOZOMENVS, dum hac de re ita loquitur, ac ſi a tota ſynodo occidentalium noua fidei confeſſio condita ſit, *hiſtor. eccleſiaſt. lib. III. c. XII.* conferendus & SAM. BASNAGIVS, in *annalibus politico-eccleſiaſt. tom. II. p. 798.* Inter reliqua concilia, eo tempore congregata, eminent Sirmienſia, quorum nonnulli quinque numerant, alii quatuor. Poſterius qui faciunt, primam ſynodum ad an. 351 referunt; qui prius, iam an. 349 ſynodum ibidem coactam, putant. Sed hancce ſynodum, a DIONYS. PETAVIO primum excogitatam, poſt IAC. SIRMONDVM, qui duas PETAVIO *diatribas* oppoſuit, & PETRVM de MARCA, in *diatriba de tempore ſynodi Sirmienſis plenariae*, exploſit ANTON. PAGI, in *critica anti-Baroniana*, ad *an. 349. p. 472.* In prima itaque, quae an. 351 celebrata fuit, & in qua praeter plurimos orthodoxos epiſcopos, etiam ſemi-Ariani quidam, vt nonnulli volunt, adfuerunt, nouam fidei formulam concinnatam, conſtat. Sed cum tres formulae Sirmienſes in totidem ſynodis conditae ſint; quaenam iſta, & qualis ſit? quaeri ſolet. Recte vero ſentiunt, qui eam primae huic ſynodo vindicant, quae graece concepta eſt, cum duodecim anathematiſmis, & in qua damnantur, qui dicunt, *filium de non exſtantibus, aut ex altera hypoſtaſi eſſe, vel fuiſſe tempus, aut ſaeculum, quando non erat.* Praeter ATHANASIVM, & HILARIVM, *locis citatis*, eam exhibet SOCRATES, *lib. II. hiſt. eccleſ. c. III.* & SOZOMENVS, *lib. IV. c. VI.* itemque IOAN. GEORG. DORSCHEVS, in *collatione ad concil. Sirmienſe, ſect. II. c. I. p. 80. ſeqq.* An MARCVS Arethuſius, quem nonnulli pro Ariano habent, eius auctor ſit? erudite diſquirit DORSCHEVS, *l. c. ſect. III. c. II. p. 124.* Sed ab eo hanc formulam non concinnatam, hodie ſatis conſtat, & euidenter probat ANTON. PAGI, in *critica anti-Baroniana*, ad *an. 351 p. 476.* Plane orthodoxam illam eſſe, nec vllius erroris argui poſſe, agnoſcit, & copioſe demonſtrat, ac quae opponi poſſint, diluit DORSCHEVS, *l. c. ſect. III. c. IV. p. 136. ſeqq.* Sunt equidem, qui, in prima ſynodo Sirmienſi tres fidei formulas compoſitas, adſerunt. Ita SOCRATES, *lib. II. hiſtor. eccleſ. c. XXX.* & SOZOMENVS, *lib. IV. c. VI.* Sed grauiter hoſce auctores, vna cum CAESARE BARONIO, qui illos ſequitur, errare, & tres ſynodos diuerſis temporibus habitas, in vnam confundere, oſtendit ANTON. PAGI in *critica anti-Baroniana*, ad *an. 357 p. 487.* &

NATA-

NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſiaſt. ſaec. IV. diſſert. XXXI. artic. II. p. 367.* Ad ſecundam itaque progredimur ſynodum, quae an. 357 congregata, ex Arianis conſtabat epiſcopis, qui nouam fidei confeſſionem procuderunt, latine quidem ſcriptam, dein graece verſam, qua, tum ὁμοουσίου, tum ὁμοιουσίου vocabula, quod in ſacris litteris non contineantur, & ſupra omnem praeterea intellectum ſint, non amplius vſurpanda, ſanciuerunt. Exhibet eam latine HILARIVS, inſcriptam: *exemplum blaſphemiae apud Sirmium per Oſium & Potamium conſcriptae; lib. de ſynodis, ſeu de fide oriental. p. 1156. ſeqq.* graece ATHANASIVS, in *epiſt. de ſynod. Arim. & Seleuc. tom. I. oper. p. 902. ſeqq.* itemque SOCRATES *hiſtor. eccleſ. l. b. II. c. XXX.* conſ. & ex recentioribus IO. GEORG. DORSCHEVS, in *collat. ad concilium Sirmienſe, ſect. II. c. III. & IV. p. 85. ſeqq.* Num HOSIVS cum POTAMIO hancce formulam compoſuerit, quod HILARIVS adſerit, diſputat DORSCHEVS, *loc. cit. ſect. III. c. I. p. 113.* Subſcripſiſſe, dubio caret; indeque grauiſſimus viri huius qui hactenus orthodoxam ſententiam tam ſtrenue propugnauerat, lapſus intelligitur; de quo legendus NATAL. ALEXANDER, *hiſt. eccleſ. ſaec. IV. diſſert. XXXII. artic. II. p. 371. ſeqq.* itemque GVIL. CAVE, in *antiquit. eccleſiaſt.* in *vita Athanaſii, ſect. XI. §. III. p. 392. ſeqq.* Paullo poſt ſecundum concilium hocce Sirmienſe, eodem adhuc an. 357. ab Arianis congregatum fuit Antiochenum, in quo vocabula ὁμοούσιος & ὁμοιούσιος reiecta; inde vero ſemi-Ariani, qui τὸ ὁμοιούσιον defendebant, in ſynodo Ancyrana damnati ſunt ab anomoeis. Praeter GVIL. CAVE, *l. c. §. IV. p. 395.* legendus SAM. BASNAGIVS, in *annalibus politico-eccleſiaſt.* ad *an. 358. p. 844.* Mox vero an. 358. coiuit tertium concilium Sirmienſe, in quo noua fidei formula, quae inter Sirmienſes tertia eſt, compoſita eſt, & partim ex Sirmienſi prima, partim ex Antiochena an. 341. conflata. Quae etſi non amplius exſtet, cum nemo veterum eam exhibeat; ſemi-Arianam tamen fuiſſe, ex rationibus minime contemnendis viri docti colligunt; & ex dicendis palam fiet. Nimirum obſeruatu digna eſt haecce formula, quoniam ea ipſa eſt, cui LIBERIVS, romanus pontifex, cum ſe, ad partes orthodoxorum deſerendas, induci paſſus eſſet, ſubſcripſit. Romanenſium equidem nonnulli, cum lapſum ipſum pontificis huius negare non audeant, teſtimoniis quippe veterum euidentiſſimis confirmatum, quae in vnum collecta exhibet IO. LA PLACETTE, in *obſeruat. hiſtorico-eccleſiaſticis, part. poſt. obſeruat. IV. p. 137. ſeqq.* vt aliqua ratione Liberii exiſtimationi conſulant, formulam, cui ſubſcripſit, haereticam fuiſſe, abnuunt. Eumque in finem ROBERT. BELLARMINVS, CAESAR BARONIVS, NATAL. ALEXANDER, ex Sirmienſibus formulis primam fuiſſe, contendunt, cui Liberius ſubſcripſerit, quae omnino fuerit orthodoxa. Ad quod dum IO. LA PLACETTE *l. c. p. 147.* ita reſpondet, vt dicat, nec hanc quidem formulam ſatis puram eſſe, ſed aperiſſima Arianae labis indicia prae ſe ferre; omnino fallitur, vt ex iis, quae antea diximus, conſtat. Rectius idem vir doctiſſimus diſerte negat, primam formulam Sirmienſem eam fuiſſe, cui Liberius ſubſcripſerit. Idque, vt alia taceam, ab aliis iam adlata, vel inde patet, quod HILARIVS eam confeſſionem, quam manu ſua calculoque adprobauit Liberius, *perfidiam* vocat. *Perfidiam autem*, inquit, *apud Sirmium deſcriptam, quam dicit Liberius catholicam, a Demophilo ſibi expoſitam, hi ſunt, qui conſcripſerunt &c.* in *fragmentis, p. m. 1338.* Primam vero confeſſionem Sirmienſem HILARIVS ipſe, ceu piam ac orthodoxam, commendauit; adeoque pro perfidia vel haereſi reputare non potuit.

Sunt rurſus, qui, ſecundam formulam Sirmienſem eam eſſe, putant, cui LIBERIVS ſubſcripſerit, quam ab Arianis confectam, dubio caret. Ita, praeter DIONYS. PETAVIVM, aliosque, NIC. FABER, in *praefat. fragmentis Hilarii* praemiſſa, quae & in operibus HILARII, Pariſiis 1693. fol. editis, exſtat *p. 1387.* Sed obſtat, quod HILARIVS ſecundam formulam Sirmienſem ſemper HOSIO & POTAMIO tribuat, illam vero, cui Liberius ſubſcripſit, duobus & viginti epiſcopis, inter quos nec HOSIVS, nec POTAMIVS recenſentur. Secunda porro formula Sirmienſis diſerte τὸ ὁμοιούσιον pariter ac τὸ ὁμοούσιον proſcribit; illa vero, cui Liberius ſubſcripſit, *filium ſimilem patri*, ſeu ὁμοιούσιον profitebatur, vt SOZOMENVS auctor eſt, *lib. IV. hiſtor. eccleſ. c. XV.* Nihil itaque aliud ſupereſt, quam vt dicamus, tertiam fuiſſe formulam, cui Liberius ſubſcripſit. Dubium equidem mouet IO. LA PLACETTE, adfirmans, Liberium iam an. 357 lapſum eſſe, cum tertia haecce formula demum an. 358. fuerit concinnata; indeque concludit, incertum eſſe, cui formulae Liberius ſubſcripſerit, *l. c. p. 147.* Verum, cum rationes non adferat, quibus euincat, ſubſcriptionem Liberii an. 357. adeoque ante tertiam formulam Sirmienſem concinnatam, factam; a noſtra nos non dimoueri patimur ſententia, quam etiam calculo ſuo comprobat ANTON. PAGI, in *critica anti-Baroniana* ad *an. 357. p. 489.* Semi-Arianam fuiſſe iſtam formulam, antea iam monuimus; pluribusque id confirmat SAM. BASNAGIVS, in *annalibus politico-eccleſiaſtic.* ad *an. 358. p. 847.* Conciliorum vero ac ſynodorum, hinc & ſymbolorum, eo tempore nec finis, nec modus fuit; qua de re lectu dignum iudicium AMMIANI MARCELLINI, *hiſtor. lib. XXI. c. XVI.* Anno namque ſequenti 359. iterum varia congregata ſunt concilia, inter quae primum fuit Sirmienſe quartum. Noua ibi iterum edita fidei confeſſio, quam MARCVS demum ille Arethuſius, de quo antea dictum, compoſuit. Exſtat apud ATHANASIVM, *de ſynodis Arim. & Seleuc. tom. I. oper. p. 875.* itemque apud SOCRATEM, *lib. II. hiſtor. eccleſiaſt. c. XXXVII.* qui, eam latine conſcriptam, & in linguam graecam conuerſam, auctor eſt; quod parum veroſimile videtur GVIL. CAVEO, in *antiquit. eccleſ. in vita Athanaſii ſect. XI. §. VII. p. 422.* Eamdem apud IO. GEORG. DORSCHEVM legere licet, in *collat. ad concil. Sirmienſe, ſect. II. c. V. & VI. p. 89.* Ariano eam fuiſſe infectam veneno, vel inde liquet, quod *filius patri ſimilis* adſeratur, vocabulum autem *ſubſtantia* prorſus proſcribatur; vti recte quoque obſeruat SAM. BASNAGIVS FLOTTEMANVILLAEVS, in *annalibus politico-eccleſiaſt.* ad *an. 359. p. 849.*

Cum vero hactenus, in quiete ac tranquillitate, feſſis eccleſiae rebus reddenda, fruſtra elaboratum fuiſſet; placuit tandem Conſtantio imperatori, oecumenicum conuocare concilium, ſi forte hac ratione finem imponere hiſce certaminibus poſſet. Sed dum de loco, vbi eiusmodi concilium congregandum eſſet, deliberatio inſtituebatur; Arianorum fraudibus eo res deducta eſt, vt imperator ſeorſim occidentales & orientales conuocare decerneret. Hac enim ratione, ſi non apud vtrosque, certe apud alterutros, ſe ſuperiores fore, ſibi perſuadebant. Ariminum, vrbs ad littus maris Adriatici ſita, eligebatur, in qua occidentales conuenirent; quorum etiam magnus aduolauit numerus. Orthodoxorum epiſcoporum quadringenti adfuiſſe dicuntur, Arianorum vero non plures, quam octoginta. Mirum itaque non eſt, orthodoxos exſtitiſſe ſuperiores, a quibus etiam fidei formula, quam Ariani proferebant, quae in vltimo concilio Sirmienſi a MARCO Arethuſio erat compoſita, reiecta, formulaque fidei Nicaenae

Nicaenae denuo confirmata fuit. Sententia haecce ſynodalis exſtat apud ATHANASIVM, *de ſynodis Arim. & Seleuc. tom. I. oper. p. 879.* *Definitio* autem *catholica de fide Nicaena*, cum damnatione blaſphemiarum Arii, apud HILARIVM legitur, in *fragmentis*, *p.m.1341.* Artibus nihilominus ſecius Arianorum, quibus & Conſtantius imperator fauebat, effectum, vt legati orthodoxorum, quos patres Ariminenſes ad imperatorem miſerant, Nicaeam cum Arianorum legatis euocati, formulam iſtam Sirmienſem, quam Arimini doctores orthodoxi reiecerant, comprobarent, & ad fallendos incautos, ſub ſplendido *Nicaenae fidei* nomine promulgarent; vt THEODORETVS pluribus exponit, *hiſtor. eccleſ. lib. II. c. XXI.* Hinc vero, qui Arimini adhuc congregati erant, doctores orthodoxi, vi, minis, fallaciis tandem compulſi ſunt, vt eam, quam ipſimet antea reiecerant, reciperent formulam, atque adeo Arianis victoriam concederent. Quin immo, litteris ad Conſtantium imperatorem datis, hunc concilii iſtius exitum gratulabundi nuntiabant, ſuumque cum orientalibus teſtabantur conſenſum, inter ſingularia Dei & imperatoris beneficia referentes, *ne quis* οὐσίας *&* ὁμοουσίου *nomina eccleſiae Dei ignota aliquando nominet, quod ſcandala inter fratres facere ſoleat.* Exſtat epiſtola iſta apud PHILIP. LABBEVM, *concil. tom. II. p. 803.* Iungatur SAM. BASNAGIVS, in *annalibus politico-eccleſiaſt. p. 852.* Quae paucis de concilio Ariminenſi diximus, fuſius enarrat SVLPIT. SEVERVS, *hiſtor. ſacr. lib. II. c. XLI. p. 267. ſeqq.* Ceterum NATAL. ALEXANDER, de orthodoxia patrum Ariminenſium diſputans, in haereſin eos lapſos, abnuit, quod fraudibus Arianorum circumuenti fecerint, quidquid fecerunt; *hiſtor. eccleſ. ſaec. IV. diſſert. XXXIII. p. 376. ſeqq.* Nec ego negauerim, cum vi & metu coniunctas fuiſſe fraudes Arianorum, loquendi rationes quasdam proferentium, quae orthodoxae videri poterant; quas tamen ſuo ſenſu accipiebant. - Sed, cum iidem patres aſtutiam Arianorum non ignorarent; parum hoc ad illorum excuſationem facit. Eamdem praeterea ipſimet adprobarunt confeſſionem, quam antea damnauerant; quod etſi metu taedioque victi, adeoque minime ex animi ſententia fecerint; contra conſcientiam tamen feciſſe, certum eſt. Legenda, quae hac de re diſſerit SAM. BASNAGIVS, in *annalibus politico-eccleſiaſt.* ad *an. 359. p. 852.* Haec, de quibus hactenus diximus, dum ab Ariminenſibus gerebantur, orientales, iuſſu imperatoris, Seleuciae, quae Iſauriae vrbs eſt, conuenerant, numero centum & quinquaginta, vel vt alii volunt, centum & ſexaginta. Magnae, vehementesque ibi inter Arianos, quorum caput ACACIVS erat, & ſemi-Arianos, exortae ſunt concertationes; his formulam, quam illi procuderant, reiicientibus, & Antiochenam in eccleſiae dedicatione factam, denuo confirmantibus. Arianorum, ſeu Acacianorum illam confeſſionem, exhibet ATHANASIVS, *de ſynodis Arimin. & Seleuc. tom. I. oper. p. 904.* itemque SOCRATES, *hiſtor. eccleſ. lib. II. c. XL.* Addatur & EPIPHANIVS *haereſi LXXIII.* Cum ergo vtrique legatos ad imperatorem mitterent; contigit, vt & Ariminenſes legati adeſſent, qui formulam iſtam ſemi-Arianorum, ab omnibus tandem adprobandam, ſecum attulerant. Hanc Acaciani adprobabant, repugnantibus reliquorum Seleucienſium legatis; donec imperator praeciperet, vt omnes formulae huic Ariminenſi ſubſcriberent, quod & ab iis, paucis quibusdam exceptis, factum eſt. Legendi hac de re THEODORETVS, *hiſtor. eccleſiaſt. lib. II. c. XXVIII.* & SOZOMENVS, *hiſtor. eccleſ. lib. IV. c. XXIII.* Vt vero formulae Sirmienſi plus auctoritatis conciliaretur: placuit eamdem, coacto Conſtantinopoli concilio, firmare. Aderant epiſcopi numero

mero quinquaginta, aut plures, ſecundum alios. Inter eos MARIS quoque erat, Chalcedonis epiſcopus, & VLPHILA Gothorum epiſcopus, qui hactenus Nicaenam fidem amplexus fuerat, ſequutus THEOPHILVM, qui cum eſſet Gothorum epiſcopus, Nicaeno concilio praeſens ſubſcriſerat; vt vero pleniori obſequio Conſtantium demereretur, tum primum Ariminenſi fidei conſenſit, vt SOCRATES refert, *lib. II. hiſtor. eccleſ. c. XLII.* Praecipua concilii huius cura fuit, Ariminenſem formulam, quam in quarta ſynodo Sirmienſi compoſitam ſupra diximus, ſtabilire. Decreuerunt quoque, neque hypoſtaſin, neque ſubſtantiam, de Deo dicendam. Atque ſic euerſa ſunt Nicaeni concilii decreta. Copioſius, quae in hacce ſynodo geſta ſunt, ediſſerit SAM. BASNAGIVS, in *annalibus politico-eccleſiaſt.* ad *an 360. p. 856.* itemque GVIL. CAVE, in *antiquit. eccleſ. in vita Athanaſii, ſect. XII. §. IV. ſeqq. p. 421. ſeqq.* Finita autem iſta ſynodo, Conſtantius, expeditione contra Perſas infeliciter ſuſcepta, Antiochiae hibernare ſecum conſtituit. Ibi ergo an. 360 noua ab Arianis congregata ſynodus, in qua, mutata in peius ſententia, ſanxerunt, filium patri παντελῶς ἀνόμοιον καὶ ἐκ τῶν οὐκ ὄντων factum eſſe; inde *anomoei* & *exucontii* dicti. Referunt hoc ATHANASIVS, *epiſt. de ſynodis Arim. & Seleuc. tom. I. oper. p. 906. 907.* THEODORETVS, *hiſtor. eccleſ. lib. II. c. XXXI.* SOZOMENVS, *hiſt. eccleſ. lib. IV. c. XXIX.* Cum vero, triumphantibus licet Arianis, magnus nihiloſecius epiſcoporum eſſet diſſenſus; Conſtantius denuo ad concilium vniuerſale animum adiecit. At morte praepeditus, deſtinata exſequi non potuit, ſucceſſoremque nactus eſt Iulianum apoſtatam, ſub quo ſedi ſuae reſtitutus ATHANASIVS, Alexandriae ſynodum congregat, an. 362, quae Alexandrina quinta eſt; in qua, plurimis ex Aegypto, Lybia, Arabia, Italia epiſcopis confluentibus, ſancitum fuit, ſpiritum ſanctum patri & filio eſſe conſubſtantialem, Chriſtum reuera naturam noſtram, ex carne & anima rationali conſtantem, adſumſiſſe, voces οὐσία & ὑπόστασις, quae piorum mentes toties turbauerant, eſſe adcurate diſtinguendas, modum loquendi Nicaeni ſymboli ſequendum. Legendus SOCRATES, *hiſt. eccleſ. lib. III. c. VII.* atque SOZOMENVS, *lib. V. c. XII.* itemque RVFFINVS, *lib. I. c. XXVIII.* Pari ratione & in ſynodo Pariſienſi eccleſiae vulneribus conſultum; de cuius tamen tempore, num ad annum 360, an. 62, referenda ſit; viri docti inter ſe diſſentiunt; in qua & formula fidei, Arimini condita, ab ipſis epiſcopis, qui eidem ſubſcripſerant, damnabatur, quod & in aliis Galliae conciliis, quae eo tempore habebantur, factum, vt SVLPIT. SEVERVS auctor eſt, *hiſt. ſacr. lib. II. c. XLV. p. m. 278.* Iuliano in bello perſico exſtincto, Iouianus imperator creatus eſt, qui, cum orthodoxis bene cuperet, ad ATHANASIVM ſcripſit, fidei catholicae expetens ab eo expoſitionem. Hic ergo Alexandriae an. 363 ſynodum congregauit, in qua fidei expoſitio exquiſita, Nicaenum ſymbolum illuſtrans ac confirmans, condita, quam ATHANASIVS ipſe, cum aliis quibusdam legatis, imperatori offerre iuſſus eſt, idque eo euentu factum, vt Arianorum, aliorumque imperatorem ad partes ſuas pertrahere adnitentium, conatus irriti redderentur. Atque haec eſt iſta *de fide ad Iouianum epiſtola*, quae *tom. I. oper.* ATHANASII exſtat, *p. m. 245. ſeqq.* itemque apud THEODORETVM, *hiſtor. eccleſ. lib. IV. c. III.* Eam non Alexandriae, ſed Antiochiae, ſcriptam, contendit HENR. VALESIVS, ſed repugnat, & merito quidem, GVIL. CAVE, in *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſticor. part. II. p. 73.* & in *antiquitat. eccleſ. in vita Athanaſii, p. 450.* vbi eamdem itidem exhibet. Mox vero & Anti-

Antiochiae ſynodus coiuit, quae inter eas, quae ab hacce vrbe nomen retulerunt, octaua eſt, in qua Acaciani, ad nutum & ſententiam eorum, qui rerum potiebantur, ſe flectere parati, verſis velis τὸ ὁμοιούσιον amplexi, fidem Nicaenam confirmarunt, & *libellum de fide*, a ſe compoſitum, imperatori obtulerunt; quem exhibet SOCRATES, *hiſt. eccleſ. lib. III. c. XXV.* & SOZOMENVS, *lib. VI. c. IV.* Sub Valentiniano, atque Valente, quorum ille orthodoxis, hic Arianis fauebat, imperatoribus, primum occurrit ſynodus Lampſacena, ſecundum quosdam an. 365, ſecundum alios autem, quibuscum etiam ANT. PAGI, in *critica anti-Baroniana*, ad *an. 364.* facit, an. 364 celebrata. Qui in ea aderant, decreuerunt τῷ ὁμοουσίῳ dogma retinendum, fidemque Antiochiae olim in encaeniis expoſitam, confirmandam, & quae alia erant eiusdem generis. Lampſacenam hancce ſynodum catholicam fuiſſe, cenſet NATALIS ALEXANDER, quia epiſcopi in ea congregati Arianos damnarint, & τὸ ὁμοιούσιον amplexi ſint, *hiſtor. eccleſ. ſaec. IV. c. III. p. 49.* qua in re praeeuntem ſibi habuit SOZOMENVM, *hiſtor. eccleſ. lib. VI. c. VII.* De filio quidem patres hosce Lampſacenos recte ſenſiſſe, at de ſpiritus ſancti diuinitate male eos exiſtimaſſe, contendit SAM. BASNAGIVS, in *annalibus politico-eccleſiaſtic. tom. III. p. 4.* At, cum concilii iſtius epiſcopi, ſaltem maximam partem, ſemi-Ariani fuerint; nec de filio eos recte cenſuiſſe, credibile eſt. Conferendus SOCRATES, *hiſtor. eccleſ. lib. IV. c. IV.* Multae aliae eo tempore celebratae ſunt ſynodi, vt Sicula, Tyanenſis, Antiochenſis, Romana, aliaeque, in quarum nonnullis τὸ ὁμοούσιον adprobatum, in aliis reiectum fuit; quas omnes recenſere, a noſtro inſtituto alienum foret. Praeter hactenus laudatos auctores de ſynodis, in cauſſa Ariana congregatis, variisque in iis editis fidei profeſſionibus, legi meretur DION. PETAVIVS, *dogmat. theolog. tom. II. lib. I. c. IV. p. 39.* itemque IO. LVD. HARTMANNVS, in *hiſtor. concil. tom. III. p. 244.* Ceterum, licet varia, nec proſpera ſemper, fidei Nicaenae fuerint fata; triumphare tamen tandem coepit, cum Theodoſius magnus ſummae rerum admoueretur. Ab eo, cum Conſtantinopolin ingreſſus eſſet, eccleſiis ſuis pulſi ſunt Ariani, vt SOCRATES auctor eſt, *hiſtor. eccleſiaſt. lib. V. c. VII.* Celebrata hinc fuit ſynodus Antiochena octaua, an. 380, in qua Eunomianorum, Arianorum, pneumatomachorum, Apollinariſtarum damnatis erroribus, orthodoxa fides ſtabilita, condita quoque *regula fidei*, vt ex verbis Conſtantinopolitanorum patrum colligitur, apud THEODORETVM, *lib. V. hiſtor. eccleſiaſt. c. IX.* Cum vero nec ſic quidem Ariani compeſci poſſent, & Macedoniani inſuper eccleſiam turbarent; oecumenica tandem Conſtantinopoli a Theodoſio conuocanda fuit ſynodus, de qua, vt & acceſſione in ea ad ſymbolum Nicaenum facta, nunc porro dicendum erit. De Arianorum autem, de quibus hucusque verba fecimus, ſymbolis, cum praecipua ſolum attigerimus momenta; reliqua dabit PET. ZORNIVS, in *noua collectione plus quam ſexaginta ſymbolorum*, quae in *opuſculis* eius *ſacris* exſtat, *p. 188. ſeqq.* vbi non tantum generatim Arianorum, ſed & ſpeciatim Acacii, Aëtii, ipſius Arii, Eunomii, Euſebii Caeſarienſis, Euſebii Nicomedienſis, aliorumque eidem factioni addictorum ſymbola commemorat. Eunomii, qui auctor fuit ſectae anomoeorum ἔκθεσιν πίστεως, *fidei libellum*, Theodoſio imperatori anno Chriſti 383 oblatum, poſt HENR. VALESIVM in *adnotationibus ad Socratis hiſtor. eccleſiaſt. lib. V. c. X.* & STEPH. BALVZIVM, in *noua collectione conciliorum, tom. I. p. 89.* exhibet IO. ALB. FABRICIVS *bibl. graec. volum. VIII.* ſiue *lib. V. part. IV. p. 253.*

** Turbis nimirum iſtis, motibusque gra-

grauiſſimis, quos tum ſemi-Ariani, tum Macedoniani excitabant, vt finem imponeret Theodoſius; in ipſa vrbe regia ex ditionis ſuae epiſcopis generale conuocare concilium, conſultum duxit. Ab ipſo namque imperatore, eiusque auctoritate, illud conuocatum, diſerte teſtantur SOCRATES, *lib. V. hiſtor. eccleſ. c. VIII.* THEODORETVS, *lib. V. c. VII.* aliique. Vnde fruſtra hoc in dubium vocare nituntur romanenſes. Sed hac de re alibi. Miſſis autem reliquis, quae ad concilii huius hiſtoriam ſpectant, ea tantum, quae noſtri ſunt inſtituti, perſequemur. MAXIMO Cynico, qui epiſcopatum Conſtantinopolitanum, per vim intruſus, ſibi vindicauerat, munere abire iuſſo, & GREGORIO Nazianzeno in epiſcopali munere confirmato, praelecta deinde fuit Nicaeni concilii formula, & magna omnium conſenſione adprobata; ſi Eleuſium cum ſuis excipias, qui τὸ ὁμοούσιον admittere noluit, & idcirco ex concilio diſceſſit, teſte SOZOMENO, *hiſt. eccleſ. lib. VII. c. VII.* Patres porro iſtius concilii contra Macedonium decreuerunt, ſpiritum ſanctum non ſeruum, ſed dominum eſſe, viuificatorem omnium, ex patre procedentem, cum patre & filio ſimul adorandum, & glorificandum. Symbolum itaque peculiare ſynodus haecce oecumenica non condidit, ſed Nicaeno nonnulla adiecit, quae ad eius explicationem, ac confirmationem faciebant, & eo tempore e re eccleſiae erant. Poſt verba namque: *patrem omnipotentem,* addiderunt: *factorem caeli & terrae,* contra Manichaeos, duorum principiorum adſertores; in ſecundo articulo, de filio, adiecerunt; *natum ante omnia ſaecula,* contra Photinum, qui primam domini originem ex virgine ducebat; item: *de ſpiritu ſancto ex Maria virgine,* aduerſus eos, qui adfirmabant, ſeruatoris carnem fuiſſe ab initio; porro: *cuius regni non erit finis,* vt & millenariorum & Marcelli errores refellerent; in tertio denique articulo de ſpiritu ſancto addiderunt: *dominum viuificantem, qui ex patre & filio* (qua de voce deinceps plura) *procedit, qui cum patre & filio ſimul adoratur, & glorificatur;* quae Macedonianis oppoſita eſſe, palam eſt. Quae ſequuntur de *vna, ſancta, catholica & apoſtolica eccleſia,* de *vno baptiſmo in remiſſionem peccatorum,* de *reſurrectione mortuorum & futuro ſaeculo,* tum in hocce, tum aliis ſymbolis antiquis ad varias haereſes confodiendas ſpectare, notum eſt, neminemque fugit. Copioſe & adcurate, quaenam ea ſint, quae ſymbolo Nicaeno a patribus Conſtantinopolitanis ſint addita, diſquirit GERH. IO. VOSSIVS, *de tribus ſymbolis, diſſert. III. §. IX. ſeqq. p. 524. ſeqq.* Et hocce eſt ſymbolum iſtud, quod in noſtra pariter ac romana eccleſia *Nicaeni* nomine venit, rectius autem *Nicaeno-Conſtantinopolitanum* diceretur. Receptum tamen iam pridem fuit, vt *Nicaenum* adpellitaretur, eo quod vtrumque ſymbolum vnum idemque eſſe cenſeretur. Cuius rei duas eſſe cauſſas GERH. IO. VOSSIVS obſeruat; vnam, quia, quidquid eſt in ſymbolo Nicaeno, id iisdem verbis contineatur in Conſtantinopolitano, & quidquid Conſtantinopolitanum adpoſuit, id δυνάμει ſeu potentia ac virtute inſit in Nicaeno, ac maioris ſolum claritatis cauſſa poſtea adiunctum ſit; alteram, quia maior ſit Nicaenae ſynodi auctoritas, vt quae omnium vniuerſalium ſit antiquiſſima, & ceterarum fundamentum, cuius etiam ſymbolum in vſu fuerit frequentiori. Vnde concludit, grauibus de cauſſis, non vero inſcitia ſcriptores ſic loqui, qui pro *Conſtantinopolitano* ſymbolo *Nicaenum* vocant; de *tribus ſymbolis, diſſert. III. §. VI. VII.* Ingens autem circa hocce ſymbolum inter eccleſiam orientalem & occidentalem orta eſt controuerſia; illa hanc adcuſante, quod addendo vocem

cem *filioque*, vbi de proceſſione ſpiritus ſancti ſermo eſt, ſymbolum hocce corruperit, & adeo crimen falſi commiſerit. Non equidem deſunt, qui ab ipſis patribus Conſtantinopolitanis hanc vocem ſymbolo huic adiectam volunt; quod & lectoribus ſuis perſuaſum cupiunt CAESAR BARONIVS, SEVERIN. BINIVS, aliique ex romanenſibus, Graecos hoc ipſo adcuſantes, ac ſi ab iis vox iſta eraſa eſſet. *Vnde*, inquit, BARONIVS, *dignas luunt poenas ſub Turca tyranno*, in *annalibus* ad *annum 593. num. XLVII.* In eadem ſententia & quosdam noſtratium fuiſſe, teſtatur IO. LVD. HARTMANNVS, in *hiſtor. concil. part. III. p. 328.* Verum hoc ſine ratione adſeri, recte FRIDER. SPANHEMIVS pronuntiat, *hiſtor. eccleſ. nou. teſtam. ſaec. VII. p. m. 1237.* Certe, ſi vox *filioque* ab ipſis patribus Conſtantinopolitanis ſymbolo inſerta fuiſſet, non reiecturus fuiſſet THEODORETVS dogma de proceſſione ſpiritus ſancti ex filio, aut per filium, tamquam impium ac blaſphemum, in *reprehenſ. duodecim capitum Cyrilli*, *c. IX.* Tantum etiam abeſt, vt Damaſi temporibus a concilio romano vox *filioque* ſymbolo huic inſerta ſit, vt nonnulli volunt, vt nec quadringentis & amplius annis poſt, id permiſerit LEO III, vt ex dicendis palam fiet. Alias aliorum ſententias, quando vox haecce ſymbolo iſti addita ſit, diligenter refert, & ſub examen reuocat GERH. IO. VOSSIVS, *de tribus ſymbolis*, *diſſert. III. §. XVI. ſeqq.* quibus non immorabimur. Id certum, poſitumque extra dubitationem, circa finem ſaeculi ſexti, & initium ſeptimi, in variis conciliis, ſpeciatim in Toletano III, IV, VI, VIII, & deinceps in ſequentibus, ſymbolum Conſtantinopolitanum cum additione, *filioque*, repetitum fuiſſe. In hiſce conciliis Hiſpaniae, Galliaeque epiſcopi, credere ſe, profitebantur, in ſpiritum ſanctum, *a patre & filio procedentem*, *a patre filioque*, *ab vtrisque*, eum eſſe *amborum ſpiritum*. De Anglis, Francisque idem conſtat, quod vocem *filioque* admiſerint; quam & in confeſſione GREGORII Turonenſis, tamquam ipſi ſymbolo Conſtantinopolitano inſertam, occurrere, obſeruat FRIDER. SPANHEMIVS, *l. c. p. 1237.* Cum autem non vbique in eccleſia occidentali haec additio recepta eſſet; tandem in concilio Aquisgranenſi, ſub Carolo magno an. 1709 habito, mota hac de re eſt quaeſtio; cumque in eccleſiis gallicis in ſymbolo Conſtantinopolitano inter canendum vox *filioque* paſſim vſurparetur; miſſi ſunt ab hocce concilio legati ad Leonem III pontificem, qui ab eo contenderent, vt ipſius quoque auctoritate vox iſta ſymbolo Conſtantinopolitano insereretur. Hicce vero pontifex, licet rem ipſam, ſeu proceſſionem ſpiritus ſancti a patre filioque, adprobaret; noluit tamen eam vocem ſymbolo Conſtantinopolitano inſeri, recte ſecum perpendens, hoc minime in ſua poſitum eſſe poteſtate. Conſtat hoc ex *actis Smaragdi*, *tom. II. concilior. gall.* a IAC. SIRMONDO editorum, *p. 257.* Immo, vt omnibus, ipſisque adeo Graecis, conſpicuum eſſet, eccleſiam romanam nihil ad ſymbolum hocce addere; in argentea tabula absque illo: *filioque* iſtud ſcribi iuſſit, vt ipſemet teſtatur PHOTIVS, in *epiſtola ad patriarcham Aquilegienſem*, & PET. LOMBARDVS, *lib. I. ſentent. diſt. XI.* quorum hac de re verba paſſim adferuntur. Atque hinc manifeſtum eſt, nec Caroli magni aetate eccleſiam romanam vocem *filioque* in ſymbolo Conſtantinopolitano habuiſſe. Legendi hac de re GERH. IO. VOSSIVS, *de tribus ſymbolis*, *diſſert. III. §. XXVIII. ſeqq.* IO. LVDOV. HARTMANNVS, *hiſtor. concil. part. III. p. 328.* IO. BENED. CARPZOVIVS, in *iſagoge ad libros ſymbolicos*, *p. 64.* Poſtea tamen a romana quoque eccleſia vox *filioque* ſymbolo huic adiecta fuit; quod, quando

factum ſit, rurſus viri docti diſputant, ſpeciatim VOSSIVS, *l. c.* Praeſtat ingenue fateri, id non conſtare; quod & DIONYS. PETAVIVS facit, *dogmat. theolog. de trinitate, lib. VII. c. XI. num. III.* Interim inter cauſſas aucti & continuati inter Graecos & Latinos ſchismatis, haud vltima fuit additio haecce, *filioque.* Graeci enim vehementer hoc nomine culpabant Latinos, quod auſi eſſent, aliquid, ſi non falſum, ſaltem controuerſum, ſymbolo addere, quod ſynodus oecumenica condidiſſet, adpoſito etiam anathemate quidquam adiicere volenti. Reſpondebant vero occidentales, nihil ſe adpoſuiſſe ſymbolo, ſed tantum, quod erat obſcurius, declaraſſe; ſynodique eam ſolum fuiſſe ſententiam, ne quid adderetur, quod aduerſaretur doctrinae, ab ſe traditae; alioqui & ipſam iſtam ſynodum eidem anathemati obnoxiam fore, vt quae declarandi cauſſa quaedam ſymbolo Nicaeno adiunxiſſet. Ita veteres Latini, ſpeciatim PETR. LOMBARDVS, *lib. I. ſentent. diſt. XI.* At deinceps gliſcente magis magisque auctoritate romanae eccleſiae, audaciores, impudentioresque facti, romano pontifici poteſtatem, eiusmodi ſymbolis aliquid adiiciendi, tribuere non dubitabant. Conferendus iterum hac de re GERH. IOAN. VOSSIVS, *de tribus ſymbolis, diſſert. III. §. XLIV.* Controuerſia haec toties recruduit, quoties ipſum recruduit ſchisma; quemadmodum non minus in hoc tollendo, quam illa componenda fruſtra fuit laboratum.

*** Inter aetatis huius doctores praecipuos, quorum exſtant confeſſiones, primum locum damus HILARIO, Pictauienſi epiſcopo, confeſſori, & orthodoxae fidei adſertori ſtrenuo, de quo SOZOMENVS, *lib. IV. hiſtor. eccleſ. c. VIII.* THEODORETVS, *lib. II. hiſtor. eccleſ. c. XV.* SVLPIT. SEVERVS, *hiſtor. ſacr. lib. II.* aliique. Hic in ſinceritatis & conſtantiae ſuae teſtimonium duas edidit fidei confeſſiones, quarum altera *lib. II. ad Conſtantinm, p. m. 1230 & 1231.* editionis operum HILARII, quae Pariſiis 1693. prodiit, altera in *libro de ſynodis, p. m. 1187.* eiusdem editionis, exſtat. HILARIO iungimus BASILIVM magnum, de quo GREGORIVM Nazianzenum, in *orat. funebr. in laudem Baſilii, tom. I. oper. p. 316.* THEODORETVM, *hiſtor. eccleſ. lib. IV. c. XVII.* legere licet. Inter reliqua ingenii monumenta reliquit etiam ſermonem, *de fidei confeſſione*, ſeu *de vera ac pia fide;* in quo luculentam fidei confeſſionem edidit, qui cum aliis quibusdam partem conſtituit operis, quod ſub *aſcetici* nomine commemoratur ab HIERONYMO & SOZOMENO, illo quidem, de *ſcriptoribus eccleſiaſticis, c. CXVI.* hoc autem *lib. III. hiſtor. eccleſ. c. XIV.* Tempore PHOTII enim hoc opus duobus conſtabat libris, quorum prior praeter alia & ſermonem huncce complectebatur, vt ex ipſo PHOTIO intelligitur, *cod. CXCI.* haec vero in hodiernis editionibus aliter ſunt diſpoſita. In ea, quae Pariſiis an. 1637, tribus tomis in fol. prodiit, ſermo hicce περὶ πίστεως, ſeu *de vera ac pia fide*, exſtat *tom. II. p. 384. ſeqq.* Apud EPIPHANIVM geminam inuenimus confeſſionem, fideique formulam, at non parum diuerſam; alteram, quae inde a concilio Nicaeno viguerit, cui tamen inſeruit, quae in concilio Conſtantinopolitano adiecta erant, quam in fidem etiam baptizati fuerint chriſtiani; alteram, quae poſtmodum obtinuerit, haereſibus, quae emerſerant, oppoſitam, quae eo tempore in baptiſmo vſitata fuerit. Exſtat vtraque in *ancorato c. CXX, & CXXII. p. m. 122. ſeqq.* Non deſunt, qui in alterutra iſtarum formularum ſymbolum apoſtolicum quaerunt; cum vero vtraque multum ab eo differat, eos falli, certum eſt. Nec obſtat, quod EPIPHANIVS, vtramque adpellitet *ſanctam eccleſiae fidem*, vtramque etiam ab apoſtolis traditam dicat; hoc enim ita eum intelligere, quod doctrina

in

in hiſce formulis comprehenſa, doctrina ſit apoſtolorum, longe eſt manifeſtiſſimum. Profertur etiam a quibusdam quaedam confeſſio DAMASI, quem ſaeculo quarto ſedi romanae praefuiſſe, conſtat, quae & in operibus HIERONYMI exſtat. Quemadmodum autem haec diſtincta eſt ab eiusdem DAMASI *epiſtola ſynodica ad epiſcopos Illyrici de concilio Ariminenſi*, quam THEODORETVS exhibet, *lib. II. hiſtor. eccleſ. c. XXII.* itemque ab *epiſtola ſynodica ad epiſcopos orientis contra Apollinarium*, quae apud eumdem THEODORETVM, *lib. V. c. X.* legitur, & denique a *confeſſione fidei catholicae ad Paulinum epiſcopum Antiochenum*, itidem apud THEODORETVM, *lib. V. c. XI.* ita inter genuina DAMASI ſcripta locum non promeretur, ſed ſuppoſititiis eſt adnumeranda; vti ANDR. RIVETVS oſtendit, *critic. ſacr. lib. IV. c. VII. p. 406.* In *catecheſibus* CYRILLI Hieroſolymitani ſymbolum aliquod explicari, quod eo tempore in eccleſia Hieroſolymitana in vſu fuit, conſtat; idque ad Nicaenum, vel Nicaeno-Conſtantinopolitanum proxime accedere, vtriusque collatio oſtendit. Nec tamen per omnia cum eo conuenit. Namque in ſecundo articulo deeſt τὸ ὁμοιούσιον Quod & mirum non eſt, cum multi ex orthodoxis etiam circa vocis huius vſum haeſitauerint. Immo CYRILLVS τὸ ὁμοιούσιον amplectitur, dum *catecheſi quarta p. m. 49.* de Chriſto ita verba facit: *Ceterum & in filium Dei vnicum, dominum noſtrum Ieſum Chriſtum crede, Deum de Deo genitum, vitam genitam de vita, lumen de lumine genitum,* τὸν ὅμοιον κατὰ πάντα τῷ γεννήσαντι, *per omnia ſimilem ei qui genuit, non in temporibus habentem quod ſit, ſed ante ſaecula cuncta ab aeterno, & modo quodam incomprehenſibili a patre genitum.* Atque haec cum ita ſe habeant, fallitur omnino CASIMIRVS OVDINVS, quando in *comment. de ſcriptoribus eccleſiaſt. tom. I. ſaec. IV. p. 459. ſeqq.* contendit, ſymbolum, quod in iſtis *catecheſibus* explicatur, Conſtantinopolitanum eſſe, indeque porro concludit, CYRILLVM iſtarum catecheſeon non eſſe auctorem. Sed hac de re iam ſupra dictum ad *cap. praeced. §. VII.* Idem ſymbolum cum & ab apoſtolico vulgo ſic dicto plurimum differat; hoc ea aetate vbique receptum non fuiſſe, recte inde concluditur.

§. VI. PELAGIVS, cum id vna cum ſectatoribus ſuis ageret, vt orthodoxis eccleſiae doctoribus fucum faceret; nonnulla ab iis edita ſunt ſymbola, ſed maximam partem ad fallendos incautos comparata.* Inter ea vero, quae Neſtorianae Eutychianaeque peperere controuerſiae, illud, quod in Chalcedonenſi concilio, ad veram rectamque ſententiam tuendam & explicandam, conditum eſt, primum praecipuumque locum tenet.** Nec ſequentia tempora ſymbolorum expertia fuerunt, licet oppreſſo per romanorum pontificum tyrannidem orbe chriſtiano, rarius ederentur.***

* Magnas in eccleſia turbas ſaeculo quinto haereſis dedit Pelagiana; quae licet in concilio oecumenico Epheſino damnata ſit, peculiare tamen ſymbolum illi non fuit oppoſitum. Ab ipſis tamen haereſeos huius propagatoribus confeſſiones quaedam editae ſunt, quibus ſubinde errores ſuos tegere, ſuumque cum eccleſia catholica conſenſum oſtendere voluerunt. Iunctim iſtas confeſſiones, ſeu ſymbola, exhibet IO. GARNERIVS in *differt. de libellis fidei ſcriptis ab auctoribus & praecipuis defenſoribus haereſis Pelagianae*, quae in *ſylloge diſſertationum* eius ad *hiſtoriam Pelagianam pertinentium quinta* eſt; quae quidem *ſylloge tom. XII. operum* AVGVS-

Digitized by Google

TINI exſtat, *p.m.189. ſeqq.* Summatim haſce confeſſiones, &, quid in iis edendis praeſtiterit, indicat GARNERIVS hunc in modum: *Suam* (confeſſionem) *ſcripſit Theodorus Mopsueſtenus, quam Marius Mercator interpretatus eſt; ſuam Rufinus ſyrus, quam e tenebris eruit pater Sirmondus; ſuam Pelagius, qua ſe purgaret apud Innocentium; ſuam pariter Caeleſtius, quae nunc editur integra; duas ſcripſit ad Zoſimum ſummum pontificem Iulianus, e quibus vna, quam nomine octodecim epiſcoporum Siculorum poſt damnationem Pelagii Caeleſtiique miſit, nunc primum publicatur, & ea quidem integra; alterius fragmenta ſunt apud Mercatorem in ſubnotationibus; quamquam poteſt habere ſpeciem aliquam profeſſionis fidei epiſtola, ſiue quam Caeleſtius clericis romanis ſuae partis, ſiue quam Iulianus Rufo Theſſalonicenſi epiſcopo ſcripſit.* Primo itaque loco hic conſpicitur confeſſio THEODORI Mopſueſteni, quem inter praecurſores Pelagii referendum eſſe, IO. GARNERIVS *l. c. diſſert. I. c. II. p. 62.* docet, & nobis quoque iam obſeruatum in *inſtitut. theolog. dogmat. lib. III. c. II.* ad §. *XXXV. p. 848.* THEODORVS porro hicce dogma ſuum, quo peccatum originale negauit, RVFFINO tradidiſſe dicitur; a quo illud cum Pelagio Caeleſtius, diſcipulus quidem Pelagii, ſed qui magiſtrum ſtudio propagandi haereſin fere ſuperauit, acceperit. Num autem RVFFINVS, ille Aquilegienſis presbyter, ex certaminibus cum HIERONYMO, & defenſione ORIGENIS longe notiſsimus, an alius quiſpiam, natione Syrus fuerit? inter viros doctos diſceptatur. Illum plerique hactenus intellexerunt, pro quo & HENR. NORISIVS militat, *hiſtor. Pelag. lib. I. c. II. p. 5. ſeqq.* hunc autem in ſcenam produxit atque tuetur IO. GARNERIVS, *l. c. diſſert. I. c. III. p. 63. ſeqq.* Priorem tamen ſententiam veroſimiliorem eſſe, a me oſtenſum in *inſtitut. theolog. dogmat. lib. III. c. II.* ad *§. XXXV. p. 849.* & *850.* Duae autem exſtant RVFFINI confeſſiones, quarum alteram, eamque ſatis amplam, GARNERIVS exhibet, *l. c. p. 190. ſeqq* alteram breuiorem, quae duodecim anathematiſmis abſoluitur, *p. 43. ſeqq.* Ruffinianam hancce excipit ipſius PELAGII confeſſio. Cum enim error eius paſſim damnaretur; conſultum duxit, cauſſam ſuam apud Innocentium romanum pontificem agere, ad quem adeo litteras ſcripſit, & *libellum fidei*, teſte AVGVSTINO, *de gratia Chriſti, & de peccato originali, lib. I. c. XXX. tom. X. oper. p. m. 164.* Litterae ad Innocentium perierunt. Argumentum vero earum cognoſcere licet ex fragmentis, quae AVGVSTINVS conſeruauit, *l. c. cap. XXX.* item *c. XXXIV. ſeqq.* & *lib. II. c. XVII. & XVIII.* *Libellus* autem *fidei*, ſeu *confeſſio ad Innocentium*, hodie adhuc exſtat, & a IO. GARNERIO exhibetur, *l. c. p. 209. ſeqq.* Praecipua quaedam ex eo momenta adfert AVGVSTINVS, *l. c. lib. I. c. XXXII.* Conferendus quoque HENR. NORISIVS, *hiſtor. Pelag. lib. I. c. XII. p. 48.* Mirandum vero, cum haec confeſsio Pelagii non tantum ſit hominis haeretici, ſed & ambiguis verbis concepta, eam HIERONYMO fuiſſe attributam, & inter eius quoque opera exſtare, ita inſcriptam: *Hieronymi explanatio ſymboli ad Damaſum.* Vnde & tamquam HIERONYMI a GRATIANO aliiſque paſſim laudata fuit. Immo magis mirandum, Carolum magnum imperatorem, & concilii Francofurtenſis patres, *lib. III. c. I. capitularis de non adorandis imaginibus*, ſcribere, hanc ſuam eſſe confeſſionem, quam ex HIERONYMO deſumtam, ſincere amplectantur. Nam argumentum capiti praeſcribitur iſtiusmodi: *confeſſio fidei catholicae, quam a ſanctis patribus accipimus, tenemus, & puro corde credimus.* Sequitur deinde confeſſio PELAGII, cui a Carolo & epiſcopis haec ſubiiciuntur: *Haec eſt catholicae traditionis fidei vera integritas,*

tas, quam ſincero corde credimus & fatemur, & in hoc opere beati Hieronymi verbis expreſſam taxauimus. Haec eſt vera fides, hanc confeſſionem conſeruamus, atque tenemus, quam quisquis inconuulſe & intemerate cuſtodierit, perpetuam ſalutem habebit. Vnde manifeſtum eſt, iam Caroli magni aetate hanc PELAGII confeſſionem, forte quod nomine auctoris omiſſo, per hominum manus diu volitaſſet, creditam fuiſſe HIERONYMI, eiusque operibus inſertam. Cum vero fidem ſuperet, in ſynodo tam numeroſa fraudem ſuboluiſſe nemini; GERH. IO. VOSSIVS in eam ingreditur ſententiam, ſymbolum hoc reuera HIERONYMI eſſe, ſed PELAGIVM callide illud ex eo exſcripſiſſe, tum, vt conſentire ei videretur, tum, vt, qui illud culparent, non ſe modo, ſed HIERONYMVM ipſum, qui catholicus ab omnibus audiebat, & acris PELAGII aduerſarius erat, reprehendiſſe crederentur; tum denique, quod AVGVSTINVM & catholicos damnari putaret hiſce ſymboli verbis: *Eorum errorem condemnamus, qui animas ante peccaſſe, vel in caelis conuerſatas fuiſſe, dicunt, quam in corpora mitterentur; hiſtor. Pelag. lib. I. c. V. p. 559.* Sed, an HIERONYMVS de capitibus, quae ad haſce controuerſias ſpectant, tam ambigue & molliter loquuturus fuiſſet, & ſi PELAGIVM quaedam mutaſſe dicamus, an fraus illa occultari potuiſſet, iure meritoque dubito. Accedunt alia, quae hanc ſententiam parum probabilem reddunt, expoſita a IO. GEORG. DORSCHEO, in *collat. ad concilium Francofurdienſe, ſect. II. c. V. p. 37.* Cum porro in hac confeſſione quaedam occurrant, quae ſupremae, quam romani praeſules in eccleſiam ſibi vindicant, poteſtati, patrocinari videntur; IO. RVDOLPH. LAVATERVS, eam nec PELAGII, nec HIERONYMI, ſed a romanenſibus confictam eſſe, ſibi perſuaſit; *lib. I. de deſcenſu Chriſti ad inferos, c. XVII.* At vero, cum AVGVSTINVS, *lib. I. de gratia Chriſti, & de peccato orig. c. XXXII.* confeſſionis huius, ſeu *libelli fidei* meminerit, & verba adferat, quae hodie in illo leguntur; falli LAVATERVM, certum eſt, quod & GERH. IO. VOSSIVS pluribus oſtendit, *l. c.* cui iungendus HENR. NORISIVS, *hiſtor. Pelag. lib. I. c. XII.* Ipſius PELAGII hanc confeſſionem eſſe, ex inſtituto demonſtrauit IO. LAVNOIVS, in *diſſertat. de auctore vero profeſſionis fidei, quae Pelagio, Hieronymo, Auguſtino tribui vulgo ſolet*, cuius editio ſecunda Pariſiis 1663. 8. prodiit. Idem deinceps fecit IO. GARNERIVS, in *diſſert. de libellis fidei ſcriptis ab auctoribus & praecipuis defenſoribus haereſis Pelagianae, diſſert. V. p. 211.* qui tamen in duobus a LAVNOIO diſſentit capitibus; quorum alterum eſt, ante Caroli magni tempora libellum huncce HIERONYMO non tributum; alterum, addita ipſi poſtmodum nonnulla, quae pertinent ad haereſin, ſiue Eutychis, de confuſione naturarum in Chriſto, ſiue Elipandi, de Chriſto filio Dei adoptiuo. Vtrumque adfirmauerat LAVNOIVS, negat GARNERIVS. Ceterum cum Pelagius in hac confeſſione ambigue loquutus ſit, & callide errores ſuos texerit; mirum non eſt, eam ab incautis pro orthodoxa habitam fuiſſe.

Inter adſeclas PELAGII eminet, longeque celeberrimus eſt COELESTIVS, *Pelagii licet diſcipulus, tamen magiſter & ductor exercitus*, vt HIERONYMO audit. Ab eo libellum fidei Zoſimo pontifici romano oblatum, conſtat, & ex AVGVSTINO diſcimus, *lib. II. de gratia Chriſti & peccato originali, c. II.* Eius tantum finem apud AVGVSTINVM exſtare, hactenus viri docti crediderunt, ſed integrum apud eum inuenit, ediditque IO. GARNERIVS, *l. c. p. 214. ſeqq.* In eo ceteros quidem errores verborum inuolucris tegebat, ſed peccatum originale apertiſſime negabat. Et nihiloſecius Zoſimus pontifex eum vt ortho-

orthodoxum ſuſcepit, poſtquam Coeleſtius hac de re interpellatus, ſanctiſſime teſtatus eſt, vera atque intima animi ſui ſenſa illo contineri. Teſtis huius rei ipſemet ZOSIMVS eſt, in *epiſtola ad Afros epiſcopos*, quam produxit CAES. BARONIVS, in *annalibus* ad *an. 317*. Factum hocce ZOSIMI quin reprehenſione dignum ſit, nemo temere dubitauerit; etſi non deſint, qui illud excuſare adnitantur, vt infallibilitati romani pontificis conſulant. Et ipſe ſane AVGVSTINVS iam Zoſimum excuſauit, *lib. II. ad Bonifacium*, *c. III.* ſed quam frigide, quamue infeliciter hoc ab eo factum, oſtendit GERH. IO. VOSSIVS, *hiſtor. Pelag. lib. I. c. XXVIII*, *p. m. 580*. Pluribus hoc perſequi inſtituti noſtri nec permittit, nec requirit ratio; conferre autem hac de re iuuabit IOANNEM LA PLACETTE, in *obſeruationibus hiſtorico-eccleſiaſticis part. poſt. obſeruat. VI. p. 156. ſeqq.* & IO. FRICKII, viri doctiſſimi, *diſſert. de cauſſa Pelagian. ſub Innocentio I. ac Zoſimo romanis pontificibus*, quae in *Zoſimo* eius *in Clemente XI. rediuiuo*, Vlmae 1719, 4. edito, exſtat. HENR. NORISIVS hic nihil aliud agit, quam vt, quae AVGVSTINVS pro excuſando Zoſimo excogitauerat, repetat, *hiſtor. Pelag. lib. I. c. XII. p. 49*. Praeter hancce, de qua hactenus loquuti ſumus, fidei confeſſionem, exſtat etiam *breuiarium epiſtolae, quam veluti regulam fidei Coeleſtius ſcripſit, ad clericos romanos ſuae partis*, apud IO. GARNERIVM, *l. c. p. 218.* qui & ibidem *p. 220. ſeqq. libellum fidei a Iuliano Eclanenſi miſſum ad ſedem apoſtolicam*, *nomine octodecim epiſcoporum detrectantium ſubſcribere damnationi Pelagii ac Coeleſtii*, exhibet, ſubiuncta *p. 223. ſeqq. diſquiſitione hiſtorica in libellum fidei a Iuliano ſcriptum*. Alterius autem confeſſionis, ab eodem IVLIANO ſcriptae, fragmenta, ex MARIO MERCATORE recitat, *p. 231. ſeqq.* Agmen denique claudit *epiſtola*, quam ſiue COELESTIVS clericis romanis ſuae partis, ſiue IVLIANVS Ruffo, Theſſalonicenſi epiſcopo ſcripſit, *p. 232. ſeqq.* De Pelagii, Pelagianorumque Theodori Mopſueſteni, Iuliani, Coeleſtii, confeſſionibus plura dabit PET. ZORNIVS, in *noua collectione plus quam ſexaginta ſymbolorum*, quae in *opuſculis* eius *ſacris* exſtat, *p. 193. 200. 207. 209.*

** Primo equidem hic ſe nobis offert loco concilium Epheſinum, quod inter oecumenica tertium eſt, & an. 431 congregatum fuit. Iis, quae ad hiſtoriam huius concilii ſpectant, & quae circa eam a viris doctis diſputari ſolent, non immorabimur; cum ea huius loci non ſint, & ab aliis etiam, tum hiſtoriae eccleſiaſticae, tum ſpeciatim haereſium ſcriptoribus, exponi ſoleant. Breuiter, ſed luculenter pleraque ediſſerit LVD. DOVCINVS, in *hiſtoria Neſtorianiſmi* gallice ſcripta, editaque Pariſiis 1699, quem tamen ex Ieſuitarum ordine eſſe, meminiſſe oportet. Noſtrum hic eſt, obſeruare, Neſtorii quosdam adſeclas id egiſſe, vt in ſymboli Nicaeni locum aliud ſubſtitueretur. A Photio & Anaſtaſio, presbyteris Conſtantinopolitanis, qui Neſtorii errores amplexi erant, hocce ſymbolum illis traditum, memorant, qui hinc inde mittebantur, vt alios in Neſtorii ſententiam pertraherent. Ex horum legatorum numero Antonius atque Iacobus presbyteri fuere, ex quibus hic in Lydiam venit, obtentui ſumens, ſe Nouatianos & Quartodecimanos ad vnitatem eccleſiae reducturum, reuera Neſtorii errores diſſeminaturus. Ab eccleſia Philadelphienſi honorifice exceptus, facile nonnullos in ſententiam ſuam pertraxit, quibus & ſymbolum illud nouum obtulit, cui non tantum ſubſcripſere, ſed quod laudibus quoque extulerunt in caelum, explicarunt coram populo, & pueris etiam, vt memoriae illud mandarent, tradidere. His equidem Chariſius, eiuſdem

dem eccleſiae presbyter, ſeſe oppoſuit; tantum vero abeſt, vt iſtos in rectam reducere potuerit viam, vt odia potius maxima ſibi conflaret, & ab epiſcopo tandem excommunicaretur. Exemplum autem noui iſtius ſymboli cum nactus eſſet, cui plurimi ſubſcripſerant; ad concilium Epheſinum acceſſit, iſtudque ei obtulit, cum libello ſupplici, in quo, quae geſta hucusque erant, expoſuit. Perquam hoc accidebat opportune, cum Neſtoriani patribus Epheſinis Nicaeni ſymboli corruptionem obiicerent, vt illi nunc potius iſtius criminis conuinci poſſent. Lecto itaque hocce ſymbolo, & libello a Chariſio oblato, ſtatuunt atque decernunt, nemini fas fore, aliam conſcribere aut componere fidei formulam, praeter eam, quae a patribus Nicaenis edita ſit; ſecus qui fecerint, aut ſi qui illis, qui ad chriſtianorum ſacra accedere volunt, aliud ſymbolum offerant, ſi epiſcopi aut clerici fuerint, ab ordine ſuo remouendos, ſin laici, anathemati ſubiiciendos. Ita quidem diſerte *canone VII* ſanciunt, in *pandectis canonum eccleſiae graecae* GVIL. BEVEREGII, *p. 103*. Nihil etiam Epheſina ſynodus ſymbolo Nicaeno addidit, aut addere voluit, quemadmodum ſynodus Conſtantinopolitana fecerat; ne ſuſpicionem Neſtorianorum, de ſymboli Nicaeni corruptione, hac ratione confirmarent, immo diſerte ſanciuit, ne quid inpoſterum huic ſymbolo adderetur. Et inde conſuetudinem, quae, ceu lex inuiolabilis, obſeruata fuerit, fluxiſſe, ne quid vmquam ſymbolo alicui adderetur, ſed vt ſeparatim conſtituerentur, quae ad nouas haereſes euertendas neceſſaria eſſent, nonnulli contendunt. Conferendus LVD. DOVCINVS, *hiſtor. Neſtor. lib. II. p. 188*. De Neſtoriana vero illa confeſſione ſynodus ita pronuntiauit: *ſi qui inuenti fuerint, docere ea, quae continentur in oblata expoſitione a Chariſio presbytero, de vnigeniti filii Dei incarnatione, ſiue ſcelerata & peruerſa Neſtorii dogmata, quae & ſubiecta ſunt, ſubiaceant ſententiae ſanctae huius & vniuerſalis ſynodi; can. VII.* apud GVIL. BEVEREGIVM, *l. c. p. 103*. Dum autem ita ſymbolum hocce patres Epheſini damnant; auctoris tamen, a quo iſtud conditum ſit, nullam mentionem faciunt. Exiſtimant itaque nonnulli, auctorem huius ſymboli fuiſſe THEODORVM Mopſueſtenum, cuius cum magna eo tempore eſſet auctoritas, patres Epheſinos minime conſultum duxiſſe, eum nominatim condemnare. Acceſſiſſe, aiunt, quod ſynodi huius patres a Neſtorianis, ceu fautores & defenſores Apollinariſtarum, traducerentur, quam facile augere potuiſſent ſuſpicionem, ſi THEODORVM Mopſueſtenum, Apollinariſtarum hoſtem, & impugnatorem acerrimum, condemnaſſent. Et ſane MARIVS MERCATOR, dum *operum p. 41.* editionis STEPH. BALVZII, ſymbolum THEODORI Mopſueſteni recitat, idemque deinceps *p. 189.* quamuis ex alia verſione, inſcriptumque: *exemplum expoſitionis ſymboli transformati*, repetit, atque in ſynodo Epheſina exhibitum docet; hanc ſententiam plane confirmat. Atque hoc eſt illud ſymbolum, quod IO. GARNERIVM inter Pelagianorum confeſſiones primo retuliſſe loco, antea diximus. Sunt tamen, qui hac de re adhuc dubitant, immo plane negant, ſymboli, quod in concilio Epheſino a Chariſio exhibitum, ibidemque reiectum ac damnatum fuit, auctorem eſſe THEODORVM; quos inter haud vltimum locum tenet SAM. BASNAGIVS, in *annalibus politico-eccleſiaſticis, tom. III. p. 355*. Argumentum horum praecipuum eſt, quod ipſe Chariſius, qui ſymbolum hocce ſynodo Epheſinae obtulit, ne verbo quidem, hoc THEODORI fuiſſe, innuat. Obſeruatum id iam FACVNDO, Hermianenſi in Africa epiſcopo, qui ſaeculo ſexto floruit, & pro *defenſione*

ſione trium capitulorum libros XII. ſcripſit, in quibus cumprimis THEODORI Mopſueſteni cauſſam agit, quem ab omni haereticae prauitatis labe abſoluere conatur. Nondum tamen haec ita comparata eſſe, fateor, vt priorem prorſus labefactare ſententiam queant. Diſputari vero etiam de eo ſolet, an ſymbolum iſtud, quod a Chariſio ſynodo Epheſinae oblatum eſt, tot, tantosque errores, ac vulgo creditur, contineat? Reiectum ſane non tantum fuit a ſynodo Epheſina, ſed damnatum quoque in concilio Conſtantinopolitano ſecundo, quod oecumenicum quintum eſt, in quo controuerſia, de *tribus capitulis*, quae tot in eccleſia turbas dedit, agitabatur. Cum enim lectum ibi eſſet, ſancta ſynodus exclamauit: *hoc ſymbolum ſatanas compoſuit*; *anathema ei, qui hoc ſymbolum compoſuit*; *hoc ſymbolum Epheſina prima ſynodus vna cum auctore eius anathematizauit*. Non negauerim, patres huius concilii odio & ira paullo vehementiori in Neſtorium concitatos, non ſatis, quae dicerent, expendiſſe. Licet enim hocce ſymbolum a ſynodo Epheſina reiectum ſit; attamen anathema in illud, aut eius auctorem pronuntiatum fuiſſe, adſeri nequit, cum concilii Epheſini acta hoc non teſtentur. Quae ſymbolo huic obiecta fuerunt, poſt IO. GARNERIVM ad *Marium Mercatorem*, in compendio refert SAM. BASNAGIVS, in *annalibus politico-eccleſiaſt. tom. III. p. 356.* qui &, cum obſeruaſſet, Epheſinos patres nihil aliud in hocce ſymbolo, quam quod ibi de incarnationis myſterio habetur, reieciſſe; iſtud quoque ita comparatum eſſe, autumat, vt, ſi adcurate examinetur, nullus ibi deprehendatur error. Cum tamen idem vir doctus ad ipſum quoque Neſtorium excuſandum pronus ſit, non omnibus forte hoc perſuadebit.

Dum Neſtorii haereſis in ſynodo Epheſina damnata, paſſim impugnabatur, contigit, vt EVTYCHES, Neſtorianiſmi hoſtis acerrimus, in alterum extremum prolaberetur, naturas in Chriſto, quas ſeparauit Neſtorius, confundens. Hinc noui, iique diuturni ac funeſti, in eccleſia motus. Congregatum ideo fuit an. 449 concilium Epheſinum tertium, in quo, qua ratione res geſta ſit, vel ex eo intelligitur, quod λῃστρικὸν ſiue *latrocinale* dictum ſit. Dioſcorus enim Alexandrinus, qui concilii praeſes erat, cuncta violenter agebat; abſolutoque hinc Eutyche, & haereſi eius confirmata, Flauianus, cum aliis epiſcopis catholicis, damnabatur. In eodem hocce concilio Eutyches generalem quamdam fidei confeſſionem, ſecundum Nicaenam formulam, edidit, praetermiſſis articulis, quae dogmata ſua proprie feriebant. In actione ſexta, lecta quoque atque confirmata eſt Nicaena formula, cautumque, ne fides deinceps exponeretur. Copioſius haec ediſſerunt hiſtoriae eccleſiaſticae & conciliorum ſcriptores, ſpeciatim IO. LVDOV. HARTMANNVS, *hiſtor. concil. part. III. p. 549.* & SAM. BASNAGIVS, in *annalibus politico-eccleſiaſticis*, *tom. III. p. 436.* Ita ergo cum triumphare videretur Eutychianiſmus; congregatum fuit an. 451 auctoritate Marciani imperatoris, concilium Chalcedonenſe, quod eſt oecumenicum quartum, in quo damnata tandem atque proſcripta eſt Eutychiana haereſis. In quinto huius concilii conſeſſu, vel, vt alii volunt, ſexto, ab Aſclepiade, eccleſiae Conſtantinopolitanae diacono, lecta fuit noua fidei confeſſio, ſeu, vt vocabant, *definitio*, quae pridie quidem omnibus placuerat, adcuratius autem expenſa, Leonis, romani epiſcopi legatis, & nonnullis orientalium, non arriſit. Primus eam reſpuit Ioannes, Germaniciae epiſcopus, dicens: *non bene habet definitio, ſed debet integre fieri.* Acris hinc orta eſt contentio, legatis romani pontificis, cum aliis quibusdam, iſtam formulam repudiantibus,

buſ,reliquis fortiter propugnantibus. Cumque non ſatis cum romanae ſedis auctoritate conuenire videatur, quod formulam, quam eius legati reiecerunt, reliqui tam conſtanter propugnauerint; CAESAR BARONIVS vehementer in Anatolium, qui Dioſcuri quondam fuerat apocriſiarius, inuehitur, ac ſi ipſius fraudibus cuncta ita geſta ſint, in *annalibus* ad *an. 451. num. 104.* At, falli cardinalem, oſtendit SAM. BASNAGIVS, *in annalibus politico-eccleſiaſticis tom. III. p. 462.* Lis ita tandem compoſita, vt, ad mentem ſententiamque Leonis, confeſſioni adderetur, duas eſſe naturas vnitas in Chriſto, *inconuertibiliter, inſeparabiliter, & inconfuſe.* Qua quidem ratione omnium conſenſu tandem comprobatum, confirmatumque fuit iſtud ſymbolum; quod apud EVAGRIVM exſtat, *hiſtor. eccleſ. lib. II. c. IV.* aliosque. Illuſtri miraculo hocce de fide iudicium corroboratum fuit, ſi NICEPHORO credimus, *hiſtor. eccleſiaſt. lib. XV. c. V.* Sed fabulam iſtam dudum exploſerunt alii.

*** Fuerunt equidem poſt Chalcedonenſe alia concilia congregata, quae pro oecumenicis reputantur; praeterquam vero, quod ea non eiusdem cum prioribus ſint auctoritatis, nihil in iis, quod in hiſtoria ſymbolorum momentum aliquod trahat, occurrit. In conciliis particularibus, quorum plurima ſaeculo quinto, ſexto & ſequentibus habita fuerunt, confeſſiones ſeu ſymbola oecumenica, interdum cum explicatione quadam repetita ſunt, vt in Toletano quarto, ſexto, aliisque. De ſymbolo Pelagii, in ſynodo Francofurdienſi, tamquam HIERONYMI eſſet, adprobato, iam antea diximus. Praeter iſtud vero alia inuenitur fidei confeſſio in epiſtola Caroli magni imperatoris ad Elipandum, & epiſcopos Hiſpaniae, quam legere licet apud IO. GEORG. DORSCHEVM, in *collatione ad concil. Francofurdienſe ſect. II. c. V. p. 34. ſeqq.* Elipandianae autem fidei ſymbolum in *biblioth. maxima patrum tom. XIII. p. 363.* legitur. Saeculo decimo floruit PEREGRINVS ſiue PILGRIMVS, archiepiſcopus Laureacenſis in Germania, in cuius *epiſtola ad Benedictum VII.* papam illuſtris continetur fidei confeſſio, quae & in *bibliothec. maxima patrum tom. XVII. p. 456.* exſtat. De BERENGARII, itemque GOTTESCHALCI, quorum vterque ſaeculo vndecimo vixit, confeſſionibus, conferendus PETRVS ZORNIVS, in *noua collectione plus quam ſexaginta ſymbolorum*, in *opuſculis* eius *ſacris p. 193. & 199.* Quemadmodum autem iam ea aetate in variis capitibus doctrina ſacra corrumpi coepit; ita multo magis hoc factum eſt in ſequentibus ſaeculis, in quibus quae euulgatae ſunt confeſſiones, pro dogmatibus veris grauiſſimos ſaepe exhibebant errores. Quod & de iis ſpeciatim fidei profeſſionibus intelligendum, quas pontifices, quando eligebantur, edebant; quippe quibus, non tam chriſtianam, quam romanam ſe amplecti fidem, teſtabantur. An omnes epiſcopi & presbyteri, quando eligebantur, fidei profeſſionem ediderint, quod nonnulli volunt, nunc non diſputabo; de pontificibus romanis hoc certum eſt, duas eos fidei profeſſiones edidiſſe, vnam ante electionem, poſt eam, alteram; immo in *libro diurno pontificum romanorum* tertiae mentio iniicitur, quam poſt ordinationem ediderint, *p. 44.* Primae profeſſionis exempla rariora eſſe ante Gregorii I tempora, frequentiora contra ſecundae, conſtat. Porro ante Gregorii I tempora profeſſio iſta fidei tantum conſiſtebat in recitatione ſymboli apoſtolici, cum additionibus & mutationibus nonnullis, pro aetatis, qua quilibet pontifex viuebat, ratione, factis. Ipſius Gregorii confeſſio conſiſtebat in ſymbolo apoſtolico, in confeſſione trinitatis, & τῦ ὁμοούσιος &c. itemque in adprobatione quin-

quinque conciliorum oecumenicorum. Addita deinceps eſt profeſſio fidei concilii Conſtantinopolitani, ſub Conſtantino II celebrati, cum enarratione haereſium & haereticorum; ſimul vero promittebat pontifex, ſe anteceſſorum ſuorum decreta ſynodice facta obſeruaturum, & contradicentes anathematis fulmine percutiebantur. Conſuetudinem hanc vſque ad finem ſaeculi decimi tertii obtinuiſſe, nonnulli contendunt; repugnantibus aliis. Legenda, quae hac de re obſeruat vir clariſſimus IAC. LENFANT, in *diſcurſu de confeſſionibus fidei*, gallice ſcripto, additoque eiusdem *innocentiae catechiſmi Heidelbergenſis demonſtratae &c. p. 136. 137.*

§. VII. Cum plurimi deinceps, abiecto romani pontificis iugo, ſentiendi, &, quae ſentiebant, proferendi, libertatem poſtliminio recuperarent, magnaeque & multae hinc orirentur controuerſiae; ſubinde neceſſitas, noua condendi ſymbola, quibusdam eſt impoſita. Noſtrates ſane hoc euitare non potuerunt, quin potius, vt oſtenderent, non ſine cauſſa a romana ſe diſſentire eccleſia, ſimulque aduerſariorum obuiam irent obtrectationibus, *Auguſtanam confeſſionem*, eiusque *apologiam* ediderunt, quibus deinde *articuli Smalcaldici*, & *catechiſmus vterque* LVTHERI, cum *formula concordiae*, ad inteſtinas eccleſiae noſtrae diſcordias componendas comparata, acceſſerunt. *

* Ad ſymbola itaque noſtrae eccleſiae propria referuntur *Auguſtana confeſſio*, eaque *inuariata*, eiusque *apologia*, *articuli Smalcaldici*, *cathechiſmus vterque Lutheri*, & *formula concordiae*. Qui libri coniunctim ſumti interdum *concordiae*, aut *formulae concordiae* nomine, voce in latiori ſignificatione accepta, veniunt. Praemittuntur hiſce, adeoque itidem pro ſymbolis agnoſcuntur, *apoſtolicum*, *Nicaenum* & *Athanaſianum*, vt oſtendatur, nos non nouam, ſed antiquam, & vere catholicam fidem tenere, ac profiteri. Etſi autem plura ſint ſymbola oecumenica, vt ex hactenus dictis conſtat; in noſtris tamen libris ſymbolicis tria tantum antea memorata repetuntur, non, ac ſi reliqua repudiemus, ſed, quoniam eccleſia noſtra romanae hac in re ſeruare morem voluit, in cuius ſollemnibus tria haecce ſolum vſurpantur ſymbola, atque adeo oſtendere, ſe a romana, in quantum cum eccleſia catholica credit ac facit, minime eſſe ſeparatam, ſed adhaerere illi potius, & cum ea credere, vt IO. BENED. CARPZOVIVS loquitur, in *Iſagoge ad libros ſymbolicos, p. 35.* Iungendus beatus ADAM. RECHENBERGIVS, in *adpendice tripartita*, *ad libros eccleſiae Lutheranae ſymbolicos, c. VII. p. 37.*

Iam, quod ſpeciatim ad *Auguſtanam* attinet *confeſſionem*, qua occaſione condita, & quo pacto Carolo V imperatori, Auguſtae Vindelicorum, vnde & nomen ſortita eſt, an. 1530 exhibita ſit, ex hiſtoria eccleſiaſtica notum eſt. Legendi hac de re GEORG. COELESTINVS, in *hiſtoria comitiorum Auguſtae 1530 celebratorum*; DAVID CHYTRAEVS, in *hiſtoria Auguſtanae confeſſionis*; IO. SAVBERTVS, de *miraculis Auguſtanae confeſſionis*; IOAN. SCHMIDIVS, in *diſſertatione*, *de Auguſtanae confeſſionis nomine*, *occaſione*, *auctoribus*, *oblatione*, *acceptatione*, quae vna cum IO. GEORG. DORSCHEI *duabus diſſertationibus*, altera, *de inſignioribus Auguſtanae confeſſionis conſequentiis*, altera *de ſingularibus & admirandis circa eamdem prouidentiae diuinae documentis*, recuſa eſt Lipſiae an. 1703. 4. IO. SLEIDANVS, in *commentar, de ſtatu relig. & reipubl. ſub Carolo V*

Carolo V caeſare, *lib. VII. p. 127.* VITVS LVDOV. SECKENDORFIVS, in *hiſtoria Lutheraniſmi*; ADAM. RECHENBERGIVS, in *adpendice tripartita hiſtorico-theologica ad libros eccleſiae Lutheranae ſymbolicos*, *c. II.* HENR. PIPPINGIVS, in *der hiſtoriſch-theologiſchen Einleitung zu denen ſaemtlichen gewoehnlichen ſymboliſchen Schrifften der euangeliſch-Lutheriſchen Kirchen*, *c. IV.* IO. IOACH. MVLLER, in *der hiſtorie von der euangeliſchen Staende proteſtation, und Augſpurgiſchen Confeſſion*, praeſertim *lib. III.* per integrum, aliique. Iungendus his OTTO FRIDER. SCHVTZIVS, de *vita Dauidis Chytraei lib. II. §. LVIII. ſeqq. p. 343.* vbi de GEORG. COELESTINO, DAV. CHYTRAEO, aliisque hiſtoriae Auguſtanae confeſſionis ſcriptoribus, multa obſeruatu digna adfert. Num ab articulis, quos vocant, Torgenſibus, an, quod alii volunt, Suobacenſibus potius, primum Auguſtanae confeſſionis fundamentum repetendum ſit? viri docti diſputant; legendaque hac de re IOAN. GVIL. IANI, aut ſi mauis, IO. IAC. LAVRITII diſputatio, *de articulis Suobacenſibus Auguſtanae confeſſionis fundamento*, Wittebergae 1719, 4. Nobis id ſolum relictum credimus, vt de diſcrimine inter *variatam* & *inuariatam* confeſſionem Auguſtanam aliquid moneamus. Quod vt rite fiat, primo quidem negari nequit, ſtatim poſt exhibitam Auguſtanam confeſſionem, diſcrepantiam quamdam exemplorum deprehenſam fuiſſe, ex incuria illorum, qui eam ediderunt, aut deſcripſerunt, ortam; vt iam obſeruatum in *der Haupt-Vertheidigung des euangeliſchen Augapffels*, *p. 457.* & a VALENT. ERNESTO LOESCHERO, in *der ausführlichen hiſtoria motuum*, *part. I. c. VII. §. VI. p. 175.* Cumprimis vero ipſe PHILIPP. MELANCHTHON, in editionibus, quas curabat, ſubinde aliquid corrigebat, emendabat, mutabat, quod iam in ipſis comitiis Auguſtanis an. 1530 priusquam confeſſio iſta imperatori exhiberetur, fecit; vid. HENR. PIPPINGIVS, in *der hiſtoriſch-theologiſchen Einleitung*, *c. IV. §. XXX. p. 68.* Interim inter veteres Auguſtanae confeſſionis editiones latinas, ceu maxime genuina laudatur, quae Wittebergae 1531, 4. prodiit, quippe quae cum exemplo iſto, quod in archiuo electorali Dresdenſi adſeruatur, quam adcuratiſſime conſentit, cui editioni etiam an. 1561. proteſtantes in conuentu Numburgenſi denuo ſubſcripſerunt, eamque Ferdinando I imperatori exhibuerunt, vt deinceps dicemus. Authenticum autem confeſſionis huius exemplum, quod Carolo V imperatori lingua germanica exhibitum fuit, in archiuo Moguntino adſeruatur; ad quod adeo recurrendum eſſet, ſi magni momenti controuerſia de confeſſionis huius ſenſu oriretur. Non deſunt equidem, qui adſerunt, authenticum illud exemplum in archiuo Moguntino non amplius exſtare; qua de re praeter alios conferendus SAM. STRIMESIVS, in *hexade adnotation. ad elenchum Spanhemii*, *§. V. p. 13.* Verum huic traditioni fidem non adhibendam, contendunt alii, eo, quod principes & ſtatus proteſtantes in *praefat. concordiae* teſtentur, exempla quae in ſuis archiuis adſeruentur, diligenter cum eo, quod in archiuo Moguntino cuſtoditur, fuiſſe collata. Ad minimum ergo eo adhuc tempore exemplum authenticum in archiuo imperii adfuit; idque poſtea abalienatum, vix credibile. Interim ipſa exempla, quae in archiuis principum adſeruantur, ob iſtam collationem, ſummam merito habent auctoritatem; cumque Auguſtana confeſſio, quae *libro concordiae* eſt inſerta, ad authenticum exemplum ſummo ſtudio exacta ſit; hanc pro genuina habendam eſſe, inde patet. Nec praetermittendum, in comitiis Auguſtanis duplex exemplum confeſſionis huius Carolo V imperatori traditum fuiſſe, latinum alterum, alterum germa-

germanicum ; ex quibus hoc, poſt eius praelectionem a Chriſtiano Pontano, cancellario Saxonico, factam, electori Moguntino datum, & in archiuum Moguntinum relatum eſt, idque illud eſt, de quo hactenus loquuti ſumus ; illud autem, ſeu latinum, Carolus imperator retinuit, relatumque eſt in archiuum Bruxellenſe ; quod quorſum deuenerit, aut an adhuc ſuperſit? incertum. Legendus GEORG. COELESTINVS, in *hiſtor. comitior. Auguſt an. tom. II. p. 151.* Ad latinum autem hocce authenticum exemplum expreſſa eſt editio Wittenbergenſis an. 1531, quam antea commemorauimus ; quae licet cum germanica, ad authenticum exemplum Moguntinum expreſſa, qua ſingula verba non conueniat, cum verſio latina ſit paullo liberior; in rebus ipſis tamen nulla inter haſce editiones, eſt diſcrepantia ; vid. *Haupt-Vertheidigung des euangeliſchen Augapffels p. 457. ſeqq.* Sed & reliqua, in quibus Auguſtanae confeſſionis editiones a ſe inuicem differebant, non adeo magni momenti erant, donec PHILIPP. MELANCHTHON, nimio ac intempeſtiuo pacis ac concordiae ſtudio, an. 1540 propria auctoritate, in articulo decimo *de ſacra coena*, & quidem in latina editione, inſignem & maxime memorabilem inſtitueret mutationem, dum deletis verbis, *adſint* & *diſtribuantur*, eorum loco poſuit: *exhibeantur*, omiſſa quoque clauſula: *& improbant ſecus docentes.* Obſeruatae vtique ſunt & aliae quaedam mutationes, in articulo quarto, quinto, & decimo octauo; ſed iſta in articulo decimo maxime fuit notabilis. Et hinc diſcrimen inter *variatam* & *inuariatam* Auguſtanam confeſſionem, ſimulque noua variarum controuerſiarum occaſio. Reformatae namque eccleſiae doctoribus haec mutatio admodum grata erat, qui &, non corruptam, ſed explicatam hoc modo & emendatam Auguſtanam confeſſionem, contendebant. Nec deſunt, qui, confeſſionem hancce ita mutatam, ab eccleſiae noſtrae theologis adprobatam, ſibi aliisque perſuadere adnituntur, vt SAM. STRIMESIVS, in *hexade adnotation. ad elenchum Spanhemii, p. 28. 29.* Ipſimet etiam reformati eidem ſubſcribere non dubitant ; immo IO. CALVINVS, HIERON. ZANCHIVS, PETRVS MARTYR ſubſcripſerunt. Conferendus IO. HOORNBEECKIVS, in *ſumma controuerſiarum, lib. IX. p. 633. ſeqq.* Sed & inter libros illorum ſymbolicos variatam hancce confeſſionem Auguſtanam receptam, vel ex *corpore & ſyntagmate confeſſionum fidei reformatae*, de quo ſuo loco dicemus, patet. Statim autem ac iſta mutatio innotuit, iuſſu electoris Ioannis Friderici, PHILIPP. MELANCHTHON grauiter a Pontano cancellario obiurgatus eſt, Immo eo ipſo anno, quo mutatio iſta facta eſt, MELANCHTHON in colloquio Wormatienſi declarauit, ſe miſſa mutata iſta, inuariatae inhaeſurum. Quam vero prorſus ſine ratione dicatur, a reliquis eccleſiae noſtrae theologis variatam confeſſionem adprobatam, vel inde intelligitur, quod in conuentu ſtatuum proteſtantium Numburgenſi, an. 1561 inſtituto, id praecipue actum ſit, vt Auguſtanae confeſſionis exempla inter ſe conferrentur, tandemque decerneretur, praeferendam reliquis eam editionem, quae Wittebergae 1531 4. prodiiſſet, cui etiam omnes ſubſcripſere, exemplumque illud Ferdinando imperatori exhibuere. Nouam equidem nonnulli, in reformatorum partes propenſi, editioni huic praemiſerunt praefationem, in qua praeter alia diſſenſus Lutheranorum & reformatorum valde imminuebatur, & elector quoque Palatinus, etſi reformatorum doctrinae addictus, inter Auguſtanae confeſſionis ſocios referebatur, aliaque in reformatorum gratiam inſerebantur. Sed haec diſplicuerunt aliis ; vnde & Ioannes Fridericus, dux Saxo-Vinarienſis,

rienſis, vt praefationem iſtam calculo ſuo adprobaret, induci non potuit. Legendi hac de re DAV. CHYTRAEVS, in *chron. Saxon. p.524.ſeqq.* IAC. AVGVST. THVANVS, *hiſtor. lib. XXVIII.* VAL. ERNEST. LOESCHERVS, in *der ausführlichen hiſtoria motuum &c. part.II. c.VII.* §. *X.ſeqq. p.201.ſeqq.* Conuentus huius Numburgenſis hiſtoriam ex inſtituto lingua germanica condidit GEORG. PAVL. HOENE, quae an. 1704 prodiit, in qua tamen nonnulla, quae deſideret, LOESCHERVS habet, *l. c.* Cum deinde an. 1580 formula concordiae ederetur, praecipua ſtatuum, Auguſtanae confeſſioni addictorum, cura fuit, vt, ad omnes aduerſariorum calumnias amoliendas, adcuratum & genuinum Auguſtanae confeſſionis exemplum libro concordiae inſereretur; quem in finem illos, exemplorum, quae in eorum archiuis cuſtodiebantur, exactam collationem cum iſto, quod in archiuo Moguntino adſeruatur, inſtitui curaſſe, antea iam monuimus. Quae cum ita ſe habeant, non modo illi falluntur, qui diſcrimen inter *variatam* & *inuariatam* Auguſtanam confesſionem extenuant; ſed &, qui variationes confeſſionum noſtrarum nobis exprobrant, quod romanenſes facere, conſtat, quorum nonnulli nos omnino ab Auguſtana confeſſione defeciſſe contendunt, indeque porro concludunt, pacem religioſam, genuinae Auguſtanae confeſſioni ad dictis tantum conceſſam, ad nos minime ſpectare. Variationes confeſſionum proteſtantibus obiicit IAC. BENIGNVS BOSSVETVS, *dans l' hiſtoire des variations des egliſes proteſtantes*, cui tamen praeter alios ex ipſis reformatae eccleſiae doctoribus obuiam iuit IAC. BASNAGIVS, *hiſt. de l' egliſe tom. II. lib. XXVI. c. II. p. 1512. ſeqq.* A pace religioſa hinc nos excludere voluerunt ANDR. FABRICIVS, IO. PISTORIVS, FRANC. BVRCARDVS, BALTH. HAGERVS, LAVRENT. FORERVS, aliique, quorum loca adducit HENR. PIPPINGIVS, in *der hiſtoriſchen Einleitung, cap. IV.* §. *XXVII. p.66.* Sed adcurate ſolidiſſimeque calumniae iſtae depulſae ſunt in *der Haupt-Vertheidigung des euangeliſchen Augapffels, c. XXII.ſeqq. p.337.ſeqq.* Eamdem nihiloſecius cantilenam repetiit auctor libri: *Auguſtana & anti-Auguſtana confeſſio* dicti, atque Viennae 1681 iuſſu LEOPOLDI comitis a COLONITSCH, epiſcopi tum Neoſtadienſis, editi, quippe qui id vnice agit, vt, Auguſtanam confeſſionem corruptam, & Lutheranos ab ea deſciuiſſe, demonſtret; quem tamen ſtrenue pariter ac modeſte, iuſſu Ioannis Georgii III electoris Saxoniae, excepit VALENT. ALBERTI, in *der gründlichen Wiederlegung eines pabſtiſchen Buchs, Auguſtana & anti-Auguſtana confeſſio genandt*, Lipſiae 1684, 4. Conferre iuuabit ANDR. CAROLI, in *memorabilibus eccleſiaſt. ſaec. XVII. lib.IX.c. XXXIII. p.364.ſeqq.*

Alterum inter libros eccleſiae noſtrae ſymbolicos locum tenet *apologia Auguſtanae confeſſionis.* Statim enim ac Auguſtana confeſſio praelecta, & Carolo V imperatori exhibita fuit, romanae eccleſiae theologi, qui Auguſtae Vindelicorum aderant, eam refutare adgreſſi ſunt. inter hos praecipui erant IO. FABER, & IO. ECCIVS, qui & alias ſatis noti ſunt. Reliquorum nomina apud beatum MART. LVTHERVM legere licet, *tom. V. Ienenſ. p.34.* Et iſti quidem, etſi alia quoque ſcripta aut confecerant, aut ſecum attulerant, quae Luthero erant oppoſita, quae HENR. PIPPINGIVS recitat in *der hiſtoriſchen Einleitung c. V.* §. *VIII. p.82.* operae tamen pretium putarunt, iunctis viribus Auguſtanam confutare confeſſionem. Impetrauerant etiam, vt refutatio iſta imperatori praelegeretur die III Auguſti, eiusdem anni quo Auguſtana confeſſio exhibita fuit; cum iam haec ipſa refutatio die XIII Iulii, imperatori tradita fuiſſet. Initio quidem

nihil aliud ex iſta confutatione proteſtantes obtinere poterant, quam quod inde adſequuti erant, qui inter praelegendum calamo omnia excipiebant; publicare enim eam tum minime conſultum exiſtimabant romanenſes; tandem tamen, an. 1572 prout ab auctoribus conſcripta erat, lingua germanica lucem adſpexit; recuſa deinde in libro, *Brill auf den euangeliſchen Augapffel* inſcripto, item in alio, *der catholiſche Oculiſt und Stahrenſtecher* dicto. Legendus IO. IOACH. MVLLERVS, in *der hiſtorie von der euangeliſchen Staende proteſtation, und Augsburgiſchen confeſſion, lib. III. c. XXV.* Eamdem confutationem *explicationi* ſuae *Auguſtanae confeſſionis* inſeruit IO. MVLLERVS, theologus Hamburgenſis, quippe qui ex ea ſingulis Auguſtanae confeſſionis articulis adiecit, quae iis romanenſes in hac confutatione opponunt, cunctaque ſolide diſcuſſit ac profligauit. Cum itaque in ipſis comitiis Auguſtanis confutationis iſtius communicatio proteſtantibus denegaretur; ea, quae inter praelegendum calamo excepta erant, ſibi refutanda ſumſit PHIL. MELANCHTHON, vnde *apologia Auguſtanae confeſſionis* enata eſt, quam quidem die 22 Septembris anni 1530 Carolo V imperatori exhibuerunt, ſed ille eam non acceptauit; multo minus, vt praelegeretur, impetrare potuerunt. Cum autem, finitis comitiis iſtis, plenius confutationis iſtius ſaepius memoratae, prout ab ipſis auctoribus conceptum erat, exemplum in manus proteſtantium veniret; PHIL. MELANCHTHON 1531 *apologiam* ſuam adcurate reuidit, quae adhuc neceſſaria erant, addidit, breuiter dicta latius deduxit; vnde tandem ea apologiae huius facies orta eſt, qua hodie inter libros eccleſiae noſtrae ſymbolicos conſpicitur. Primae editionis vix alibi exemplum hodie inuenire licet, quam apud CHYTRAEVM, obſeruante HENR. PIPPINGIO, in *der hiſtoriſchen Einleitung &c. c. V. §. XIV.* Prout autem reuiſa, & amplius deducta eſt, exſtat inter libros noſtros ſymbolicos, itemque inter opera LVTHERI, *tom. IV. Ienenſ. p. 205.* vt & PHIL. MELANCHTHONIS, *tom. I. fol. 58.* Scripſit MELANCHTHON hanc apologiam lingua latina, eamque in germanicam transtulit IVSTVS IONAS. Vnanimi etiam ſtatuum proteſtantium conſenſu adprobata eſt, locumque inter libros eccleſiae noſtrae ſymbolicos iure meritoque obtinuit. Quae ad hiſtoriam eius ſpectant, copioſius diſſerunt IO. SLEIDANVS, in *comment. de ſtatu religion. & reipubl. ſub Carolo V. lib. VII.* DAVID CHYTRAEVS, in *hiſtoria Auguſtanae confeſſionis*; GE. COELESTINVS, in *hiſtoria comitiorum Auguſtae anno 1530 celebratorum*; VITVS LVD. SECKENDORFIVS, in *hiſtor. Lutheraniſmi, lib. II. §. LXXIX. p. 706. ſeqq.* Iungantur his HENR PIPPINGIVS, in *der hiſtoriſchen Einleitung &c. c. V.* & AD. RECHENBERGIVS, in *adpendice tripartita ad libros ſymbolicos, c. III.*

Sequuntur inter libros eccleſiae noſtrae ſymbolicos *articuli Smalcaldici*; quos ab oppido comitatus Hennebergici, Smalcaldia, vbi concinnati fuerunt, nomen ſortitos, conſtat. Vnde ridiculus LVD. IACOBI A S. CAROLO error paſſim notari ſolet, qui in *bibliotheca pontificia lib. II. fol. 455.* theologum aliquem Lutheranum *articulum Smalcaldicum* dictum fuiſſe, putat. *Articulus*, inquit, *Alsmalcaldicus, Germanus, Lutheranus, edidit de primatu & poteſtate papae librum.* Ad rem ipſam quod attinet, cum in comitiis Auguſtanis an. 1530 ad componendos, qui circa religionem exorti erant, motus, omnis opera fruſtra & irrito ſucceſſu impenſa eſſet; in diuerſa homines ſtudia & conſilia abripiebantur, aliis ex romanenſibus vim apertam minitantibus, aliis concilium vniuerſale vrgentibus, quae vnica eſſet lites haſce conſopiendi ratio. Atque hoc iam Carolus V imperator in comitiis Auguſtanis

Digitized by Google

guſtanis antea memoratis propoſuerat; denuoque an. 1536 ſpem eius fecit Paulus III pontifex. Ne itaque ſibi deeſſent proteſtantes, an. 1537 die decimo quinto Februarii conuentum Smalcaldiae inſtituerunt, ſuper certis articulis, qui concilio exhibendi eſſent, ſi forte adduc conuocaretur, deliberaturi. Principes ſtatusque imperii, & reliquos, qui huic conuentui interfuerunt, indicat IO. SLEIDANVS, *comment. de ſtatu relig. & reipubl. lib. XI.* Aderat etiam ipſe beatus LVTHERVS, cui hoc datum fuit, vt articulos concinnaret, qui concilio exhiberi poſſent; quod & promte fecit. Et ſic *articuli Smalcaldici* enati ſunt, in quibus nihil, quod Auguſtanae confeſſioni repugnet, continetur, ſed errores ſolum romanenſium publici, fuſius ac in ipſa confeſſione factum, declarantur ac refutantur. Subiuncta articulis hiſce legitur adpendix, ſeu, *de poteſtate & primatu papae tractatus, per theologos Smalcaldiae congregatos conſcriptus, an. 1537.* Quae inſcriptio docet, eum non ab ipſo LVTHERO, ſed ab aliis theologis, eo tempore ibi congregatis, compoſitum fuiſſe. LVTHERVS namque morbo calculique doloribus correptus, Smalcaldia, conuentu nondum diſſoluto, diſcedere coactus fuit. Hinc &, qui aderant, huic tractatui iterum ſubſcripſerunt, quemadmodum ipſis articulis iam antea ſubſcripſerant. Vltima LVTHERI vox, cum Smalcaldia diſcedens, reliquis valediceret, fuit: *impleat vos Deus odio papae*, de qua peculiaris exſtat diſſertatio IO. FRID. MAYERI. PHIL. MELANCHTHON ita ſubſcripſit articulis hiſce, vt adderet, ſi pontifex euangelium admitteret, ſuperioritatem in epiſcopos, quam alioqui habeat, iure humano illi permitti poſſe. Praeſente LVTHERO hanc ſubſcriptionem factam, nonnullis parum veroſimile videtur. Nec ſine ratione ad verba haec: *ſi pontifex euangelium admitteret*, LVC. OSIANDER adnotauit: *id eſt, ſi diabolus fieret apoſtolus; centur. XVI. lib. II. c. XXXVII.* De IO. AEPINO, qui eadem, qua MELANCHTHON, ratione, ſubſcripſiſſe dicitur, legendus VITVS LVD. SECKENDORFIVS, *hiſtor. Lutheran. lib. III. p. 153.* Ceterum, vt concilium, cuius ſpem Paulus III fecit, quod Mantuae congregandum eſſet, ſucceſſu caruit; ita etiam articuli hi Smalcaldici non fuerunt exhibiti. Editi autem primum ſunt Wittebergae a LVTHERO an. 1538. Quam editionem aliae deinceps ſequutae ſunt, donec, *libro concordiae* inſerti, cum reliquis eccleſiae noſtrae libris ſymbolicis ſaepius recuderentur. Conſtat equidem, an. 1540 Kalend. Martii principum & ciuitatum proteſtantium legatos denuo Smalcaldiam veniſſe, vnaque adfuiſſe theologos IVSTVM IONAM, IO. BVGENHAGIVM, PHIL. MELANCHTHONEM, aliosque, quibus iniunctum fuit, vt formulam conſcriberent, qua putarent, cum aduerſariis ſeu pontificiis agendum de conciliatione doctrinae. Sed iſta formula inter libros ſymbolicos recepta non eſt; multo minus cum *articulis Smalcaldicis*, de quibus hucusque diximus, confundenda. Hiſtoriae horum articulorum lucem adfundent IO. SLEIDANVS, *l. c.* VITVS LVD. SECKENDORFIVS, itidem *l. c.* IO. BENED. CARPZOVIVS, *iſagog. ad libros ſymbolicos*, ſpeciatim ad *articulos Smalcaldicos;* AD. RECHENBERGIVS, in *adpend. tripartit. ad libros ſymbolic.* HENR. PIPPINGIVS, in *der hiſtoriſchen Einleitung &c. c. VI.*

Articulos Smalcaldicos excipit *catechiſmus vterque* LVTHERI, *maior* & *minor.* Enimuero, licet catechiſmi eum in finem non ſcribantur, vt ſint ſymbola; non infrequens tamen eſt, vt ſymbolorum loco ſint, vt exemplo *catechiſmi Tridentini, Heidelbergenſis, Racouienſis*, patet. Quod vero catechiſmus LVTHERI tum maior, tum minor, recte inter libros ſymbolicos

eccleſiae

eccleſiae noſtrae referatur, inde euidens eſt, quod ſtatus proteſtantes in *epitome formulae concordiae, p. 571.* edit. AD. RECHENBERGII, & in eiusdem *declaratione, p. 634.* vtrumque diſerte pro libro ſymbolico agnoſcant. Ceterum quae generatim de catechiſmis, ſpeciatim de catechiſmo LVTHERI dici poterant, *cap. praeced.* iam exſequuti ſumus; vt adeo, hic aliquid addere, neceſſe non ſit. Agmen itaque claudat *formula concordiae* ſtricte ſic dicta; cui controuerſiae variae, quae inter noſtrae eccleſiae theologos agitabantur, & a ſynergiſtis, quos inter eminebat VICTOR. STRIGELIVS, MATTHIA FLACIO, ANDR. OSIANDRO, FRANC. STANCARO, GE. MAIORE excitatae erant, occaſionem dederunt. Accedebant motus interimiſtici, & adiaphoriſtici, cumprimis autem crypto-Caluinianorum, quos vocabant, machinationes in Saxonia, clandeſtinis artibus id agentium, vt placita reformatae eccleſiae diſſeminarentur. Hiſce obicem ponere, pacemque ac tranquillitatem eccleſiae Lutheranae reddere, voluit formula concordiae. Ad eam itaque recte intelligendam plurimum faciunt, qui iſtorum certaminum, motuumque, hiſtoriam deſcribunt, vt CONR. SLVSSELBVRGIVS, in *catalogo haereticorum*; AD. RECHENBERGIVS, in *adpendice tripartita ad libros ſymbolicos, part. III. c. IX.* GOTTF. ARNOLDVS, in *der Kirchen- und Kezer-Hiſtorie, part. II. lib. XVI.* qui etſi in orthodoxos quandoque iniquior ſit, diligenter tamen in hacce hiſtoriae eccleſiaſticae parte verſatus eſt, alioſque etiam laudat, qui vlterius conſuli poſſint. De IO. MAIORE, celebri ſaeculi decimi ſexti poëta, qui certamen Philippiſtarum & Flacianorum duplici carmine enarrauit, quorum alterum: *ſynodus auium, ſeu de certaminibus Philippiſtarum & Flacianorum* inſcribitur, alterum: *hortus Libani, in quo Deus ſalutares plantauit herbas, & degeneres irrepſerunt, eumque deformarunt,* videatur HENR. PIPPINGIVS, in *der hiſtoriſchen Einleitung &c. c. VIII. §. III.* Prius illud, ſiue *ſynodum auium,* cum adnotationibus IOACH. FELLERI exhibet BVRCARD. GOTTHELF STRVVIVS, in *actis litterariis ex manuſcriptis erutis atque collectis, faſcic. IV. p. 15. ſeqq.* Ad rem ipſam quod attinet, miſſis reliquis, de ſcriptis ſolum nonnullis, iiſque praecipuis, huc ſpectantibus, quaedam obſeruabimus. Et inter ea quidem, quae formulam concordiae praeceſſerunt, primo loco commemorandus catechiſmus crypto-Caluinianorum, an. 1571 editus inſcriptusque: *catecheſis, continens explicationem decalogi, ſymboli, orationis dominicae, doctrinae de poenitentia & ſacramentis;* in quo cum praeter alia doctrina de ſacra caena haud obſcure ad mentem ſententiamque reformatae eccleſiae propoſita eſſet; mirum non eſt, theologos orthodoxiae ſtudioſos variis hinc inde ſcriptis contra eum inſurrexiſſe. Eminent inter eos Ienenſes, HESHVSIVS, WIGANDVS, COELESTINVS, & KIRCHNERVS, qui ediderunt: *Warnung vor dem vnreinen vnd ſacramentiriſchen Catechiſmo etlicher zu Wittenberg.* Legenda, quae de hiſce adfert VAL. ERNEST. LOESCHERVS, in *der ausführlichen Hiſtoria motuum, part. III. lib. V. c. IX. §. II. III. p. 144. ſeqq.* Quam CASP. PEVCERVS catechiſmi iſtius occaſionem fuiſſe perhibeat, ex *hiſtoria carceris Peuceri p. 438. ſeqq.* conſtat, ex qua illud repetit GOTTFR. ARNOLDVS, in *der Kirchen-vnd Ketzer-Hiſtorie, part. II. lib. XVI. c. XXXII. §. V. p. 391.* Eodem an. 1571 aliud ſcriptum prodiit, *ſtereoma* ſiue *die Grund-Feſte* dictum, vel vt plenius inſcribitur: *von der Perſon vnd Menſchwerdung vnſers Herrn Ieſu Chriſti, der wahren chriſtlichen Kirchen Grund-Feſte &c.* Wittebergae in 4. Quo in libro licet errores reformatorum aperte defenderent, & theologos orthodoxos acriter perſtrin-

perſtringerent; ipſi tamen vel maxime orthodoxi videri voluerunt, adeo, vt aduerſarios ſuos *ſacramentariorum* nomine adpellitare non dubitarent. Eiusmodi ergo auſibus vt obuiam irent orthodoxi, ipſimet etiam eodem an. 1571 ediderunt, *wiederholte chriſtliche gemeine Confeſſion vnd Erklaehrung, wie in allen Saechſiſchen Kirchen, vermoege der heiligen Schrifft und Augsburgiſchen Confeſſion nach der alten Grundfeſte D. Lutheri, wider die Sacramentirer gelehret wird &c.* Subſcripſerunt huic confeſſioni theologi Brunſuicenſes, Mecklenburgici, Roſtochienſes, Lubecenſes, Hamburgenſes, aliique. Legendus de hocce libro LEONH. HVTTERVS, in *concordia concorde, lib. III. p. 161.* Ita cum iſtae contentiones in dies augerentur, Auguſtus elector Saxoniae eodem an. 1571 menſe Octobri, theologos quosdam Dresdam euocauit, iisque iniunxit, vt perſpicuam de ſacra caena confeſſionem ederent. Theologi itaque Wittebergenſes, crypto-Caluiniſtarum principes, ſcriptum aliquod litteris conſignarunt, cui nomen: *conſenſus Dresdenſis*, ſiue *das Dresdenſche Bekaentnüs* obtigit; quod reuera nihil aliud erat, quam epitome *ſtereomatis* antea memorati, verbis tamen tam ambiguis conceptum, vt nemo temere fraudem animaduerteret. Huic *conſenſui* etiam reliqui, qui aderant, theologi, ſubſcribere coacti ſunt, quod tamen nonnulli cum conditione quadam fecerunt, quae apud LEONH. HVTTERVM legi poteſt, in *concordia concord. c. III. p. 161. ſeqq.* add. VAL. ERNEST. LOESCHERVS, in *der ausführlichen hiſtoria motuum, part. III. lib. V. c. IX. §. V. VI. p. 148. ſeqq.* vbi & ſcripta, contra huncce *conſenſum* edita, recenſet. Licet autem crypto-Caluiniani ſollicite hoc agerent, vt aliis perſuaderent, ſe ab erroribus ſacramentariorum alienos eſſe, doctrinaeque LVTHERI in omnibus ſincere adhaerere; impedire tamen non potuerunt, quo minus alii haſce illorum artes perſpicerent, praeſertim cum Wittebergenſes, edita an. 1574 *exegeſi perſpicua controuerſiae de ſacra coena*, mentem ſuam apertius prodidiſſent. Eodem itaque an. 1574 elector Saxoniae theologos quosdam Torgauiam conuocauit, qui certos articulos adfirmatiuos & negatiuos concinnarunt, omnibus proponendos, vt ſincere mentem ſuam declararent, iisque ſubſcriberent; quod deinceps in comitiis, Torgauiae eam ob rem celebratis, nonnulli quoque ex crypto-Caluinianis fecerunt; Wittebergenſes autem CASP. CRVCIGER iunior, HENR. MVLLERVS, FRIDER. WIEDEBRAM, & CHRISTOPH. PEZELIVS, vt ſubſcriberent, induci non potuerunt, quod tamen deinceps in cuſtodiam dati, Lipſiamque abducti, certa quadam conditione fecerunt. Fuſius haec omnia ediſſerit VAL. ERN. LOESCHERVS, in *der ausführlichen hiſtoria motuum, part. III. lib. V. c. X. §. V. ſeqq. p. 163. ſeqq.* Legendus & GOTTFR. ARNOLDVS, in *der Kirchen-vnd Kezer-Hiſtorie, part. II. lib. XVI. c. XXXII. §. 392.* Interim hi ipſi articuli Torgauienſes ita concepti fuerunt, vt venenum aliquod crypto-Caluiniſticum in iis latitare crederetur. Hinc cum NICOL. SELNECCERVS illos initio adprobaſſet, mox mutata ſententia eosdem reiecit, & errores crypto-Caluiniſticos in iis demonſtrauit. Conferendus LEONH. HVTTERVS, *l. c. cap. V. p. 204.* Spe ergo, per articulos Torgauienſes lites iſtas componendi, irrita, Auguſtus Saxoniae elector an. 1576 menſe Februario conuentum Lichtenbergenſem inſtituit, in quo, qui aderant, theologi, cenſuerunt, libros crypto-Caluinianorum, vt *catechiſmum Wittebergenſem*; *ſtereoma*, ſiue *die Grundfeſte*; *quaeſtiones de perſona Chriſti, & caena domini*; *conſenſum Dresdenſem*; *exegeſin de de ſacra caena &c.* remouendos; immo & in *corpore doctrinae Philippi Melanchthonis*

nis varia deſiderabant. Suaſerunt porro, vt conuentus inſtitueretur theologorum, qui in praeſentia electorum & principum ſingulos Auguſtanae confeſſionis articulos perlegerent, & quidquid contra illos motum a quibusdam hactenus eſſet, diligenter conſiderarent, reiicerentue, quae iis repugnarent, quae commodam explicationem admitterent, ſincere interpretarentur. Quod conſilium cum electori placuiſſet, contigit, vt Georgius Erneſtus quoque, princeps Hennebergicus, ad lites has componendas ſerio animum adiiceret, qui, poſtquam tum cum aliis, tum & cum Ludouico duce Wurtembergico deliberationem hac ſuper re inſtituiſſet; LVCAE OSIANDRO & BALTH. BIDEMBACHIO iniunctum fuit, vt ſcriptum aliquod adornarent, in quo vera doctrina perſpicue proponeretur, ſolideque adſereretur, errores autem oppoſiti refutarentur. Atque hocce ſcriptum in conuentu Maulbrunnenſi, eorumdem principum auctoritate conuocato, a duobus theologis Wurtembergicis, totidemque Hennebergicis, ac vno Badenſi, diligenter perlectum, expenſum, & in quibusdam emendatum, ad Saxoniae electorem a principe Hennebergico miſſum; cui cum id non diſpliceret, eodem an. 1576 iterum conuentus Torgauienſis indictus, in quo praeter Saxonicos, Brunſuicenſes, Mecklenburgenſes ac Wurtembergici theologi aderant. Ab his ſcriptum illud antea memoratum, adprobatum equidem; ſed, cum omnibus controuerſiis decidendis non ſufficere videretur, aliud paullo amplius litteris conſignatum, in quo prima formulae concordiae delineatio adparuit. Atque hoc quidem Auguſto electori exhibitum, vt aliorum quoque ſtatuum Auguſtanae confeſſioni addictorum iudicio ac cenſurae ſubmitteretur. Factum id quoque, & mox theologorum Haſſiacorum, Bipontinorum, Holſatorum aliorumque ſequuta ſunt iudicia, quorum plerique formulam Torgauienſem adprobarunt, alii aut in re ipſa, aut in modo proponendi, quaedam deſiderarunt. Legendus de hiſce LEONHARD. HVTTERVS, in *concordia concord. c. XII. p. 354. ſeqq.* item *c. XIII. p. 431. ſeqq.* HENR. PIPPINGIVS, in *der hiſtoriſchen Einleitung, c. VIII. §. XVII.* VAL. ERNEST. LOESCHERVS, in *der ausführlichen hiſtoria motuum &c. part. III. lib. VI. c. V. §. XVI. ſeqq. p. 252. ſeqq.* Tandem, vt ad finem negotium hoc perduceretur, an. 1577 iterum conuentus quorumdam theologorum in coenobio Bergenſi prope Magdeburgum indictus eſt, vbi IAC. ANDREAE, ANDR. MVSCVLVS, CHRISTOPH. CORNERVS, NICOL. SELNECCERVS, MART. CHEMNITIVS & DAV. CHYTRAEVS conuenerunt. GOTTF. ARNOLDVS trium tantum theologorum, ANDREAE, SELNECCERI, & CHEMNITII, mentionem facit, eo quod triumuiri iſti praecipuam prae reliquis ſibi arrogauerint auctoritatem; in *der Kirchen-vnd Ketzer-Hiſtorie, part. II. lib. XVI. c. XVIII.* §. *XVII. p. 214.* Sed initio tribus iſtis CHEMNITIO, ANDREAE, & SELNECCERO, negotium hoc demandatum fuit, quibus deinceps reliqui adiuncti; vid. VAL. ERNRST. LOESCHERVS, in *der ausführlichen hiſtoria motuum part. III. lib. VI. c. V. §. XXII. p. 266.* Viri itaque iſti, cenſuras, quae a variorum ſtatuum theologis transmiſſae erant, diligenter perluſtrarunt, ponderarunt, &, vt omnium deſideriis, quantum fieri poterat, ſatisfieret, operam dederunt. Atque ita cum denuo correcta & emendata eſſet haecce formula, adnitente Auguſto, Saxoniae, & Ioan. Georgio, Brandenburgenſi electore; plurimi imperii ſtatus, electores, principes, comites, ciuitates imperiales, & verbi diuini miniſtri ſcholarumque moderatores vſque ad octo millia eidem ſubſcripſerunt. Quae hic a RVDOLPH. HOSPINIANO, aliisque, circa

circa ſubſcriptionem obiiciuntur, diluit LEONH. HVTTERVS, *l. c. cap. XIX. & XX. p. 564. ſeqq.* qui &c, quo pacto hinc inde conuentus & colloquia cum reformatis inſtituta ſint, vt intelligeretur, an aliquid, quod momentum trahat, opponere poſſent, refert, *c. XXI. p. 646. ſeqq.* Remotis tandem obſtaculis, omnibus a. 1580 formula concordiae publicabatur, ea quidem ratione, vt vno eodemque volumine reliqui eccleſiae noſtrae libri ſymbolici comprehenderentur, ſpeciatim *Auguſtana confeſſio inuariata*, eaque cum exemplis authenticis adcurate collata. Legendus HENR. PIPPINGIVS, in *der hiſtoriſchen Einleitung c. VIII. §. XXIII. p. 130.* cumprimis autem VAL. ERNEST. LOESCHERVS in *der ausführlichen hiſtoria motuum &c. part. III. lib. VI. c. IX. p. 288. ſeqq.* vbi & obſtacula, quae ſuperanda fuerint, vt negotio huic finis imponeretur, diligenter enarrat. Poſt primam hancce, eamque authenticam, *concordiae* editionem, quae lingua germanica prodiit, eodem adhuc an. 1580 NICOL. SELNECCERVS latinam dedit, in qua tamen, ob nimiam feſtinationem, Auguſtanam confeſſionem non ſecundum editionem, quae Wittebergae 1531 in forma quadripartita, ſed ſecundum eam, quae ibidem equidem, & eodem anno, ſed in forma octopartita, quae iam in quibusdam mutata erat, exhibuit. Agnouit tamen mox ipſe SELNECCERVS errorem, & nouae *formulae concordiae* editioni latinae, quae an. 1584 lucem adſpexit, Auguſtanam confeſſionem ſecundum genuinam & inuariatam editionem inſeruit. Hinc & reliquae editiones latinae in eccleſia noſtra receptae, ſecundum eam, quae an. 1584 prodiit, adornatae ſunt. PHILIPPO tamen MVLLERO, theologo quondam Ienenſi, cum & ipſe nouam dare editionem, & quidem latinam, vellet, quae & an. 1705 prodiit, eam ſequi placuit, quae an. 1580 lucem adſpexerat, hinc & mutatam iſtam Auguſtanae confeſſionis editionem, quae Wittebergae 1531, 8. prodiit, retinuit. Eaque de re, monitus licet, errorem agnoſcere noluit, contendens, eam, quae 1580 prodiit, formulae concordiae editionem, genuinam & authenticam eſſe; quod tamen de germanica, non autem latina intelligendum eſſe, ex antea dictis conſtat. Acris ei hac ſuper re lis interceſſit cum viro doctiſſimo, CHRISTIANO REINECCIO, qui primus huncce MVLLERI errorem detexit, & cui ideo oppoſita eſt *monitoria fidelis de libro concordiae chriſtianae &c. Lipſiae an. 1580 edito, & Ienae, Gothae, cum vtilibus acceſſionibus an. 1705; vnico genuino & tutius aliis obſeruando exemplari eccleſiarum bono*; Ienae 1708, 4. Sed reſpondit, remque omnem luculenter ediſſeruit REINECCIVS, in *iuſta animaduerſione in monitoriam Ienenſem, qua vniuerſa lis de libro concordiae, &c. vera relatione exponitur, error editione concordiae Ienenſi commiſſus demonſtratur, & concordia germanico latina Lipſiae 1708 edita, ab iniuſta reprehenſione vindicatur*, Lipſiae 1709, 4. Conferre etiam iuuabit, quae de primis *formulae concordiae* editionibus diſſerit OTTO FRIDER. SCHVTZIVS, in *vita Dauidis Chytraei, lib. II. §. LXXXVIII. p. 541. ſeqq.*

Ad ipſam vt redeamus *concordiae formulam*, non omnes principes ſtatuſque Auguſtanae confeſſioni addictos ei ſubſcripſiſſe, certum eſt; licet eorum numerus praeter rei veritatem augeatur a RVD. HOSPINIANO, vt oſtendit LEONH. HVTTERVS, in *concordia concord. c. XXXV. p. 935. ſeqq.* Iungenda, quae hac de re monet IO. FABRICIVS, in *hiſtor. bibliothec. Fabric. part. II. p. 141.* vbi & alia huc ſpectantia. Cum primis in Dania aduerſa admodum fata *formulae concordiae* experta eſt; qua de re legendus GOTTF. ARNOLDVS, in *der Kirchen-und Ketzer-Hiſtorie, part. II. lib. XVII. c. XVIII. §. XXXV.*

p. 226. Immo non deſunt, qui librum *concordiae* e Saxonia in Daniam miſſum a Friderico II rege in ignem coniectum atque combuſtum, contendant, edito inſuper decreto, ne vllus eidem ſubſcriberet, aut exemplum vel vnicum in regna & ditiones danicas inferret, niſi grauiſſimam regis indignationem, poenamque incurrere vellet; quod tamen non ſine ratione ab aliis in dubium vocatur. Legenda omnino IO. HERMANNI AB ELSWICH *diſquiſitio hiſtorica, de formula concordiae, num in Dania ſit combuſta?* Wittebergae 1716, 4. Praecipue autem reformatae eccleſiae addictis magnopere haecce *formula concordiae* diſplicuit, a quibus & ſtatim, ac lucem adſpexit, variis ſcriptis impugnata fuit, cuiusmodi erant: *admonitio Neoſtadienſis; iudicium Anhaltinorum; Bremenſium defenſio denegatae ſubſcriptionis;* AMBR. WOLFII, id eſt, CYRIACI HERDESIANI *hiſtoria Auguſtanae confeſſionis*, & alia eiusdem generis. Ex Flacianis quoque CHRIST. IRENAEVS *examen* edidit, in quo ea, quae in *formula concordiae* de peccato originali tradebantur, impugnare auſus eſt. Hiſce itaque, praeſertim reformatis, oppoſita eſt *apologia libri chriſtianae concordiae*, ſiue: *Verantwortung des chriſtlichen Concordien-Buch, in welcher die wahre chriſtliche Lehre, ſo im Concordien-Buch verfaſſet, mit gutem Grunde heiliger goettlicher Schrifft verthaidiget, die Verkehrung aber vnd Calumnien, ſo von vnruhigen Leuten wieder gedachtes chriſtliches Buch im Druck ausgeſprenget, wiederlegt werden &c. geſtellet durch etliche hierzu verordnete Theologen*, an. 1583. Conſcripta eſt haecce *apologia* a TIMOTH. KIRCHNERO, NICOL. SELNECCERO & MART. CHEMNITIO, & quidem lingua germanica; cuius partes tres priores in latinam transtulit, eodemque anno Heidelbergae edidit, PHILIP. MARBACHIVS, tertiam autem, in qua hiſtoria Auguſtanae confeſſionis a calumniis AMBROSII WOLFII vindicatur, IAC. GOTTFRIDVS in linguam latinam conuertit, ſeparatimque an. 1585 Lipſiae euulgauit. Conferre de hiſce omnibus iuuabit HENR. PIPPINGIVM, in *der hiſtoriſchen Einleitung &c. c. X. §. VI. p. 147. ſeqq.* GOTTF. ARNOLDVM, in *der Kirchen- vnd Ketzer-Hiſtorie, part. II. lib. XVI. c. XVIII. §. XXXVI. p. 226.* & IO. FABRICIVM, in *hiſtoria biblioth. Fabrician. part. II. p. 143. ſeqq.* Analyſin apologiae huius exhibet LEONH. HVTTERVS, in *concord. conc. c. XLI. p. 978. ſeqq.* Neoſtadienſes *apologiae* huic iterum oppoſuerunt *defenſionem admonitionum contra apologiae Erffurtenſis* (Erffurti enim theologi memorati apologiam iſtam confecerant) *ſchismata & cauillationes, ſcriptam ab aliquot ſtudioſis theologiae*, an. 1586. Sed & alia magno numero contra *formulam concordiae* edita ſunt ſcripta, maximam partem a GOTTF. ARNOLDO indicata, *l. c.* Prae reliquis adhuc memorabile eſt illud, quod ſub Erneſti Friderici, marchionis Badenſis, nomine prodiit, inſcriptumque eſt: *Marggraff Ernſt Friedrichs chriſtliches Bedencken, vnd erhebliche wohlfundirte Motiuen, welche ihro Fürſtliche Gnaden bishero von der ſubſcription der formulae concordiae abgehalten, auch nochmahlen dieſelbe zu vnterſchreiben Bedencken haben &c.* Quod cum an. 1599 Staffurti editum eſſet, *libri Staffurtenſis* nomine venire ſolet, & aliis rurſus ſcriptis occaſionem praebuit. Speciatim theologi Tubingenſes pariter ac Saxonici illud refutarunt; de quibus conferendus LEONH. HVTTERVS, in *concordia concord. c. LVII. p. 1447. ſeqq.* Iungendus LVC. OSIANDER, *cent. XVI. p. 1133.* ANDR. CAROLI, in *memorabilibus eccleſiaſt. tom. I. lib. I. p. 12. & 44.* Ex romanenſibus cumprimis ROBERT. BELLARMINVS contra *formulam concordiae* inſurrexit, quippe qui *tomo quarto controuerſiarum, iudicium de libro concordiae Luthera-*

theranorum ſubiunxit; cui tamen itidem abunde a noſtratibus reſponſum; quos deinceps vna cum illis, qui reformatis obuiam inuerunt, itemque qui *formulam concordiae* commentariis aut adnotationibus illuſtrarunt, indicabimus. Hiſtoriae *formulae concordiae*, quam paucis attigimus, illuſtrandae inſeruiet cumprimis LEONH. HVTTERVS, in *concordia concorde*, quam RVD. HOSPINIANI *concordiae diſcordi* praecipue oppoſuit. Recentiſſima editio eſt, quae an. 1690 cum praefatione VALENT. ALBERTI prodiit. Exſtat etiam GEORG. MVLLERI: *des Lutheriſchen Concordien-Buchs ſo im Jahr 1580 durch Churfürſt Auguſtum geſtifftet, gründliche vnd ausführliche Hiſtoria*, Freibergae 1680, 12. Multa quoque huc ſpectantia ſuppeditat GOTTFR. ARNOLDVS, in *der Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie part. II. lib. XVI. c. XVIII. §. XVI. ſeqq. p. 213. ſeqq.* Cumprimis autem legi meretur OTTO FRID. SCHVTZIVS, in *commentarior. de vita Dauidis Chytraei libris quatuor, lib. II. §. LXIII. ſeqq. p. 385. ſeqq.* vbi varia lectu digniſſima hac de re traduntur. Mitto illos, qui *introductiones ad libros ſymbolicos* dederunt, quippe quos iam laudauimus.

§. VIII. Sunt porro & ſcripta quaedam, publica auctoritate in eccleſia noſtra concinnata, quae licet pro ſymbolicis non reputentur, ad ea tamen quodammodo accedunt, & controuerſiis, quae olim agitatae fuerunt, lucem inſignem conciliant. * Nec praetermittenda hic ſunt *corpora* quae vocantur *doctrinae*, quo nomine ſubinde libri ſymbolici eccleſiarum noſtrarum particulares venire ſolent. **

* Inter ea, quae hic nobis commemoranda ſunt, ſcripta, primum tribuimus locum libro *interim* dicto. Tametſi enim neutiquam ſit liber ſymbolicus, quin potius a plerisque reiectus; inter ſcripta publica tamen referendus eſt, eoque minus praetermittendus, quo maiores olim turbas dedit. Eſt autem triplex formula *interim*; Ratisbonenſis, Auguſtana & Lipſienſis. Et ad Ratisbonenſem quidem quod attinet, auctoritate Ferdinandi regis Romani, ad lites, circa religionem exortas, componendas, 1540 Hagenoae colloquium inter quosdam proteſtantium & romanenſium theologorum inſtitutum fuit, quod Wormatiae continuatum, tandem 1541 Ratisbonam translatum fuit. Atque eo quoque tempore formula haecce lucem adſpexit, eo comparata, vt pax atque concordia inter proteſtantes & romanenſes ſanciretur. Auctorem formulae huius nonnulli IO. COCHLAEVM ferunt, quidam MART. BVCERVM, alii IO. GROPPERVM, rurſus alii IO. WICELIVM. Hoc certum eſt, nihil certi hac de re definiri poſſe. Cum autem formula haecce vtrique parti diſpliceret, effectu caruit. Legendi de ea IOACH. CAMERARIVS, in *vita Phil. Melancht. p. 196.* VITVS LVD. SECKENDORFIVS, in *hiſtoria Lutheraniſmi, lib. III. §. LXXXV. p. 350.* & cumprimis quem deinceps ex inſtituto laudabimus, IO. ERDM. BIECK, in *dem dreyfachen interim &c. c. I. §. II. p. 3. ſeqq.* Nec tamen ideo, qui diſſidiorum circa religionem compoſitionem vrgebant, abiiciebant animum. Quin potius, cum in comitiis Auguſtanis an. 1547 iterum de controuerſiis iſtis tollendis ageretur, viaque, per concilium aliquid efficiendi, multis ambagibus obnoxia videretur; placuit denuo per formulam quamdam illud tentare, quam vtraque pars acceptare poſſet. Negotium itaque hocce IVLIO PFLVG, epi-

ſcopo Numburgenſi, MICH. SIDONIO, epiſcopo Merſeburgenſi, & IO. AGRICOLAE Islebio, demandatum, a quibus etiam formula quaedam compoſita fuit, quae κατ' ἐξοχὴν *interim*, itemque *interim Auguſtanum* adpellitatur. Ea maiori ſpecie ſe commendabat, quam prior illa, itaque comparata erat, vt incautos ac ſimplices facile decipere poſſet. Hinc & nonnulli ex noſtratibus in eam inducebantur ſententiam, eam acceptari poſſe, quibus tamen alii iique cordatiores, acriter ſe opponebant; quemadmodum & a plurimis ſtatibus proteſtantium repudiata eſt. Quaedam ſane in hacce formula occurrunt, verae eccleſiae noſtrae doctrinae prorſus conſentanea, eaque minime contemnenda; alia contra erant in gratiam romanenſium poſita, quae a purae doctrinae confeſſoribus adprobari non poterant. Inter ea, quae ſpeciem quamdam prae ſe ferebant, & hoc erat, quod miniſtri eccleſiae, qui in coniugio viuant, tolerandi, nec laici ab vſu ſacrae caenae ſub vtraque ſpecie prorſus arcendi ſint; vt tamen nec reprehendendi ſint, qui diuerſum faciunt, vt IO. SLEIDANVS loquitur, *commentar. de ſtatu religion. & reipubl. lib. XX. p. m. 579.* Sed nec ipſis vbique ſe probauit pontificiis, Romamque miſſa haud leues ibi motus concitauit, pleriſque aegre ferentibus, imperatorem maiorem, quam par erat, in rebus ad eccleſiam & ſacra ſpectantibus, ſibi adrogare poteſtatem, proteſtantibusque plura, quam decebat, in hacce formula concedi. Cum vero imperator acriter vrgeret, vt formula iſta acceptaretur; plurimi ex noſtrae eccleſiae theologis, qui eidem ſe opponebant, duriſſima quaeuis acerbiſſimaque perpeſſi ſunt; donec tandem per transactionem Paſſauienſem an. 1552 & hinc per pacem Auguſtanam hiſce quoque motibus atque calamitatibus finis imponeretur. Hiſtoriam huius formulae pluribus illuſtrant IO. SLEIDANVS, *l. c. lib. XX. p. 579. ſeqq.* PETR. SVAVIS, in *hiſtor. concil. Trident. lib. III. p. 492. ſeqq.* cumprimis autem IO. ERDM. BIECK, in *dem dreyfachen interim &c. c. II. p. 13. ſeqq.* qui & *§. XXVI. p. 123. ſeqq.* ſcripta, occaſione libelli huius edita, diligenter recenſet. Lipſienſi denique formulae, itidem *interim* adpellatae, Auguſtana, de qua hactenus diximus, occaſionem dedit. Cum enim Carolus V imperator Mauritium Saxoniae electorem vrgeret, vt *Auguſtanum* illud *interim* acceptaret; hic ſuarum ditionum proceres cum theologis quibusdam Lipſiam die 22 Decembr. 1548 conuocauit, vt hac ſuper re deliberarent. Aderant theologi Wittebergenſes PHIL. MELANCHTHON, IO. BVGENHAGIVS, PAVL. EBERVS, GE. MAIOR, quibus Lipſienſis ſacrorum antiſtes IO. PFEFFINGERVS adiungebatur. Ab his itaque formula quaedam concinnabatur, in qua plurimi eccleſiae romanae ritus pro adiaphoris declarabantur, qui adeo retineri, aut iterum introduci poſſent, immo & in dogmatibus quaedam adſerebantur, quae puriori ſententiae addictis minime probabantur. Mirumque hinc non eſt, quod MATTHIAS FLACIVS illyricus, NIC. GALLVS, IO. WIGANDVS, NIC. AMSDORFFIVS aliique, acriter ei ſeſe oppoſuerint; bellumque inde *adiaphoriſticum* in eccleſia noſtra exortum, magnisque animorum motibus geſtum eſt, donec tandem per *formulam concordiae* prorſus finiretur. Formula haecce Lipſienſis alias dicebatur: *Beſchluß des Landtags zu Leipzig*; vocatur etiam intuitu Auguſtanae *nouum*, itemque *paruum interim.* Legendus de hiſce omnibus bis nobis iam laudatus IO. ERDM. BIECK, in *dem dreyfachen interim, ſo in Regenſpurg, Augsburg und Leipzig zur Vereinigung der paebſtlichen und euangeliſch-Lutheriſchen Lehre, nach der Reformation zum Vorſchein gekommen &c.* Lipſiae 1721, 8.

Quo

Quo in libro auctor cuncta, ad hiſtoriam triplicis huius formulae ſpectantia, diligenter exſequitur, immo tres ipſas haſce formulas recuſas exhibet, & occaſione tertiae bellum iſtud adiaphoriſticum ſummo ſtudio enarrat, *c. III. p. 132. ſeqq.* ſed & ſcripta in hac cauſſa edita recitat *§. XXIV. p. 191. ſeqq.*

Non praetermittenda quoque hic eſt *repetita Auguſtana confeſſio*, quae & *confeſſio doctrinae eccleſiarum Saxonicarum* adpellatur. Nimirum cum Carolus v imperator perſpiceret, per formulam *interim* diſſidia, circa religionem exorta, componi non poſſe, omnemque hac in re irritum fuiſſe laborem; ad concilium iterum animum adiecit. Iam equidem Tridenti an. 1545 concilium inchoatum erat, ſed, ſubinde interruptum, languide procedebat. Vrgente autem, omnemque mouente lapidem imperatore, reſtaurandum erat 1551; inuitabatque idem imperator ſtatus proteſtantes, vt & ipſi legatos ac theologos ſuos ad concilium iſtud mitterent, & ea ratione pacem ac concordiam in eccleſia promouerent. Eum in finem itaque Mauritius elector Saxoniae PHIL. MELANCHTHONI mandauit, vt confeſſionem quamdam litteris conſignaret, quae nomine electoris & eccleſiarum Saxonicarum in concilio Tridentino exhiberi poſſet; quod & Chriſtophorus dux Wurtembergicus, aliique fecerunt. Quod principes ſtatusque proteſtantes de formula quadam coniunctim, omniumque nomine offerenda, non fuerint ſolliciti, ideo factum videtur, quod imperatori nullam mouere voluerint ſuſpicionem, ac ſi de nouo quodam foedere inter ſe ineundo cogitarent. Conſultius itaque viſum, vt ſinguli ſtatus principesque confeſſiones ſuas componerent; quod & a quibusdam factum; quae quidem confeſſiones in eo, quod caput cauſſae erat, inter ſe prorſus conſentiebant. Conſtat equidem, & ſupra quoque monuimus, *articulos Smalcaldicos* eum in finem concinnatos, & adprobatos, vt in concilio exhiberentur; vnde mirari aliquis poſſet, cur iſti eo tempore non ſint adhibiti? Cuius rei etſi variae forte excogitari rationes queant; admodum tamen veroſimile videtur, quod miniſtri & theologi electoris Saxoniae exiſtimauerint, fore, vt patres concilii Tridentini durioribus quibusdam loquutionibus & nimia acerbitate in romanum pontificem, quae in *articulis* iſtis conſpicitur, ſtatim ita offenderentur, vt nulli amplius conſultationi ſupereſſet locus. A PHILIPPO ergo MELANCHTHONE cum iuſſu electoris *repetita Auguſtana confeſſio* litteris conſignata eſſet, ad reliquos theologos Saxonicos miſſa, & vnanimi conſenſu ab iis adprobata eſt, vtpote quae Auguſtanae confeſſioni prorſus conſentanea, mentem ſententiamque eccleſiae Lutheranae recte exprimeret. Et agnoſcunt quoque hodie viri docti, ſcriptum hoc eſſe plane egregium, in quo nihil deſiderari queat, digniſſimumque, quod inter libros totius eccleſiae Lutheranae ſymbolicos recipiatur; quod cur factum non ſit, curve eius loco articuli Smalcaldici inter libros ſymbolicos poſiti ſint, diſputat IO. BENED. CARPZOVIVS, in *iſagoge in libros ſymbolicos. p. 1140. ſeqq.* A plurimis tandem theologis aliisque eſt adprobatum, & inter quosdam libros ſymbolicos particulares receptum, quemadmodum & in *corpore doctrinae* PHIL. MELANCHTHONIS exſtat. *num. III. p. m. 223. ſeqq.* vbi & circa finem *p. 278. ſeqq.* adprobationes theologorum, integrarumque eccleſiarum leguntur. MATTHIAS equidem FLACIVS hocce etiam ſcriptum adlatrauit, non aliam ob cauſſam, quam quod a PHIL. MELANCHTHONE profectum eſſet; ſed cum momentum non traherent, quae reprehenderet, in cenſum non venerunt.

Lau-

Laudanda maximopere induſtria viri clariſſimi IOANNIS QVOD VVLT DEI BVRGERI, qui an. 1722 libellum hunc Lipſiae 8. recudi curauit, inſcriptum: *Confeſſio doctrinae ſaxonicarum eccleſiarum, ſcripta 1551. vt ſynodo Tridentinae exhiberetur* i. e. *Wiederholung der Augsburgiſchen Confeſſion, zur Vberantwortung im Concilio zu Trident, auf Landes-Fürſtlichen Befehl durch Philippum Melanchthonem geſchrieben &c.* Praemiſit commentationem luculentam, in qua, quae ad libri huius hiſtoriam ſpectant, fuſe & diligenter perſequitur, ſimulque de bello Smalcaldico, cumprimis de formula *interim*, aliisque ſcitu dignis, copioſe verba facit.

Libris eccleſiae noſtrae ſymbolicis adiungi ſolent *quatuor articuli Viſitatorii*, an. 1592 in vſum eccleſiarum Saxonicarum concinnati, vt erumpenti iterum poſt *formulam concordiae* crypto-Caluiniſmo obuiam iretur. Conſcripti autem ſunt per AEGIDIVM HVNNIVM, MART. MIRVM, GEORG. MYLIVM, aliosque. Publicae luci expoſiti ſunt anno 1593, inſcriptique: *Viſitation-Artickel im ganzen Chur-Kraiſe Sachſen, ſamt derer Caluiniſten negatiua vnd gegen-Lehr, vnd die Form der ſubſcription, welcher geſtalt dieſelben beyden partheyen ſich zu unterſchreiben ſind vorgeleget worden.* Ad defenſionem eorum mox prodiit: *gründliche Verantwortung der vier ſtreitigen Artickel &c.* Cuius ſcripti auctorem AEG. HVNNIVM fuiſſe ferunt, ſub cuius nomine deinceps etiam lucem adſpexit: *Wiederlegung des caluiniſchen Büchleins, ſo wieder die zur chriſtlichen Viſitation der Kirchen und Schulen im Churfürſtenthum Sachſen verfaſſete vier Artickel durch den Druck ausgeſprenget worden.* Lucem hic dabit hiſtoria erumpentis iterum ſub Chriſtiano I electore Saxoniae crypto-Caluiniſmi, quem hiſce articulis occaſionem dediſſe, antea diximus. Legendi hac de re LEONH. HVTTERVS, in *concordia conc. c. XLIX.* & HENR. PIPPINGIVS, in *der hiſtoriſchen Einleitung &c. c. IX. p. 135. ſeqq.*

Ad reliqua ſcripta, publico nomine edita, vt progrediamur, cumprimis ſe nobis offert *ſolida, verboque Dei & libro concordiae chriſtianae congrua deciſio, quatuor iſtorum, inter aliquot theologos Auguſtanae confeſſionis nuperrime controuerſorum capitum principaliorum, de vera deſcriptione & fundamento praeſentiae Dei, eiusque filii Ieſu Chriſti apud creaturas, nec non de inceſſante & plenario dominio Chriſti, ſecundum humanam naturam in ſtatu humiliationis &c.* iuſſu electoris Saxoniae Io. Georgii I a theologis ſaxonicis an. 1624 conſcripta, cui notiſſimae illae Tubingenſium Gieſſenſiumque theologorum controuerſiae occaſionem dederant. Auctorem huius ſcripti praecipuum HENR. HOEPFFNERVM, theologum quondam Lipſienſem celeberrimum, eſſe, ex ANANIAE WEBERI *Hoepffnero angelico doctore* docere voluit IO. FRID. MAYERVS, in *epiſtolica diſſertat. ad Vincentium Placcium*, qua *farraginem ſcriptorum anonymorum & pſeudonymorum* exhibet, quaeue inter *diſſertationes* eius *ſelectas Kilonienſes & Hamburgenſes* exſtat, *p. 433.* In eadem ſententia verſatus fuerat HENR. PIPPINGIVS, in *der hiſtoriſchen Einleitung &c. c. X. §. VIII. p. 155.* ſed meliora deinceps edoctus, luculentis argumentis oſtendit, ſcripti huius auctorem eſſe MATTHIAM HOE, in *diſſert. epiſtolica ad Thomam Crenium de iterata & ſolida defenſione pupillae euangelicae &c.* quae ſubiuncta eſt eiusdem *exercitationibus academicis iuuenilibus*, Lipſiae 1708, 8. editis, *p. 506.* Cum autem theologi ſaxonici in hocce ſcripto Gieſſenſium partibus acceſſiſſent; Tubingenſes *amicam*, quam vocabant, *admonitionem*, ſed aculeis non carentem, illis oppoſuerunt; ad quam reſponſuri Saxonici an. 1624 ediderunt *neceſſariam & ineuitabilem*

lem apologiam, ſeu adſertionem deciſionis ſolidae &c. Cuius ſcripti auctorem itidem MATTH. HOE eſſe, HENR. PIPPINGIVS, in *diſſert. epiſtol.* citata, *p.509.* docet. Ex ampla, quae ei praemiſſa eſt, praefatione, multa, ad certaminis huius hiſtoriam ſpectantia, condiſcere licet.

Sequitur *deciſio controuerſiae Rathmannianae.* HERMANNVS enim RATHMANNVS, Lubecenſis, ſed apud Danticanos verbi diuini miniſter, circa an.1622 errores Schwenckfeldianos ſpargere coepit, internam vim & efficaciam verbi diuini homines conuertendi & illuminandi partim in dubium vocans, partim negans. Legendus ANDR. CAROLI, *memorabilib. eccleſiaſt. ſaec. XVII.* ad *an. 1624. p. 614.* Tantum vero abeſt, vt hac in re ſe errare exiſtimaret RATHMANNVS, vt potius, LVTHERVM ipſum, aliosque theologos ſecum conſentire contenderet. Hinc an. 1627 edidit: *D. Martini Lutheri Zeugnüſſe, was die heilige Schrifft ſey, vnd aus welcher Krafft ſie würcke? aus ſeinen Büchern colligiret vnd zuſammen getragen.* Qua ratione cum multi turbarentur, theologi ſaxonici iuſſu electorali an. 1629 ei ſequens oppoſuerunt ſcriptum: *Der reinen, wahren, euangeliſchen Kirchen vnd vngeaenderter Augsburgiſchen Confeſſion zugethanen theologen, wiederholete, richtige, gründliche und unvermeidliche Lehre von der heiligen Schrifft, oder dem heiligen geoffenbahrten Worte Gottes, was daſſelbe ſeiner Natur vnd Eigenſchafft nach ſey &c.* Auctorem huius quoque ſcripti MATTH. HOE eſſe, rurſus HENR. PIPPINGIVS docet, in *diſſertat. epiſtolica* antea laudata *ad Thomam Crenium p.513.*

Poterat equidem hocce ſcriptum parum tempeſtiuum videri eo tempore, quo romanenſes, ſpeciatim Ieſuitae, omni niſu id agebant, vt proteſtantes opprimerent, hinc & illis inteſtinas obiiciebant contentiones, quod paullo ante ex horum ordine homo petulantiſſimus LAVR. FORERVS fecerat, in libro *der Kezer Kazen-Krieg* dicto. Sed haud immerito cenſuerunt noſtrates, curam pro doctrinae puritate conſeruanda potiorem eſſe, quam vt eiusmodi hominum inſultus & cauillationes eam impedire aut ſufflaminare debeant. Et ſane, domeſtica haecce certamina non obſtabant, quo minus noſtrates romanenſibus ſe opponerent, qui felicibus Ferdinandi II imperatoris ſucceſſibus turgidi, ad exſtirpandos haereticos, quos vocabant, omnes cogitationes conuertebant, neue πρόφασις deeſſet, Lutheranos a genuina confeſſione Auguſtana defeciſſe, taliaque docere, quae cum ea non conuenirent, contendebant, & hinc concludebant, *pacem religionis*, 1555 ſancitam, ad eos amplius non pertinere. Scripto namque publico haſce criminationes repellere, conſultum duxerunt; quod & theologi ſaxonici fecerunt, in *der nothwendigen Vertheidigung, des heiligen Roemiſchen Reichs euangeliſcher Churfürſten vnd Staende Augapffels, nehmlich der wahren, reinen, vngeaenderten, Carln dem fünfften hoechſtloeblichen Gedaechtnüs an.1530 vbergebenen Augsburgiſchen Confeſſion, vnd des auf dieſelbe gerichteten hochverpoenten Religion-Friedens &c.* Quod ſcriptum a MATTH. HOE compoſitum, luculenter euincit HENR. PIPPINGIVS in *diſſert. epiſtol. ad Thomam Crenium p.513.* Praelectum illud in conuentu theologorum, Lipſiae an. 1628 die II Nouembris, & ab omnibus, qui aderant, Lipſienſibus ſpeciatim & Wittebergenſibus, theologis, cumprimis & a beato IO. GERHARDO noſtro, adprobatum, & ita luci publicae expoſitum fuit. Dici autem nequit, quantum ſtrepitum excitauerint Ieſuitae, cum iſtud prodiiſſet. Ingens hinc libellorum effuſa eſt copia, in quibus conuiciis, ſcommatibus, cauillationibus nec finis nec modus ponebatur, quod & ipſa plerorumque oſtendebat inſcriptio.

ſcriptio. Nonnullos ex iis indicat HENR. PIPPINGIVS, in *der hiſtoriſchen Einleitung &c. c. X. §. X. p. 159.* itemque beatus CHRISTIAN. KORTHOLTVS, in *prodromo ingenui theologiae cultoris academico, c. I. §. XXI. p. 35.* Nec deerant ex noſtratibus, qui eiusdem generis ſcripta illis opponerent; interim tamen res eccleſiae poſtulare videbatur, vt communi quodam publicoque ſcripto denuo hiſce criminationibus obuiam iretur. Iuſſu itaque electorali a theologis ſaxonicis an. 1630 *iterata pupillae euangelicae* conſcripta eſt *apologia*, ſeu *nochmahlige vnvermeidentliche vnd gründliche Haupt-Vertheidigung des heiligen Roemiſchen Reichs euangeliſcher Churfürſten vnd Staende hochwehrteſten Augapffels vnd theuren Kleinodes, nehmlich der wahren, reinen, vnveraenderten Augsburgiſchen Confeſſion &c.* Lucem publicam haec *apologia* adſpexit anno ſequenti 1631, auctoremque, aeque ac reliqua hactenus commemorata ſcripta, agnoſcit MATTH. HOE, vt iam ADAM. RECHENBERGIVS monuit, in *adpendice tripartita ad libros ſymbolicos, c. XI. §. V.* quod pluribus confirmat HENR. PIPPINGIVS, in *diſſertat. epiſtol. ad Thomam Crenium p. 502.* Iungendus his IO. FABRICIVS, in *hiſtor. biblioth. Fabricianae, part. II. p. 149. ſeqq.*

** Varia ſunt eiusmodi *corpora doctrinae*, vt *Philippicum, Pomeranicum, Thuringicum, Prutenicum, Iulium*, aliaque. Et de iis quidem, quae nominauimus, erudite commentatus eſt IO. ANDR. SCHMIDIVS, in *programmate de corporibus doctrinae Philippico, Pomeranico &c.* Helmſtadii 1706, 4. quod integrum *introductioni* ſuae *in hiſtoriam theologiae litterariam, notis ampliſſimis illuſtratae* inſeruit CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, *lib. II. §. VI. p. 233. ſeqq.* Vnde, vt in iis copioſi ſimus, neceſſe non eſt. Obſeruatu tamen prae reliquis dignum eſt *corpus doctrinae Philippicum*, ob varias, quibus occaſionem dedit, turbas. Prodiit primum germanice 1560, deinde & latine anno ſequenti 1561, continenturque in eo 1) *confeſſio Auguſtana*, 2) eiusdem *apologia*, 3) *repetitio Auguſtanae confeſſionis*, de qua antea dictum, 4) *loci praecipui theologici*, 5) *examen eorum, qui audiuntur ante ritum publicae ordinationis &c.* 6) *reſponſiones ad impios articulos Bauaricae inquiſitionis*, 7) in latina editione acceſſerunt *refutatio erroris Serueti & anabaptiſtarum*, itemque *reſponſio de controuerſia Stancari*; ex quibus in germanica tantum habetur *refutatio Serueti*, inſcripta: *wieder die Verneuerung des Mahometiſchen Irrthums Serueti.* An ipſe PHIL. MELANCHTHON hocce corpus doctrinae ante mortem ita ordinauerit, an ab alio hoc factum ſit? incertum videtur. In vtriusque editionis praefatione nomen Melanchthonis in fronte conſpicitur, quarum prior ſcripta eſt an. 1559 die 19. Sept. altera vero 1560 die 16 Febr. quo auctor annum aetatis 64 ingrediebatur. LEONHARDVS autem HVTTERVS horum librorum compilationem CASP. PEVCERO tribuit; in *concordia concord. c. XI. p. 94.* Immo ipſos theologos electorales in colloquio Altenburgenſi hanc collectionem ipſi MELANCHTHONI tribuere auſos non eſſe, IO. ANDR. SCHMIDIVS obſeruat *l. c. p. 236.* Interim non tantum in ditionibus ſaxonicis, ſed alibi quoque, *corpus* hocce *Philippicum* magnam obtinuit auctoritatem. Mox tamen fuerunt, qui illud reprehenderent, & ſuſpectum reddere adniterentur; idque cumprimis fecerunt theologi Thuringici cum MATTH. FLACIO. LEONHARDVS quoque HVTTERVS laudat *l. c.* confeſſionem theologorum, ſub ditione dominorum Plauenſium tum publice docentium, an. 1567 editam, & *corpori doctrinae Philippico* directe oppoſitam, in qua triginta quatuor theologi de corpore iſto κρίσιν tulerint generalem & ſpecialem. Poſtquam etiam theologi ſaxonici electorales in colloquio Altenburgenſi,

1568

1563 & 69 inſtituto, libros quosdam MELANCHTHONIS non tantum laudaſſent, ſed eiusdem quoque *corpus doctrinae*, electoris mandato eccleſiae miniſtris praeſcriptum, & tamquam normam publicae doctrinae obſeruandum dixiſſent; theologi ducales reſponderunt, ſe quidem laudare, quae in hoc volumine laudanda eſſent; pro norma tamen doctrinae illud minime agnoſcere poſſe. Rationes, quas pro ſua ſententia attulerunt, legi poſſunt in *actis* iſtius *colloquii* Ienae an. 1569 editis; quas inter prima haec fuit, in prima *corporis* iſtius editione non eſſe Auguſtanam confeſſionem veram & antiquam, in ſecunda autem eſſe variatae & inuariatae confuſionem. Diſputatum hac de re vlterius fuit inter electorales & ducales theologos, illis corpus doctrinae Philippicum defendentibus, his reiicientibus; videturque inde enata occaſio an. 1570 *corpus Thuringicum* colligendi. Hoc autem cum an. 1571 prodiiſſet, mox lucem adſpexit **Antithesis** *corporum doctrinae Miſnici, & Thuringici, iuxta loca, in quibus diſſident*, in qua *corpus Thuringicum* defenditur, *Miſnicum* in variis capitibus redarguitur. Quae omnia IO. ANDR. SCHMIDIVS *l. c.* fuſius enarrat; qui &, quae de *corpore doctrinae Iomeranico* pariter ac *Prutenico* ſcitu digna ſunt, ſuppeditat. De *Prutenico* etiam legendi CHRISTOPH. HARTKNOCHIVS, in *der Preuſſiſchen Kirchen-Hiſtorie, lib. II. c. IV.* COELEST. MISLENTA, in *prolegom. ad manuale Prutenicum*, & IO. BEHM, in *dem kurtzen Bericht von dem Preuſſiſchen doctrinae corpore*. De *corpore doctrinae Iulio* praeter IO. ANDR. SCHMIDIVM, *l. c.* conferendus IO. FABRICIVS, in *hiſtor. biblioth. Fabricianae part. II. p. 145. ſeqq.* & cumprimis PHIL. IVL. REHTMEYERVS, in *der Kirchen-Hiſtorie der Stadt Braunſchweig, part. III. c. VIII. ſect. IV. p. 336.* item *ſect. VII. p. 416. ſeqq.* Praeter haecce *doctrinae corpora* aliae etiam extant collectiones, in quibus libri ſymbolici particulares eccleſiarum noſtrarum continentur. Sic *libri normales* eccleſiae Norimbergenſis, curante IO. SAVBERTO Norimbergae an. 1646, 4. prodierunt, inſcripti: *zwoelff theologiſche Schrifften ſowol alter, als iungerer Lehrer, zu Nutz der ſtudierenden Iugend vnd iunger angehender Kirchen-Diener zuſammen gedrucket.* IO. CONR. DVRRII *commentarius ad libros* hosce *normales Norimbergenſes, in quo difficiliora dubia ſoluuntur*, Norimbergae lucem adſpexit an. 1675, 4. De libris autem ſymbolicis eccleſiae Wurtenbergicae praeclare meritus eſt CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, dum *acta & ſcripta publica eccleſiae Wurtembergicae, tum quae cuſa dudum fuerunt, tum quae e ſitu & tenebris nunc demum in dias luminis auras prodeunt*, recenſuit, edititque Tubingae 1720, 4.

§. IX. Romanenſes veteris quidem eccleſiae ſymbola, licet non eodem vbique ſenſu, nobiscum recipiunt; dogmata tamen, quae illis propria ſunt, & in quibus a nobis non minus, quam ab ipſa veritate diſſentiunt, in publicis quibusdam ſcriptis, quae adeo pro ſymbolicis illorum recte habentur, complexi ſunt, vti in *canonibus* & *decretis concilii Tridentini*, in *profeſſione Tridentina*, itemque in *catechiſmo romano.** Sed & Graeci ſua habent ſymbola, ſuasque confeſſiones, quibus, tum ab aliis, tum & ab eccleſia romana ſe diſſentire, teſtantur.**

* Quemadmodum romanenſes non tantum eadem, ac nos, ſed plura adhuc concilia oecumenica agnoſcunt; ita &, quae nos recipimus, ſymbola veteris eccle-

ſiae

ſiae oecumenica ipſi quoque recipiunt, certe ſi verba ſpectes, etſi non ſemper qua ſenſum, vt vel exemplo articuli de eccleſia patet. His autem cum nobis immorandum non ſit, ad ea ſtatim nos conuertimus, quae illis plane propria ſunt; inter quae primum praecipuumque locum tenet ipſum concilium Tridentinum, ſeu *canones* potius & *decreta* iſtius concilii, & quae illud mox ſubſequuta eſt *profeſſio fidei Tridentinae*. Addi porro ſolet *catechiſmus romanus*, iuſſu Pii v pontificis concinnatus, itemque *catechiſmus maior* PETRI CANISII, iuſſu Ferdinandi I imperatoris an. 1554 editus, & deinceps, variis linguis & locis, recuſus. Sed de vtroque iam in praecedentibus ex inſtituto dictum. Quae de ſymbolis romanenſium generatim porro dici poterant, eleganter ediſſerit VALENT. ALBERTI, in *examine profeſſionis fidei Tridentinae*, *c. I.* Concilii Tridentini, cuius hic praecipue habenda eſt ratio, hiſtoriam ingenue & cordate ex ipſis romanenſibus, ad aeternam illorum ignominiam, condidit PETR. SVAVIS, Polanus, ſeu PAVL. SARPIVS, Venetus. Hancce, italica lingua ſcriptam, primum MARC. ANTON. DE DOMINIS in lucem protraxit, & Londini 1619 edidit, anno autem ſequenti latine reddita ibidem lucem adſpexit, indeque ſaepius eſt recuſa, etiam Lipſiae an. 1699, 4. Nimirum latine eam vertit ADAM. NEWTONVS, ſed non ſatis feliciter; poſteriorum hinc maxime librorum meliorem verſionem dedit GVILIELM. BEDELLVS, ceterorum MARC. ANTON. DE DOMINIS. Veriſſima autem eſſe, quae ſcripſit SARPIVS, egregie confirmari poteſt ex *epiſtolis* ac *commentariis* FRANC. DE VARGAS, PETRI DE MALVENDA, & quorumdam Hiſpaniae epiſcoporum, de *concilio Tridentino*, qui cum notis MICHAEL. LE VASSOR lingua gallicana prodierunt Amſtelodami an. 1700. 8. & latine cum praefatione IONAE CONR. SCHRAMMII, Brunſwigae lucem adſpexerunt, an. 1704, 4. Non minus vero, ad fidem & auctoritatem SARPII in quibusdam confirmandam, faciunt *epiſtolae arcanae & commentarii hiſtorici* VISCONTI, nuntii apoſtolici, cardinalis & miniſtri intimi Pii IV in concilio Tridentino, gallice ac italice editi a IO. AYMONE, Amſtelodami 1719, 8. Romanenſes equidem omnem mouerunt lapidem, vt veritatem, a SARPIO tam aperte detectam expoſitamque, obſcurarent; vnde nonnulli prodierunt, qui concilii Tridentini aliter exhibere hiſtoriam, ſimulque PAVL. SARPIVM refutare adgreſſi ſunt. Hos inter eminent SCIPIO HENRICVS, theologus Meſſanenſis, & SFORT. PALLAVICINVS cardinalis; quorum ille *cenſuram theologicam & hiſtoricam, aduerſus Petri Suauis Polani de concilio Tridentino hiſtoriam*, Meſſanae 1651 & Dillingae 1654, 8. hic autem *hiſtoriam concilii Tridentini*, italice ſcriptam, Romae 1656 & 57 duobus voluminibus in fol. ſubinde deinceps recuſam, edidit. PALLAVICINI *hiſtoriam* hancce in linguam latinam conuertit IO. BAPT. GIATTINVS, Ieſuita, quae verſio Coloniae an. 1717 recuſa, iudice RICH. SIMONE, erroribus quam plurimis ſcatet. Fuerunt autem inter ipſos romanae eccleſiae addictos, qui agnoſcerent, SARPIVM ingenue ſcripſiſſe, eumque contra obtrectationes aliorum defenderent. Certe CAES. AQVILINIVS in libro *de tribus hiſtoricis concilii Tridentini*, Amſtelodami 1662, 8. edito, cuius ſummam BVRCARD. GOTTH. STRVVIVS exhibet, in *bibliotheca antiqua an. 1706. p. 465. ſeqq.* non tantum, SCIP. HENRICVM & PALLAVICINVM ſibi inuicem aduerſari, oſtendit, ſed SARPIVM cum PALLAVICINO ita confert, vt illum huic praeferat. PAVLI SARPII *hiſtoriam concilii Tridentini* in linguam gallicam tranſtulit AMELOT. DE LA HOVSSAYE, eamque notis hiſtoricis, politicis, & moralibus

libus illuſtrauit, praefationemque lectu dignam praemiſit, in qua SARPIVM contra aduerſariorum obtrectationes defendit. Prodiit verſio haecce Amſtelodami an. 1683, in qua tamen, vtpote ex latina ADAMI NEWTONI facta, errores haud paucos obſeruauit RICH. SIMON. *epiſtol. ſel. lib. II. epiſt. XXXI. p. 189. ſeqq.* Compendium hiſtoriae huius, a SARPIO ſcriptae, dedit PETR. IVRIEV, cum *diſſertatione continenti conſiderationes hiſtoricas de conciliis, & ſpeciatim de Tridentino, vt conſtet, proteſtantes ad id recipiendum non teneri;* quod lingua gallica ſcriptum Geneuae an. 1682 & Amſtelodami 1683, 12. lucem adſpexit. Poſt PAVL. SARPIVM alii quoque in concilii huius hiſtoria ſcribenda ingenii vires periclitati ſunt, quos inter & LVDOV. ELLIES DV PIN eſt, cuius *hiſtoria concilii Tridentini ex tomo decimo quarto bibliothecae* eius *ſcriptorum eccleſiaſticorum* excerpta Amſtelodami prodiit 1621. 8. Reliquos, quorum haud exiguus adhuc numerus eſt, indicat IO. ALBERT. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. XI. lib. VI. c. IV. p. 699. ſeqq.*

Iam ad rem ipſam quod attinet, non eadem equidem apud omnes romanae eccleſiae addictos concilii Tridentini eſt auctoritas, nec deſunt ex praecipuis eccleſiae iſtius doctoribus, qui, a decretis concilii huius diſſentire, ſibi fas eſſe, putant. Legenda, quae hac de re obſeruauit IO. FRID. MAYERVS, in *den Kriegen des Herrn, p. 912.* Immo gallicana eccleſia concilii iſtius decretis ſe ſubmittere detrectauit; qua de re conferenda HECTORIS GOTTF. MASII *exercitatio hiſtorico-theologica, de contemtu concilii Tridentini in Gallia*, Hafniae 1696 edita, atque *diſſertationibus* eius, iunctim an. 1719 excuſis, inſerta, *p. 558. ſeqq.* addendique & alii, laudati IO. ALBERT. FABRICIO, *bibl. graec. volum. XI. lib. VI. c. IV. p. 697. 698.* quibus & iungendus HENR. PIPPINGIVS, in *der hiſtoriſchen Einleitung zu den ſymboliſchen Büchern, c. I. §. XV. p. 5. ſeqq.* Licet autem ipſum concilium Tridentinum in Gallia non adprobetur; *profeſſionem* tamen *fidei Tridentinae* ibi receptam, docet VALENT. ALBERTI, in *examine profeſſionis fidei Tridentinae, c. III. §. V. p. 57. Diſtinguendum nimirum*, inquit, *eſt, inter regnum, & eccleſiam Galliae papiſticam, tum inter concilii Tridentini decreta de fide, & de reformatione. Illa cum eccleſia gallicana in omnibus ſuis conciliis a tempore concilii Tridentini receperit; haec tamen a regno, tanquam libertati eius aduerſantia, non admiſſa fuerunt; immo hinc concilio ipſi nullus in regno locus a rege & comitiis relictus.* A plerisque vero romanenſium cum concilium Tridentinum ſine exceptione recipiatur, & adprobetur; recte canones eius atque decreta pro libro ſymbolico eccleſiae romanae habentur. Hinc & Pius IV pontifex peculiari edicto ſanxit, ne cui, priuata auctoritate decreta iſta exponere, aut interpretari, fas eſſet; ſed vt, ſi cui dubium oriretur, ad ſedem apoſtolicam accederet, & per delegatos eam in rem cardinales, eius ſolutionem exſpectaret. Quam tamen prohibitionem ad eas ſolum difficultates, quae peculiari ipſiusmet conſtituentis declaratione egeant, exceptis iis, quas ex regulis legitimae interpretationis tollere haud graue ſit, reſtrictam fuiſſe, experientia docuit. Natae hinc ſunt plures concilii iſtius editiones, quae decreta eius canonesque diuerſis illuſtratos adnotationibus exhibuerunt, quas inter eminet ea, quae Coloniae 1664, 8. prodiit; de qua legenda, quae in *actis eruditorum Lipſienſibus* obſeruantur, *an. 1698. menſ. April. p. 178.* Et ſane interpretum pariter ac propugnatorum concilii Tridentini haud exiguus eſt numerus, quorum praecipuos refert IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. XI. lib. VI. c. IV. p. 696. ſeqq.* itemque *p. 715. ſeqq.* qui & *p. 699.* ſcripta varia, ad

 mentem

Digitized by Google

mentem concilii Tridentini inquirendam ſpectantia, enumerat; inter quae eminet DIONYSII PETAVII *de Tridentini concilii interpretatione & ſancti Auguſtini doctrina liber vnus, contra abbatis ad epiſcopum epiſtolam. tom. III. dogmat. theologic. p. 336.* Inter eos autem, qui concilium Tridentinum propugnarunt, cumprimis commemorandus DIDACVS DE PAIVA DE ANDRADA, ſiue ANDRADIVS Conimbricenſis, qui, cum libro MART. CHEMNITII, *theologiae Ieſuitarum praecipua capita* inſcripta, *orthodoxas explicationes de controuerſis religionis capitibus* oppoſuiſſet, id tum aliis, tum ipſi MART. CHEMNITIO egiſſe viſus eſt, vt non tam theologiam Ieſuitarum, quam decreta concilii Tridentini explicaret. Vnde CHEMNITIO, *examen concilii Tridentini* ſcribendi, enata eſt occaſio. ANDRADIVS vero rurſus cauſſam ſuam egit, in *defenſione Tridentinae fidei catholicae, quinque libris comprehenſa, aduerſus haereticorum calumnias, & praeſertim Martini Kemnitii*, Vlyſſipone 1578, 4. Legenda, quae de ANDRADIO hocce obſeruat PET. BAELIVS, in *diction. hiſtorico-critic. voc. Andradius. p. 242. ſeqq.* Contra eiusdem CHEMNITII noſtri *examen concilii Tridentini* IODOCVS quoque RAVENSTEINIVS, theologus Louanienſis, *propugnaculum concilii Tridentini* edidit, Louanii 1577 alibique excuſum. Scripta contra concilium Tridentinum, aut habendum, aut habitum, recenſet itidem vir doctiſſimus IO. ALB. FABRICIVS, *bibliothec. graec. volum. XI. lib. VI. c. IV. p. 711. ſeqq.* Primum inter ea principemque citra controuerſiam locum promeretur MART. CHEMNITII *examen concilii Tridentini*, de cuius occaſione, quam DIDACVS DE PAIVA ANDRADIVS dedit, antea diximus. Prima eius pars prodiit an. 1565, ſecunda anno ſequenti, tertia & quarta anno 1573. Saepius deinceps hocce *examen* recuſum fuit; omnibus tamen editionibus praeferenda eſt recentiſſima illa, quae cura GE. CHRIST. IOANNIS, Francofurti ad Moenum, an. 1707, fol. lucem adſpexit. Nihil enim vir ille doctiſſimus praetermiſit, vt adcurate ornateque opus hocce prodiret; cumprimis laudandum, quod loca patrum, a CHEMNITIO adducta, ſtudioſe euoluerit, &, indicatis eorum editionibus, adlegauerit, verbaque graeca exhibuerit. Tabulas quoque hiſtorico-chronologicas praemiſit, excerptaque ex *epiſtolis* & *commentariis* FRANCISCI DE VARGAS, PETRI MALVENDAE, & quorumdam Hiſpaniae epiſcoporum, a MICHAELE LE VASSOR editis, ſupraque a nobis laudatis, adiecit. In linguam germanicam *examen* hocce tranſtulit GE. NIGRINVS, paſtor Gieſſenſis, quae verſio 1576 prodiit, hodieque eſt paullo rarior. Legendus HENR. PIPPINGIVS, in *der hiſtoriſchen Einleitung zu den ſymboliſchen Büchern, c. I. §. XV. p. 8.* De ipſo autem hocce opere egregio prorſus nihil dici poteſt tam praeclare, quin multis modis illud ſuperet; eſtque in hocce genere CHEMNITIVS inſtar omnium. Ceteroquin & IO. PAPPVS, theologus Argentoratenſis, & LVC. BACMEISTERVS, Roſtochienſis, *diſſertationes* contra hocce concilium ediderunt, quod & ex Helmſtadienſibus BALTH. CELLARIVS fecit. Ex iisdem Helmſtadienſibus GE. CALIXTVS *conſiderationem* ſcripſit *doctrinae pontificiae iuxta ductum concilii Tridentini*, Helmſtadii 1659, &, cum proluſione HENR. MVHLII Kilonii 1716, 4. IAC. MARTINI *ficulneam firmitatem* concilii huius peculiari libello demonſtrauit, & ABR. CALOVIVS *mataeologiam concilii Tridentini* dedit, Wittebergae 1656. Mitto reliquos, IO. ALB. FABRICIO *l. c.* iam laudatos. Vtiliſſimam eccleſiae noſtrae operam praeſtitit PAVL. ANTONIVS, theologus Hallenſis celeberrimus, deque eccleſia

cleſia noſtra praeclare meritus, edita *concilii Tridentini adeoque & pontificiorum doctrina publica*, Halae 1697, 8. quippe in qua decreta & canones concilii Tridentini ita exhibet, vt antitheſin ſubiiciat, ex ſcriptis praecipue eccleſiae noſtrae publicis, quibus concilii iſtius dogmata oppoſita fuerunt, notis quoque quibusdam ſubinde adſperſis. Inter reformatae eccleſiae doctores vtramque hic paginam facit IO. HENR. HEIDEGGERVS, cuius *anatome concilii Tridentini hiſtorico-theologica* Tiguri lucem adſpexit, an. 1672 duobus tomis 8. Praemiſſi ſunt *tomo primo* canones & decreta ipſa concilii Tridentini, eiusdemque hiſtoria, ſubiunctis notis, in quibus PETR. SVAVIS Polanus contra *cenſuram hiſtorico-theologicam* SCIPIONIS HENRICI defenditur. *Tomo ſecundo* acceſſit IAC. AVG. THVANI *hiſtoria concilii Tridentini*, ex *hiſtoriarum* eius *libro XXXII. & XXXV.* excerpta; quae in editione Aurelianenſi exſtat, ſed in Francofurtenſi & Pariſienſi fruſtra quaeritur, vt viris doctis obſeruatum eſt. Edidit deinceps idem HEIDEGGERVS *anatomes concilii Tridentini adſertae ſpecimen*, quo *decem argumenta*, *praeſentiae ſubſtantiali corporis & ſanguinis domini in eucha-riſtia oppoſita*, *ab inſtantiis D. Caroli Baldingeri defenſa, exhibentur.* Praeterea cum AVGVSTINVS REDING, abbas Einſidelenſis, an. 1684 *oecumenici Tridentini concilii veritatem inexſtinctam, ne apice quidem laeſam ex praeſumtuoſa Io. Heideggeri anatome hiſtorico-theologica*, edidiſſet; HEIDEGGERVS *tumulum concilii Tridentini* luci publicae expoſuit, an. 1690 duobus voluminibus, 4. in quo ipſa *anatome* emendatior, & acceſſionibus variis auctior, exhibetur, & a REDINGI obiectionibus vindicatur. Ceterum a canonibus & decretis concilii Tridentini diuerſam eſſe *fidei Tridentinae profeſſionem*, antea iam monuimus. Hanc nimirum ſecundum concilii Tridentini ſanctionem, anno, poſt finitum concilium iſtud, ſtatim ſequenti 1564 idibus Nouembris publicauit Pius IV pontifex, eo comparatam, vt illi ſubſcribant, ſeque cum ea ſentire profiteantur, quotquot muneri cuidam eccleſiaſtico in eccleſia romana admouentur, aut dignitatibus honoribusque academicis ornantur; immo & quotquot ab alia quadam eccleſia ad romanam tranſeunt. Sunt equidem & aliae apud romanenſes *fidei profeſſiones*, vti ea, quam a Graecis praeſtandam Gregorius XIII conſtituit, & quam deinceps Chaldaeis Paulus V praeſcripſit. In eo tamen, quod caput cauſſae eſt, cum Tridentina conſentiunt, niſi quod in vtraque quaedam, quae ſpeciatim aut ad Graecorum placita, quibus a romanenſibus diſſentiunt, aut Chaldaeorum vel Babyloniorum, Neſtorianiſmo infectorum, errores ſpectant, addantur. Qua de re legenda, quae VAL. ALBERTI obſeruat, in *examine profeſſionis Tridentinae &c. c. I. §. XI. XII. p. 11. ſeqq.* Atque hic ipſe Lipſienſium theologus longe clariſſimus doctiſſimusque hoc nomine cumprimis commendandus eſt, quod in *examine* iſto *profeſſionis Tridentinae*, *nec non expoſitionis doctrinae catholicae Iacobi Benigni Boſſueti*, Lipſiae an. 1692, 12. edito, & *profeſſionis* iſtius, & IAC. BENIGNI BOSSVETI, qui eam, in *expoſitione* ſua *doctrinae catholicae* ſequutus fuerat, errores luculenter detexit, & ſolide refutauit. Exſtat ceteroquin & INNOC. DEODATI SINCERI *prufung der profeſſionis Tridentinae* an. 1707, 4. & quae alia ſunt eiusdem generis.

** Habent & Graeci ſuas confeſſiones, itemque catechiſmos, & ſimilia ſcripta, ex quibus, ceu ſymbolis, veram ac genuinam illorum doctrinam cognoſcere licet Et ad confeſſiones quidem eorum quod attinet, primum inter eas, ſi auctoritatem ſpectes, locum tenet *confeſſio eccleſiae*

cleſiae graecae orthodoxa, CYRILLI LVCARIS confeſſioni a PET. MOGILA, Metropolita Kiouienſi oppoſita, a ſynodo Moldauienſi adprobata, a MELETIO SYRIGO aliisque reuiſa, a patriarchis, Conſtantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Hieroſolymitano, plurimisque metropolitis ſubſcripta, a NECTARIO patriarcha Hieroſolymitano, an. 1662 praefatione commendata, a DOSITHEO patriarcha Hieroſolymitano, concilioque Hieroſolymitano an. 1672 congregato, in librum eccleſiae graecae ſymbolicum euecta, eodemque anno a DIONYSIO, patriarcha Conſtantinopolitano, itidem confirmata. Eam poſt editionem PANAIOTTAE NICVSII an. 1662 in Belgio impreſſam, cum latina verſione dedit LAVR. NORMANNVS, Lipſiae 1695, 8. lingua autem graeco-barbara recuſa fuit Bucoreſti in Moldauia, an. 1699. Legendus IO. MICH. HEINECCIVS, in *der Abbildung der alten und neuen griechiſchen Kirche, part. I. c. IV. §. XVI. p. 234.* vbi docet, hancce confeſſionem proprium & genuinum eccleſiae graecae hodiernae ſymbolum eſſe, ex qua vera eius doctrina ſit aeſtimanda. Magno itaque conatu nihil agere IO. AYMONIVM, virum cetera harum rerum minime rudem, CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS pronuntiat, cum omnem confeſſioni huic auctoritatem denegat; in *diſſertat. apologet. de fragment. Irenaei anecdotis*, §. *XV.* in *primitiis Tubingenſibus, p. 216. 217.* Sunt tamen alii, qui, tum nimio CYR. LVCARI contradicendi ſtudio, tum machinationibus romanenſium, effectum, putant, vt quaedam insererentur, quae romanae potius, quam graecae, ſaltem veteris, eccleſiae genuinam mentem exprimunt. Hiſtoriae nimirum huius confeſſionis lucem dabunt fata CYR. LVCARIS, patriarchae Conſtantinopolitani, cuius quippe confeſſioni, reformatae eccleſiae placitis attemperatae, oppoſita fuit; de quibus conferenda THOM. SMITHI *breuis & ſuccincta narratio de vita, ſtudiis, geſtis & martyrio Cyrilli Lucarii, patriarchae Conſtantinopolitani*, in *miſcellaneis* eius, Londini 1686, 8. editis; *p. 49. ſeqq.* Ipſa autem CYRILLI huius LVCARIS confeſſio, latine primum Geneuae an. 1629, deinde & graece ibidem 1633 prodiit; de qua & plura dabit IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. X. p. 499.* Antiquior *confeſſione* iſta *eccleſiae graecae orthodoxa*, de qua hactenus diximus, eſt *confeſſio* GENNADII, ſeu vt ante ſuſceptam dignitatem patriarchalem vocabatur, GE. SCHOLARII, eoque minus nobis praetermittenda, quo maior viri huius olim apud ſuos fuit auctoritas. Primus nimirum cum poſt captam a Turcis vrbem Conſtantinopolin Graecorum patriarcha eſſet; cum Mahomede II Turcarum imperatore, in colloquium venit, in quo de religione ſententiam ſuam libere dicere iuſſus, luculentam fidei confeſſionem edidit, in qua copioſe & perſpicue eccleſiae graecae doctrinam expoſuit, eamque deinceps litteris conſignauit. Quae quidem confeſſio cum nomine totius eccleſiae graecae coram imperatore edita ſit; non ſine ratione pro publica habetur, & haud exigua pollere creditur auctoritate. Exſtat graece & latine in MART. CRVSII *Turco-Graecia, lib. II. p. 117. ſeqq.* Prodiit etiam graece & latine ad calcem *orationis* DAV. CHYTRAEI *de ſtatu eccleſiarum in Graecia, Aſia &c.* Francofurti 1583, 8. & curante IO. A FVCHTE Helmſtadii 1611, 8. vna cum eiusdem argumenti, ſed prolixiori *dialogo*, GENNADII & AMVRATHIS περὶ τῆς ὁδοῦ τῆς σωτηρίας ἀνθρώπων, qui graece & latine vulgatus eſt a IO. ALEX. BRASSICANO, Viennae 1530, 8. atque a CHRIST. DAVMIO, vna cum HIERONYMI theologi graeci *dialogo de trinitate* Cygneae 1677, 8. De GENNADIO hocce lectu digna eſt *diſſertatio* EVSEBII RENAVDOTI, quam ex *obſeruationibus* eius

eius *ad Gennadii homilias de ſacra euchariſtia*, Pariſiis an. 1709, 4. editis, excerptam *volumini X. bibliothecae* ſuae *graecae lib. V. c. XLIII. p. 343. ſeqq.* IO. ALB. FABRICIVS inſeruit. Copioſe quoque de GENNADIO hocce, ſeu GEOR. SCHOLARIO, diſſerit LEO ALLATIVS, in *diatriba de Georgiis & eorum ſcriptis*, quam idem vir eruditiſſimus *volumini decimo bibliothecae* ſuae *graecae* ſubiunxit; *p. 760. ſeqq.* Sed & confeſſionis huius FABRICIVS iam antea mentionem fecerat, *vol. VI. lib. V. c. V. p. 696. 697.* Iungendus IO. MICH. HEINECCIVS, in *der Abbildung der alten vnd neuen griechiſchen Kirchen, part. I. c. IV. §. XIV. p. 232.* & CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *introd. ad hiſtor. theolog. litterariam notis ampliſſimis illuſtrata, lib. II. §. II. p. 169.* Spectant huc etiam quodammodo *acta* IEREMIAE, patriarchae Conſtantinopolitani, cum theologis Tubingenſibus, de quibus itidem legendi IO. MICH. HEINECCIVS, in *der Abbildung der alten vnd neuen griechiſchen Kirche, part. I. c. III. §. XLI. p. 187.* & in *adpendice ſect. VII. §. XVI. p. 80.* IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. VI. lib. V. c. V. p. 701.* cumprimis autem *volum. X. lib. V. c. XLV. p. 517. ſeqq.* CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, in *primitiis Tubingenſibus, p. 215.* & in *introduction. ad hiſt. theologiae litterariam, notis ampliſſimis illuſtrata, lib. II. §. II. p. 176.* Nimirum cum IEREMIAS hicce patriarcha fuerit Conſtantinopolitanus, ſine dubio etiam conſenſu aliorum eccleſiae graecae doctorum ſcripſerit; non contemnendam eorum quoque, quae hac occaſione profeſſus eſt, eſſe auctoritatem, quilibet facile perſpicit. Prodierunt *acta & ſcripta theologorum Wurtembergenſium, & patriarchae Conſtantinopolitani Ieremiae, quae vtrique an. 1576 vsque ad an. 1581 de Auguſtana confeſſione inter ſe miſerunt, graece & latine ab iisdem theologis edita*, Wittebergae 1584. fol. Exſtant & aliae Graecorum confeſſiones, vt MELET. PEGAE, patriarchae Alexandrini, MAXIMI MARGVINI, GEORG. CORTESII, & METROPHANIS CRITOPVLI. Ex quibus eius, quem vltimo loco laudauimus, maxime obſeruatu digna. In Angliam enim Germaniamque a CYRILLO LVCARI miſſus METROPHANES, vt ſtatum academiarum ac eccleſiarum proteſtantium exploraret, cum Helmſtadii ſubſiſteret, ab academiae iſtius theologis rogatus, *confeſſionem* hanc ſiue ὁμολογίαν τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας litteris conſignauit, inque ea graecae eccleſiae doctrinam luculenter expoſuit. Edita ea eſt an. 1666 graece & latine a IOAN. HORNEIO, praefationemque lectu dignam praemiſit HERMAN. CONRINGIVS. Non deſunt equidem, qui partibus CYRILLI LVCARIS addictum, in gratiam proteſtantium eum eccleſiae graecae doctrinam non admodum ſincere propoſuiſſe, clamitant. Sed ipſa haecce confeſſio, adcurataque eius inſpectio, candorem viri ſatis demonſtrat; qui & inde intelligitur, quod deinceps patriarcha Alexandrinus factus, ſe CYRILLI LVCARIS *confeſſionem* non adprobare, aperte teſtatus ſit. Conferendus de eo IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. X. lib. V. c. XLV. p. 498.* De CHRISTOPH. ANGELO, EVSTRATHIO IOANNIDE ZIALOWSKI, & reliquis, quorum ſcripta quodammodo huius loci eſſe videntur, ſed quae non adeo magni momenti ſunt, legendus IO. MICH. HEINECCIVS, in *der Abbildung der alten vnd neuen griechiſchen Kirchen, part. I. lib. IV. §. VIII. ſeqq. p. 227. ſeqq.* Ad libros ceteroquin, ex quibus publicam eccleſiae graecae doctrinam intelligere licet, referri poſſunt GREGORII Protoſyncelli σύνοψις τῶν θείων καὶ ἱερῶν τῆς ἐκκλησίας δογμάτων, NICOL. CABASILAE *expoſitio liturgiae*, IO. NATHANAELIS, ſacerdotis & oeconomi eccleſiae Conſtantinopolitanae περὶ τῆς ἑρμηνείας τῆς ἱερᾶς λειτουργίας, NICOL. BVLGARI

κατήχησις ἱερὰ, ἤτοι τῆς θείας καὶ ἱερᾶς λειτουργίας ἐξήγησις, καὶ ἐξέτασις τῶν χειροτονουμένων, de quibus idem HEINECCIVS, in *adpendice ſect. VII. §. XI. p. 67.*

§. X. De reformatae, quam vocant, eccleſiae doctrinam ſequentibus idem conſtat; ſatisque nota eſt *harmonia* illa *confeſſionum fidei orthodoxarum & reformatarum eccleſiarum*, ſeu, vt deinceps hocce opus inſcriptum eſt, *corpus atque ſyntagma confeſſionum fidei*; vna cum *catechiſmo Heidelbergenſi*, & *decretis ſynodi Dordracenae*, quae a plerisque recipiuntur, ne quid de illis ſymbolis, quae Anglis & Heluetiis, aliisque propria ſunt, dicam. * A Socinianis, Arminianis, anabaptiſtis, itidem ſcripta quaedam compoſita ſunt, quae huc quodammodo referre licet. **

* Inter reformatae eccleſiae confeſſiones primum ſibi vindicat locum ea, quam quatuor ciuitates, Argentoratum, Conſtantia, Memminga, & Lindauium, in comitis Auguſtanis an. 1530 Carolo quinto imperatori exhibuerunt, ſed ab eo recepta non eſt. Ediſſerunt hoc DAV. CHYTRAEVS, in *hiſtoria Auguſtanae confeſſionis*, *p. 78.* & IO. SLEIDANVS, *de ſtatu relig. & reipubl. ſub Carolo V. caeſare, lib. VII.* vbi & de ſcripto, a romanenſibus *confeſſioni* huic oppoſito, agit. Auctor huius *confeſſionis* a nonnullis IO. STVRMIVS fertur; ſed perperam hoc fieri, euincit VINCENT. PLACCIVS, *de anonymis*, *p. 422.* Inter genuinas etiam reformatorum confeſſiones referri nequit; quemadmodum & ab illis pro libro ſymbolico non agnoſcitur, tum, quia dogmata, illis vel maxime propria, vt de abſoluto decreto, & quae inde fluunt, in ea non continentur; tum quia articulus de ſacra caena in ea non ſatis clare, ſecundum illorum mentem, exprimitur. Sequutae hinc ſunt aliae confeſſiones pleniores, & clariores, ſed particulares, non paucae, in Gallia, Germania, Belgio, alibique. Quae cum ſeorſim primum prodiiſſent, in vnum tandem corpus redactae, inſcriptaeque: *Harmonia confeſſionum fidei orthodoxarum & reformatarum eccleſiarum &c.* editae ſunt Geneuae 1581, 4. recuſae iterum inſcriptaeque: *corpus & ſyntagma confeſſionum fidei* ibidem 1612 & curatius an. 1654. In prima nimirum parte exhibentur *confeſſio heluetica, gallica, anglicana, ſcotica, belgica, polonica, argentinenſis, ſiue quatuor ciuitatum imperii*; in altera, *Auguſtana, ſaxonica*, ſeu *miſnica*, *Wurtenbergenſis, electoris Palatini, bohemica, & conſenſus eccleſiarum maioris & minoris Poloniae, Lithuaniae &c.* In fine additur *Baſileenſis* cum *canonibus Dordracenis, & Cyrilli patriarchae Conſtantinopolitani*, nec non *generalis confeſſio eccleſiarum reformatarum in regno Poloniae, magno ducatu Lithuaniae, annexisque prouinciis, propoſita in conuentu Thorunienſi an. 1645. & catholicus veterum, qui patres vocantur, ex verbo diuino cum iſto confeſſionum ſyntagmate conſenſus.* Legendus de hocce opere IO. FABRICIVS, theologus Helmſtadienſis, in *hiſtor. bibliothec Fabric. part. III. p. 375. ſeqq.* vbi de ſingulis confeſſionibus, quae in hocce *ſyntagmate* continentur, quaedam erudite obſeruat, & adeo hiſtoriae confeſſionum eccleſiae reformatae lucem minime contemnendam adfundit. Quod autem in hocce *ſyntagmate* etiam *confeſſio Auguſtana*, quamvis varlata, *confeſſio ſaxonica*, hoc eſt, *repetitio Auguſtanae confeſſionis*, de qua ſupra dictum, *Wurtenbergenſis*, iuſſu Chriſtophori ducis Wurtenbergici concinnata, vt concilio Tridentino offerretur, & cuius itidem antea iniecta eſt mentio, comparent; id eo ſpectare videtur, vt oſtendatur, Lu-

theranae

theranae eccleſiae addictos in praecipuis fidei capitibus conſentire cum reformatis. Praecipuas etiam *confeſſiones particulares* reformatorum recenſet vir clariſſimus IAC. LENFANT, in *diſcurſu de confeſſionibus fidei*, addito eiusdem *innocentiae catechiſmi Heidelbergenſis demonſtratae*, *p. 142. ſeqq.* vbi cumprimis lectu digna, quae *p. 145. ſeqq.* de confeſſionibus reformatarum eccleſiarum in Gallia diſſerit. Haud vltimum ceteroquin locum inter eiusmodi confeſſiones tenet *confeſſio belgica*, an. 1571 in vſum eccleſiarum belgicarum reformatarum Embdae conſcripta, quam integram exhibet, qui & de ea copioſius agit, HENR. LVDOLPH. BENTHEMIVS, in *dem hollaendiſchen Kirchen-vnd Schulen-Staat*, *part. I. c. V. p. 143. ſeqq.* Non tantum enim haecce confeſſio in varias linguas tranſlata, ſed a ſynodo quoque Dordracena an. 1619 adprobata, & ab ordinibus Belgii foederati generalibus inter libros ſymbolicos eccleſiarum reformatarum relata, immo an. 1651 in renouatione foederis prouinciarum Belgii foederati denuo confirmata, poſtquam iam antea iuſſu ſynodi Dordracenae ANTON. THYSIVS, HERM. FAVKELIVS, DAN. COLONIVS, FEST. HOMMIVS, & GOTTF. VDEMANNVS, exemplum gallicanum, latinum, belgicum, adcurate inter ſe contulerant, & in eam latino ſermone redegerant formam, qua actis ſynodi Dordracenae ſubiuncta hodie legitur. Praeter HENR. LVDOLPH. BENTHEMIVM, *l. c.* legendi hac de re VAL. ALBERTI, in *Auguſtana confeſſione thetice & apologetice tractata*, *p. 30.* & HENR. PIPPINGIVS, in *der hiſtoriſchen Einleitung zu den ſymboliſchen Büchern*, *c. I. §. XVI. p. 9. 10.* Non minus magnae apud reformatos auctoritatis eſt *catechiſmus Heidelbergenſis*, ab ipſa quippe ſynodo Dordracena inter libros ſymbolicos receptus; de quo tamen cum iam ex inſtituto *c. praeced. §. XII.* dictum ſit, nunc nihil addimus. Ipſa porro decreta ſynodi Dordracenae in numerum librorum ſymbolicorum eccleſiae reformatae merito referuntur, cum non tantum in Belgio, ſed & alibi a reformatae eccleſiae doctoribus ſint adprobata. Legendi de hacce ſynodo HENR. LVDOLPH. BENTHEMIVS, in *dem hollaendiſchen Kirchen-vnd Schulen-Staat*, *part. I. c. XIV. p. 367. ſeqq.* & PHILIPP. LIMBORCHIVS, in *vita Simonis Epiſcopii p. 117. ſeqq.* Conferenda & *acta ſynodi nationalis Dordrechti habitae*, quae Lugduni Batauorum an. 1620 in fol. prodierunt. Lucem porro dabunt *epiſtolae eccleſiaſticae & theologicae remonſtrantium*; quarum editio prioribus multum locupletior an. 1704 fol. euulgata eſt; itemque, *hiſtoria vitae Iacobi Armini*, auctore CASP. BRANTIO, Amſtelodami an. 1724, 8. ne quid nunc de iis dicam, qui hiſtoriam eccleſiaſticam Belgii foederati aut ſcripſerunt, aut attigerunt. Iungendus & GOTTF. ARNOLDVS, in *der Kirchen-vnd Ketzer-Hiſtorie*, *part. II. lib. XVII. c. IV. §. IV. p. 459.* vbi & varia ſcripta, occaſione ſynodi huius edita, laudat, quae huc itidem faciunt. Sed cumprimis conſulere iuuabit IO. HALESII *hiſtoriam concilii Dordraceni* (aut epiſtolas potius illuſtrandae concilii huius hiſtoriae inſeruientes) quam ex anglico ſermone latine vertit, variis obſeruationibus & vita HALESII auxit, & cum *conſultatione de auctoritate concilii Dordraceni paci ſacrae noxia*, edidit IO. LAVR. MOSHEMIVS, Hamburgi 1724, 8. Non tamen vbique, quod non diffitendum, eadem apud reformatos concilii huius eſt auctoritas. Quam parum in Anglia valeat, docuit SEVER. LINTRVPIVS, vir doctiſſimus, in *ſpecimine Angliae Lutheranizantis*, *ſiue de contemtu concilii Dordraceni in Anglia*, cum HECT. GOTTF. MASII *exercit. de contemtu concil. Trident. in Gallia* edito Haffniae an. 1696 & Wittebergae an. 1710 recuſo. Et ſane, eccleſiam an-

glicanam a reliquis reformatis in quibuſdam diſſentire capitibus, conſtat. Vnde nec ſynodum Dordracenam, nec catechiſmum Heidelbergenſem in omnibus adprobat, ſed libros ſymbolicos ſibi proprios habet, de quibus mox dicemus. Haud exiguus autem illorum eſt numerus, qui dogmata, in ſynodo Dordracena ſtabilita, aut oppugnarunt aut propugnarunt ac defenderunt, quorum praecipuos indicat IO. HENR. HOTTINGERVS *bibliothec. quadripart.* & quidem *biblioth. theolog. lib. III. c. I. p. 228.*

De anglicanae autem eccleſiae libris ſymbolicis ſequentia ſunt obſeruanda. Qui eccleſiae iſtius emendationem primum ſuſcipiebant & promouebant, Lutheri placitis quam maxime addictos fuiſſe, conſtat, nec ipſi Anglorum doctiſſimi diffitentur. Cum ergo ſub Eduardo VI rege de ſcribenda confeſſione eſſent ſolliciti THOM. CRANMERVS, & LANCEL. RIDLEYVS, quibus potiſſimum illius conficiendae negotium datum erat; Auguſtanam confeſſionem, quam vbique ſequerentur, ſibi propoſuerunt. Atque ita enati ſunt 42 iſti *articuli*, qui primam eccleſiae anglicanae confeſſionem exhibent, & an. 1552 publicati ſunt, de quibus GVIL. NICHOLS adſerit, quod *egregium ſeruent temperamentum, inter atrocia Caluinianorum placita & inſana commenta Pelagianorum;* in *defenſione eccleſiae Anglic.* & quidem in *adparatu p. 10.* Cum autem deinceps, Eliſabetha regni habenas tenente, multorum animi ad ZWINGLII placita, in doctrina de ſacra coena propenderent, & alia etiam quaedam mutationem, ſeu emendationem admittere viderentur; in ſynodo Londinenſi an. 1562 a regina conuocata, articuli 39 ſollemni conſtitutione ſanciti ſunt, & communi omnium conſenſu adprobati. Confirmati deinceps iidem articuli ſunt in conuocatione cleri an. 1571 eam ob cauſſam inſtituta; vnde noua iiſdem acceſſit auctoritas. Confirmatio haec, quae articulum quadrageſimum conſtituit, ita ſe habet: *Hic liber ante dictorum articulorum iam denuo adprobatus eſt per aſſenſum & conſenſum ſereniſſimae reginae Eliſabethae &c. retinendus & per totum regnum Angliae exequendus. Qui articuli & lecti ſunt, & denuo confirmati ſubſcriptione archiepiſcopi & epiſcoporum &c.* conf. HENR. LVDOLPH. BENTHEMIVS, in *dem Engelländiſchen Kirchen-und Schulen Staat, c. VII. p. 78. ſeqq.* qui & *cap. praeced. VI. p. 71. ſeqq.* nonnulla de libris ſymbolicis eccleſiae Anglicanae tradit. Expoſitionem iſtorum *articulorum*, vt hoc ὡς ἐν παρόδῳ moneamus, dedit GILBERT. BVRNETVS, Londini 1700 fol. quae, cum laxiori quadam interpretatione ambiguum vndique iſtorum articulorum reddere ſenſum, & quoſuis fere ſectarios, ipſos etiam Socinianos, ad fidei vnius admittere ſocietatem videretur; dici non poteſt, quantum excitauerit ſtrepitum. Neque enim tantum anno ſequenti IO. EDVARDVS leuitatem & inconſtantiam acriter Burneto exprobrauit; ſed & vniuerſus minor clerus facta coitione & ſummo ſuffragiorum conſenſu amariſſimas de eo querelas ad archiepiſcopum Cantuarienſem deferri curauit; immo libro per quemdam ſui ordinis an. 1712 edito, effrenem opinandi licentiam, ab epiſcopo Saliſburienſi introductam, caſtigare conſultum duxit. Refert hoc IO. FRICKIVS, in *diſſertat. de iuſtificatione, Georgio Bullo oppoſita, c. I. §. VIII.* qui & eodem in capite de libris ſymbolicis eccleſiae anglicanae erudite & eleganter diſſerit. Nimirum praeter *articulos* iſtos, hactenus commemoratos, hic in cenſum venit *liber homiliarum (the Boock of homilies)* qui non minoris fere quam ipſi articuli, eſt auctoritatis; quod & HENR. LVDOLPH. BENTHEMIO obſeruatum, in *dem engelländiſchen Kirchen-vnd Schulen-Staat, c. VI. p. 76.* Editae ſunt iſtae homiliae primum duobus tomis ſub Eduardo VI rege;

de

Digitized by Google

de quibus in ipſis *articulis* & quidem *artic. XXXV.* non tantum dicitur, quod piam & ſalutarem doctrinam, & his temporibus neceſſariam, contineant, ſed ſancitur etiam, *eas in eccleſiis per miniſtros diligenter, & clare, vt a populo intelligi poſſint, recitandas eſſe.* Nonnullos equidem non eamdem per omnia homiliis iſtis auctoritatem cum articulis tribuiſſe, vtpote quae a priuatis auctoribus ſeorſim ſingulae primum confectae ſint, & ad populi illius aetatis genium adcommodatae, ex GEORG. BVLLO diſcimus; quamquam ipſe prorſus eaſdem ſpernere non audeat, in *examine cenſurae ſiue reſponſione ad quaſdam animaduerſiones, in librum cui titulus: harmonia apoſtolica &c. p.104.* GVILIELMVS tamen NICHOLSIVS pro homiliis iſtis acriter pugnat, earumque vindicat auctoritatem. *Age*, inquit, *quam maxime poſſunt, falſi & dicaces ſint aduerſarii noſtri & homilias omni, quoad libeat petulantia illudant; eae tamen adhuc apud poſteros magno habebuntur honore & auctoritate, oreque hominum vigebunt, & quod maius eſt, omnium virorum ſapientum aeſtimatione verſabuntur &c.* Haſce porro homilias, a CRANMERO, LATIMERO & RIDLEYO, ſpectatae eruditionis viris, *ſumma cum cura & diligentia confectas*, monet, *qui poſthabito omni partium ſtudio, neque magnorum nominum auctoritati ſeruiliter addicti, rem theologicam ex puriſſimis ſcripturae fontibus, & vetuſtiſſimorum patrum commentariis exhauſerint &c.* in *defenſione eccleſiae Anglicanae, part. II. c. XIV. p. 326.* IO. FRICKIVS, vir clariſſimus, cum obſeruaſſet, in priori iſtarum *homiliarum* tomo ſublimiora fidei myſteria pandi, poſteriorem autem ad praxin chriſtianiſmi promouendam ſpectare, addit: *Vtinam vero iſtud homiliarum Anglicanarum opus vnquam in has terras veniſſet, nobiſque copia eiuſdem facta. Non dubito, quin plurimum inde in multis profici poſſet, & e collatione locorum lux plenior quaeſtionibus inter Anglos agitatis adfundi, l.c. §. XIV. p. 7.* Denique & *liturgia anglicana (the common Prayer Book)* inter libros iſtius eccleſiae ſymbolicos connumerari poteſt. Ea ab Eduardo VI rege, conſentiente ſenatu regni, an. 1549 edita, ſub Eliſabetha reuiſa, illibatam retinuit auctoritatem, donec per Caroli I funeſtum interitum immutata prorſus & reipublicae & eccleſiae facie, liturgia quoque haecce ab interitu prope abeſſe videretur. Id namque agebant Puritani, vt, veteri iſta liturgia prorſus abrogata, nouam quamdam, a RICH. BAXTERO concinnatam, introducerent; cumque inde ſpes pacis adfulgere crederetur, colloquium Londini an. 1660 inſtitutum fuit; irrito non tantum euentu, ſed auctis inde etiam magiſque exacerbatis vtriuſque partis contentionibus. Copioſius hoc exponit GVIL. NICHOLSIVS, in *adparatu ad defenſionem eccleſiae Anglic. p. 58. ſeqq.* Ex decreto deinceps ſynodi Londinenſis emendare formulas liturgiae adgreſſi ſunt GILBERT. SHELDONVS, GEO. MORLEIVS, & IO. PEARSONIVS, cum aliis octodecim viris doctis; at eo euentu, ut noua inde ſpargerentur diſſidiorum ſemina, quae in apertam erumperunt flammam, cum ſub Guilielmo III rege, per tolerantiae legem, nimia ſentiendi libertas multis concederetur; hinc vero etiam de recipiendis in ſinum eccleſiae non-conformiſtis ſeu puritanis, conſilia agitarentur. Tentata deinceps ad pacem & concordiam promouendam denuo liturgiae emendatio, & ſuaſore inprimis IO. TILLOTSONO, triginta theologis inſignioribus a rege demandata; quos inter praeter ipſum TILLOTSONVM erant PATRICIVS, BVRNETVS, STILLINGFLEETVS, CIDDERVS, TENISONVS, qui tamen mox aliorum incurrebant reprehenſionem, & ac ſi ad aulae placita cuncta dirigentes, plurima non-conformiſtis lar-

giendo, ſymbolum Athanaſianum in Socinianorum & Arminianorum gratiam haud obſcure carpendo, nouam pſalmorum verſionem, nouas collectarum formulas concinnando, aliaque ratione, veritatem profligaſſent potius, quam propugnaſſent, ſalutemque eccleſiae non tam conſeruaſſent, quam prodidiſſent, male audiebant. Idque luculenter patuit in ſynodo an. 1689 coacta, de qua cum GVIL. NICHOLSIVS copioſe verba feciſſet, tandemque dixiſſet, *eam re omni infecta diſſolutam eſſe*, addit: *ſed nullum vnquam infortunium tam dira calamitate eccleſiam anglicanam adflixit, quam iſta cleri diſſenſio*, in *adparatu ad defenſ. eccleſ. Anglic. p. 100.* In ipſa liturgia iſta quid puritani deſiderent, idem NICHOLSIVS exponit, in *defenſ. eccleſ. Anglic. part. II. c. IV. p. 245. ſeqq.* itemque HENR. LVDOLPH. BENTHEMIVS, in *dem engellaendiſchen Kirchen- und Schulen-Staat, c. XXIII. §. X. ſeqq. p. 368. ſeqq.* De libris ſymbolicis autem eccleſiae anglicanae, & quae ad eorum hiſtoriam ſpectant, plura adhuc dabit, quem iam laudauimus, vir doctiſſimus IO. FRICKIVS *l. c.* Addenda SAM. DOWNES *relatio hiſtorica compilatorum liturgiae & variarum eius reuiſionum*, quae cum ANT. SPARROW, *expoſitione practica liturgiae anglicanae* Londini 1722, 8. lingua anglicana prodiit; cuiusque ſummam exhibet ARMANDVS DE LA CHAPELLE, *dans la bibliotheque angloiſe, tom. XII. part. I. artic. I. p. 1. ſeqq.*

Ad reliquas reformatorum confeſſiones memoratu dignas quod attinet, cum an. 1644 in colloquio Thorunenſi, auctoritate Vladiſlai Poloniae regis inſtituto, de vnione diſſentientium ageretur; reformati, qui ibi praeſentes erant, nouam quamdam fidei confeſſionem exhibuerunt, quae tamen reliquis in Belgio ac Gallia, praeſertim FRID. SPANHEMIO, & SAM. MARESIO, diſplicuit; obſeruante ANDR. CAROLI, in *memorabilibus eccleſiaſticis ſaec. XVII. lib. V. c. LIV. p. 1091.* *Acta colloquii* huius *Thorunenſis* exſtant in AB. CALOVII *hiſtoria ſyncretiſtica*, *c. III. p. 199. ſeqq.* in quibus *generalis confeſſio doctrinae eccleſiarum reformatarum in regno Poloniae, magno ducatu Lithuaniae &c.* legitur *p. 262. ſpecialior* autem *declaratio doctrinae eccleſiarum reformatarum &c. p. 424. ſeqq.* Quae inter reformatae eccleſiae doctores poſt ſynodum Dordracenam enatae ſunt controuerſiae domeſticae, occaſionem dederunt *formulae conſenſus Helueticae*, de qua itidem aliquid dicendum. Nimirum cum MOSES AMYRALDVS, aliique, qui cum eo faciebant, gratiam Dei vniuerſalem adſererent, acerrimaque hinc orirentur certamina; non deerant, qui & Geneuae eamdem doctrinam proponebant, quibus tamen ſtrenue ſe opponebat FRANC. TVRRETINVS, eoque tandem res peruenit, vt duplici magiſtratus decreto an. 1669 & 1671 ſententia haecce reiiceretur, & contraria ſtabiliretur. Immo ne error latius ſerperet, theologorum precibus factum, vt in comitiis ordinariis tetrapolitanorum, Tigurinorum, Bernatum, Baſileenſium & Scaphuſiorum, de nouo reformatarum in Heluetia eccleſiarum libro ſymbolico cogitaretur, quo AMYRALDI ſententia proſcriberetur, cuiue omnes ſubſcriberent. Vrgebant hocce opus IO. HENR. HEIDEGGERVS, theologus Tigurinus, LVC. GERNLERVS, antiſtes Baſileenſis, & FRANC. TVRRETINVS, theologus Geneuenſis. Formulam ipſam conſcribere iuſſus eſt HEIDEGGERVS, qui & eam an. 1674 compoſuit, & a collegis, quibuscum rem contulerat, adprobatam, magiſtratui obtulit. Recepta primum atque introducta fuit a magiſtratu Tigurino an. 1675, cuius iuſſu etiam eodem anno latina germanicaque lingua in lucem prodiit. Confirmata hinc eſt eodem anno in comitiis ordinariis

riis magiſtratuum tetrapolitanorum, & Bernae, Baſileae, Scaphuſi, ac Geneuae quoque, an. 1676 introducta, & in numerum librorum ſymbolicorum relata. Oppoſita fuit praecipue, vt diximus, haecce *formula conſenſus*, ſententiae MOSIS AMYRALDI, & hypotheticorum, quos vocant, quae & primo loco in ea reiicitur. Deinde vero &, quae IOSVA PLACAEVS de imputatione lapſus Adami docuit, eam non immediate, ſed accedente demum peccato originali, fieri, in eadem *formula* atro notantur lapillo. Reiectus porro in hacce *formula* eſt error, de obedientia Chriſti actiua, ad ſatisfactionem eius vicariam haud pertinente; quem GE. KARGIVS, ſiue PARSIMONIVS, concionator quondam aulicus Onoldinus, primum in lucem protulit, poſtea autem IO. PISCATOR, theologus Herbornenſis, reſuſcitauit, ſuffragantibus & aliis quibusdam reformatae eccleſiae doctoribus. Denique & LVD. CAPPELLI ſententia de punctis vocalibus codicis ebraei, ea nec coaeua eſſe litteris, nec diuinitus inſpirata, adeoque iis neceſſario ſtandum non eſſe, in hacce formula reiecta fuit atque proſcripta. Quae ad formulae iſtius hiſtoriam ſpectant, dabunt IO. HENR. HEIDEGGERVS, in *hiſtoria vitae ſuae*, quam ipſemet ſcripſit, §. *XCVII. ſeqq.* GREG. LETI, in *hiſtoria Geneurina, part. IV. lib. V. p. 448. ſeqq.* alibique; GILB. BVRNETVS, in *epiſtolis, quibus iter ſuum per Heluetiam, Italiam &c. deſcripſit, epiſt. I. p. m. 155. ſeqq.* editionis germanicae; cumprimis autem, qui vtramque hic paginam facit, vir doctiſſimus CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *ſchediaſmate theologico de formula conſenſus Helvetica*, vna cum ipſa hacce *formula & adpendice actorum publicorum huc pertinentium*, Tubingae an. 1723, 4. edito, in quo cuncta, quae de hacce formula obſeruationem promerentur, diligentiſſime congeſſit, & multa lectu digniſſima adſperſit.

** Socinianis quidem, aliisque, ſentiendi libertatem, limitibus nullis circumſcriptam, ſectantibus, libri ſymbolici placere nequeunt; habent tamen nihiloſecius libros, ab omnibus illorum ſectae addictis adprobatos, ex quibus communem illorum doctrinam intelligere licet, quiue adeo hic in cenſum veniunt. Eminet inter hoſce *catechiſmus*, qui a loco, vbi impreſſus fuit, quiue praecipuam olim Socinianis ſedem praebuit, *Racouienſis* dicitur. Ad quem componendum perficiendumque cum plures manum admouerint; quis primas duxerit lineas, non aeque inter omnes conuenit. Proxime ad verum accedunt, qui VAL. SCHMALZIVM id feciſſe, contendunt, curaſſeque, vt *catechiſmus maior*, ex SOCINI praecipue ſcriptis compilatus, conſenſionemque fratrum polonorum vnitariorum complectens, in polonica primum, & *minor* pro paruulis, in germanica lingua Racouiae an. 1604 ſimul prodirent. *Minor* inſcribitur: *der kleine catechiſmus zur Vbung der Kinder in dem chriſtlichen Gottesdienſt.* Idem VAL. SCHMALZIVS verſionem catechiſmi *maioris* germanicam ab ipſomet ſine dubio confectam, & Racouiae 1608 typis exſcriptam, academiae Wittebergenſi inſcripſit; cuius inſtituti ſui varias rationes attulit. HIERONYMVS porro MOSCOROVIVS, eques polonus, qui operam ſuam cum SCHMALZIO in catechiſmo hocce conficiendo iunxiſſe dicitur, ex lingua polonica, in linguam latinam eumdem transtulit, & an. 1609 Iacobo magnae Britanniae regi dedicauit. Quam parum autem Anglis placuerit, inde patet, quod ex decreto parlamenti an. 1653 igni ſit traditus. Wittenbergenſes iam antea, etſi itidem iam decem anni, poſtquam verſio germanica illis dedicata erat, effluxerant,

xerant, refutationem duplicem catechiſmi huius ediderunt, quarum altera verſioni eius germanicae, altera latinae oppoſita erat. Vtriusque refutationis auctor eſt FRID. BALDVINVS, ea quidem ratione, vt prior, ſeu *germanica*, nomine totius ordinis theologici an. 1618, altera autem ſub ipſius BALDVINI nomine an. 1619 prodierit, licet vtraque annum impreſſionis 1620 in fronte praeferat. Emendatus deinceps auctusque eſt hicce catechiſmus a IO. CRELLIO, & IONA SCHLICHTINGIO A BVCOWIEC, poſt quorum demum obitum noua haec editio, curantibus ANDR. WISSOWATIO & IOACH. STEGMANNO iuniori, 1665 lucem adſpexit publicam. Noua deinde editio euulgata eſt an. 1680, in qua haecce catecheſis a IO. CRELLIO, IONA SCHLICHTINGIO A BVCOWIEC, MART. RVARO, ac ANDR. WISSOWATIO recognita atque emendata, notisque tum horum, tum & aliorum illuſtrata, exhibetur, ſubnexaque eſt IO. CRELLII *ethicae ad ſacrarum litterarum normam emendatae;* quamuis & ſeparatim prodierit cum nouo alicuius auctoris ad lectorem adloquio, teſte CHRISTOPH. SANDIO, in *bibliothec. anti-trinitarior. p. 101.* Tandem & an. 1684 editus eſt hicce catechiſmus Racouienſis, inſcriptusque: *catecheſis eccleſiarum polonicarum, vnum Deum patrem, illiusque filium vnigenitum Ieſum Chriſtum vna cum ſpiritu ſancto ex ſacra ſcriptura confitentium; primum an. 1609 in lucem emiſſa, & poſt, earumdem eccleſiarum iuſſu, correcta, ac dimidia amplius parte aucta, atque per viros in his coetibus inclitos Ioannem Crellium, Francum, hinc Ionam Schlichtingium a Bukowieck, vt & Martinum Ruarum, ac tandem Andream Wiſſowatium, Benedictum Wiſſowatium, nec non anonymum quemdam F. C. recognita atque emendata, notisque tum horum, tum aliorum, illuſtrata.* Illis itaque, quorum in proxime praecedente editione iam facta eſt mentio, hic acceſſere BENED. WISSOWATIVS, & anonymus F. C. forte FLOR. CRVSIVS, de quo CHRISTOPH. SANDIVS, in *biblioth. antitrinitar. p. 140.* De reliquis, quibus haec editio prioribus praeſtat, legendus IO. ANDR. SCHMIDIVS, *loco* mox *citando.* Atque idem vir doctus etiam eos indicat, qui catechiſmum huncce Racouienſem impugnarunt, ex quibus poſt FRID. BALDVINVM, cuius antea iniecta eſt mentio, praecipuus eſt WOLFG. FRANZIVS, qui *diſputationibus* ſuis *in Auguſtanae confeſſionis articulos* inſeruit *reſponſiones ad omnia obiecta, quaecunque Racouienſis catechiſmus, ab Arianis ſeu Photinianis, & in ſpecie a Valentino Smalzio ſparſus, ad Auguſtanae confeſſionis doctrinam inaniter labefactandam conſarcinauit.* In fine quoque conſpicere licet tres alias reſponſiones, *de tribus perſonis diuinitatis,* in quibus monſtratur, *qua methodo antitrinitarii hodierni potenter & fideliter ſint confutandi & reprimendi.* Nec defuit ſibi SCHMALZIVS, ſed rurſus edidit *refutationem theſium Franzii de praecibus religionis chriſtianae capitibus*, Racouiae 1614, 4. & 8. teſte CHRISTOPH. SANDIO, in *bibliothec. antitrinit. p. 103.* Hanc vero iterum repulit FRANZIVS, in *vindiciis diſputationum theologicarum pro Auguſtana confeſſione habitarum,* Wittebergae 1622, 4. Inter reformatae eccleſiae theologos NIC. ARNOLDVS *catecheſin Racouianam maiorem refutatam* dedit, Franecquerae 1660, & MATTHIAS WREN epiſcopus Elienſis in Anglia, *increpationem bar Ieſu,* ſiue *polemicam adſertionem locorum ſcripturae ab impoſturis peruerſionum in catecheſi racouiana,* ſcripſit, a filio eius Londini an. 1660 editam. Alios quosdam adhuc IO. HENR. HOTTINGERVS commemorat, in *bibliothecar. quadripart. lib. III. c. II. p. 383.* Quae de catecheſi Racouienſi hactenus diximus, fuſius

Digitized by Google

fuſius ediſſerit IO. ANDR. SCHMIDIVS, in *programmate de catecheſi Racouienſi*, Helmſtadii 1707, 4. publicae luci expoſito. Hiſtoriae quoque huius catecheſeos lucem adfundent, quae CHRIST. SANDIVS, in *bibliotheca antitrinitar.* paſſim obſeruat, *p. 99. 106. 117. 130.* alibique. Prodiit etiam ante aliquot annos libellus catecheticus inſcriptus: *kurzer Vnterricht in der chriſtlichen Religion nach der Lehre der Vnitariorum &c.* quem ex inſtituto ſibi refutandum ſumſit PETR. IAENICHIVS, in *ſtricturis ad libellum catecheticum, germanice ſequenti titulo editum: kurzer Vnterricht &c.* Thoruni 1721, 4.

Arminiani, ſiue remonſtrantes, cum diuerſarum opinionum tolerantiam quauis ratione commendare ſoleant; itidem non adeo magnum libris ſymbolicis ſtatuunt pretium, nec iis adſtringi volunt. Praecipua tamen doctrinae ſuae capita, in quibus a reformatis diſſentiunt, complexi ſunt in *quinque articulis*, quos in *remonſtrantia* ſua, vnde & *remonſtrantium* retulerunt nomen, an. 1610 ordinibus Belgii federati obtulerunt. Hoſce articulos deinceps 1622 excepit *confeſſio*, quam communi nomine edere conſultum duxerunt, a SIMONE EPISCOPIO litteris conſignata, belgiceque primum conſcripta, deinde & latine reddita. Hanc vero cum theologi Lugdunenſes ſub examen reuocaſſent; *apologia* eius 1630 ſequuta eſt; in qua paullo apertius mentem ſuam produnt, quam in *confeſſione* factum. Hanc rurſus impugnauit NICOL. VEDELIVS, in *arcanis Arminianiſmi*, contra quem prodiit: *Vedelius rhapſodus, ſiue vindiciae doctrinae remonſtrantium, a criminationibus & calumniis Nicolai Vedelii &c.* Harderuici 1633, 4. De *confeſſione* pariter ac *apologia* remonſtrantium plura dabunt HENR. LVDOLPH. BENTHEMIVS, in *dem hollaendiſchen Kirchen- vnd Schulen-Staat, part. I. c. XVIII.* ubi & *p. 660. ſeqq.* ipſam *confeſſionem* hancce *remonſtrantium* exhibet; PHILIPPVS A LIMBORCH, in *vita Simonis Epiſcopii, p. 277.* item *p. 306. ſeqq.* ABRAH. CALOVIVS, in *conſiderat. Arminianiſmi diſſert. prooemiali, ſect. I. §. XV. p. 16. 17.* GVST. GEORG. ZELTNERVS, in *breuiar. controuerſiar. cum remonſtrantib. &c. praefat. p. 13.*

De anabaptiſtarum, qui hodie Mennonitae vocantur, confeſſionibus, legendus HENR. LVD. BENTHEMIVS, in *dem hollaendiſchen Kirchen-und Schulen-Staat, part. I. c. XIX. p. 822. ſeqq.* vbi & vnam ex praecipuis earum exhibet inſcriptam: *Vorſtellung der vornehmſten Articuln des allgemeinen chriſtlichen Glaubens, wie derſelbe in der Wiedertauffer Gemeine durchgehends gelehrt, p. 845. ſeqq.* Cumprimis etiam de iſtorum hominum confeſſionibus conferendus IOACH. CHRIST. IEHRINGIVS, qui libellum Mennonitae cuiusdam, inſcriptum: *gründliche hiſtorie von denen Begebenheiten, Streitigkeiten vnd Trennungen, ſo vnter den Tauffgeſinnten oder Mennoniſten &c. vorgegangen*, ex belgica in germanicam linguam transtulit, qui & cum praefatione mea 1720 prodiit, in *dem Vorbericht §. X. p. 24. ſeqq.* & in *den Anmerckungen, p. 109. 185.* item in *der Zugabe, p. 276. ſeqq.* Celebris etiam eſt eorum confeſſio, quae Hornae 1618 prodiit, inſcripta: *Bekaentnüs des Glaubens nach Gottes Wort, wie daſſelbe von vielen Iahren her gewaehret, und noch gegenwaertig bey denen, die man Menniſten nennet, geglaubet, gelehret vnd geliebet wird;* quam IOA. MVLLERVS, theologus quondam Hamburgenſis, ex inſtituto ſibi refutandam ſumſit, in *anabaptiſmo, das iſt, Wiedertauffer Irrthum, wie dieſelbige in der Meniſten Glaubens-Bekaentnüs, zu Hoorn gedruckt an Tag gegeben, und zu Verführung einfaeltiger Chriſten ausgeſtreuet werden, zum Vnterricht der verführten vnd Hintertreibung der falſchen Lehre aus Gottes Wort kürzlich wiederlegt;* Hamburgi

burgi 1645, 8. in cuius *praefatione* plura de haecce *conſeſſione* tradit. Pro antiquiſſima ceteroquin illorum confeſſione habetur, quam circa an. 1581 litteris conſignauit IOANNES DE RIES, quam etiam Mennonitas pro vera & genuina agnouiſſe, teſtatur ENGEL ARENTSON VAN DOOREGEST in *der Verantwortung der Lehre der Tauffgeſinnten, p. 3.* Addenda, quae de illa obſeruat IOACH. CHRIST. IEHRINGIVS, *l. c.* in *den Anmerckungen, p. 109.* Eadem etiam eſt haecce, ni fallor, confeſſio, quam *hiſtoriae* ſuae *chriſtianorum, qui in Belgio foederato inter proteſtantes Mennonitae adpellantur, c. VII. p. 172. ſeqq.* e belgica lingua in latinam translatam inſeruit HERM. SCHYN, inſcriptam: *praecipuorum chriſtianae fidei articulorum breuis confeſſio, adornata a Ioanne Rieſio, & Lubberto Gerardi, miniſtris verbi diuini inter proteſtantes, qui in Belgio foederato Mennonitae adpellantur; e belgico latinitate donata.* De qua confeſſione idem auctor porro ſubiicit: *Ecce, beneuole lector, nudam & ſimplicem Mennonitarum confeſſionem, non ſolum fere per ſeſqui-ſaeculum apud plurimas & maximas illorum eccleſias, in Belgio pro formula conſenſus inter Waterlandos ſic dictos habitam, & cum qua in omnibus fundamentalibus articulis aliae confeſſiones, inter Vlamingos, Friſios, Germanos alios que ſic nominatos, receptae, ad vnguem conueniunt, & ſumme concordant; ſed quod omnem tollit controuerſiam & obloquutionem, ecce, omnes articulos huius confeſſionis ad hanc noſtram materiam ſpectantes, cum ipſiſſimis verbis & teſtimoniis Mennonis Simonis, ab ipſo eo tempore conſcriptis & editis, & ſtatim a nobis allegandis, tam plane, tam ſincere, tam vnanimiter concordantes, vt ne vmbra quidem apud omnes aequos & veritatem amantes, illius calumniae, quaſi Mennonitae eſſent de grege illorum ſeditioſorum anabaptiſtarum, ſupereſſe poſſit, &c. p. 220.* Eiderſtadienſium anabaptiſtarum tres adhuc ineditas confeſſiones memorat ac deſcribit IO. MOLLERVS, in *iſagoge ad hiſtoriam Cherſoneſi cimbricae, part. II. c. V. §. VII. p. 111. ſeqq.* Pertinent huc etiam *colloquia* cum anabaptiſtis inſtituta, eorumque acta, vt Franckenthalenſe, Embdanum, & Leowardienſe, de quibus legendus IOACH. CHRIST. IEHRINGIVS, *l. c.* in *dem Vorbericht, p. 25.* & in *den Anmerckungen p. 172. & 175.*

§. XI. Fuerunt iam inter veteres, qui ſymbola, praeſertim *apoſtolicum,* quod vocatur, explicarent, & commentariis ſuis illuſtrarent; quorum deinceps exemplum certatim ſequuti ſunt recentiores; ex quibus nonnulli & ſpeciatim ſymbolum Nicaenum & Athanaſianum explanarunt. * Nec minor illorum eſt numerus, qui ſymbola recentiora, noſtrae praeſertim eccleſiae, tum generatim, tum ſpeciatim *Auguſtanam confeſſionem,* eiusque *apologiam, articulos Smalcaldicos, catechiſmum* vtrumque LVTHERI, & *formulam concordiae* expoſuerunt. **

* Inter veteres, qui *ſymbolum*, quod vocatur, *apoſtolicum* illuſtrarunt, primo ſe nobis loco offert RVFFINVS, Aquileienſis eccleſiae presbyter, qui circa finem ſaeculi quarti an. 390 & ſequentibus claruit, & ob varia ingenii monumenta, praeſertim & ob certamina, quae illi cum HIERONYMO interceſſerunt, longe eſt notiſſimus. Inter alia autem & *expoſitionem in ſymbolum apoſtolicum* reliquit; quae a nonnullis

Digitized by Google

nullis HIERONYMO, ab aliis CYPRIANO temere adſcripta fuit, ſed RVFFINI eſſe, hodie inter omnes conſtat. GENNADIVS Maſſilienſis & RVFFINVM, & hancce eius *expoſitionem*, valde laudat. Et de hacce quidem ita pronuntiat: *Proprio autem labore, immo gratia Dei & dono, expoſuit idem Ruffinus ſymbolum, vt in eius comparatione alii nec expoſuiſſe credantur; de ſcriptorib. eccleſiaſtic. c. XVII. p. 92.* Vbi vltimis verbis haud obſcure innuit, hanc expoſitionem reliquis omnibus praeferendam, qui ſimilem laborem ſuſceperant. Et fuiſſe ſane iam ante RVFFINVM, qui hocce ſymbolum explanandum ſibi ſumſerint, ipſemet nos condocet, haud procul ab initio ita ſcribens: *Et quidem comperi nonnullos illuſtrium tractatorum aliqua de his pie & breuiter edidiſſe, Photinum vero haereticum ſcio eatenus conſcripſiſſe, non vt rationem dictorum audientibus explanaret, ſed vt ſimpliciter & fideliter dicta ad argumentum ſui dogmatis traheret.* Vnde ſimul diſcimus, inter reliquos & PHOTINVM haereticum in ſymbolum hocce commentatum eſſe, ſed ea ratione, vt cuncta ad ſenſum ſuum detorqueret, quod & hodie Socinianis, aliiſque, eſt in more poſitum. Suam vero, qua vſurus ſit, methodum RVFFINVS ita delineat: *nos ergo vel ſimplicitatem ſuam verbis apoſtolicis reddere, & adſignare tentabimus, vel quae omiſſa videntur, a prioribus adimplere.* Sententia eius de ſymboli huius origine, quam itidem proponit, priusquam ad eius explicationem accedat, ſatis nota eſt, ab apoſtolis ſcilicet, ſymbolas ſuas ſigillatim conferentibus, illud conditum, & ab iſta collatione *ſymboli* nomen illi inditum; quam ſupra iam exploſimus. Ipſum ſymbolum ita explicat, vt diſcrepantiam ſymbolorum in diuerſis eccleſiis notet, tum verborum ſenſum planiſſime ediſſerat, & ſcripturae ſacrae dictis confirmet. Cum ad articulum, *de deſcenſu Chriſti ad inferos*, venit, obſeruat, eum in romanae & orientis eccleſiarum ſymbolis non inueniri, putatque, his verbis nihil aliud innui, quam Chriſtum fuiſſe ſepultum. Circa articulum *de eccleſia*, recenſet ſcripturae ſacrae libros, quos ceu canonicos recipiat, qua vetus ſcilicet teſtamentum eos tantum, qui in codice ebraeo continentur, & quos nos etiam ceu canonicos admittimus; tum & de apocryphis diſſerit. De *vnitate eccleſiae* verba faciens, praecipuas haereſes enumerat, & doctrinam de *corporum reſurrectione* exponens, eiusdem corporis reſurrectionem demonſtrat. Ad reliquos vt progrediamur; eodem ſaeculo quarto AMPHILOCHIVS Iconienſis vixit, cuius breuis, ſed lectu digna, *expoſitio ſymboli* vel *paraphraſis*, inter opera eius, a FRANC. COMBEFISIO edita, extat, & in *bibliotheca maxima patrum, tom. V. p. 1079.* IO. BONA cardinalis, inter eos, qui ſymbolum apoſtolicum explicarunt, AMBROSIVM quoque refert, *de diuina pſalmodia, c. XVI. p. 446.* Legiturque inter AMBROSII opera *tractatus in ſymbolum apoſtolicum*, qui tamen, iudice LVDOVICO ELL. DV PIN in codicibus manuſcriptis rectius inſcribitur: *de trinitate & reſurrectione; nou. biblioth. ſcriptor. eccleſiaſt. tom. II. p. 291.* eſtque ex variis patrum dictis ac teſtimoniis compoſitus. LEO magnus, pontifex romanus, integrum equidem ſymbolum, qua ſingula verba, non expoſuit; nonnulla tamen huc ſpectantia adfert *ſermone XI de paſſione domini p. 133.* editionis, quae ſtudio PASHASII QVESNELLI Lugduni an. 1700 prodiit; & in *epiſtola ad Flauianum, epiſcopum Conſtantinopolitanum, aduerſus Eutychis perfidiam & haereſin, p. 242.* Quo nomine & inter commentatores ſymboli apoſtolici refertur a IO. BONA, cardinali, *l. c.* Praeclare autem admodum LEO de ſymbolo apoſtolico ſentit, dum non tamtum ab ipſis apoſtolis illud concinnatum, ſed omnibus hae-

reſibus refellendis ſufficere, ſeu, vt ipſe loquitur, *hocce omnium haereticorum machinas deſtrui*, exiſtimat, *p.242.* quod tamen ſine dubio ita intelligendum, ſi recte explicetur, & ex ſcriptura confirmetur; ceteroquin enim haereticos ſub ipſis ſymboli huius verbis errores ſuos occultaſſe, iam antea obſeruauimus. Inter ſcripta AVGVSTINI occurrit liber *de fide & ſymbolo*, breuem, planam ac elegantem ſymboli apoſtolici expoſitionem continens, exſtatque & *operum* eius *tomo ſexto*, & ſeorſim quoque cum eiusdem *libris IV. de doctrina chriſtiana* & VINCENTII Lerinenſis *commonitorio* editus a GE. CALIXTO, an.1629 & iterum 1655. Agnoſcit autem Hipponenſium praeſul in *prooemio* ſeu *cap. I. ſub ipſis paucis verbis in ſymbolo conſtitutis pleroſque haereticos venena ſua occultare conatos eſſe; quibus reſtiterit ac reſiſtat diuina miſericordia per ſpirituales viros, qui catholicam fidem non tantum in illis verbis accipere & credere, ſed etiam domino reuelante intelligere atque cognoſcere meruerint.* In ipſa ſymboli huius expoſitione hanc methodum obſeruat, vt oſtendat, quibus erroribus ſingula oppoſita ſint verba. Sic in primo articulo explicans verba: *credo in Deum patrem omnipotentem*, reiici iis docet illorum errorem, qui, aliquid eſſe, quod Deus non creauerit, adſerebant, ſeu qui materiam Deo coaeternam ſtatuebant. Quod theologiae quidem ac philoſophiae gentilis primum principium etiam nonnulli ex antiquis haereticis adoptauerant. In articulo ſecundo, vbi de Chriſto agit, *deſcenſus eius ad inferos* nullam iniicit mentionem; *τὸ ſedere* autem *ad dextram Dei* ita explicat, vt diligenter moneat, Deo corporis humani formam non eſſe tribuendam. Et ita in reliquis procedit. AVGVSTINVM hanc ſymboli explicationem in ſynodo quadam Hipponenſi an. 393, tradidiſſe, eamque deinceps, *de fide & ſymbolo* inſcriptam, edidiſſe, ex *libro I. retractationum* eius *c. XVII. tom. I. oper. p. 20.* condiſcimus. Exſtant porro *operum* AVGVSTINI *tomo VI. p. 398. ſermones quatuor de ſymbolo ſeu regula fidei ad catechumenos.* Quorum tamen primum tantum genuinum, reliquos ſpurios eſſe, Benedictini in *admonitione* praemiſſa, *p.398.* contendunt. Interim in *primo* iſto *ſermone* elegans continetur ſymboli expoſitio. Cum vero in eo etiam legatur articulus *de vita aeterna*; LVDOVICVS ELL. DV PIN, dubium inde oriri poſſe, exiſtimat, an & primus hicce ſermo AVGVSTINI ſit, eo, quod in libro *de fide & ſymbolo*, qui extra controuerſiam eum auctorem agnoſcit, hicce articulus non reperiatur; in *nou. bibl. ſcriptor. eccleſiaſt. tom. III. p. 230.* Sed in ea editione libri *de fide & ſymbolo*, quam GE. CALIXTVS dedit, etiam articulus *de vita aeterna* exſtat. Tres reliquos ſermones, etſi ipſius AVGVSTINI non ſint, ſatis tamen eſſe antiquos, & forte a diſcipulo quodam praeſulis huius compoſitos, Benedictini patres autumant, quos hac in re ſequitur LVD. ELL. DV PIN, *l. c.* 10. BONA cardinalis, dum AVGVSTINI labores in ſymbolum apoſtolicum memorat, iis addit *enchiridion ad Laurentium; de diuina pſalmodia, c.XVI. p.446.* Quod quo iure faciat, neſcio; cum libellus hicce ſummam equidem quamdam doctrinae chriſtianae, non autem explicationem ſymboli apoſtolici complectatur. Hinc & de eo ſupra iam dictum eſt. CYRILLVS Hieroſolymitanus hic locum non inuenit; cum non tam apoſtolicum, quam Hieroſolymitanum ſymbolum explicet; quamuis hoc in quibusdam cum illo conueniat. Praeterea & ſupra eius iam mentionem fecimus. De ATHANASII *epiſtola ad Iouianum de fide*, quae *tom. I. operum* eius *p. 245.* exſtat, itidem iam ſupra dictum. Cumque non tam apoſtolici, quam Nicaeni ſymboli, confirmationem, & explicationem quamdam contineat; non video,

quo

quo pacto inter illius commentarios referatur a IO. BONA *l.c.* Conferendus & LVD. ELLIES DV PIN, *nou. biblioth. ſcriptor. eccleſiaſt. tom. II. p. 48.* *Homiliam de ſymbolo*, quae inter CHRYSOSTOMI *opera tom. V.* inuenitur, latini potius cuiusdam auctoris eſſe, ipſemet fatetur cardinalis BONA *l.c.* Ad ſequentia ſaecula ſpectant VENANTIVS FORTVNATVS, PETRVS CHRYSOLOGVS, MAXIMVS Taurinenſis, FVLGENTIVS, EVSEBIVS gallicanus epiſcopus, THEODVLPHVS, BRVNO Herbipolenſis, quorum ſcripta, quae ad ſymboli apoſtolici explicationem faciunt, in *bibliothec. maxima patrum* leguntur. Cumque parum, aut nihil, quod momentum trahat, contineant, pleraque etiam ſaeculi ſui barbariem ac ignorantiam redolennt; non eſt, quod iis immoremur. Inter ſcripta THOMAE DE AQVINO *opuſcula LXXII* exſtant, in quibus & *expoſitio* eſt *ſymboli apoſtolici*, quam nonnulli ceu melioris adhuc cominatis laudant, certe reliquis adhuc adnumeratur a IO. BONA cardinali, *l.c.* RICH. HAMPOLI, & HILDEGARDIS, quae huius loci ſunt, in *bibliotheca maxima patrum* itidem exhibentur.

Ad recentiores dum progredimur, commemorandi primum, qui ex noſtratibus tum vetera ſymbola oecumenica, tum ſpeciatim apoſtolicum ediderunt, aut expoſuerunt. Et ipſe quidem beatus MART. LVTHERVS noſter, ad fidei ſuae conſenſum cum fide veteris eccleſiae teſtandum, tria ſymbola recepta lingua germanica euulgauit, inſcripta: *die drey ſymbola oder Bekaendtnüs des Glaubens Chriſti, in der Kirchen eintraechtiglich gebraucht, auffs neue von D. Mart. Luthern ſeinen Glauben zu bekennen in Druck gegeben.* Exſtant *tomo VI. Altenburgenſi, p. 1255. ſeq.* Obſeruandum, quod primo loco apoſtolicum, ſecundo Athanaſianum ſymbolum, tertio autem non Nicaenum, ſed hymnum: *te Deum laudamus*, qui vulgo AMBROSIO & AVGVSTINO tribuitur, exhibeat. In *praefatione* hymnum huncce maximopere laudat, quippe qui praeſtantiſſimum contineat ſymbolum, quo non tantum fidem noſtram profiteamur, ſed ſimul laudes diuinas celebremus, eique agamus gratias. Subiicit explicationem articuli de Chriſto, probatque, omnes haereſes inde ortas, quod huncce articulum non recte intellexerint. Sequitur equidem tum verſio germanica ſymboli Nicaeni, quae tamen an ſimul a Luthero edita ſit, forte quis dubitauerit, quia in inſcriptione trium tantum ſymbolorum fit mentio; niſi dixeris, in ea hymni non haberi rationem. Ceterum *ſanctae catholicae & apoſtolicae eccleſiae, eiusque primorum & oecumenicorum conciliorum ſymbola* cura GE. CALIXTI prodierunt Helmſtadii 1649, 4. NIC. SELNECCERI *exegeſis ſymboli apoſtolici, Nicaeni, & Athanaſiani* Lipſiae lucem adſpexit, an. 1577 & 1675, 8. CHRISTOPH. PELARGI *ſchola fidei, ſiue confeſſionis, in qua breuiſſime exponuntur ſymbola, apoſtolicum, Nicaenum, Athanaſianum, Epheſinum, Chalcedonenſe*, additis etiam *Auguſtanae confeſſionis theſibus*, ſeu diſputationibus ex eadem, item, *tractatu de conciliis & catalogo patrum*, Francofurti 1601, 8. Edidit PELARGVS, vir eruditus, & antiquitatis eccleſiaſticae peritus, hancce *fidei ſcholam*, priusquam ad reformatorum caſtra tranſiret, quod circa an. 1614 factum, cum hicce liber iam 16 1 prodiiſſet. Patet hoc etiam ex iis, quae circa articulum decimum Auguſtanae confeſſionis *de ſacra coena* diſputat, vbi reformatae eccleſiae ſententiam neruoſe refellit. Nihil nunc dicam de DAV. RHODII *libello ſcholaſtico, continente tria eccleſiae ſymbola & quasdam breues queſtiones*; nec de IO. BENED. CARPZOVII *iſagoge ad libros ſymbolicos*, in cuius parte prima veterum quoque iſtorum ſymbolorum, *apoſtolici*, *Nicaeni &* *Athana-*

Athanaſiani exhibetur expoſitio, de qua & deinceps verba faciemus. Illorum, qui ſpeciatim ſymbolum apoſtolicum illuſtrarunt, ingens eſt numerus, referrique huc poſſunt omnes ſcriptores catechetici, cum ſymbolum hocce partem catechiſmi noſtri conſtituat, quorum praecipuos *capite praecedenti* iam recenſuimus. Beatus MART. LVTHERVS non tantum in *catechiſmo* vtroque *maiore* & *minore* ſymboli huius explicationem dedit, ſed aliae quoque in eius operibus exſtant, ſcilicet *kurze Form den Glauben zu betrachten, tom. I. Altenburg. p. 400. ſeqq. Auslegung des Glaubens gepredigt durch D. Martin Luthern, tom. VI. p. 1117. ſeqq.* conf. & *tom. IV. p. 497.* & quae alibi occurrunt. Ex praelectionibus DAV. CHYTRAEI *explicationem ſymboli apoſtolici* dedit IO. FRIDERICI, Wittebergae 1584, 8. Nec ignotae ſunt POLYC. LYSERI *diſputationum ex ſymbolo apoſtolico decades tres*; quemadmodum & IO. FORSTERI *problemata breuia ex ſymbolo apoſtolico*, romanenſibus pariter ac reformatis praecipue oppoſita, paſſim celebrantur. Breuis quidem & ſuccincta, ſed elegans & erudita, eſt ſymboli apoſtolici explicatio, quam IO. CONR. DANHAVERVS tradit in *Chriſteide, actu I. p. 414.* qui & in praecedentibus quaedam lectu digna de hocce ſymbolo obſeruat. In veteri lingua alemannica, vt & ſaxonica, illud exhibet IO. LVD. HARTMANNVS, *hiſtor. concilior. part. I. p. 172.* Cuncta eius capita ſcripturae ſacrae adcurate reſpondere, ſingulari diagrammate, ex IO. CHRISTOPH. SELDII *ſcrutinio articulor. fidei fundamentalium* deſumto, oſtendit AD. RECHENBERGIVS, in *adpend. tripart. ad libros ſymbolicos, c. VII. p. 44.* Ceterum, cum non deeſſent, qui ſymbolum apoſtolicum pro norma adaequata fidei chriſtianae haberent, adeo, vt, qui illud amplecterentur, in fundamento fidei conſentire cenſendi eſſent, vti praeter quosdam ex romanenſibus, & IAC. ARMINII diſcipulos, GE. CALIXTVS, CHRIST. DREIERVS, aliique fecerunt; ex noſtratibus iis ſe maxime oppoſuerunt ABR. CALOVIVS, in *ſyncretiſmo Calixtino, poſtulat. I. p. 8. ſeqq.* & IO. CONR. DANHAVERVS, tum in *Sigalione*, tum in ſcripto elenchtico: *wohlverdientes Schulrecht* aduerſus D. Borthenium, hoc eſt, IO. REINBOTHIVM, qui & priori triplicem tabulam, ſymbolum hocce apoſtolicum in ſenſu eccleſiae orthodoxae, romanae, & reformatae exhibentem, ſubiecit; vt omnibus inde adpareret, poſſe Lutheranos, romanenſes, reformatos qua verba ſymbolum hoc admittere, etiamſi qua ſenſum δὶς διὰ πασῶν a ſe inuicem differant. Repetit haſce ex DANHAVERO tabulas, trium iſtarum religionum, circa ſymboli huius ſenſum, diſcrimen luculenter exhibentes, beatus AD. RECHENBERGIVS, addita quarta & quinta, quarum illa ſenſum ſymboli apoſtolici ex mente Arminianorum exprimit, & concinnata eſt a IO. AD. SCHERZERO, haec vero ex mente Socinianorum, ab ipſo RECHENBERGIO compoſita; in *adpend. tripartit. ad libros ſymbolicos, c. VII. p. 48. ſeqq.* Tabulas vero iſtas DANHAVERI ſtricturis ſuis perſtringere auſus eſt SAM. MARESIVS, in *diſputatione theologica partim elenchtica, partim apologetica de tribus ſymbolis apoſtolicis, ſcilicet Lutheranorum, pontificiorum & reformatorum, nuper a theologo quodam Argentoratenſi editis*, quae in *ſylloge diſputationum* eius *ſelectiorum tom. I. p. 700. ſeqq.* legitur. Hinc DANHAVERVS *ſtricturis* MARESII *antiſtricturas* ſuas oppoſuit in *adpendice hodomoriae Caluinianae p. 3344. ſeqq.* Atque hinc quidem cum euidens ſit, ſymbolum apoſtolicum tam paucis conſtare capitibus, verbisque tam late patentibus conceptum eſſe, vt ſine explicatione pro regula ac norma adaequata fidei haberi nequeat; labore, peruerſos ac impios ſenſus

ſus eidem adfingendi, ſuperſedere poterant Ieſuitae, vt ſcilicet oſtenderent, quam facile auctoris alicuius ſcripta in alienum ſenſum detorqueri poſſint, ſi quis vim illis inferre velit. Quod illorum factum licet excuſet, & adprobet THEOPH. RAYNAVDVS, in *ſyntagmate de libris propriis, p. 37.* & in *erotematibus de malis ac bonis libris, partit. III. erotem. III. p. 294. ſeqq.* nemo tamen impiam illam ac ineptam detorſionem ſine indignatione legerit. Sic ad *articuli ſecundi* verba haecce: *& in Ieſum Chriſtum, filium eius vnicum, dominum noſtrum*, haec notantur: *tota haec propoſitio captioſa eſt & fallax. Primo, in quantum omittit, Ieſum Chriſtum filium eſſe naturalem & conſubſtantialem patri. Sic enim periculoſa eſt, & doctrinam inducit haereticam, ſaepius ab eccleſia in conciliis, Nicaeno, Epheſino & Francofordienſi, praeſente Carolo magno damnatam. Secundo ratione particulae* vnicum, *omiſſa praeſertim voce* conſubſtantialis *aut* naturalis &c. *falſa eſt, piarum aurium offenſiua, & iuſtis omnibus ac ſanctis iniurioſa.* Quo ex ſpecimine, cuiusmodi reliqua ſint, intelligere licet. Recte itaque IO. VERGERIVS, abbas Sancyranus, ſub PET. AVRELII nomine latitans, monuit, per blaſphema eiusmodi exercitia atheiſmo fores aperiri, & ſanam doctrinam ludibrio exponi in *apologia epiſcoporum Galliae, &c.* obſeruante THO. ITTIGIO, *in ſelect. capitib. hiſtor. eccleſiaſt. ſaecul. I. c. III. ſect. I. §. XII. p. 95.*

Inter reformatae eccleſiae doctores itidem haud exiguus eſt illorum numerus, qui commentariis aut obſeruationibus ſymbolum apoſtolicum illuſtrarunt. Praecipuis adnumerandi ſunt: MOSES AMYRALDVS, in *exercitationibus in ſymbolum apoſtolicum*, Salmurii 1663, 8. LAMB. DANAEVS, in *explicatione ſymboli apoſtolici*, Geneuae 1592, 8. MATTHIAS MARTINIVS, in *ſumma fidei, ſeu triginta diſputationibus in ſymbolum apoſtolicum*, Francofurti 1611, 4. itemque in *chriſtiana & catholica fide, quam ſymbolum apoſtolicum vocamus, perpetuis quaeſtionibus & reſponſionibus diligenter explicata, & in tres libros diſtincta*, Bremae 1618, 8. CASP. OLEVIANVS, in *expoſitione ſymboli apoſtolici*, Francofurti 1618, 8. Cumprimis hic commemorandus eſt IO. DE HISPANIA (D' ESPAGNE) cuius *obſeruationes nouae in catholicam chriſtianam fidem*, & anglice, & inter reliqua eius opera gallice, ſtudio SIG. HOSMANNI an. 1699 germanice prodierunt. Singula equidem ſymboli huius verba non explicat; ſecundum eius tamen ordinem incedit, & praecipua fidei chriſtianae dogmata proponit. Obſeruationes iſtae, vt reliqua huius viri, ſunt ingenioſiſſimae; & licet interdum curioſa magis, quam vtilia, eſſe videantur, quae differit: multa tamen quoque inter ea ſunt, quae commodum adferant, piasque alere ac fouere meditationes apta ſint. Iungendus hiſce IO. PEARSONIVS, Ceſtrienſis in Anglia epiſcopus longe doctiſſimus, qui lingua anglicana *expoſitionem ſymboli apoſtolici* conſcripſit; quae ſecundum editionem anglicanam quintam, in linguam latinam translata, Francofurti ad Viadrum prodiit, 1691, 4. Egregie vtique officio ſuo functus eſt eruditiſſimus hicce praeſul, cui quoque, vtpote antiquitatis eccleſiaſticae notitia exquiſita inſtructo, nihil ad prouinciam hancce rite ornandam, defuit. Variarum hinc obſeruationum, lectu dignarum, copiam hic deprehendere licet. Nec contemnendus profecto HERM. WISTIVS, cuius *exercitationes ſacrae in ſymbolum, quod apoſtolorum dicitur, & in orationem dominicam*, tertium Amſtaelodami 1697 lucem adſpexerunt publicam; in quibus eadem doctrinae ſoliditas, & perſpicua ac luculenta tractandi ratio, quae reliqua huius viri ſcripta commendat, conſpicitur. Praetereundi quoque

que non ſunt IO. HENR. HEIDEGGERVS, cuius *duae de ſymbolo apoſtolico diſſertationes tomo ſecundo diſſertationum* eius *ſelectarum* inſertae ſunt; & THO. TVLLIVS, qui *expoſitionem ſymboli apoſtolici enchiridio* ſuo *didactico praecipuorum theologiae capitum* adiunxit, cuius quinta editio Oxonii 1700 prodiit. Multo vero minus hic omittendus anonymus ille Anglus, (quem nonnulli PET. KINGIVM eſſe ferunt) cuius *hiſtoria ſymboli apoſtolici cum obſeruationibus eccleſiaſticis & criticis ad ſingulos eius articulos* ex lingua anglicana in latinam a beato GOTTFR. OLEARIO translata, Lipſiae 1706 luci publicae eſt expoſita. Eorum nimirum cum auctor iſte doctiſſimus ſequatur ſententiam, qui ſymbolum apoſtolicum non ab vno auctore, nec vno eodemque confectum tempore, ſed ex formula baptiſmali, cui ſubinde aliquid contra haereſes nuper exortas addebatur, enatum, exiſtimant; hanc illud explicandi obſeruat methodum, vt, quibus haereſibus ſingula verba oppoſita ſint, ex antiquitate eccleſiaſtica doceat, & ita genuinum eius ſenſum inueſtiget. Quam quidem ſymbola vetera explicandi rationem optimam eſſe, nemo negauerit, & deinceps etiam monebimus; quam etiam veteres quosdam adhibuiſſe, ex antea dictis conſtat. Coniecturis autem ſuis dum auctor ſubinde indulget, non adfirmauerim, eum vbique rem acu tetigiſſe; immo non ſine ratione de eo interdum dubitari, exemplo patet, quod THO. ITTIGIVS adfert, in *ſelectis capitib. hiſtor. eccleſ. ſaec. I. c. III. ſect. I. §. XIV. p. 97.* Aliud exemplum in *inſtitutionibus* meis *theol. dogmat.* legere licet, *tom. II. lib. IV. c. II.* ad §. *XXV. p. 1084. ſeqq.* Romanenſium denique, qui ſymbolum apoſtolicum expoſuerunt, ſi habere rationem velimus; IO. BONA cardinalis, praeter *catechiſmum romanum*, in quo ad captum communem ſymbolum hocce explicatum ſit, vnicum laudat ANGELVM DEL PAZ, qui *docte & diffuſe* in ſymbolum hocce ſcripſerit duobus tomis, quorum prior Romae prodierit, alter autem adhuc manuſcriptus exſtet; *de diuina pſalmodia c. XVI. p. 446.* Conferenda quae de hocce auctore obſeruat THO. ITTIGIVS, qui eum vocat ANGELVM DEL BAS, in *ſelect. capitib. hiſtor. eccleſiaſt. ſaec. I. c. III. ſect. I. §. XIII. p. 96.* Reliqui, qui ex romanenſibus hoc labore functi ſunt, vix digni ſunt, vt eorum habeatur ratio, ſi DESID. ERASMVM Roterodamenſem, & ROB. BELLARMINVM cardinalem, excipias, quorum ille *dilucidam ac piam explicationem ſymboli, quod apoſtolorum dicitur*, dedit, Baſileae 1534 alibique; hic autem *expoſitionem ſymboli apoſtolici*, Coloniae 1617, 12. De ceteris conſulendus IO. CHRISTOPH. DORNIVS, *biblioth. theolog. crit. part. II. lib. VIII. c. I. §. III. p. 440.*

Ad reliqua ſymbola vetera, ſpeciatim Nicaenum, aut potius Nicaeno-Conſtantinopolitanum quod attinet; ſunt nonnulli praeter eos, qui generatim ſymbola veteris eccleſiae illuſtrarunt, quos antea indicauimus, qui in ſingulis iſtis explicandis ſtudium operamque ſuam collocarunt. Et ad Nicaeni quidem tum confirmationem, tum explicationem facit *epiſtola* ATHANASII *ad Epictetum Corinthiorum epiſcopum*, quae *tom. I. oper.* eius *p. 581. ſeqq.* exſtat, & apud EPIPHANIVM *haereſi LXXVII. p. 997. ſeqq.* Idem cenſendum de eiusdem *epiſtola ad Iouianum, de fide, tom. I. oper. p. 245. ſeqq.* in qua ſymboli apoſtolici explicationem tradi, perperam nonnullos exiſtimare, iam antea obſeruauimus. Sed & in reliquis ſcriptis ATHANASII multa reperiri, quae ſymbolo Nicaeno lucem adfundere queant, nemo dubitauerit. Et quis rectius illud explicauerit quam ATHANASIVS ipſe? Ex recentioribus CASP. CRVCIGER *enarrationem ſymbo-*

ſymboli Nicaeni dedit, quae cum praefatione PHIL. MELANCHTHONIS Wittebergae an. 1550 lucem adſpexit. Referri huc quodammodo poteſt IO. IAC. MVLLERI *comparatio concilii Nicaeni primi oecumenici, atque Tridentini vltimi*, Argentorati 1666. Sed omnium induſtriam multum vicit IO. CASP. SVICERVS in *ſymbolo Nicaeno-Conſtantinopolitano expoſito & ex antiquitate eccleſiaſtica illuſtrato*, Traiecti ad Rhenum an. 1718 edito. Rectam is omnino viam, ſymbolum hocce ex antiquitate eccleſiaſtica illuſtrandi, ingreſſus eſt; quod & ita praeſtitit, vt omnium inſtar eſſe poſſit. *Athanaſiano*, quod vocatur, *ſymbolo* primus lucem adfundere voluit VENANTIVS FORTVNATVS, cuius *expoſitionem fidei catholicae*, ſeu ſymboli Athanaſiani, *tomo II. anecdotorum* latinorum inſeruit LVD. ANT. MVRATORIVS, *p. 212. ſeqq.* addita de ſymbolo hocce *diſſertatione*, in qua VENANTIVM FORTVNATVM non tantum expoſitorem, ſed omnino forte auctorem eſſe, euincere voluit. Ex recentioribus, praeter eos, qui generatim ſymbola vetera illuſtrarunt, antea iam laudatos, itemque praeter eos, qui conciones in ea ſermone germanico ediderunt, quales tum in Nicaenum, tum Athanaſianum, tum apoſtolicum exſtant; referenda huc PAVLI LAVRENTII *explicatio ſymboli Athanaſii*, Wittebergae 1695, 8. itemque HENRICI RIXNERI *diſputatio theologica, exhibens ſymboli Athanaſiani perbreuem deſcriptionem hiſtoricam, eiusdemque ex ſola ſcriptura ſacra deductionem & probationem*, Helmſtadii 1675, 4. Ex reformatae eccleſiae doctoribus DAV. PAREVS *notas* ſcripſit *in ſymbolum Athanaſii*, an. 1618, 4. editas. Sed & ex romanenſibus GILB. GENEBRARDVS *explicationem* dedit *ſymboli Athanaſiani*, eiusdem *commentario in pſalmos* additam, Coloniae 1615, 8.

** Dum ad ſymbola eccleſiae noſtrae propria accedimus, initio obſeruandum, varias quidem eſſe editiones, in quibus iunctim exhibentur; eminent tamen inter reliquas, hodieque vſitatae ſunt latina quidem AD. RECHENBERGII, & germanica HENR. PIPPINGII, quarum illa 1692, 8. haec autem 1703, 4. vtraque Lipſiae, prodiit; vtraque etiam ob *iſagogen hiſtoricam ad libros ſymbolicos* ſaepe a nobis laudatam, commendanda. De Ienenſi editione, quae an. 1705 lucem adſpexit, quaeue latinam an. 1580 a NIC. SELNECCERO curatam exprimit, ſupra iam diximus. Acceſſit 1708 Lipſienſis, quam curae atque induſtriae viri clariſſimi CHRIST. REINECCII debemus; quaeue inſcripta eſt: *concordia germanico-latina, ad optima & antiquiſſima exemplaria edita, tum ſingulorum librorum, tum totius libri concordiae, vt & manuſcripta formulae concordiae, denuo & ſedulo recognita, & a pluribus inueteratis mendis typographicis emendata &c.* Eo minus autem theologiae cultor hacce editione carere poterit, quo conſultius eſt, vt libros noſtrae eccleſiae ſymbolicos in vtraque lingua, latina & germanica, legat; cum in quibusdam haec, in aliis autem illa, ſit originalis & authentica. Nimirum in *Auguſtana confeſſione* lingua germanica eſt originalis; ſiquidem, quod in ea Caeſari oblatum eſt, exemplum ab eo acceptum, in archiuo Moguntino adſeruatur. *Apologia* autem *Auguſtanae confeſſionis* latino primum ſermone concepta, in germanicum deinde translata eſt. *Articuli* rurſus *Smalcaldici, catechiſmus vterque Lutheri*, & *formula concordiae*, germanico conſcripti ſunt idiomate. Legenda, quae hac de re monentur in beati CASP. LOESCHERI *diſſertatione, tradente hypomnemata ſymbolica*, Wittebergae 1709, 4. Ceterum fuerunt, qui aut omnes, aut plerosque eccleſiae noſtrae libros ſymbolicos vel commentariis illuſtrarent, vel adcuratiori

ratiori analyſi verum nexum in illis oſtenderent, vel denique dogmata ex illis ſummatim comprehenderent, exponerentque. Huius itaque loci eſt WOLFG. GVNTHERI *analyſis trium librorum eccleſiae Lutheranae ſymbolicorum, Auguſtanae confeſſionis, articulorum Smalcaldicorum, & formulae concordiae in tabulas redactae;* Lipſiae 1615, 4. LEONH. RECHTENBACH *analyſis confeſſionis Auguſtanae, articulorum Smalcaldicorum, formulae concordiae, & articulorum viſitationis Saxonicae*, Lipſiae 1613, 8. IO. SCHLVTERI *tabulae poſthumae ſynopticae & analyticae, librorum inter euangelicos ſymbolicorum, Auguſtanae confeſſionis, eiusdem apologiae, articulorum Smalcaldicorum, nec non formulae chriſtianae concordiae*, Lipſiae 1667, fol. Cumprimis autem hic commemoranda IO. BENED. CARPZOVII *iſagoge in libros eccleſiarum Lutheranarum ſymbolicos, tria ſymbola oecumenica, Auguſtanam confeſſionem, eiusque apologiam, articulos Smalcaldicos, vtrumque catechiſmum Lutheri, & formulam concordiae.* Cum auctor morte praepeditus hocce opus non abſoluiſſet, a IO. OLEARIO, theologo Hallenſi, qua partem vltimam continuatum, & ita a IO. BENED. CARPZOVIO filio in lucem publicam emiſſum eſt. Editio ſecunda Lipſiae prodiit 1675, 4. Adcurate & diligenter in hacce *iſagoge* libri noſtri ſymbolici reſoluuntur, explicantur, obſcura illuſtrantur, aduerſariorum obiectiones repelluntur, vnde reliquis omnibus in hoc genere ſcriptis palmam praeripit. Huius quoque loci eſt BERNHARDI VON SANDEN *theologia ſymbolica Lutherana, hoc eſt, eccleſiae Lutherano-catholicae libri ſymbolici, in ordinem & compendium redacti*, Francofurti 1688, 4. Nec tacenda hic, ſed maximopere potius commendanda, beati IO. HENR. MAII, *ſynopſis theologiae ſymbolicae eccleſiarum Lutheranarum, ex omnibus libris ſymbolicis, eorumdemque verbis propriis ordine ſyſtematico adornata, per theſin, ἔκθεσιν, eiusque confirmationem, & antitheſin, huiusque reiectionem, in priuato collegio explicata, & publice ventilata, in academia Gieſſenſi &c.* cuius editio altera Gieſſae 1720, 4. prodiit.

Illorum, qui ſpeciatim Auguſtanam confeſſionem illuſtrarunt, cum ingens iterum ſit numerus; nobis quidem id datum credimus, vt praecipuos tantum indicemus. Poſſet hic primo ipſa *apologia Auguſtanae confeſſionis* commemorari, quippe quae ſimul ſolidiſſimam eius explicationem continet; ſed de ea iam antea dictum eſt. Nec MART. CHEMNITII nunc nos morabitur *iudicium de controuerſiis quibusdam circa quosdam Auguſtanae confeſſionis articulos*, lectu vtique dignum; cum quibusdam eius capitibus ſolum lucem adfundat. Prodiit illud Wittebergae 1594, 4. Inter reliqua, quae huius loci ſunt, ſcripta, eminent DAN. ARCVLARII *commentarius & diſputationes in Auguſtanam confeſſionem*, Marpurgi 1601, 8. CONR. DIETERICI *pia & modeſta inuariatae Auguſtanae confeſſionis repetitio, expoſitio & confirmatio, a theologis Marpurgenſibus inſtituta*, ibidem 1630, 4. WOLFG. FRANZII *diſputationes XXXII de Auguſtana confeſſione contra pontificios*, Lipſiae 1611, 4. eiusdem *vindiciae diſputationum theologicarum pro Auguſtana confeſſione, aduerſus Valentinum Smalzium*, Wittebergae 1621, 4. de quibus ad §. *praecedentem* quoque dictum, cum de Socinianorum confeſſionibus ageremus; FRID. BALDVINI *apologia pro Auguſtana confeſſione eiusque apologia, formulaeque concordiae libro*, Wittebergae 1625, 4. IO. ERN. GERHARDI *diſputationes in Auguſtanam confeſſionem*, Ienae 1654, 4. ALB. GRAVERI *praelectiones in Auguſtanam confeſſionem*, recuſae poſt obitum auctoris, inſcriptaeque; *Grauerus rediuiuus,*

hoc

Digitized by Google

hoc eſt, praelectiones academicae, in Auguſtanam confeſſionem, Ienae 1654, 8. IO. HIMMELII *collegium Auguſtanum theologicum, ſiue in articulos Auguſtanae confeſſionis diſputationes XXII.* Ienae 1621, 4. IO. HVLSEMANNI *manuale Auguſtanae confeſſionis contra Hagerum* (de quo deinceps) Wittebergae 1632, 8. AEG. HVNNII *hundert und ein und neunzig Schluß-Reden, von der Augsburgiſchen Confeſſion, vnd daß die Caluiniſten niemals derſelben zugethan geweſen*, Francofurti 1596, 4. alibique; LEONH. HVTTERI *collegium theologicum in XL diſputationes diſtributum, de articulis confeſſionis Auguſtanae, & libri concordiae*, Wittebergae 1610, 8. eiusdem *Auguſtanae confeſſionis analyſis methodica, XXII. diſputationibus comprehenſa*, ibidem 1602, 8. item, *diſputationes XX. quas ex Auguſtanae confeſſionis articulis propoſuerunt ſtudioſi iuuenes*; ibidem 1601, 4. BALTH. MENZERI *exegeſis Auguſtanae confeſſionis*, Gieſſae 1615. Saepius deinceps haec *exegeſis* recuſa eſt, & magno adplauſu recepta, meritoque inter praeſtantiſſimas confeſſionis Auguſtanae expoſitiones refertur. Proſtant autem & alia eiusdem auctoris eodem ſpectantia ſcripta, vt: *collatio doctrinae Zwinglii, Caluini, Bezae & ſociorum, cum Auguſtana confeſſione, theſibus propoſita*, Gieſſae 1603, 4. *defenſio collationis Auguſtanae confeſſionis, cum doctrina Zwinglianorum & Caluiniſtarum contra Pierium & Crocium*, Gieſſae 1618, 4. porro *examen cenſurae Crocianae, de collatione Auguſtanae confeſſionis, & doctrinae Caluinianae*, ibid. 1623, 4. & alia, lingua quoque germanica concinnata. GE. MYLII *explicatio Auguſtanae confeſſionis* prodiit Ienae 1604 & 1624, 4. IO. PAPPI *diſputationes in Auguſtanam confeſſionem, & formulam concordiae*, Argentorati 1591, 4. qui & alia, quae huc faciunt, reliquit; ABR. CALOVII *criticus ſacer, vel commentarii apodictico-elenchtici ſuper Auguſtanam confeſſionem*, Lipſiae 1646, 4. eiusdem *exegema Auguſtanae confeſsionis, articulos fidei ſuccincte exponens, & aduerſus varios, imprimis modernos errores demonſtrans, eamdemque ab exceptionibus potioribus vindicans*, Wittebergae 1665, 4. IO. MVSAEI noſtri *unbeweglicher Grund der Augsburgiſchen Confeſsion*, Ienae 1654, 4. Inter reliquos dignus adhuc eſt, qui hic commemoretur, VAL. ALBERTI, theologus Lipſienſis, cuius *Auguſtana confeſsio, thetice & apologetice, imprimis contra Ieſuitae Ioannis Dez, aliorumque tam antiquorum, quam recentiorum accuſationum fallacias & criminationes, ſuccincta methodo pertractata*, Lipſiae lucem adſpexit 1690, 12. Mirum nimirum non eſt, tot noſtratium in Auguſtanam confeſſionem exſtare commentationes, quamquam minimam forte earum recenſuerimus partem; cum variis fallaciarum modis eamdem aduerſarii adgreſſi ſint. Ab aliis enim ceu errorum pleniſſima adcuſata & damnata eſt; alii Lutheranos ab ea defeciſſe, clamitabant; alii iterum Auguſtanae confeſſionis doctrinam non diſſentire a doctrina eccleſiae romanae, orbi perſuadere voluerunt. Inter eos, qui vltimum adſeruerunt, eminet IOAN. DEZ, Ieſuitarum ordini adſcriptus, in libro *de reunione eccleſiarum proteſtantium cum romana*, qui hac ratione incautos decipere voluit. Hunc vero non tantum VALENT. ALBERTI, in iam memorata commentatione, ſed beatus quoque PHIL. IAC. SPENERVS ſolide refutauit, in *reſponſis theologicis*, & quidem germanicis prioribus, *part. I. c. I. ſect. XV. p. 95. ſeqq.* Sed vt ad reliquos pergamus, addendus hucusque enumeratis eſt PHIL. LVD. HANNEKENIVS, cuius *de vera Auguſtanae confeſſionis aeſtimatione, eiusque charactere ſymbolico aduerſus eos, qui ex vano eius adfectant ſocietatem, ſe exſerente, declaratio theologica*, Wittebergae prodiit, an. 1697, 4. in qua non tantum omnes Au-

guſtanae confeſſionis articulos ordine pertractat, ſed cumprimis in antitheſi in aduerſariorum erroribus recenſendis ac refellendis copioſus eſt. Inter aduerſarios autem non tantum romanenſes, reformatos, Socinianos, & Arminianos, ſed eos quoque, qui a nonnullis, & ipſo auctore, pietiſtae vocantur, refert, quos talia docere, putat, quae ſingulis Auguſtanae confeſſionis articulis aduerſentur; quamuis multi forte vellent, vt adcuratius demonſtraſſet, hanc illorum virorum mentem eſſe, quam iis tribuit. Recentioribus, qui in explicanda Auguſtana confeſſione verſati ſunt, adhuc adnumerandus eſt IO. KAHLERVS, theologus Rintheleinſis, cuius *Auguſtana confeſſio viginti diſſertationibus propoſita* Rinthelii 1694, 4. & *altera pars Auguſtanae confeſſionis de abuſibus mutatis, ſeptem diſſertationibus publicis propoſita*, ibidem 1696 prodiit; cumprimis autem IO. ABR. KROMAYERVS, ob *commentarium didactico-elenchticum in Auguſtanam confeſſionem, exhibentem diſputationes ſynodales iuxta receptam articulorum ſeriem &c.* Francofurti 1723, 4. in quo auctor doctiſſimus recentiores quasdam noſtrae aetatis controuerſias attingit. Mitto reliquos, cum omnes recenſere huius loci, & noſtri inſtituti non ſit; eamque ob cauſſam & eos praetermittimus, qui conciones ſeu ſermones ſacros in Auguſtanam confeſſionem ediderunt. De iis potius aliquid dicendum, qui ex ſecus ſentientibus in Auguſtanam confeſſionem, aut de ea, ſcripſerunt, vt ſcilicet eam refutarent, peruerterent, & variis conuiciis proſcinderent. Haud vltimus inter eos eſt BALTH. MAGERVS, ex Ieſuitarum ordine, in *collatione confeſſionis Auguſtanae & oecumenicorum conciliorum, cum verbo Dei*, Herbipoli 1628, 8. cui abunde ſatisfecit IO. HVLSEMANNVS, in *manuali Auguſtanae confeſſionis* antea iam laudato. Huius porro loci ſunt THO. HENRICI *anatomia Auguſtanae confeſſionis*, Friburgi Brisgouiae an. 1531, 4. IOANNIS A DAVENTRIA *exegeſis errorum, qui ſunt in Auguſtana confeſſione & eius apologia*, Colon. 1535, 8. ANDR. FABRICII Leodii *harmonia confeſſionis Auguſtanae*, Coloniae 1573, 4. qui auctor aliis quoque ſcriptis ingenii ſui petulantiam demonſtrauit; ADAMI TANNERI *Lutherus, ſiue anatomia Auguſtanae confeſſionis*, Ingolſtadii 1613, 4. & quae alia ſunt eiusdem generis. GEORGII vero CASSANDRI *conſultatio de articulis religionis inter catholicos & proteſtantes controuerſis* ideo hic commemoranda eſt, quod in ea ductum Auguſtanae confeſſionis ſequitur, cuius & ſingulos articulos perpendit, vt libere, quid in iis ſibi placeat, aut diſplíceat, profiteatur, hinc & interdum noſtrae, interdum romanae eccleſiae, ſententiam calculo ſuo adprobet. Quo ipſo & effecit, vt haud infimum inter eos, qui vtramque religionem conciliare voluerunt, obtineat locum; quo nomine & alibi de eo ex inſtituto dicendum fuerit. Conferre interim de illo, deque hacce eius conſultatione iuuabit IO. FRID. MAYERI *ſyllabum auctorum, qui Romam reconciliabilem ſtatuerunt*, quem IOSEPHI HALLI *Romae irreconciliabili* adiecit, *p. 31.* & IO. FABRICIVM, in *hiſtor. bibliothec. Fabric. part. I. p. 377. ſeqq.* alibique. *Conſultatio* haecce CASSANDRI tum alias, tum & cum GE. WICELII *via regia*, edita eſt ab HERM. CONRINGIO, Helmſtadii 1659, 4. Praeter romanenſes hic in cenſum veniunt reformatae eccleſiae doctores, quorum nonnulli itidem Auguſtanam confeſſionem explicarunt, ſed ita, vt eam, in iis, in quibus a nobis diſſentiunt, ad ſuum ſenſum detorquerent, praecipue, vt oſtenderent, ſe quoque in Auguſtanae confeſſionis ſocietatem admittendos eſſe. Locum itaque hic inueniunt HENR. ALTINGII *exegeſis logica & theologica Auguſtanae confeſſionis*, Amſtelodami 1647, 4. IO. GROCII *comment. de ſocietate Auguſtanae*

Digitized by Google

nae confeſſionis, Caſſellis 1647, 4. LVD. CROCII *adſertio Auguſtanae confeſſionis*, Bremae 1622, 8. eiusdem *apologeticus pro Auguſtana confeſſione, contra Mentzerum*, ibidem, 1621, 4. CHRIST. PAVLI *Anleitung, wie die der reformirten Religion zugethane ſich der Augsburgiſchen Confeſſion nicht begeben, ſondern ſolche in allen Articuln annehmen koennen*, Bremae 1679, 8. Sed hiſce, ceteriſque, qui ſimilia ſcripſerunt, ſubinde obuiam iuerunt noſtrates, tum in explicationibus Auguſtanae confeſſionis, hucusque indicatis, tum aliis ſcriptis, quibus ex inſtituto demonſtrarunt, reformatae eccleſiae addictos in ſocietatem Auguſtanae confeſſionis non eſſe recipiendos. Huc ſpectant AEG. HVNNII *hundert und ein und neunzig Schlus-Reden*, de quibus antea dictum; IO. BOTSACCI *reformatus pſeudo-Auguſtanus, ſiue antapologia Georgii Pauli*, (namque & GE. PAVLI, theologus reformatus, *reformatum Auguſtanum* ſcripſerat) Lubecae an. 1638, 8. eiusdem *adſertionis conſtantia, qua demonſtratum eſt, reformatos Caluinianos genuinae illius, & inuariatae confeſſionis Auguſtanae ſocios non eſſe, aduerſus Ioannem Crocium*, Lipſiae 1649, 8. ANT. REISERI *wiederholter Beweis, daß die Caluiniſch-Reformirte ſich der Augsburgiſchen Confeſſion nicht anmaſſen koennen, ſo lange ſie ihre bisher gefuhrte irrige Lehre ſo hartnaeckigt vertheidigen, wieder Chriſtianum Pauli*, (cuius antea iniecta eſt mentio) *vorgeſtellet*, Hamburgi 1680, 8. & denique IEREM. VIETORIS *Auguſtanae confeſſionis adſertio, das iſt, wohlgegründeter Beweis, daß die Reformirten der vnveraenderten Augsburgiſchen Confeſſion niemahls recht zugethan geweſen, auch noch nicht ſeyn &c.* Marpurgi 1591, 4.

Eos qui *apologiam Auguſtanae confeſſionis*, vna cum ipſa *confeſſione Auguſtana* explicarunt, iam indicauimus. Seorſim qui eam illuſtrauerit, quiue dignus ſit, vt eius habeatur ratio, non occurrit. Inter eos, qui *articulis Smalcaldicis* lucem adfuderunt, praecipui ſunt FRID. BALDVINVS, in *diſputationibus XXII pro articulis Smalcaldicis*, Wittebergae 1606, 4. & IO. KAHLERVS, in *articulis Smalcaldicis XVII diſputationibus in academia Rinthelienſi propoſitis*, Rinthelii 1710, 4. IOANNIS quoque SAVBERTI *ſynopſin & partitionem articulorum Smalcaldicorum* ex manuſcripto edidit IO. FRID. MAYERVS; de qua legendus HENR. PIPPINGIVS, in *der hiſtoriſchen Einleitung zu den ſymboliſchen Büchern, c. VI. §. XIX. p. 100.* Maior illorum eſt numerus, qui *formulam concordiae* aut illuſtrarunt, aut contra aduerſariorum, reformatae ſpeciatim eccleſiae addictorum, inſultus defenderunt. Praeter *apologiam* enim eius a TIMOTH. KIRCHNERO, NIC. SELNECCERO, & MART. CHEMNITIO conſcriptam, cuius ſupra mentionem fecimus, huc comparatae ſunt MART. CHEMNITII *recitationes aliquot de conſilio ſcripti libri concordiae, de perſona Chriſti & coena domini*, Lipſiae 1581, 4. SALOM. GESNERI *diſputationes XVII pro libro concordiae*, Wittebergae 1605 in 4. & 1612, 8. AEG. HVNNII *Verantwortung des Concordien-Buchs, wieder D. Daniel Hoffmann* Francofurti 1597, 4. LEONH. HVTTERI *explicatio plana & perſpicua libri chriſtianae concordiae*, Wittebergae 1608, 8. cuius etiam *concordiam concordem*, RVD. HOSPINIANI *concordiae diſcordi* oppoſitam, ſupra iam commemorauimus; POLYC. LYSERI *centuriae quaeſtionum theologicarum, de articulis libri concordiae*, Wittebergae 1612, 4. eiusdem *Bericht auf Dan. Hoffmanns Beſchuldigung wieder die concordiam*, Dresdae 1597, 4. IO. OLEARII *conſtans concordia concors*, per modum diſputationis Halae Saxonum propoſita, an. 1675, 4. LVCAE. OSIANDRI *defenſio orthodoxae veritatis in libro concordiae*, Tubingae, 1622 eiusdem *anti-*

Sturmius vnus, das iſt, *Wiederlegung des erſten Sturms Ioan. Sturmii, an der chriſtlichen concordia verlohren*, Dresdae 1580, 4. Nimirum acerrimus eo tempore reformatorum doctrinae in academia Argentoratenſi propugnator exſtitit IOANNES ille STVRMIVS; hinc & praeter alios IO. PAPPVS contra eumdem *defenſiones tres* edidit *de charitate & condemnatione chriſtiana, & de libro concordiae*, Tubingae 1580, 4. itemque *defenſionis quartae partes tres, pro eccleſiis Auguſtanae confeſſionis, & libro concordiae*, ibidem 1581, 4. Spectant huc porro FRID. PETRI *reſponſio ad ſcriptum, quod theologi Bremenſes aduerſus collectores apologiae formulae concordiae publicarunt*, Lipſiae 1585, 8. ANDR. POVCHENII *reſponſio ad Ioan. Palnerii* (quo ſub nomine FRANC. HOTTOMANNVM latitare, VINC. PLACCIVS docet, *de pſeudonymis*, *p. 481.*) *proteſtationes oppoſitas formulae concordiae*, Lubecae 1589, 4. PETRI PISCATORIS *commentarius in formulam concordiae, diſputationibus XII. in academia Ienenſi propoſitus & diſcuſſus*, Ienae 1609, 4. IO. QVISTORPII *articuli formulae concordiae duodecim, exercitationibus aliquot incluſi*, Roſtochii 1618, 4. IO. HIMMELII *analyſis logico theologica libri concordiae chriſtianae, diſputationibus tredecim propoſita*, Erffurti 1623, 8. IO. HVLSEMANNI *praelectiones academicae in formulam concordiae*; quas cum aliis quibusdam eius ſcriptis edidit IO. ADAM. SCHERZERVS, Lipſiae 1671, 4. CHRISTIANI CHEMNITII *collegium theologicum ſuper formulam concordiae*, Ienae 1661, 4. FRID. RAPPOLTI *ſynopſis controuerſiarum in epitome formulae concordiae*, Lipſiae 1673, 4. SEB. SCHMIDII *articulorum formulae concordiae repetitio, diſputationibus XVIII incluſa*, Argentorati 1696, 4. His denique addendus eſt IO. MVSAEVS noſter, cuius *praelectiones in epitomen formulae concordiae*, ſingulari iudicio concinnatae, poſt viri beati obitum ab heredibus eius luci publicae ſunt expoſitae, Ienae 1701, 4. Suntque inter alia & hoc nomine commendandae, quod ſingulis theſibus ex hiſtoria controuerſiarum ſaeculo decimo ſexto agitatarum, quae formulae concordiae occaſionem dederunt, lucem egregiam adſundant. Ceterum, cum antea dictum ſit, praeter reformatos etiam romanenſes, ſpeciatim ROB. BELLARMINVM cardinalem, *formulae concordiae* bellum indixiſſe, hiſce itidem obuiam iuerunt theologi Tubingenſes, in *ſolida & vera refutatione conuiciorum & calumniarum, quas Ieſuitae duobus libellis, latino & germanico 1586. Ingolſtadii editis, ſparſerunt contra librum formulae concordiae*, Tubingae 1586, 4. MATTHIAS HOE in *apologetico, contra Bellarmini ſtolidum iudicium, pro ſancto concordiae libro*, Francofurti 1605, 8. GERH. TITIVS, in *vindicatione Auguſtanae confeſſionis ab impactis ipſi a Roberto Bellarmino per ſummam iniuriam, libello, cui iudicii de formula concordiae titulum fecit, viginti & duobus mendaciis*, Helmſtadii 1658, 4. PHIL. LVD. HANNEKENIVS, in *diſcuſſione repetita iudicii famoſi, quo ſanctum concordiae librum infamare olim conabatur cardinalis Bellarminus*, Gieſſae 1686, 4. Libris ſymbolicis eccleſiae noſtrae *quatuor articulos viſitatorios* addi ſolere, ſupra obſeruauimus. Hoſce FRID. BALDVINVS *tredecim diſputationibus*, Wittebergae an. 1607 euulgatis, illuſtrauit, vindicauitque. Idem & FRID. RAPPOLTVS fecit, in *introductione ad articulos viſitatorios*, quae in *operibus* eius, iunctim editis, exſtat, *tom. I. p. 873. ſeqq.* cuius ſummam ſuccinctis theſibus complexus eſt, & *diſputationibus XXI* propoſuit IO. BENED. CARPZOVIVS, Lipſiae 1691, 4.

§. XII.

Digitized by Google

§. XII. Qui ſymbola, librosque ſymbolicos interpretantur, non vna eademque id faciunt ratione. Maximopere tamen illorum commendanda eſt induſtria, qui antiquitates, & hiſtoriam illius temporis, quo quodlibet ſymbolum concinnatum fuit, in ſubſidium vocant. Cum enim eiusmodi ſcripta aliorum ſententiis aut obtrectationibus praecipue oppoſita ſint; tum demum recte eadem intelligemus, cum, quaenam iſtae ſententiae, quas refellunt, & quaenam imputationes aut obtrectationes, quas eorum auctores a ſe amoliuntur, fuerint, cognitum nobis atque perſpectum fuerit. *

* Cum librorum ſymbolicorum non alia ſit ratio, quam reliquorum librorum; fieri nequit, quin aliquando circa verum ac genuinum illorum ſenſum dubium aliquod ſuboriatur. Idque & experientia docet, & exemplis infinitis, ſi opus eſſet, comprobari poſſet. Sic, cum in *articulo ſecundo ſymboli*, quod vocatur, *apoſtolici*, *deſcenſus Chriſti ad inferos* iniicitur mentio; mirum in modum viri docti inter ſe digladiantur, num generatim ſtatus animae poſt mortem, an mors ipſa, an dolores, quos ante mortem vel in morte vel poſt mortem ſeruator optimus ſenſit, an locus damnatorum, an aliud quid hacce loquutione indicetur? vti ex iis patet, quae hac de re dixi in *inſtitut. theolog. dogmat. lib. IV. c. II. ad* §. *XXV. p. 1082.* Eoque maioris momenti iſtae de ſenſu librorum ſymbolicorum ſunt diſceptationes, quo grauiora ſubinde, qui hic errant, aut errare creduntur, inde percipiunt incommoda. Verum itaque & genuinum vt adſequamur, vel, eum nos adſequutos, aliis demonſtrare queamus, ſenſum; de genuina illorum nos ſollicitos eſſe oportet interpretatione; regulasque adeo hermeneuticas in ſubſidium vocare & rite adplicare. Primum itaque, quo quisque liber, ſiue quodlibet ſymbolum, ab ipſo auctore conſcriptum ſit, idiomate, conſtare debet. Ex lingua enim originali, non ex verſionibus, de vera ac genuina cuiusque mente ſtatuendum eſſe, inter omnes conuenit, resque ipſa docet. Lucem hic dabunt, quae de lingua originali librorum noſtrae eccleſiae ſymbolicorum antea monuimus, vbi & CASP. LOESCHERI *diſputationem*, *tradentem hypomnemata ſymbolica*, hanc in rem laudauimus. Deinde vt in aliis ſcriptis, ita & in libris ſymbolicis diſpiciendum, an verba genuina ſint & integra, minime corrupta ac interpolata. Non vanum eſſe hocce monitum, vel ex diſcrimine *variatae* ac *inuariatae confeſſionis Auguſtanae*, maximisque, quae inde enatae ſunt, turbis, patet. Quae ſcitu hac de re digna ſunt, itidem in praecedentibus attigimus. Sed &, quantos motus vox *filioque*, ſymbolo Conſtantinopolitano in eccleſia occidentali addita, dederit, neminem fugit, & ex dictis quoque conſtat. De reliquis regulis hermeneuticis, vt aliquid adiiciamus, neceſſe non eſt; cum nemo dubitet, quin in libris quoque ſymbolicis interpretandis locum inueniant. Vtramque tamen paginam antiquitatis & hiſtoriarum hic facit notitia. Non alium enim fere ob cauſſam ſymbola condi, aut confeſſiones edi ſolent, quam vt aut aliorum errores reiiciamus, atque damnemus, aut noſtram ſententiam explicemus, calumniisque ita ac obtrectationibus aduerſariorum obuiam eamus, oſtendendo, nihil nos docere, quod non cum verbo diuino, ipſaque adeo veritate conſentiat. Prius ſi illis conſtitutum ſit, vti plerumque fieri ſolet; nemo ſymbolum aliquod recte intelliget, niſi veram ac genuinam illorum, qui damnantur aut refutantur, ex hiſtoriarum monumentis cognitam perſpectamque habuerit ſententiam. Fruſtra quis ſymbolum

bolum Nicaenum aut Conſtantinopolitanum explicare auſus fuerit, niſi exacte, quae Arius, quaeue Macedonius ſtatuerit, calluerit. Cumque hodie viri docti in eo fere conueniant, *ſymbolum*, quod *apoſtolicum* vocatur, ita enatum eſſe, vt formulae baptiſmali ſubinde aliquid contra erumpentes hinc inde haereſes adderetur; tum demum recte quis illud & intelliget, & interpretabitur, ſi adcurate inquiſiuerit, quibus ſpeciatim haereſibus ſingula eius verba ſint oppoſita. Quod in articulo ſecundo tam diligenter inculcatur, Chriſtum verum fuiſſe hominem, qui reuera pro nobis paſſus, cruci adfixus, mortuusque ſit, nemo ſatis adſequetur, qui ignorauerit, plurimos olim ex ſchola SIMONIS magi, MENANDRI, BASILIDIS, aliorumque peruerſae doctrinae magiſtrorum, prodiiſſe, qui, Chriſtum non reuera, ſed δοκήσει tantum hominem fuiſſe, adſererent, indeque *docetarum*, *phantaſiaſtarum*, *phantaſio-docetarum* nomine venirent. Cur in eodem articulo dicatur, Chriſtum natum ἐκ Μαρίας, *ex Maria virgine*, nemo perſpiciet, niſi cui notum fuerit, exſtitiſſe in veteri eccleſia haereticos, qui contenderent, Chriſtum corpus ſuum e caelo ſecum detuliſſe, & *per Mariam*, tamquam *per canalem*, tranſiiſſe. Hinc Bardeſaniſta, in *dialogo contra Marcionitas*, qui ORIGENI tribuitur, a IO. RVD. WETSTENIO edito, *ſect. IV. p. 121.* ita loquitur: καὶ ἡμεῖς ὁμολογοῦμεν, ὅτι διὰ Μαρίας, ἀλλ' οὐκ ἐκ Μαρίας. ὥσπερ γὰρ ὕδωρ διὰ σωλῆνος διέρχεται, μηδὲν προσλαμβάνων· οὕτω καὶ ὁ λόγος, διὰ Μαρίας, καὶ οὐκ ἐκ Μαρίας. *Equidem & nos confitemur, illum genitum per Mariam, ſed non ex Maria. Sicut enim aqua per canalem tranſit, ſed inde nihil adſumit; ita & ſermo ille, non ex Maria, ſed per Mariam natus eſt.* Quod ORIGENES, vel quisquis dialogi iſtius auctor eſt, deinde egregie refellit. Alia eiusdem generis larga manu ſuppeditabit auctor *hiſtoriae ſymboli apoſtolici, cum obſeruationibus eccleſiaſticis & criticis ad ſingulos articulos*, quem ad §. *praecedentem* iam laudauimus, quiue exemplum longe pulcherrimum nobis reliquit, quo pacto in ſymbolis, librisque ſymbolicis interpretandis verſari debeamus; quamquam iam quosdam, praeſertim ex veteribus, hac in re ſibi praeeuntes habuerit. Quod ſi ſymbolum aliquod, aut confesſio, eo comparata ſit, vt quis ſuam explicet ſententiam, calumniisque ac obtrectationibus aduerſariorum obuiam eat; calumniae iſtae ac obtrectationes, ſeu falſae imputationes, itidem ex hiſtoriarum monumentis nobis notae eſſe debent, vt de ſenſu ſymboli iſtius, ſeu confeſſionis, eo rectius ſtatuere queamus. Exemplum nobis praebet *Auguſtana confeſſio*, quippe in qua, qui eam edebant, id maxime ſpectabant, vt palam facerent, ſine cauſſa a romanenſibus ſe damnari, cum nihil docerent, quod verbo diuino non eſſet conueniens, vtque adeo calumnias, falſasque imputationes romanenſium repellerent. Has itaque cognitas perſpectasque habeat, neceſſe eſt, qui hancce confeſſionem recte interpretari cupit. Cum vero in ea & ad commenta ac ineptias ſcholaſticorum, & corruptelas eccleſiae romanae ſubinde reſpiciatur; nec haſce ignorare debet, qui ſuo hic rite fungi vult officio. Non omnes hoc obſeruant; cum plurimi, qui libros ſymbolicos explicandos, aut comentariis ſuis illuſtrandos, ſibi ſumſerunt, de vero ac genuino illorum ſenſu non adeo ſolliciti, dogmata ipſa pertractent, ea probent, & ab obiectionibus ſecus ſentientium vindicent, ſimulque ad locos communes, alibi quoque obuios, deſcendant. Patet quoque inde, quid de illorum cenſendum ſit inſtituto, qui ſymbola aut confeſſiones ad haereſes vel errores, ſaltem ex ſua opinione, dudum poſt ſymbola aut confeſſiones iſtas enatos, trahunt, & ad illos adplicant, non aliam

Digitized by Google

am haud raro ob cauſſam, quam vt iis, quos ſibi oppugnandos ſumſerunt, inuidiam creent, aut maxima concilient incommoda. Caute nimirum admodum ac circumſpecte hac in re incedendum eſſe, ratio ipſa docet; cum non ſemper cum haereticis, in ſymbolis damnatis, prorſus conſentiant, qui eadem docere videntur. Ne itaque a recto hic aberremus tramite, primum quidem de vero & genuino ſymboli aut confeſſionis ſenſu, itemque de ſcopo, quem conditores eius ſibi propoſitum habuerunt, adcurate nobis conſtare debet; tum vero, vt de vera ac genuina diſſentientium mente ſententiaque longe certiſſimi ſimus, neceſſe eſt; ne quid, quod numquam ſtatuerunt, illis tribuamus. Atque ita, ſi neceſſitas quaedam id exigat, adplicatio equidem inſtitui poteſt, modo non ex odio, aut alio quodam prauo animi hoc fiat adfectu. Quam grauiter ſaepe hac in re peccetur, cum experientia doceat, vt exemplis hoc comprobemus, neceſſe non eſt.

§. XIII. Ad auctoritatem librorum ſymbolicorum quod attinet, duo ſollicite euitanda ſunt extrema; quorum alterum illorum eſt, qui eos plane damnant, reiiciuntque, alterum illorum, qui plus, quam decet, illis tribuunt, & tantum non eodem, quo ſcripturam ſacram, loco habent. *

* Ad prius extremum, quod illorum eſt, qui libros ſymbolicos plane ferre nequeunt, procurrunt cum Socinianis, Arminiani, omneſque, qui religionum ἀδιαφορίαν amplectuntur atque defendunt. Et Socinianis quidem cur ſymbola vetera pariter ac recentiora tantopere diſpliceant, poſitum in aprico eſt. De Arminianis quoque nemo hoc mirabitur, qui ſecum cogitauerit, quod religionum diuerſarum tolerantiam eouſque extendant, vt ab indifferentiſmo prope abeſſe videantur. Hoc in iis iam notauit ABR. CALOVIVS, in *conſiderat. Arminianiſmi, p. 22. 30.* Confeſſiones equidem ac ſymbola, ceu teſtimonia fidei, admittunt; neutiquam autem vt regulas, quibus aliis, quid credere aut docere debeant, praeſcribi queat. Ita PHILIPPVS A LIMBORCH, *confeſſiones,* inquit, *tantum debent eſſe teſtimonia, & declarationes fidei illorum, qui eas edunt, non fidei regulae, quae omnibus praeſcribant, quid ſit credendum*; *doctr. chriſt. lib. I. c. II. §. XIII.* Idem paullo ante pronuntiauerat, *per condemnationes formulis ſuperſtructas, antiquum illud fermentum pontificium, ſubmittendum ſe eſſe iudicio eccleſiae, in eccleſias reformatas reductum eſſe &c.* Similia omnium *remonſtrantium* nomine proferuntur, in *apolog. exam. cenſ. p. 5.* Indifferentiſtarum autem, quos vocant, proprius atque praecipuus hicce character eſt, quod nullis ſymbolorum formulis adſtringi velint; quod ex inſtituto IO. FECHTIVS docet, in *hiſtoria & examine nouae theologiae indifferentiſticae, c. IV. §. X. XI. p. 53. ſeqq.* Longum eiuſmodi hominum agmen, ab ipſo Caino fratricida incipiendo, producit vir celeberrimus GOTTL. WERNSDORFIVS, in *breui & neruoſa de indifferentiſmo religionum commentatione, diſſert. I. §. XXXVI. ſeqq.* qui & ſpeciatim GOTTFR. ARNOLDVM non tantum inter indifferentiſtas praecipuos refert, *l. c. §. CI. p. 80.* ſed & hoc nomine, quod aperte ſymbola damnet, notat §. *CXVI. p. 94.* Idem & CHRISTIAN. THOMASIVM indifferentiſtis adnumerat, *§. CII. p. 81. ſeqq.* eiuſque obiectiones contra quoſdam libros ſymbolicos noſtrae eccleſiae diluit; in *diſſert. de auctoritate librorum ſymbolicorum, commentationi* huic ſubnexa, *§. XXVIII. ſeqq. p. 436. ſeqq.* IOAN. quoque FECHTIVS, dum de *reiectione formarum credendi* agit, ex inſtituto contra GOTTFR. ARNOLDVM diſputat, *in hiſtoria & examine*

nouae theologiae indifferentiſticae, *c. XII. p. 314. ſeqq.* quem etiam eamdem ob cauſſam, quod libros ſymbolicos reiecerit, reprehendit IO. CHRISTOPH. COLERVS, in *hiſtoria Gottfriedi Arnoldi*, *ſect. II.* §. *III. p. 46.* & §. *VIII. p. 56.* Praeter alios autem adhuc commemorandus eſt IO. LOCKIVS, philoſophus ille anglicanus notisſimus, qui in *epiſtolis de tolerantia* eousque progreſſus eſt, vt non tantum libros ſymbolicos reiecerit, ſed & per eosdem haereſes introduci, ſibi aliisque perſuaſum voluerit. Quam eius ſententiam IONAS CONR. SCHRAMMIVS, in *programmate de haereſi per libros ſymbolicos contra Lockii huiusque interpretis germani accuſationes iniquiſſimas*, ex inſtituto profligauit; quod Helmſtadii editum eſt an. 1712, 4. Nimirum cum per libros ſymbolicos orthodoxi ab haereticis ſeparentur, ſeiunganturue; inde, quod per eos haereſes introducantur, concludit; cum tamen haeretici, vel qui praua dogmata ſpargunt, primam huic ſeparationi occaſionem praebeant. Manifeſtantur ſane per libros ſymbolicos haereſes, & ſubinde, quod tales ſint, declarantur; inde tamen non conſequitur, vt per eos introducantur. Cum autem, qui libros ſymbolicos reiiciunt, varia obtendere ſoleant, quae tamen refellere huius loci non eſt, quod & a viris antea laudatis factum; tum illud quoque nonnulli vrgent, originem eorum a papatu deriuandam eſſe; qua in re, niſi de abuſu hoc intelligas, eos falli, certum eſt, quod ex inſtituto oſtendit IO. HERMANNVS AB ELSWICH, de *reliquiis papatus eccleſiae Lutheranae temere affictis*, *c. III.* §. *XII. p. 55.*

Quemadmodum autem haud raro, qui vnum extremum euitare volunt, ad alterum procurrunt; ita idem faciunt, qui libris ſymbolicis plus, quam decet, tribuunt. Enim vero, quae cum ſcripturae ſacrae doctrina conſentiunt, ſymbola, quod de iis, quae noſtra eccleſia amplectitur, firmiter credimus, eo merito apud nos loco ſunt, quo ipſa doctrina caeleſtis, maximamque venerationem promerentur; ipſi tamen ſcripturae ſacrae ea aequiparanda eſſe, nemo temere dixerit. Sunt ſane viri docti, ac praeſtantes, qui θεοπνευστίαν illis tribuere non dubitant. Ita SAM. SCHELGVIGIVS, in *ſynopſi controuerſiarum ſub ſpecie pietatis motarum*, *artic. V. quaeſt. IV. p. 60.* IO. GE. NEVMANNVS, in *theologia aphoriſtica*, *de praecognitis theologiae ſpecialibus*, *c. I. aphor. XXXVI. p. 105.* GOTTL. WERNSDORFIVS, in *diſſert. de auctoritate libror. ſymbolicor.* antea iam laudata, *aphor. III.* §. *III. ſeqq. p. 477. ſeqq.* aliique. Et SAMVEL quidem SCHELGVIGIVS, dum *l. c.* veteres quosdam eccleſiae noſtrae theologos libris ſymbolicis θεοπνευστίαν tribuiſſe, adſerit, iis etiam IO. BENED. CARPZOVIVM adnumerat, in *iſagoge in libros eccleſiarum Lutheranarum ſymbolicos*, *p. 3.* Verum CARPZOVIVS *l. c.* libros ſymbolicos θεοπνεύστους eſſe, diſerte negat. Verba eius haec ſunt: *vtut enim ſymbolici libri doctrinam caeleſtem in ſcripturis reuelatam contineant*, & *principalem cauſſam etiam cum ſcripturis ipſis habeant communem; tamen cauſſae miniſteriales non ex aequo ſeſe habent*, *quandoquidem libri ſymbolici ex illuminatione mediata*, & *non ex dictatura ſpiritus ſancti*, *fuerint conſcripti*, *ſicuti canonica ſcripturae ſacrae inſtrumenta. Vnde ſymbolica ſcripta primo non ſunt* θεόπνευστα, *ſed ſacra tantum*, & *ſecundo diuina quidem*, *ſed tantum ratione obiecti*, *quod diuinae reuelationis eſt*, *minime vero ratione modi communicandi*, *qui humanus eſt*, & *non niſi mediatae illuminationis priuilegium habet.* Quae vtique recte ſe habent, meritoque ſunt adprobanda. Neque tamen diſſimulandum, viros doctos, qui libris ſymbolicis θεοπνευστίαν tribuunt, hoc, ſi ipſam conſignationem ſpectes, de ea, quae *mediate* talis eſt, intelligere; quo ipſo, dum ipſimet

ſcriptu-

Digitized by Google

ſcripturae ſacrae magnam prae libris ſymbolicis ἐξοχὴν concedunt; tota tandem haecce controuerſia in quamdam de voce concertationem abire videtur. Interim cum voce θεοπνευστίας eiusmodi inſpiratio, quae immediate a Deo profecta eſt, ſecundum receptum loquendi morem, intelligatur; tutius, ni fallor, fuerit, eam ſoli ſcripturae ſacrae vindicare.

Rectiſſime itaque ſibi, & eccleſiae, conſulunt, qui, media via incedentes, nec plus nec minus, quam decet, libris ſymbolicis tribuunt. Retinendi omnino ſunt, non reiiciendi, aut eliminandi; &, licet non eo modo θεόπνευστοι ſint, quo ſcriptura ita dicitur, quoniam tamen cum ſcriptura ſacra conſentiunt, doctrinamque veram, ſacramque continent, & a viris etiam doctis & cordatis non ſine ſingulari Numinis directione ſunt conſcripti, publicaque auctoritate confirmati; ἐξοχὴν quamdam prae reliquis ſcriptis humanis, illis tribuendam, negari nequit. Et, mediam quoque hancce viam ſe tenere, profitetur beatus PHIL. IAC. SPENERVS, tum alibi, tum & in *reſponſis theologicis* germanicis, & quidem prioribus, *part. III. c. VI. artic. III ſect. XLIII. p. 972.* quamquam non deſint, qui eum minus, quam decebat, praeclare de libris ſymbolicis ſentire, iuſtaeque illorum aliquid detrahere auctoritati, exiſtiment; contra quos defenſionem eius in ſe ſuſcepit IOACH. LANGIVS, in *anti-barbaro, part. IV. ſect. I. p. 590. ſeqq.*

§. XIV. Tametſi eccleſiae noſtrae libri ſymbolici in rebus ſecundariis non omnis naeui ſint expertes; qua ipſa dogmata tamen cum ſcriptura ſacra tam adcurate conueniunt, vt nullius erroris argui queant. Vnde & nihil obſtat, quo minus pro norma quadam doctrinae habeantur, modo recte hoc intelligatur. *

* Qui auctoritatem librorum eccleſiae noſtrae ſymbolicorum aut impugnare, aut arctioribus circumſcribere limitibus, ſuarum duxerunt eſſe partium, varios in iis obſeruaſſe ſibi viſi ſunt errores; quamquam dogmaticos & capitales alii, alii leuiores quosdam & ad ipſam doctrinam non ſpectantes. Legenda, quae de vtrisque obſeruat GOTTL. WERNSDORFIVS, de *auctoritate libror. ſymbolic. aphor. I. §. X. ſeqq. p. 425. ſeqq.* Hiſce autem rurſus ſe oppoſuerunt alii, errorumque, certe dogmaticorum, immunes eſſe libros hoſce ſymbolicos, immo & reliquorum, vt praeter alios WERNSDORFIVS *l. c.* facit, contenderunt. Idem ſubinde ſibi datum credunt, qui libros noſtros ſymbolicos explicant, aut commentariis illuſtrant, quos antea recenſuimus; quibus adhuc addendus, qui hoc ex inſtituto agit IO. FRID. WALLISERVS, in *vindiciis librorum eccleſiae Lutheranae ſymbolicorum, vbi, quid ſenſu orthodoxo ſint, & valeant, indicato, cenſurisque quibus vellicati primitus, diſſipatis, potiſſimum nodi a quibusdam etiam noſtratium oppoſiti, ſcrupulique alias varie collecti, expenduntur*; Vlmae 1710, 8. itemque CHRISTOPH. SONNTAGIVS, in *diſſertat.* inſcripta: *depulſio ſex paroramatum, Auguſtanae confeſſioni, eiusdemque apologiae, & articulis Smalcaldicis, vulgo imputatorum*, Altdorffi an. 1699, 4. itemque in alia, inſcripta: *ilex anti-ſymbolicus & obex orthodoxus, h. e. depulſio errorum duodecim, Auguſtanae confeſſioni, ceterisque libris ſymbolicis falſo imputatorum*, Aldorffi 1703, 4. Mitto reliquos, qui eiusdem argumenti diſſertationes ediderunt. Atque id quidem demonſtrari firmiter euidentiſſimeque poteſt, in dogmaticis nihil omnino, quod non pleniſſime adcuratiſſimeque cum ſcriptura ſacra conſentiat, in libris noſtris ſymbolicis occurrere. Ad leuioris momenti errores quod attinet, circa patrum,

Digitized by Google

aut ſcripturae dictorum, adlegationem, ſimiliaque admiſſos; laudandi equidem ſunt, qui, & horum libros noſtros ſymbolicos immunes eſſe, probare ſatagunt; nec tamen quidquam eorum derogabitur auctoritati, ſi vel maxime concedatur, eiusmodi in iis παροράματα inueniri. Vnde & hoc non obſtabit, quo minus pro norma quadam ac regula fidei, ſed ſecundaria habeantur, quae vim omnem atque auctoritatem a conuenientia cum ſcriptura ſacra accipiat. Proprie enim dictam praecipuamque fidei ac vitae normam tantum ſcripturam ſacram eſſe, conuenit inter omnes. Atque ita quoque accipiendum, quando libri ſymbolici in quibusdam locis *normales* adpellitantur.

§. XV. Vſus librorum ſymbolicorum hic eſt, vt de doctrina publica eccleſiae omnibus conſtet, itemque, vt vnitas & conſenſus in doctrina, modoque, dogmata ſacra proponendi, conſeruetur, omnisque euitetur confuſio. Qui autem eos in inſtrumentum alios opprimendi conuertunt, & in rebus ſecundariis conſenſum cum illis nimis rigide vrgent, nulla illorum, qui ex imbecillitate errant, habita ratione; illis abuti cenſendi ſunt. *

* Duplicem praecipue ſymbolorum ac confeſſionum finem eſſe, alterum, vt noſtram de variis doctrinae ſacrae capitibus mentem aperiamus, ſimulque obtrectationibus & calumniis aduerſariorum obuiam eamus, alterum, vt aliorum proſcribamus errores, &, ab iis nos alienos eſſe, teſtemur, ſupra iam obſeruauimus. Prior finis partim *didacticus*, partim *apologeticus* eſt, poſterior *elenchticus*. Confirmat hoc BALTH. BEBELIVS, in *antiquitat. eccleſiae euang. ſaec. IV. artic. IV. §. XXXIII. p. 869.* vbi & generatim de ſymbolis diſputat. Atque vterque hicce finis tum in ſingulorum hominum, tum integrarum eccleſiarum ſymbolis ac confeſſionibus, locum inuenit. In harum autem ſymbolis alius adhuc finis accedere poteſt, vt non tantum de doctrina publica conſtet, ſed vnitas etiam & conſenſus in doctrina, modoque, ſacra dogmata proponendi, conſeruetur. Qui quidem ſi obtineatur finis, vſus librorum ſymbolicorum, de quo hic loquimur, in eo ſeſe maxime exſeret; immo illorum neceſſitas inde adparet. Si enim in eccleſia quisque pro lubitu dicere ac docere queat, quidquid in mentem venerit; ſumma rerum omnium non poteſt non inde oriri confuſio, commixtioque. Neque etiam dubium, quin quaelibet eccleſia eiusmodi ſymbola condere, & ab omnibus, qui eius membra eſſe cupiunt, vt ſuum cum iis conſenſum profiteantur, exigere queat. Ecquis namque poteſtatem, ea conſtituendi, quae ad ſuam conſeruationem, doctrinaeque, quam pro vera agnoſcit, propagationem faciunt, ei denegaret? Natura indolesque, tum ſocietatis generatim ſpectatae, tum ipſius eccleſiae, vt haec ei poteſtas concedatur, poſtulat? Vnde & viciſſim ſequitur, neminem, qui eccleſiae iſtius membrum eſſe cupit, ſe ſubſcriptioni eorum, ſi ab illo exigatur, ſubducere poſſe, quamdiu non demonſtrauerit, in ſymbolo iſto aliquid contineri, quod ſcripturae ſacrae aduerſetur. Diſceptatum fuit, num ſufficiat cum iſta reſtrictione, *quatenus* cum ſcriptura ſacra conſentiunt, ſubſcribere, an vero ἁπλῶς *quia* conſentiunt, ſubſcribendum ſit? Sed cum prior modus fallaciis, illuſionibusque infinitis obnoxius ſit, nec tam pernicioſus temere liber inueniatur, in quo non aliquid veri ſit, cui ne non hac ratione aliquis ſubſcribere queat; eum neutiquam ſufficere, quilibet facile perſpicit. Ipſeque eumdem improbat beatus PHIL. IAC. SPENERVS, in *reſponſis theologicis* germa-

germanicis prioribus, *part. I. c. II. artic. III. ſect. II. p. 596.* additis tamen cautionibus quibuſdam, quae, ſi recte accipiantur, minime contemnendae. Qui itaque ſincere ſubſcribit, quia certus eſt, nihil in ſymbolicis libris contineri, quod non cum ſcriptura ſacra conueniat; is quoque recte hoc iure iurando, ſi ab illo poſtuletur, confirmabit; quamquam non neſciam, quibusdam hoc diſplicere. Sed, non video, quid obſtet, iureiurando confirmare, hanc mentem noſtram eſſe, quam profitemur; ſemperque per Dei gratiam fore, (cum veritatem ſemper retinere noſtri ſit officii) modo reuera ſit. Quod ſi dubitemus ac haeſitemus, num veritati conſentanea ſint, quae in ſymbolis docentur, aut omnino falſa ea eſſe, credamus; tum quidem recte a iureiurando nos abſtinemus, ſed tum quoque iis nec ſubſcribere licet. Legenda, quae de officio ſubſcribentium monet IO. BENED. CARPZOVIVS, *iſag. ad libr. ſymbol. prooem. p. 6.* Atque haec, ſi rite adminiſtrentur, recte ſe habent. Ad omnem vero, qui facile accedere poteſt, abuſum euitandum, cauendum ſedulo, ne ſine ſumma neceſſitate nouae fidei formulae introducantur, neue ſine praegnanti ratione multiplicentur. Varia enim ita incommoda, certamina, & diſſenſiones, euitari poſſunt, quibus ſubinde formulae eiusmodi, ſine neceſſitate introductae, occaſionem praebent. De nimia confeſſionum ac formularum, quae ipſius tempore fuerit, multitudine grauiter conqueritur HILARIVS, Pictauienſis epiſcopus. *Periculoſum*, inquit, *nobis admodum, atque etiam miſerabile eſt, tot nunc fides exſiſtere, quot voluntates, & tot nobis doctrinas eſſe, quot mores; & tot cauſſas blaſphemiarum pullulare, quot vitia ſunt; dum aut ita fides ſcribuntur, vt volumus, aut ita vt nolumus, intelliguntur. Et cum, ſecundum vnum Deum & vnum dominum, & vnum baptiſma, etiam fides vna ſit, excedimus ab ea fide, quae ſola eſt; & dum plures ſunt, ad id coeperunt eſſe, ne vlla ſit; lib. II. ad Conſtantium, p. 1227.* Conferenda &, quae vir clariſſimus IAC. LENFANT monet in *conſideratione formularum fidei*, quae addita eſt eiusdem *innocentiae catechiſmi Heidelbergenſis demonſtratae, p. 112. ſeqq.* Neque tantum ſine ſumma neceſſitate eiusmodi formulae non ſunt concinnandae, ſed &, ſi concinnandae ſint, ſumma, quantum fieri poteſt, id faciendum eſt perſpicuitate, ſummaque diligentia; ne obſcuris ambiguisque vocibus, loquendique modis, nouis litibus & contentionibus anſa praebeatur. Cumprimis etiam cauendum, ne in ſententiis aliorum ad haſce formulas exigendis, nimio peccemus rigore, praeſertim ſi de quaeſtionibus, ad fundamentum fidei non ſpectantibus, agatur, ſique ex imbecillitate quadam, non autem pertinacia, aut ſtudio, veritatem corrumpendi, error proueniat. Tum enim tolerantia quadam opus eſſe, & res ipſa docet, & charitas ſuadet. Quam qui hic in minimis ponunt, nihil aliud agunt, quam vt ſymbola formulasque confeſſionum in inſtrumenta dominandi opprimendique alios conuertant, prauosque ita animi ſui adfectus prodant. Si qui autem praefracte & pertinaciter ſymbolis ſe opponunt, ſineque cauſſa iuſta & praegnanti illis ſubſcribere nolunt; illis nulla fiet iniuria, ſi non amplius pro eccleſiae noſtrae membris habeantur. Atque haec ſi probe obſeruemus, haud difficulter illorum, qui ſymbola quaeuis reiiciunt, diluemus obiectiones; cuiusmodi eſt, per ſymbola vim inferri animis hominum, cogique eos ad aliquid contra ſententiam ſuam profitendum, itemque violentum eſſe, iis, qui ſubſcribere nolunt, ſpem omnem, publicum aliquod munus in eccleſia obtinendi, adimi; pugnare ſymbola cum charitate, & quae hinc fluat, diſſentientium tolerantia, cumprimis autem cum libertate chriſtiana, ſiquidem per ea quibusdam iugum imponatur, quod ferre nequeant, & quae alia ſunt eiusdem generis.

LIBRI POSTERIORIS
CAPVT TERTIVM
DE
THEOLOGIA PATRISTICA.

Σύνοψις.

Quid per theologiam patriſticam intelligamus? §. I.
Patrum nomine quinam veniant? §. II.
Eruditio patrum; §. III.
Ebraeae graecaeque linguae quousque inſtructi fuerint peritia; criticae artis laborarunt ignorantia; eloquentia qualis? §. IV.
Philoſophia patrum; eclectici potius fuerunt, quam Platonici; §. V.
Logica eorumdem; in reliquis philoſophiae partibus quid ab illis exſpectandum? §. VI.
Quid generatim de theologia patriſtica obſeruandum? §. VII.
Origo & fata eius vsque ad eccleſiae emendationem; §. VIII.
Poſt eam; §. IX.
Scripta patrum genuina a ſpuriis, integra a corruptis ſedulo ſunt diſcernenda; editiones eorum; §. X.
Sine linguae graecae & latinae, itemque artis criticae peritia, nemo in lectione ac interpretatione patrum recte verſabitur; §. XI.
De ſelectu & ordine in legendis patrum ſcriptis quid obſeruandum? §. XII.
Auctoritas patrum quanta? §. XIII.
Abuſus theologiae patriſticae, itemque vſus legitimus, in quo conſiſtat; §. XIV.

§. I.

PEr *theologiam patriſticam* intelligimus complexum dogmatum ſacrorum ex mente ſententiaque patrum, inde vt cognoſcatur, quo pacto veritas religionis chriſtianae conſeruata ſemper ſit in eccleſia, ac propagata. *

* Cum patrum lectio multiplicem vſum habeat, vt deinceps oſtendemus; hic tamen is ſolum in cenſum venit, quem in dogmatibus fidei praebet. In eo itaque eum theologia dogmatica pariter ac ſymbolica, patriſtica conuenit, quod *complexus* ſit *ſacrorum dogmatum.* Differt autem ab vtraque, quod in ea non ſecundum ſcripturae ſacrae ductum, nec ex ſymbolis, aut confeſſionibus receptis, ſed *ex mente ſententiaque patrum* recenſeantur; ita quidem, vt ceu vera accipiantur, quae cum ſcriptura ſacra conueniunt; quae non conueniunt, ceu falſa ac erronea reiiciantur. Finis ſeu ſcopus eſt, inde vt intelligatur, quo pacto chriſtianae euangelicaeque religionis veritas ſemper in eccleſia propagata ſit, ac conſeruata. Quod vt ad veritatis confirmationem, ſubinde & illuſtrationem, plurimum facit, vtileque pariter ac iucundum eſt; ita & neceſſarium, vt romanenſibus eo rectius obuiam ire queamus. Hi enim cum nihil fere aliud, quam patres ac traditionem crepent, tum ſaltem, quando patres a ſuis ſtare partibus putant; redigi non facilius ad ſilentium poſſunt, quam ſi κατ' ἄνθρωπον cum illis agentes, pro nobis potius patres doctrinamque ſemper in eccleſia receptam, militare, oſtendamus. Non ergo con-

contemnimus patres, aut eorum ſuffragia in minimis ponimus; licet ſolam ſcripturam ſacram pro fidei & vitae regula habeamus. Quam nos *patriſticam* dicimus, alii *theologiam hiſtoricam* vocant; haud dubie vt innuant, vſum huius theologiae praecipuum eſſe hiſtoricum. Sic ex reformatae eccleſiae theologis HENR. ALTINGIVS *theologiam hiſtoricam*, ſiue *ſyſtematis hiſtorici loca quatuor* ſcripſit, Amſtelodami 1564, 4. Ex noſtratibus autem beatus IO. GVIL. BAIERVS *compendium theologiae hiſtoricae* reliquit, Vinariae 1699, 8. Romanenſes, dum diſcrimen faciunt inter theologiam *poſitiuam* & *ſcholaſticam*, per *poſitiuam* eam fere deſignant, quam nos *patriſticam* vocamus. Dictum aliquid iam hac de re ſupra eſt, & in ſequentibus iterum aliquid monendi recurret locus.

§. II. *Patrum* nomine licet nonnullis omnes ſcriptores eccleſiaſtici veniant, qui ab initio eccleſiae, vsque ad eius emendationem ſeu reformationem vixerunt; nobis tamen illi tantum eodem digni videntur, qui ſex primis a Chriſto nato ſaeculis floruerunt, doctrinaque ſua ac ſcriptis eccleſiae commoda promouerunt. *

* Qui de *patribus* loquuntur, non vna ratione vocem hanc accipiunt. Nonnulli ſignificationem eius eousque extendunt, vt omnes ſcriptores eccleſiaſticos, qui vsque ad eccleſiae emendationem vixerunt, eadem complectantur; cuiusmodi in *bibliotheca maxima patrum* exſtant. Alii contra hocce nomen ad ſolos apoſtolos, praeeunte AVGVSTINO in *pſalm. XLV.* reſtringunt, quippe qui ſoli digni ſint, qui *patres* adpellitentur; ſatisque eſſe, ſi reliqui epiſcopi *filii* illorum vocentur. Apoſtolos vtique praecipue ſecundum Deum in eccleſia *patres* dici debere, ANDR. RIVETVS cenſet, *vt qui ex Dei certa reuelatione, primi fuerint eccleſiarum architecti, & doctrinae propagatores, vt merito prophetae & apoſtoli aliorum quorumuis reſpectu, patres patrum ſoli audire debeant*; in *tract. de auctoritate patrum*, eiusdem *critico ſacro* praemiſſo, *c. I. §. II.* Vſu tamen inualuit, vt reliqui etiam, qui per multa ſaecula apoſtolis ſucceſſerunt, eccleſiae doctores *patres* adpellitentur; quo nomine nonnullis iterum omnes illi veniunt, qui vsque ad ſaeculum duodecimum floruerunt, quo theologia ſcholaſtica exorta eſt; aliis autem iſti tantum, qui in ſex prioribus ſaeculis vixerunt, cum ſaeculo ſeptimo iam eccleſiae corruptio aperte ſe exſerere inceperit. ANDR. RIVETVS eos, qui ſaeculo ſeptimo & ſequentibus ſeu poſt annum 640 vixerunt, inter *patres minorum gentium* refert, *l. c. cap. I. p. 5.* Placet cumprimis ἀκρίβεια beati IO. GERHARDI noſtri, in *methodo ſtudii theologici, part. III. ſect. V. c. III. p. 278. ſeqq.* Cum enim monuiſſet, nonnullos exiſtimare, patrum aetatem cum temporibus AVGVSTINI deſiiſſe, eo quod traditiones plurimae eccleſiam tunc inundare coeperint, de quibus ipſe *epiſt. CXIX.* conqueratur; quosdam vero ad annum vsque ſexcenteſimum, ſeu ad GREGORII magni tempora eam producere, quibus romanorum praeſulum dominatus a Phoca imperatore confirmatus maxime eruperit; alios rurſus eam vsque ad annum milleſimum, ſeu theologiae ſcholaſticae ortum protendere; cumque porro addidiſſet, a ſcholaſticis doctoribus omnino diſcernendos reliquos doctores eccleſiaſticos, qui *patres* vocari poſſint; horum tres ordines conſtituit; primum eorum, qui a temporibus apoſtolorum ad Nicaenum vsque concilium floruerunt, ſeu ad annum Chriſti 325; ſecundum eorum, qui a tempore

re concilii huius, vsque ad Conſtantinopolitanum ſecundum, ſeu ad annum 681 claruerunt; tertium denique eorum, qui a temporibus concilii Conſtantinopolitani ſecundi, vsque ad originem theologiae ſcholaſticae, ſeu annum 1172, quo PET. LOMBARDVS vixit, nomine quamdam celebritatem conſequuti ſunt. Idem etiam GERHARDVS obſeruat, ſi ab omnimoda doctrinae ſinceritate patrum aetas definienda eſſet; non diu poſt apoſtolorum tempora eam finiendam eſſe. Comprobat hoc etiam teſtimonio HEGESIPPI qui apud EVSEBIVM, *lib. III. hiſtor. eccleſ. c. XXXII.* ita loquitur: *Eccleſia ad Traiani vsque tempora circa annum 110 virgo pura & incorrupta manſit, iis, qui ſanum ſalutaris praedicationis canonem corrumpere conati ſunt, ſi tum aliqui fuerunt, in obſcura quadam caligine ad id vsque temporis, deliteſcentibus. Poſtquam autem ſacer apoſtolorum chorus, differentem ſortitus eſt finem, & generatio illa praeteriit, quae diuinam ſapientiam ipſis auribus audire meruerat; tunc impii erroris conſpiratio per ſeductionem eorum, qui alienam doctrinam tradebant, initium cepit &c.* Solent ceteroquin patres varie diſpeſci. Alii enim ſunt *apoſtolici*, ſeu, qui cum ipſis apoſtolis verſati ſunt, ſuaque ab iis acceperunt, quorum adcuratam notitiam ſuppeditat THOM. ITTIGIVS, in *diſſertat. de patribus apoſtolicis, bibliothecae* eius *patrum apoſtolicorum* praemiſſa; alii *non apoſtolici*, quo nomine reliqui omnes, qui illos exceperunt, veniunt. Alii rurſus ſunt *graeci*, alii *latini*, quos inter, qui in africana eccleſia vixerunt, haud vltimum locum tenent; quod locorum quidem ac linguae diſcrimen ad dogmata quoque interdum extenditur. Qui enim cauſſae Pelagianae fauent, ad graecos lubentius, quam ad latinos patres prouocant; eo quod illi paullo liberius ſubinde de viribus liberi arbitrii loquuntur, quam hi, ſiquidem apud illos certamina Pelagiana tantos motus, quam apud hos non dederunt. Sed hac de re alibi plura.

Cum autem in hocce ſtudiorum genus ſe daturo id praecipue agendum ſit, vt patrum, ſcriptorumque ab iis confectorum, adcuratam ſibi comparet notitiam; noſtrarum partium eſſe intelligimus, eos, qui hanc ſuppeditant, in ipſo ſtatim limine huius tractationis indicare. Primum principemque, ſi veteres ſpectes, inter eos locum tenet HIERONYMVS, cuius *catalogus ſcriptorum eccleſiaſticorum, ſiue de viris illuſtribus liber*, omnibus ſatis notus eſt: de quo, quae maxime obſeruatu digna ſunt, in compendio exhibet IO. ANDR. BOSIVS noſter, in *introd. in notitiam ſcriptor. eccleſiaſt. c. III. §. II. p. m. 57. ſeqq.* Prodiit tum alias, tum & cum notis ERASMI Roterodami, MARIANI VICTORII, HENR. GRAVII, AVB. MIRAEI & IO. ALB. FABRICII, cura ſtudioque ERN. SALOM. CYPRIANI, qui & *adnotationibus* ſuis eum illuſtrauit, & de ipſo hocce HIERONYMI catalogo eruditam diſſertationem praemiſit, Francofurti & Lipſiae, aut potius Helmſtadii 1700, 4. Sequitur GENNADIVS Maſſilienſis, cuius *de ſcriptoribus eccleſiaſticis librum* cum notis AVB. MIRAEI idem vir doctiſſimus ERN. SALOM. CYPRIANVS edidit, *adnotationibusque* illuſtrauit, adiecta WILH. ERN. TENZELII *florum ſparſione ad Hieronymi librum de ſcriptoribus eccleſiaſticis*, nec non *variantibus* quibusdam *lectionibus*; Ienae 1703, 4. Hunc ordine excipiunt ISIDORVS Hiſpalenſis, ILDEFONSVS Toletanus, HONORIVS Auguſtodunenſis, SIGEBERTVS Gemblacenſis, & HENRICVS Gandauenſis, quos vna cum HIERONYMO & GENNADIO iunctim in *bibliotheca* ſua *eccleſiaſtica*, Antwerpiae an. 1639. AVB. MIRAEVS publicae luci expoſuit. Hancce MIRAEI *bibliothecam* dum recudi

di curauit vir ſummus IO. ALB. FABRICIVS, non tantum ſcriptores hoſce, praeſertim HIERONYMVM & GENNADIVM, adcuratius emendatiusue, & notis, tum ſuis, tum aliorum, illuſtratos, edidit; ſed & *anonymum Mellicenſem*, a BERNARDO PEZ, monacho Benedictino, viroque doctiſſimo primum in lucem protractum, & *bibliothecae* eius *Benedictino-Maurianae* ſubiunctum, PETRVM Caſinenſem, *de viris illuſtribus monaſterii Caſinenſis*, cum ſupplemento PLACIDI Romani, & IO. BAPT. MARI *adnotationibus*, IOANNEM porro TRITHEMIVM, *de ſcriptoribus eccleſiaſticis*, & AVBERTI denique MIRAEI librum poſthumum, *de ſcriptoribus ſaeculi decimi ſexti & decimi ſeptimi* addidit; Hamburgi 1718, fol. Atque hi veluti fontes ſunt, ex quibus ſcriptorum eccleſiaſticorum notitia hauriri poteſt. Exſtiterunt deinceps & alii, qui de patribus ſcriptoribusque eccleſiaſticis ſuas commentationes in lucem proferrent. Haud poſtremus inter eos eſt ROB. BELLARMINVS, cardinalis, cuius *de ſcriptoribus eccleſiaſticis liber* nemini temere ignotus eſt. Saepe eſt editus, & quidem tum alias, tum & Coloniae 1684, 4. cum *continuatione ab anno 1500 vsque ad annum 1600* auctore ANDREA DV SAVSSAY, epiſcopo & comite Tullenſi, quae tamen & iam antea lucem adſpexerat. Ceteroquin optima editio creditur, quae Pariſiis an. 1616 cura IAC. SIRMONDI prodiit. IO. ANDR. BOSIVS noſter, cum elogia, quibus PHIL. LABBEVS, & GE. CALIXTVS, huncce librum ornarunt, recitaſſet, addit: *& ſane fatendum eſt, eum multa eruditione refertum eſſe. Sed & ſaepius candide profitetur, ſpuria eſſe, quae non modo pontificiorum alii pro genuinis laudant, ſed etiam ad quae ipſemet in controuerſiis prouocauerat.* Nec diſſimulat idem BOSIVS, quae in hocce BELLARMINI opere iure meritoque reprehenduntur; cuiusmodi eſt, quod multa ad chronologiam, hiſtoriam, criticamque, facientia, fatente ipſomet PHIL. LABBEO, praetermiſerit; quod, vt in aliis ſcriptis ſuis, ita in hocce quoque, graecae linguae ignorantiam prodiderit; quod veram & adcuratam chronologiam non ſit ſequutus; quod denique in gratiam romanae eccleſiae ſubinde ſcripta dubia & ſuppoſititia pro genuinis venditauerit; *introd. in notitiam ſcriptor. eccleſiaſt. c. II. §. III. ſeqq.* Iungenda, quae in editione IO. GE. WALCHII ad huncce BOSII *locum* adnotantur. Cum autem PHIL. LABBEVS animaduerteret, non omnia exhauſiſſe BELLARMINVM, ipſemet edidit *diſſertationem philologicam & hiſtoricam, de ſcriptoribus eccleſiaſticis, quos attigit Bellarminus, in qua cum plurima ad hiſtoriam, chronologiam, criticamque eccleſiaſticam ſpectantia, explicantur, tum aliorum, praeſertim Riueti, Coci, Perkinſi, Toſſani, Gerhardi, Auberti-ni, Hottingeri, Mareſii, errata caſtigantur*, Pariſiis 1660 duobus tomis in 8. Non ſine ratione GVIL. CAVEVS LABBEVM vocat *virum quidem infinitae lectionis, & diligentiae, in re litteraria promouenda, indefeſſae, ſed ingenio in Lutheranos & reformatos duro nimis & acerbo; prolegom. hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſtic. ſect. VI.* Ita quoque IAC. THOMASIVS, *de plagio litterar. p. 212.* aliique, de eo ſentiunt, quorum iudicia exhibentur ad IO. ANDR. BOSII *introd. in notit. ſcriptor. eccleſiaſt.* & quidem *c. II. §. XII. p. 38. ſeqq.* editionis Walchianae. Varii in LABBEO errores notantur in *obſeruationibus* ad THO. ITTIGII *ſchediaſma, de auctoribus, qui de ſcriptoribus eccleſiaſticis egerunt, p. 17.* Conſtitutum quoque LABBEO fuit, *diſſertationem de ſcriptoribus eccleſiaſticis, a Bellarmino omiſſis*, edere; quod cum non praeſtitiſſet, CASIM. OVDINVS hoc ſibi datum credidit, *ſupplementumque* adeo euulgauit *de ſcriptoribus vel ſcriptis eccleſiaſticis*

cis a Bellarmino & aliis omiſſis, ad annum 1460 vel ad artem typographicam inuentam, Pariſiis an. 1686, 8. Maiori hoc ampliorique operi, ſeu *commentario de ſcriptoribus eccleſiae antiquis*, occaſionem dedit; de quo deinceps ex inſtituto dicemus. Poſt BELLARMINVM inter romanenſes nobis commemorandus eſt LVD. ELLIES DV PIN, qui *bibliothecam ſcriptorum eccleſiaſticorum* lingua gallicana condidit, omnesque ſcriptores eccleſiaſticos, a primo eccleſiae chriſtianae initio ad ſua vsque tempora XIX tomis complexus eſt; ſiquidem de ſcriptoribus eccleſiaſticis ſui temporis (eccleſiae ſcilicet romanae addictis) tomo decimo nono agit. Quando, & vbi, quisque tomus, excepto vltimo, lucem adſpexerit, indicatur a CHRIST. LVDOVICI, in *adnotationibus* ad THO. ITTIGII *ſchediaſma de auctoribus, qui de ſcriptoribus eccleſiaſticis egerunt*, ad §. *IX. p. 25*. Tres priores tomi in linguam latinam conuerſi an. 1692 & 93 prodierunt; referuntque nonnulli, eum in animo habuiſſe, totam iſtam bibliothecam, & quidem auctiorem, lingua latina dare, quod tamen, morte praeuentus, efficere haud potuerit. Legendus hac de re CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *introduct. in hiſtor. theolog. litterar. lib. IV. §. VII. p. 316*. Tametſi autem multorum adprobatione opus hocce exciperetur; non tamen etiam defuerunt, qui naeuos multos ac errores in eo ſibi inueniſſe viderentur, illudque graui cenſura notarent. Haud vltimus inter illos fuit RICH. SIMON, cui in more poſitum erat, vt ex aliorum impugnatione laudem quaereret. Cum enim vidiſſet, in *diſſertatione bibliothecae du-Pinianae praeliminari* ſyſtema ſuum de inſpiratione ſacrae ſcripturae, & de ſcribis, quos finxit, in gente ebraea publicis, impugnari; acerba mox cenſura & librum, & auctorem, perſtrinxit, in tractatu, quem de *inſpiratione* edidit, itemque ſub IO. REVCHLINI nomine latitans, in *diſſertat. critica ſuper nouam bibliothecam ſcriptorum eccleſiaſticorum*; tum rurſus, poſtquam DV PINIVS in *prolegomenis biblicis* cauſſam ſuam egiſſet, in *epiſtolis criticis* eumdem, ceu graecae ac ebraeae linguae ignarum, & criticae ſacrae plane imparem, traduxit. Alter, quem opus hocce DV PINII expertus eſt, aduerſarius, quiue tomum primum, deinde & ſecundum cenſuram ſubire iuſſit, & MATTH. PETITDIDIER, cui diſplicuit, quod candide falſus eſſet, libros apocryphos veteris teſtamenti, vt *Iudith, ſapientiae &c.* a patribus trium primorum ſaeculorum, quorum ſcripta ſuperſunt, quiue ex inſtituto de canone agunt, pro canonicis non fuiſſe habitos; de purgatorio apud eosdem nihil inueniri; vti nec de peccato originis, eiusque culpa, quae traditioni diſtinctae ſufficiant; & quae alia ſunt eiusdem generis. Hinc *obſeruationes (remarques) ſuper bibliothecam ſcriptorum eccleſiaſticorum* ei oppoſuit, Pariſiis 1691, 8. ad quas dum DV PINIVS *tomo VI bibliothecae* ſuae quaedam regeſſiſſet, PETITDIDIERIVS an. 1692 alteram *obſeruationum* ſuarum partem edidit. Hisce mox tertius, reliquisque vt potentior, ita magis formidandus aduerſarius IAC. BENIGNVS BOSSVETVS acceſſit, quem offendiſſe DV PINIVS creditur, emiſſo in vulgus latino ſermone *libro pſalterii cum verſione noua*, ad latus vulgatae, ſcholiisque breuibus, cum eodem tempore 1691 BOSSVETVS *librum pſalterii* cum notis ſuis luci publicae expoſuiſſet. Auditae tum ſunt querelae grauiſſimae de hacce *bibliotheca*, eiusque auctore, quod plurima e proteſtantium ſcriptis hauſiſſet, fidei catholicae noxia, quod Neſtorianam haereſin excuſaſſet, de imaginum cultu frigide nimis ſcripſiſſet, & quae alia erant eiusdem generis. Tandem eo res peruenit, vt DV PINIVS *declarationem* ſeu *retractationem* edere cogeretur,

geretur, qua plurima *bibliothecae* ſuae loca aut reuocat, aut, obtorto licet collo, ad placita cenſorum ſuorum explicat. Publicata etiam eſt archiepiſcopi Pariſienſis cenſura, in qua *bibliotheca* haecce vt periculis, offendiculis, falſitatibus, pleniſſima notatur, ac proſcribitur. Copioſius fuſiusque haec ediſſeruntur in BASNAGII *hiſtoire des ouvrages des ſçauans*, an. 1692 & 93, & in *praefatione*, quam vir doctiſſimus IO. FRICKIVS verſioni latinae DV PINII *methodi ſtudii theologici* praemiſit. Ipſum vero archiepiſcopi Pariſienſis decretum *(ordonnance)* vt & *retractationis*, a DV PINIO factae, formulam, exhibet CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *introduct. ad hiſtoriam theolog. litterar. lib. IV. §. VII. p. 275. ſeqq.* Hiſce fatis deterritus DV PINIVS, per triennium operis huius continuationem intermiſit, ad quam tandem poſt BOSSVETVM vtcumque placitum, an. 1694 rediit, vt in ſequentibus tomis cum forma methodoque operis in editione Pariſienſi inſcriptionem mutaret, *hiſtoriam controuerſiarum rerumque eccleſiaſticarum* ſe ſcribere profeſſus; vti praeter alios THO. ITTIGIVS obſeruat, in *praefatione, ſelectis capitibus hiſtoriae eccleſiaſticae ſaeculi primi* praemiſſo *§. LXV. p. 73.* Non obſtantibus autem tot hoſtium inſultibus, multis hocce opus mirifice placuit; cum non tantum ſcriptorum eccleſiaſticorum omnium, vix vllo praetermiſſo, vitam, res geſtas, & ſcripta diligenter enarrauerit, ſed excerpta quoque ex libris illorum dederit, & ita nucleum velut tot ſcriptorum exhibuerit. Et licet hocce opus naeuis ſuis non deſtituatur; in eo tamen omnes conueniunt, ſummum viri huius candorem maximopere laudandum eſſe. Quae, aliaque, cum IO. FRICKIVS, *l. c.* obſeruaſſet, de illo ita porro pronuntiat: *Non mirum ergo, ſi communi eruditorum ſuffragio laudata, plauſuque excepta, bibliotheca, magnum auctori ſuo nomen peperit. Nam vt ſua laude non careant ex coetu romano Sixtus Senenſis & Antonius Poſſeuinus, qui multa nos de veteribus eccleſiae ſcriptoribus pulcra docuerunt; vt collegerit praeclara de iisdem Aubertus Miraeus, plagii tamen ſubinde reus; vt famam haud vulgarem adeptus ſit liber cardinalis Bellarmini de eodem argumento; & qui multis Bellarminum paraſangis peritia linguae graecae, iudicio critico, & litterario adparatu, ſuperat, Philippus Labbeus, edita duobus tomis doctiſſima, ſimul tamen & in proteſtantes quosuis virulenta, de ſcriptoribus eccleſiaſticis diſſertatione; de Oudini ſupplemento vt ſileam. Hos omnes vicit amplitudine argumenti, inſtituti amoenitate, candore iudicii, (etiam vbi arrogantiae pontificum romanorum, & quaeſitis curiae papalis per vim & obtorto collo iuribus, pro eccleſiae libertate priſcorum e patrum monumentis obuiandum eſt) tum & modeſtia in diſſentientes Du-Pinius noſter.* Proximum a DV PINIO locum inter romanae eccleſiae addictos hic iure meritoque ſibi vindicat vir longe doctiſſimus NICOLAVS LE NOVRRY, qui *adparatum ad bibliothecam maximam veterum patrum, & antiquorum ſcriptorum eccleſiaſticorum*, Lugduni editam, dare incepit; cuius hucusque duo prodierunt tomi in folio, prior Pariſiis 1703, poſterior ibidem 1715. In priori de ſcriptoribus primi & ſecundi ſaeculi, ac de omnibus CLEMENTIS Alexandrini operibus; in poſteriori de ſcriptoribus latinis tertii & quarti ſaeculi, qui chriſtianae religionis veritatem aduerſus ethnicos vindicauerunt, fuſiſſime copioſiſſimeque diſſerit. Quod ſi ita pergat, omnium citra controuerſiam induſtriam ſuperabit; ſed credibile non eſt, eum hocce opus ad finem perducturum; cum vnius hominis aetas tam vaſto tamque immenſo labori non ſufficiat. Permotum vero ſe ad eum ſuſcipiendum profitetur, quod in animum induxiſſet, no-

uam bibliothecam patrum dare, & animaduertiſſet, in iis, quae hucusque lucem adſpexerunt, opera ſpuria & ſuppoſititia a genuinis non ſatis adcurate eſſe diſcreta. Conſtitutum itaque illi eſt, omnia veterum eccleſiae patrum, & antiquorum eccleſiaſticorum ſcriptorum, opera, quae in *maxima Lugdunenſi bibliotheca patrum* typis impreſſa ſunt, ad ſeueriores criticorum regulas ſingulatim examinare. Primum vero ea, quae ad cuiusque ſaeculi ſcriptores generatim pertinent, expendit, conſiderat atque, quodnam fuerit illorum ingenium, quae ſtudia, quae occupationes, quae ſcribendi occaſiones, quos eccleſiae inimicos aut haereticos impugnauerint, aut debellauerint, quae fuerint eorum ac reliquorum chriſtianorum ſcholae &c. Deinde, praemiſſa cuiusque ſcripti adcurata analyſi, num genuinum, an adulterinum, illud ſit? diſquirit, ſimulque de codicibus manuſcriptis, & editionibus, diſſerit. Varias denique animaduerſiones, quae diſſertationum inſtar eſſe poſſunt, ſubiicit, in quibus, quae in ſcriptis patrum obſeruatu digna occurrunt, fuſius explicat atque illuſtrat. Atque hae quidem lectu digniſſimae ſunt, cum in iis, quidquid eruditionis theologicae, hiſtoricae, philoſophicae in patrum ſcriptis occurrit, velut in compendio quodam exhibeatur. Specimen earum in ſequentibus dabimus.

Ex reformatae eccleſiae doctoribus praeter IO. HOORNBEECKIVM, qui *miſcellaneor. lib. I. c. I. theologiam patrum* exhibet, in qua praecipui trium priorum ſaeculorum ſcriptores eccleſiaſtici recenſentur, hic in cenſum venit ABR. SCVLTETVS, ob *medullam*, quam vocat, *patrum*. In prima parte *theologia*, vt inſcriptio docet, *clariſſimorum veteris eccleſiae doctorum, qui ante concilium Nicaenum floruerunt, methodo analytica & ſynthetica expreſſa, & a Roberti Bellarmini corruptelis vindicata eſt*. Editio eius quarta, cum praefatione DAV. PAREI, Ambergae 1613, 4. prodiit. Pars ſecunda, cuius editio quarta ibidem an. 1615 lucem adſpexit, *theologiam Athanaſii & Epiphanii*, eadem ratione pertractatam, & a ROB. BELLARMINI corruptelis vindicatam, exhibet. Tertia & quarta pars de aliis quibusdam ſaeculi quarti ſcriptoribus agit. GVIL. CAVE adſerit, SCVLTETVM de patribus, & theologia priſcorum primitiuae eccleſiae doctorum, qui ante & poſt concilium Nicaenum floruerunt, *polite & adcurate* agere, ſimulque editam hanc *medullam* dicit Hamburgi 1613. Sed ſine dubio pro Hamburgo Ambergam dicere voluit, vbi prima eius pars eodem anno prodiit, vti antea dictum. Deinde de ipſis patribus, eorumque vitis, breuiter tantum verba facit; analyſin contra accuratam ſcriptorum ab iis confectorum tradit, cui dein doctrinam illorum per praecipua theologiae capita ſubiicit, id ſubinde agens, vt, cum reformatae eccleſiae ſententia eos conſentire, doceat. Iunctim omnes quatuor partes recuſae ſunt, atque inſcriptae: *Medullae theologiae patrum ſyntagma, in quo theologia priſcorum primitiuae eccleſiae doctorum, qui ante & poſt concilium Nicaenum floruerunt, methodo analytica & ſynthetica expreſſa, atque a Roberti Bellarmini, Caeſaris Baronii, Gregorii de Valentia, aliorumque pontificiorum corruptelis ita vindicatur, vt liquido appareat, penes ſolas reformatas eccleſias eſſe doctrinae & veritatis euangelicae antiquitatem*; Francofurti an. 1624, 4. Sed ad ipſum potius GVIL. CAVEVM accedimus, qui omnium fere diligentiam in hocce campo ſuperaſſe viſus eſt. Hic primum *tabulas eccleſiaſticas* edidit, *quibus ſcriptores eccleſiaſtici, eorumque patria, ordo, aetas & obitus, breuiter exhibentur, a Chriſto nato ad annum vsque 1517.* Londini 1674, recuſas Hamburgi 1676.

1676. Hinc, cum aliorum precibus vrgeretur, ad hiſtoriam litterariam ampliori opere perſequendam; ſimul tamen plurima ei ſe offerrent obſtacula; ſpecimen eius aliquod primum prodire iuſſit, *chartophilacem* ſcilicet *eccleſiaſticum, quo prope 1500 ſcriptores eccleſiaſtici, tam maiores quam minores &c. breuiter indicantur.* Londini 1685, cui anno ſequenti PAVLVS COLOMESIVS *paralipomena* quaedam addidit, quae an. 1687 cum ipſo *chartophylace* Lipſiae ſunt recuſa, in 8. Cum vero *chartophylax* iſte, ob nimiam breuitatem, nondum omnibus ſatisfaceret; tandem ſe induci paſſus eſt CAVEVS, vt maiori operi, ſeu *hiſtoriae litterariae ſcriptorum eccleſiaſticorum a Chriſto nato vsque ad ſaeculum XIV*, manum admoueret, cuius pars prima Londini 1688 & *adpendix*, in qua *de ſcriptoribus eccleſiaſticis ab an. 1300 ad annum 1517 agitur*, auctore HENR. WHARTONO anno ſequenti 1689 in fol. lucem adſpexit. Recuſa eſt prima haecce pars, cum adpendice WHARTONI, Geneuae an. 1693. Altera autem pars an. 1698 Londini prodiit, *qua plus quam 600 ſcriptores noui, editi, manuſcripti, deperditi recenſentur; prioribus plurima adduntur, breuiter aut obſcure dicta illuſtrantur, recte adſerta vindicantur.* Addita quoque eſt in altera hacce parte circa finem cuiusque ſaeculi *notitia hiſtorica conciliorum omnium tum generalium tum particularium*; tres quoque adiectae ſunt diſſertationes, prima *de ſcriptoribus eccleſiaſticis incertae aetatis*; altera *de libris & officiis eccleſiaſticis Graecorum*; tertia denique, *de Euſebii Caeſarienſis Arianiſmo aduerſus Ioan Clericum.* Recuſa altera haecce pars itidem eſt Geneuae, an. 1699, & vtraque coniunctim an. 1705, & iterum 1720 fol. Naeuos quosdam & errores in opere hocce notauit beatus THOM. ITTIGIVS, in *ſchediaſmate de auctoribus qui de ſcriptoribus eccleſiaſticis egerunt*, §. X. p. 27. quorum nonnullos tamen CAVEVS emendauit in *parte altera*, & in *addendis & emendandis* eidem parti ſubnexis. SAINIORIVS quoque, hoc eſt, RICH. SIMON, vt neminem temere, quem non reprehenderet, dimiſit, ita in CAVEVM inſurrexit, in *bibliotheca critica*, gallice ſcripta, *tom. I. c. XVII. p. 255. ſeqq.* vbi tamen id praecipue refellendum ſibi ſumſit, quod CAVEVS dixerat, *editiones ſanctorum patrum quo ſunt vetuſtiores, eo ſunt vt plurimum fideliores.* Qua de re in ſequentibus copioſius diſſerendi locus erit. Nec praetermittendus hic eſt IO. CLERICVS, qui, cum in *bibliotheca vniuerſali* ſubinde paullo liberius, quam ceteroquin fieri ſolet, loquutus eſſet, eosque, qui naeuos patrum diſſimulant, aut praetermittunt, quando virtutis larua tegi nequeunt, non hiſtoriam, ſed elogia illorum ſcribere, adfirmaſſet; CAVEVS, ad ſe haec pertinere ratus, praeſertim cum idem IO. CLERICVS, *bibliothec. vniuerſal. tom. X. p. 474.* ſententiam eius de EVSEBIO Caeſarienſi, quem a directo Arianiſmi crimine liberare adgreſſus erat, refutaſſet, cauſſam ſuam in *diſſertatione* antea laudata *de Euſebii Caeſarienſis Arianiſmo aduerſus Ioan. Clericum*, egit. Dum ergo CAVEVS ignominiae duxit, ſibi imputatum, quod *panegyrice* potius, quam *hiſtorice*, vitas patrum deſcripſerit, ipſe contra, IO. CLERICO id fere vnice conſtitutum fuiſſe, pronuntiat, vt *ſanctos patres inter ſe committeret, quaſi nec ſibimet ipſis, nec inter ſe inuicem conuenientes; vt eos tamquam obſcuros, perplexos, confuſos repraeſentaret, nec eorum, quae tractant, ſatis peritos; qui terminis vtuntur aequiuocis, & praeclare ſe munere ſuo functos arbitrantur, cum de myſteriis incomprehenſibilibus modo quodam haud intelligibili diſputarint; diſſertat. cit p. m. 34.* Sed non tacuit CLERICVS, quaeue contra ſe dicta erant, repulit, in *epiſtolis criticis & eccleſiaſticis*, quae *artis* eius *criticae* volumen

tertium conſtituunt, *epiſt. I.* vſque ad *VII.* denuoque contendit, CAVEVM panegyriſten patrum potius eſſe, quam hiſtoricum, cumprimis *ep. II. p. 76 ſeqq.* Quod cum aegre ferret CAVEVS, *epiſtolam apologeticam* in lucem emiſit, *aduerſus iniquas Io. Clerici criminationes in epiſtolis criticis & eccleſiaſticis nuper editis*, Londini 1700, 8. cuius ſumma diligenter recenſetur in *actis eruditorum Lipſienſib. an. 1701. p. 71.* Tametſi autem IO. CLERICVS nimis rigidum cenſorem patrum agere videatur; lectu tamen omnino dignae ſunt vitae eorum, quae paſſim in *bibliotheca vniuerſali* exſtant, fecitque, quod laudem promeretur, qui eas in vnum collectas, & in linguam germanicam translatas, iunctim edidit. Inſcribitur liber iſte: *Ioannis Clerici vnpartheyiſche Lebens-Beſchreibung einiger Kirchen-Vaeter vnd Kezer, nahmentlich Iuſtini martyris, Clementis Alexandrini, Origenis, Cypriani, Prudentii, Gregorii Nazianzeni, Euſebii, Pelagii vnd Celeſtii, aus deſſen bibliotheque vniuerſelle ins teutſche überſezet*, Halae Saxonum 1721, 8. cum praefatione CHRIST. THOMASII. Nonnullae quoque ex iſtis vitis patrum, a IO. CLERICO deſcriptis, vt CLEMENTIS Alexandrini, EVSEBII Caeſarienſis, GREGORII Nazianzeni, & PRVDENTII, in linguam anglicanam translatae, Londini 1696, 8. prodierunt. Ad GVIL. CAVEVM vt reuertamur, praeter ea, quae hucusque enarrauimus, ſcripta, huius quoque loci ſunt, *antiquitates* eius *patrum & eccleſiaſticae, oder Leben, Wandel, Lehre, Todt, vnd Marter der apoſtoliſchen Vaeter, welche zur Zeit der Apoſteln, oder gleich darnach gelebet haben, wie auch der vornehmſten Vaeter in den vier erſten Iahr-hunderten*; quae ex anglicana lingua in germanicam conuerſae, Bremae impreſſae ſunt an. 1701, 4. Praemiſſa iis eſt praefatio HERM. WITSII, ex verſione belgica deſumta, quae tamen potius ad *antiquitates* CAVEI *apoſtolicas* ſpectat, ſiquidem hae in verſione iſta belgica, coniunctim cum *antiquitatibus patrum & eccleſiaſticis*, editae erant. Fuſius autem in hocce opere vitae patrum in quatuor primis a Chriſto nato ſaeculis deſcribuntur, quam in *hiſtoria ſcriptorum eccleſiaſticorum litteraria* factum; & licet in iis ad ſcripta & doctrinam patrum praecipua quadam ratione non reſpiciatur; plura tamen occurrunt, quae illis lucem adfundere poſſunt. Agmen denique inter eos, qui ex reformatae eccleſiae doctoribus de patribus egerunt, claudat CASIM. OVDINVS. Romanae enim licet olim eccleſiae addictus, praemonſtratenſiumque adſcriptus ordini fuerit; deinceps tamen ad reformatorum caſtra tranſiit. *Supplementum* eius *de ſcriptoribus vel ſcriptis eccleſiaſticis a Bellarmino & aliis omiſſis*, antea iam commemorauimus, cum de BELLARMINO ageremus. Hoc vero dum non tantum correxit & emendauit, ſed multis magnisque acceſſionibus auxit; amplum illud opus enatum eſt, quod *commentarius de ſcriptoribus eccleſiae antiquis, illorumque ſcriptis tam impreſſis, quam manuſcriptis adhuc exſtantibus in celebrioribus Europae bibliothecis a Bellarmino, Poſſeuino, Philippo Labbeo, Guilielmo Caueo, Ludouico Elia du Pin, & aliis omiſſis, ad annum 1460 vel ad artem typographicam inuentam, cum multis diſſertationibus, in quibus inſigniorum eccleſiae auctorum opuſcula atque alia argumenta notabiliora adcurate & prolixe examinantur*, inſcriptum, Lipſiae an. 1722, tribus tomis in fol. prodiit. Neceſſitatem eius indicaturus, in ipſo ſtatim limine, quid in LVD. ELL. DV PIN, & GVIL. CAVEI, eodem ſpectantibus ſcriptis, deſiderandum ſit, exponit, & hunc quidem tum ibi, tum in ipſa etiam tractatione, acrem ſubinde cenſuram ſubire iubet; quod non mirabitur, qui cogitaue-

rit, CAVEVM in *prolegom. hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſticor. ſect. I. p. 1. 2.* de *ſupplemento* OVDINI ita ſcripſiſſe: *Quo in opere vtinam eamdem cum clariſſimo du Pin diligentiam, par iudicium, adhibuiſſet; non tot foedis erroribus ſe implicuiſſet, nec adeo magnam operis ſui partem ex Miraeo, Labbeo, Voſſio aliisque (ſaepe ne leuiſſima quidem eorum, vnde ſua deſumſerit, mentione facta) ad verbum tranſcripſiſſet; non leuem alioqui candoris ac diligentiae non inutiliter poſitae laudem reportaturus.* Nec illud mirabitur, IO. CLERICVM tam acri cenſura hocce OVDINI opus notaſſe, adſeruiſſeque, dubitari poſſe, an OVDINVS tantam latinae graecaeque linguae peritiam habuerit, vt de patrum graecorum latinorumque ſcriptis iudicium ferre potuerit; *bibliotheq. ancien. & mod. tom. XIX. part. II. artic. V. p. 355.* qui conſiderauerit, nec OVDINVM pepercisse CLERICO, eiusque mentionem ſaepe quidem, ſed non ſemper adeo honorifice, feciſſe, vti vel ex iis patet, quae *tom. I. ſaec. V. p. 986.* de *adpendice* eius *Auguſtiniana* diſſerit; quamuis etiam eum interdum laudet, ac in controuerſia cum CAVEO partibus eius accedat, vel, vt ipſe loquitur; *palmam triumphi & veritatis denegare non potuerit.* Nimis aperte virorum doctorum hic ſeſe produnt adfectus. Qui ab omni partium ſtudio hic alieni ſunt, agnoſcunt, opus hocce OVDINI non carere naeuis, optant etiam, vt maiori erga eos, quos refellit, vſus eſſet modeſtia; ſimul tamen fatentur, diligentiae laudem illi non denegandam, multaque lectu digna in illo occurrere; obſeruant etiam, licet ſtudium illorum, qui ſpuria a genuinis diſcernunt, ſummopere laudandum ſit; modum tamen haud raro hic exceſſiſſe OVDINVM, & quaedam patrum ſcripta ſine iuſtis rationibus ſuſpecta reddidiſſe. Legenda, quae hac de re monentur in *den teutſchen actis eruditorum, part. LXXIX. num. I. p. 455. ſeqq.* Ad noſtrates priusquam transeamus, id monendum, ex neo-Arianis CHRISTOPH. SANDIVM *tractatum de veteribus ſcriptoribus eccleſiaſticis* edidiſſe; in quo eos recenſet, qui vsque ad tempus concilii Nicaeni vixerunt. Quo id faciat conſilio, quilibet facile perſpiciet; hinc, quod patrum iſtorum ſcripta corrupta non tantum, ſed in prauum quoque ſenſum per iniquam interpretationem detorta, ſubinde conqueritur, ne ſcilicet in illis inuenirentur, quae Arianis fauerant. Altera editio, cum *nucleo* eius *hiſtoriae eccleſiaſticae*, prodiit Coloniae 1676, 4.

Ex noſtrae eccleſiae doctoribus, qui in hocce campo ingenii vires periclitati ſunt, primus occurrit beatus IO. GERHARDVS noſter, cuius *patrologia, ſiue de primitiuae eccleſiae chriſtianae doctorum vita ac lucubrationibus opuſculum poſthumum*, cura filii eius IO. ERN. GERHARDI an. 1653 primum prodiit, deinde aliquoties recuſa. Auctorem hocce opuſculum in ſuos ſolum vſus collegiſſe, neutiquam autem eum in finem concinnaſſe, vt lucem publicam adſpiceret, viri docti iam monuerunt, ipſeque IO. ERN. GERHARDVS profitetur, ſe *perſuaſione amicorum, & metu, ne ab aliquo alio fide non bona in lucem proferretur,* illud edidiſſe. Idem cum etiam IO. ANDR. BOSIVS confirmaſſet, recte addit: *Quo circa non ſatis cauſſae habuit Labbeus, cur toties eum plagii incuſaret, tamque acerbo ſale, quoties illius meminit, optimum virum perfricaret; ipſe cornicula aeſopica, & paſſim dicta aliis, etiam nominibus diſſimulatis, in rhapſodiam illam ſuam tranſcribens, vt iam Hottingerus (in ennead. diſſertat. philologico-theologic. diſput. VIII. p. 175. 176.) monuit;* in *introd. in notit. ſcriptor. eccleſiaſt. c. III. §. XXXI. XXXII.* Supplere hancce GERHARDI *patrologiam* voluit IO. GOTTFR. OLEARIVS, in *abaco patrologico,*

Digitized by Google

logico, ſiue patrum atque doctorum maioris minoriſue auctoritatis &c. alphabetica enumeratione, Ienae 1673 edita; quo ipſo anno etiam tertia editio *patrologiae* GERHARDI heic prodiit. Cum vero & huius libri magna adhuc fieri poſſet acceſſio; nouae editionis multo auctioris curam in ſe ſuſcepit auctoris filius, IO. GOTTL. OLEARIVS, quae & plane alia facie, atque inſcripta: *bibliotheca ſcriptorum eccleſiaſticorum*, Ienae 1711, 4. cum praefatione mea lucem adſpexit. Multorum inſtar haecce *bibliotheca* eſſe poteſt, ſiquidem in ea, quidquid eximii apud CAVEVM, DVPINIVM, BAELIVM, aliosque, de patribus ſcriptoribusque eccleſiaſticis occurrit, in compendio exhibetur. De IO. HVLSEMANNI *patrologia*, cum eiusdem *praelectionibus ad formulam concordiae*, a IO. AD. SCHERZERO, Lipſiae 1670, 4. edita, quid cenſendum ſit, a CHRIST. LVDOVICI exponitur, in *adnotationibus* ad THO. ITTIGII *ſchediaſma de auctoribus qui de ſcriptoribus eccleſiaſticis egerunt*, ad §. *XI. p. 32.* vbi etiam AVG. VARENII *rationarium theologicum de ſcriptorib. eccleſiaſticis*, IO. SCHOPFFII *academia Ieſu Chriſti*, IO. CHRISTOPH. HAHNII *inſigniora caeli Sionaei ſidera*, IO. CHRISTOPH. MEELFVRERI *corona centum patrum*, CASP. HEVNISCHII *patrologia* recenſentur; de quorum plerisque etiam IO. ANDR. BOSIVM conſulere iuuabit, in *introduct. in notit. ſcriptor. eccleſiaſtic. c. III. §. XXV. ſeqq.* Dum IO. SCHOPFFIVM librum *academia Ieſu Chriſti* inſcriptum edidiſſe, diximus, in mentem venit, & THEOPH. SPIZELIVM opuſculum, eadem ratione inſcriptum, concinnaſſe, in quo icones & deſcriptiones viginti duorum patrum, quorum primus eſt IGNATIVS, vltimus BERNHARDVS, exhibentur; Auguſtae Vindelic. 1671, 4. Sed cum non tam ad ſcripta & doctrinam, quam vitam & virtutes eorum reſpiciat, huius loci non eſt.

Sunt etiam, qui non quidem omnes aut plerosque, ſed quosdam, aut certi generis patres, & ſcriptores eccleſiaſticos, recenſent; quorum nonnullos, vt THO. ITTIGIVM, in *diſſertatione de patribus apoſtolicis*, aliosque, licet iam data occaſione indicauerimus, reliquos tamen etiam, qui huc referri poſſint, paucis commemorare, non abs re fuerit. Locum ergo ſibi hic vindicat PET. HALLOIXIVS, qui de praecipuis orientalis eccleſiae ſcriptoribus, qui primo & ſecundo ſaeculo claruerunr, fuſe egit, in *illuſtrium eccleſiae orientalis ſcriptorum vitis & documentis*, cuius operis tomus primus Duaci an. 1633, ſecundus ibidem 1636 lucem adſpexit. Praeterea WILH. ERN. TENZELIVS, in *exercitationum ſelectarum*, Lipſiae 1692, 4. editarum, parte priori, de ſymbolo non tantum apoſtolico, ſed & de ſcripris CLEMENTIS Romani, IGNATII, POLYCARPI, IVSTINI martyris, ATHENAGORAE, THEOPHILI Antiocheni, TATIANI, HERMIAE, IACOBI Niſibenſis, & EPHRAEMI Syri, diligenter & adcurate diſſerit, plerorumque etiam vita praemiſſa. Denique & IO. CASP. LOESCHERVS de *patrum africanorum meritis ſingularibus libros duos* promiſit, quorum prior ſolum, quantum mihi conſtat, prodiit, Rochlitii 1722, 8. in quo de *Tertulliani, Arnobii, Cypriani, Auguſtini, Vigilantii, Optati Mileuitani, Vigilii &c. vita, fatis, eruditione, ſcriptis, naeuis, ſingularibus, elogiis & auctoritate*, vt inſcriptio docet, exponitur. Ampliſſimum ſane foecundiſſimumque ſibi aperuit campum; in quo tamen ita verſatur, vt praecipua tantum in compendio exhibeat. De iis, qui, dum generatim librorum theologicorum notitiam tradunt, etiam patres recenſent, nihil nunc addimus, cum de iis iam ſupra ex inſtituto dictum ſit, *lib. I. c. III.* ad §. *XXII.*

§. III. Eruditio patrum minime equidem contemnenda, ex iſtius tamen, quo vixerunt, temporis ratione, aeſtimanda. Quidam eorum hiſtoriarum & antiquitatis non fuerunt imperiti, in gentilium quoque ſcriptorum lectione haud perfunctorie verſati. *

* Quemadmodum, qui patrum auctoritatem nimium euehunt, etiam praeclare admodum de eorum eruditione ſentiunt; ita, qui illam contra imminutam cupiunt, de hac quoque aliter cenſent. Atque hos inter IOANNES quoque CLERICVS eſt, vir doctiſſimus, qui in *epiſtolis criticis & eccleſiaſticis, ep. IV. p. 122. ſeqq.* ex inſtituto de patrum eruditione, vel potius contra eam, diſputat. *Hodie*, inquit, *eruditus nemo haberi queat, qui vulgaria tantum proferat, qui recte ratiocinandi regulas paſſim perfringat, qui nullo ordine vtatur, qui nullam ſtyli aut certe perſpicuitatis rationem habeat; nec intelligo, cur velimus eruditionis laudem veteribus multis tribuere, in quorum ſcriptis haec omnia animaduertere licet. Miſerrima profecto eſt hodie ſors noſtra, quibus ſine magno labore, ſine ſingulari rerum delectu, ſine ratiocinationibus, in quibus nihil acutiſſimi dialectici merito carpere poſſint, ſine adcurato ordine, ſtyloque minimum perſpicuo, negatur eruditionis honos; feliciſſima contra fuit veterum, quorum in multos, omnibus hiſce, aut maxima eorum parte deſtitutos, tantae laudes congeſtae fuere. Ego vero,* ita pergit, *nec ſane ſolus, vt ingenue profitear quod ſentio, cum de patrum eruditione iudicare adgredior, eadem menſura, vt ita dicam, vtor, qua ſoleo recentiorum eruditionem metiri; neque enim puto, oportere eos meliore eſſe conditione, quam nos. Quae laudo & miror in nuperis ſcriptoribus, ea in antiquis eodem honore proſequor; quae ſperno aut rideo in recentiorum ſcriptis, ea non pluris facio, cum mihi occurrunt in veterum monumentis.* Sed bene eſt, quod idem vir doctus quibusdam interiectis, haec addat: *Poſſumus laudare doctrinam veterum, ſi ita libeat, at pro modulo illius aeui; non ita, vt multum recentiorum eruditioni praeferatur, quemadmodum ſolet a multis fieri. Poſſumus ignoſcere delectui rerum parum ſeuero, ratiocinationibus minus firmis, ordini confuſiori, ſtylo non ſatis caſtigato, nec perſpicuo; at haec praeferre iis, quae contrariis ornamentis ingenii, iudicii, eloquentiae praedita ſunt, minime ſuſtinemus.* Id namque eſt, quod ipſemet volo; eruditionis laudem patribus non poſſe denegari, ſed eam pro temporum iſtorum conditione aeſtimandam eſſe. Nec omnes vno eodemque habendi ſunt loco, ſicuti nec illi, qui hodie eruditi vocantur; cum quibusdam excellentius ingenium, & maior eruditionis adparatus obtigerit, quam aliis. Suffragatur interim hac in re IO. CLERICO, qui ceteroquin eius ſub PHEREPONI nomine latentis animaduerſiones in AVGVSTINVM acriter caſtigat, LAMINDVS PRITANIVS, quo nomine virum erudițiſſimum LVD. ANT. MVRATORIVM tegi, accepimus, & ingenue fatetur, patrum eruditionem, in iis, quae ad artes ſcientiasque profanas ſpectant, ea, quae noſtrae aetatis eſt, multum eſſe inferiorem. *Multa ſunt*, inquit, *quae in libris ſancti Auguſtini, ceterorumque patrum exquiri poſſunt, grammatica videlicet, rhetorica, didactica, logica, phyſica, eruditio, linguarum peritia, critica, chronologia, & aliae id genus diſciplinae, quae nunc excoluntur magna animi contentione, a litteratis hominibus. In his omnibus non negamus, immo ſinceriſſime fatemur, reperiri poſſe, & reuera offendi, multos nonnumquam patrum defectus, & ſi etiam velis, poſtremam quandoque imperitiam. Adcurata critices*

Digitized by Google

ſcientia in plerisque deſideratur; ſeueram eloquentiam in nonnullis fruſtra quaeras; ſi Origenem, Hieronymum, & Epiphanium excipias, vix alium inter ipſos habebis hebraicae linguae gnarum. Declamant interdum; alibi parum recte ratiocinantur; apocryphis quandoque vtuntur, aliaque peccant, quae temporibus iſtis, ac in tanto lumine ſcientiarum & artium in homine philologo aut non feras, aut ſaltem non laudes; de *ingeniorum moderatione in religionis negotio, lib. III. c. XVI. p. 545.* Atque hinc facile intelligitur, quouſque admittendum, quando HIERONYMVS, in *epiſtola ad Magnum,* quae eſt *LXXXIII. p. 656.* recenſitis plurimis veteris eccleſiae doctoribus, *in quibus,* inquit, *neſcias, quid primum admirari debeas, eruditionem ſaeculi, aut ſcientiam ſcripturarum?* Secundum eam enim, quam ipſemet animo concepit, eruditionis notionem de iis loquitur. Neque ſane negamus, priſcos eccleſiae patres doctoresque litteris ac diſciplinis inſtructos fuiſſe, quod ex inſtituto probat GE. CALIXTVS, in *adparatu theologico, p. 35. ſeqq.* Idem, cum verba HIERONYMI iam memorata, recitaſſet, ſubiieit: *Et ſane verbis Hieronymi fidem faciunt, quae e multis pauca hodie ſuperſunt Iuſtini, Tatiani, Theophili Antiocheni, Clementis Alexandrini, Euſebii, Tertulliani, Arnobii & plurium; qui praeter alia, quae multiiuga eruditione ſubnixi, praeſtitere, ex ſcriptoribus & hiſtoria gentilium, cum antiquitatem & certitudinem religionis orthodoxae, tum nouitatem vanitatemque ethnicae, e communi omnibus rationis luce argumentis ſubinde ductis, & quae in contrarium adferri poterant, refutatis, non minus diſerte, quam docte, oſtenderunt.* Quae, etſi ita comparata ſint, vt vir ille doctiſſimus nimis quoque praeclare de patrum eruditione ſenſiſſe videatur; hoc tamen certum, quosdam patrum in ſcriptorum quoque gentilium lectione verſatos, hiſtoriarumque, quae inde petendae erant, & antiquitatis, minime rudes fuiſſe, dignosque adeo vel hoc nomine, qui ab omnibus legantur. Poteratque a CALIXTO laudatis cumprimis adhuc ex graecis THEODORETVS, ex latinis autem LACTANTIVS atque HIERONYMVS, addi. Haec, quae diximus, patres quosdam hiſtoriarum & antiquitatis minime rudes fuiſſe, intelliget, qui vel vnicam TATIANI *ad Graecos orationem* euoluerit: praeſertim ſi NICOLAI LE NOVRRY obſeruationes conferat, in *adparatu ad bibliothecam maximam veterum patrum, diſſert. V. c. II. p. 531. ſeqq.* Iuuabit ibi legiſſe, quae §. *VI.* de artium & ſcientiarum inuentoribus, de quorumdam philoſophorum vitiis & opinionibus, a TATIANO commemoratis; porro §. *VII.* de quibusdam aliis philoſophis peripateticis, & grammaticis, quorum teſtimoniis aetatem Homeri probat TATIANVS; item §. *VIII.* de quibusdam ſcriptoribus chaldaeis, phoenicibus & aegyptiis, ad probandam Moſis antiquitatem, a TATIANO commemoratis; §. *IX.* de pluribus aliis ſcriptoribus, & quibusdam illuſtribus viris, quorum TATIANVS fecit mentionem; §. *X.* de deorum fabulis, & METRODORO, ac de ſtatuis, quas TATIANVS ſe Romae vidiſſe teſtatur: denique de regum argiuorum chronologia, erudite commentatur. Iam ſi quis plures alias eiusdem generis obſeruationes in IVSTINVM martyrem, IRENAEVM, cumprimis CLEMENTEM Alexandrinum addat; non dubitabit, egregia prorſus antiquitatis & hiſtoriarum monumenta in patrum ſcriptis occurrere, nec proficere quemquam in iſto ſtudiorum genere rite poſſe, niſi haec quoque conſuluerit. * De gentilium ſcriptis legendis non vna quidem omnium patrum fuit ſententia; plurimos tamen cenſuiſſe, eos & legendos, & inſignem ex iis capi poſſe

poſſe vtilitatem, oſtendit IO. BAPT. COTELERIVS, ad *conſtitution. apoſtolic. lib. I. c. VI. p. 204.* Qua de re plura dici poſſent, niſi hoc iam ſupra factum eſſet, ad *lib. I. c. IV. §. VIII.*

§. IV. Ex graecis patribus pauci linguae ebraeae, ex latinis quidam nec graecae ſatis, multo minus ebraeae habuerunt notitiam; criticae quoque artis plerique rudes fuere, hinc & eximio in ſcriptura ſacra interpretanda, eiusque ſenſu litterali inueſtigando, deſtituebantur praeſidio. * Eloquentia, qua nonnulli prae reliquis florebant, turgida nimis, & ſubinde ad adfectus magis concitandos, aut omnino aures ſolum demulcendas, quam intellectum inſtruendum, ſimplicique veritatis cognitione imbuendum, comparata. **

* Audire hic iterum primum iuuabit IO. CLERICVM, libere hac de re ſententiam ſuam exponentem, in *epiſtolis criticis & eccleſiaſticis, ep. IV. p. 131. ſeqq. Vnus quidem*, inquit, *aut alter, vt Origenes apud Graecos, Hieronymus apud Latinos, operam dedere addiſcendae linguae ebraicae; ſed nec ſciuere eam in rem ſubſidiis, quae habebant, vti, nec iis, quae norant, multum vſi ſunt. Vigebant iis temporibus, linguae ſyriaca & arabica, in vicinia Palaeſtinae & Aegypti; quae linguae, cum maximi eſſent vſus, ad intelligendam ebraicam, debuerant ab iis edisci, quod tamen factum non eſt. At ſyri ipſi & arabes chriſtiani perfacile potuiſſent a Iudaeis ebraicam linguam diſcere, & cum ſua comparare, cum maximo ſuae aetatis & poſteritatis fructu.* Et quibusdam interiectis: *Maluerunt Graeci & Latini ſtatuere abſurdiſſime, diuinitus fuiſſe adflatos ſeptuaginta interpretes, quam laborem ſubire, qui exantlandus fuiſſet, in addiſcenda lingua ebraica. Maluerunt in linguae ſuae cognitione adquieſcere, & allegoricum interpretandi genus, quo nihil futilius dicamne an facilius erat, ſectari; quam grammatice ſingula, vt decuit, vtque nunc facimus, explicare.* Antea quoque dixerat: *Hoc vnum pleriſque veteribus concedere poſſumus, peritos fuiſſe linguae vernaculae, Graecos graecae, Latinos latinae; & quidem ita, vt maxima eorum pars, praeſertim apud Latinos, pro modulo ſuae aetatis, non ad normam meliorum ſaeculorum, ſcribere poſſent.* De ORIGENE porro atque HIERONYMO, qui fere ſoli ebraicae linguae peritia inſtructi fuere, (quae enim aliis quibusdam tribuitur, tam exigua eſt, vt in cenſum non veniat) idem IO. CLERICVS ex inſtituto diſputat, in *quaeſtionibus Hieronymianis, quaeſt. II. ſeqq. p. 28. ſeqq.* Et ad ORIGENEM quidem quod attinet, tametſi EVSEBIVS pariter ac HIERONYMVS eum ob linguae ebraeae peritiam laudent; CLERICVS tamen adeo iis non ſuffragatur, vt putet, indubitatis indiciis oſtendi poſſe, eum *ita loqui, quaſi hebraicos characteres legere neſciuiſſet. Dicendum nimirum*, ita pergit, *bonum virum in conficiendis hexaplis, vertendisque nominibus hebraicis, iudaei cuiuspiam opera vſum fuiſſe, eiusque gentis homines interdum conſuluiſſe, dein edidiſſe, quae ab iis accepiſſet; ita vt imperitis Graeculis primum, deinceps etiam peritiori Hieronymo, ſed non ſatis attento, fucum feciſſe videatur; quaeſt. II. §. IV. p. 32.* Praeeuntem hac in re ſibi habuit PET. DAN. HVETIVM, ad quem etiam prouocat, quippe qui itidem agnoſcit, tam eximiam in ORIGENE linguae ebraeae peritiam non fuiſſe, vt vulgo creditur, *Origenian. lib. II. c. I. §. II.* HIERONYMO graecae linguae peritiam omnem non

non denegat; attamen, non dubiis argumentis deprehendiſſe viros doctos, ait, eum *perquam modice in ea exercitatum fuiſſe, quando cum graecis archetypis translationes eius adcuratius conferre coeperunt*; *quaeſt. III. §. I. p. 44.* De ebraica eius eruditione ita cenſet, vt, etſi non neget, labores eius nobis vtiles eſſe, ſi iis vtamur, vt par eſt; eum tamen *multum abfuiſſe*, exiſtimet, *a perfectione quam monachus Benedictinus* (IO. MARTIANAEVS) *ei adfingit. Tota nimirum*, inquit, *mihi videtur fuiſſe ſita in collatione interpretum antiquiorum, atque in nonnullis, quae acceperat a praeceptoribus Iudaeis, quorum multa exigui pretii fuerunt*; *quaeſt. IV. §. I. p. 74.* Ego lubens fateor, eam, qua & ORIGENES, & HIERONYMVS, floruerunt, linguae ebraeae peritiam a ſummo perfectionis faſtigio abfuiſſe; largior quoque, fuiſſe, & eſſe inter recentiores, qui vtrumque ea ſuperent; nec IO. MARTIANAEO ſuffragatus fuerim, in *prolegomeno tertio tomi ſecundi* adſerenti: *nihil in ſermone hebraeo Hieronymum latuiſſe, tantamque huius idiomatis peritiam fuiſſe in ſancto viro, vt nullus grammaticorum hodiernorum ſit illi aequiparandus.* Praeterquam vero, quod nihiloſecius inſignis ſcriptorum, quae nobis reliquerunt, vſus ſit, quod nec IO. CLERICVS diffitetur; eiuſmodi ſubſidia linguas iſtas addiſcendi, quibus hodie abundamus, neutiquam habuerunt. Ex quo licet omnino ſequatur, recentiores quoſdam illis praeferendos, & inique agere, qui recentiores omnes veteribus poſtponunt; ſimul tamen conficitur, quoſdam pro iſtius temporis conditione eouſque in linguis profeciſſe, quo itidem pauci recentiorum peruenturi fuiſſent, ſi eadem aetate vixiſſent. Generatim etiam de veteribus, ſaltem iis, qui tribus prioribus poſt Chriſtum natum ſaeculis vixerunt, obſeruandum, eos magis de ipſa doctrinae chriſtianae propagatione, & contra aduerſariorum inſultus defenſione, itemque de vita ad eam recte inſtituenda, quam de lingua aut vocibus, aut rebus criticis fuiſſe ſollicitos; atque haec cum vnica veterum cura eſſet; mirum non eſt, quod in linguis ignotis addiſcendis nihil, aut non multum laboris poſuerint; mirandum etiam non eſt, quod allegorica ſcripturam exponendi ratio, eo quippe tempore vſitata, illis placuerit, quippe quae ad vitam moresque inſtituendos vel maxime comparata eſt, nec, ſi quis modum in ea teneat, litteralemque ſenſum non negligat, contemnenda; quemadmodum contra, qui criticis ac grammaticis ſubtilitatibus nimium indulgent, haud raro ad ineptias pueriles prolabuntur, & id, quod praecipuum eſt in ſcriptura ſacra, negligunt. Legi merentur, quae de progreſſu ſtudiorum in eccleſia diſſerit GE. CALIXTVS, in *adparatu theologico, p. 112. ſeqq.*

** Patrum, ſeu veteris eccleſiae doctorum, eloquentiam, turgidam ſubinde tumidamque, & tum etiam, cum de argumentis diuinis, quae ſimplicem planamque orationem poſtulant, loquuntur, elatam nimis, figuriſque & hyperbolis ſcatentem, a ſobria illa comtaque dicendi ratione, cuius in perſpicuitate, exactaque rerum explicatione, praecipua laus eſt, multum diſcedere; viris doctis iam pridem obſeruatum eſt. Accedit, & cum priori fere vitio coniunctum eſt, quod ſophiſtarum inſtar verborum lenociniis, argumentiſque oratoriis, & ad fallendos incautos aptis, fucum potius haud raro facere, quam claris, euidentibus ſolidiſque rationibus, quod dicunt, demonſtrare videantur. In CHRYSOSTOMO, BASILIO, GREGORIO Nazianzeno, & ad Latinos quod attinet, TERTVLLIANO, CYPRIANO, LACTANTIO, HIERONYMO, aliiſque, eiuſmodi quid deprehendi, negari nequit. Ipſeque hoc non diffitetur

tur

Digitized by Google

tur DION. PETAVIVS, dum *multa ſunt*, inquit, *a ſanctiſſimis patribus, praeſertimque a Chryſoſtomo in homiliis adſperſa; quae ſi ad exactae veritatis regulam adcommodare volueris, boni ſenſus inania videbuntur. Quippe declamatorio illo more ad imperitam fere multitudinem exaggerandi cauſſa, & ſubito quodam impetu dicendi, ac colore profuſa feruntur plerumque licentius. Vnde ex aliorum comparatione locorum, vel conciliorum potius, ac patrum, temperanda, & in gyrum veritatis reuocanda ſunt*; in *animaduerſionib. ad Epiphanii haereſin LIX. p. m. 244.* Idem & pluribus comprobat IO. DALLAEVS, *de vſu patrum, lib. I. c. V. p. 120. ſeqq.* vbi ex inſtituto oſtendit, *non facile eſſe, patrum ſcripta intelligere, tum propter linguas & idiotiſmos, quibus vtuntur, tum propter rerum explicandarum variis rhetoricae & dialecticae artificiis obſcuratam & impeditam rationem, tum quod pleraſque voces alio, quam qui nunc in vſu eſt, ſenſu vſurpent.* Legenda cumprimis, quae *p. 140. ſeqq.* hac de re differit. Iungendus vero IO. CLERICVS, *art. crit. tom. I. part. II. ſect. I. c. XVI.* ubi hiſtoriam rhetoricae tradit, *p. 486. ſeqq.* Atque ipſe quidem HIERONYMVS declamatorium hocce dicendi genus improbat, ad NEPOTIANVM ſcribens: *Ne quaeras pueriles declamationes, ſententiarum floſculos, verborum lenocinia, & per fines capitulorum ſingulorum acuta quaedam, breuiterque concluſa, quae plauſus & clamores excitent audientium, epiſt. XXXIV. ad Nepotianum de vita clericor. & monachor. tom. IV. oper. part. II. p. 259.* editionis IO. MARTIANAEI. Nihiloſecius tamen illud non tantum ſubinde ſectatur, ſed ſophiſticam etiam eloquentiam diſerte laudat; immo quod magis mirandum, exemplo Pauli apoſtoli, perperam quamuis, tueri conatur, *epiſt. XXX.* quae eſt *apologia pro libris aduerſus Iouinianum*, itidem *tom. IV. oper. part. II. p. 235.* eiusdem editionis. Hac ipſa autem dicendi ratione dum patres effecerunt, vt aut plane non, aut non recte intelligerentur; alios ſimul ad prauas opiniones animo concipiendas perduxerunt, erroribusque, qui deinceps foedarunt eccleſiam, occaſionem praebuerunt. Superſtitionis, quae circa miſſam in eccleſia romana regnat, originem ex hocce quoque fonte deriuandam, a me demonſtratum eſt, in *diſſertat. de origine miſſae pontificiae, §. XX.* in *ſyntagm. diſſertat. theolog. p. 33.* Orationes veterum panegyricas, quibus martyrum, virorumque, ſanctitatis laude florentium, virtutes celebrabant, & in quibus mortuos abſentesque per apoſtrophen, tanquam praeſentes, adloquebantur, errorem de cultu & adoratione ſanctorum multum promouiſſe, dubitari nequit, & erudite obſeruat, docetque MART. CHEMNITIVS noſter, in *exam. concil. Trid. part. III. loc. IV. c. III. p. 877. ſeqq.* Quae cum veriſſima ſint, non tamen eousque protrahenda, vt quaeuis myſteria, de quibus ipſa ſcriptura ſacra nos dubitare non ſinit, exaggerato & declamatorio ſermoni patrum tribuamus; id quod praeter alios vir clariſſimus IO. CLERICVS facit, haud obſcure innuens, quod ſacram caenam pariter & baptiſmum pro nudis, ſimplicibusque ritibus, in quibus nihil plane myſterii ſit, non reputemus, non aliunde, quam ex obſcuris & hyperbolicis veterum loquutionibus ortum eſſe; *art. crit. tom. I. part. II. ſect. I. c. XVI. p. 492. 493.* Quod ſine ratione dici, ex iis, quae alibi hac de re diſputantur, conſtat.

§. V. Ad philoſophiam patrum quod attinet, Platonem quidam prae reliquis laudant, eiusque adprobant placita, vt tamen reliquos non plane

contemnant philoſophos. Vnde non errant, qui, eos eclecticos potius, quam Platonicos fuiſſe, contendunt. Ariſtotelis autem exigua apud eos fuit auctoritas. *

* Primum hic diſpiciendum, de philoſophia ipſa quid cenſuerint patres, tum, quamnam ſequuti ſint philoſophandi rationem, exponendum eſt. Nimirum ad prius quod attinet, non vna omnium de philoſophia fuiſſe ſententia videtur, quibusdam eam laudantibus, reiicientibus & vituperantibus aliis. Inter eos, qui hoc faciunt, primus tribuitur locus TERTVLLIANO, cuius paſſim acriter & acerbe quaedam in philoſophiam dicta occurrunt. Notus cumprimis locus eſt; qui in libro *de praeſcriptionibus contra haereticos, c. VII. p. m. 232.* exſtat. Haereſes enim ibi inter alia & hanc ob cauſſam reiicit, quod ſint fructus ac foetus ſaecularis ſapientiae ac humanae philoſophiae. *Hae* (haereſes) *ſunt doctrinae hominum & daemoniorum, prurientibus auribus natae, de ingenio ſapientiae ſaecularis, quam dominus ſtultitiam vocans, ſtulta mundi in confuſionem etiam philoſophiae ipſius elegit. Ea eſt enim materia ſapientiae ſaecularis, temeraria interpres diuinae naturae & diſpoſitionis. Ipſae denique haereſes a philoſophia ſubornantur. Inter aeones & formae, neſcio quae, & trinitas hominis apud Valentinum; Platonicus fuerat. Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate; a Stoicis venerat. Et vt anima interire dicatur, ab Epicuraeis obſeruatur. Et vt carnis reſtitutio negetur, de vna omnium philoſophorum ſchola ſumitur. Et vbi materia cum Deo aequatur, Zenonis diſciplina eſt. Et vbi aliquid de igneo Deo allegatur, Heraclitus interuenit. Eadem materia apud haereticos & philoſophos volutatur, iidem retractatus implicantur. Vnde malum, & quare? & vnde homo & quomodo? & quod proxime Valentinus propoſuit, vnde Deus? Scilicet de enthymeſi & ectromate. Miſerum Ariſtotelem! qui illis dialecticam inſtituit, artificem ſtruendi & deſtruendi, verſipellem in ſententiis, coactam in coniecturis, duram in argumentis, operariam contentionum, moleſtam etiam ſibi ipſi, omnia retractantem, ne quid omnino tractauerit. Hinc illae fabulae & genealogiae interminabiles, & quaeſtiones infructuoſae, & ſermones ſerpentes velut cancer, a quibus apoſtolus nos refraenans, nominatim philoſophiam conteſtatur caueri oportere, ſcribens ad Coloſſenſes: videte, ne quis vos circumueniat per philoſophiam &c.* Non minus quoque notum eſt eiusdem TERTVLLIANI effatum, quo *philoſophos haereticorum patriarchas* vocauit; *aduerſus Hermogenem c. VIII. p. m. 269.* quod & ab aliis ſubinde repetitur. Sed & alia hinc inde illius leguntur, parum clementer, in philoſophos pariter ac in philoſophiam dicta, quae in vnum collecta exhibet IAC. PAMELIVS, in *adnotationib.* ad *Tertul. libr. de praeſcript. c. VII. p. m. 285.* Sunt autem viri docti, qui putant, in hiſce effatis TERTVLLIANVM non de philoſophia in ſe ſpectata, ſed corrupta, deque philoſophis gentilium, qui non tam rectae rationis ductum, quam ingenii ſui commenta, placitaque erronea ſequebantur, loqui. Ita quidem IAC. PAMELIVS, *l. c.* & CHRIST. LVPVS, qui TERTVLLIANI librum *de praeſcriptionibus, ſcholiis & notis illuſtratum,* edidit, ad *c. VII. p. 197. ſeqq.* Idem ex inſtituto euincitur in diſſertatione beati ADA. RECHENBERGII, certe ſub eius moderamine habita: *an haereticorum patriarchae philoſophi? ex illo Tertulliani adu. Hermogenem c. VIII. ad illuſtr. ſancti Pauli Coloſ. II, 8. monitum*, Lipſiae 1705, 4. Alii contra putant, diſcriminis iſtius inter

ter philoſophiam in ſe ſpectatam, & vitio philoſophorum corruptam, veſtigia luculenta apud TERTVLLIANVM non deprehendi; adeoque eum hic aliquid humani paſſum, ſaltem incaute loquutum, dum omnem philoſophiam reiicere & damnare videtur. Quod vero CHRIST. LVPVS, *l. c.* inculcat, ipſam chriſtianam religonem a patribus philoſophiam vocari, parum ad rem facit. Qui enim non aliam philoſophiam, quam chriſtianam religionem, non autem, eam, quae lumine rationis nititur, admittit, ille perinde facit, ac ſi nullam philoſophiam adprobet. Non ſatis circumſpecte hic inceſſiſſe TERTVLLIANVM, dum philoſophorum vitia ipſi philoſophiae tribuit, adſeritur in ERN. SAL. CYPRIANI *diatribe academica: qua expenditur illud Tertulliani: haereticorum patriarchae philoſophi*, Helmſtadii 1699, 4. Quod ſi ita ſe habeat, non erat, quod centuriatoribus Magdeburgenſibus iraſceretur IAC. PAMELIVS, quod hancce TERTVLLIANI ſententiam inter errores eius retulerint. *Quae*, inquit, *eo prolixius proſequuti ſumus, quod perperam & Magdeburgenſes inter Tertulliani, & quidam alius inter Lactantii errores collocarint, dicere: ex philoſophia ortas haereſes.* Antiquior TERTVLLIANO, vt quibusdam videtur, eſt HERMIAS, philoſophus, quamquam nonnulli eumdem eſſe putent, cum HERMIA SOZOMENO, hiſtoriae eccleſiaſticae ſcriptore notiſſimo, qui ſaeculo quinto floruit. Huius exſtat διασυρμὸς τῶν ἔξω φιλοσόφων *irriſio gentilium philoſophorum*, quam cum TATIANI *oratione ad Graecos* edidit WILH. WORTH, Oxoniae 1700, 8. In ea id agit, vt gentilium philoſophos, ob diſſenſiones perpetuas, pugnasque, quibus ſe mutuo conficiunt, omnium ludibrio exponat; eſtque libellus hicce nec inutilis, nec iniucundus. Licet vero ipſos potius philoſophos, quam philoſophiam, perſtringat; de hac tamen itidem non adeo praeclare ſentire videtur. Cum enim ſtatim ab initio illud Pauli: *ſapientia huius mundi ſtultitia eſt apud Deum*, calculo ſuo adprobaſſet, addit: δοκεῖ γάρ μοι τὴν ἀρχὴν εἰληφέναι ἀπὸ τῆς τῶν ἀγγέλων ἀποστασίας. δι' ἣν αἰτίαν οὐδὲ σύμφωνα, οὐδὲ ὁμόλογα οἱ φιλόσοφοι πρὸς ἀλλήλους λέγοντες, ἐκτίθενται τὰ δόγματα. *Videtur enim mihi iſta ſapientia ab angelorum defectione principium petiiſſe; & eam eſſe cauſſam, cur philoſophorum decreta inter ſe neque conſentiant, neque adprobentur, c. I. p. m. 213.* Nec eſt, quod dicas, de gentilium tantum philoſophia hoc accipiendum eſſe; cum, illum, praeter eam, aliam admiſiſſe, non conſtet. TATIANVS etiam Graecorum philoſophiam prorſus contemnit, atque explodit. Omnia potius a barbaris, quo nomine etiam Ebraeos, horumque magiſtrum praecipuum Moſen, patres complectuntur, eos accepiſſe, contendit. Hinc orationem ſuam hiſce auſpicatur verbis: Μὴ πάνυ φιλέχθρως διατίθεσθε πρὸς τοὺς βαρβάρους, ὦ ἄνδρες Ἕλληνες, μηδὲ φθονήσητε τοῖς τούτων δόγμασι. ποῖον γὰρ ἐπιτήδευμα παρ' ὑμῖν, τὴν σύστασιν οὐκ ἀπὸ βαρβάρων ἐκτήσατο; *Non decet vos, o! Graeci, odio tanto proſequi barbaros, & ipſorum placitis inuidere. Quod enim apud vos ſtudium, non a barbaris traxit originem?* Adſerit deinde *c. II. p. 6.* ſe ſapientiae graecanicae valedixiſſe, licet non parum exiſtimationis per eam adeptus eſſet. Et porro *c. III. p. 7.* τί γάρ, inquit, σεμνὸν φιλοσοφοῦντες ἐξηνέγκατε; τίς δὲ τῶν πάνυ σπουδαίων ἀλαζονείας ἔξω καθέστηκεν; *Quid enim philoſophia veſtra produxit egregium? aut quis illorum etiam, qui excellere viſi ſunt, expers arrogantiae fuit?* Haud obſcure autem patet, eum philoſophiam graecanicam, philoſophiae, hoc eſt religioni chriſtianae, opponere; dumque hanc tantum adprobat, philoſophiam etiam generatim ſpectatam non reiicere nequit; ſaltem diſtincte hac ſuper re mentem ſuam non explicat. Neſcio, an illis, qui parum praeclare & de philoſophia, & de philoſophis, ſentiunt, addere

Digitized by Google

dere debeam HIERONYMVM? Certe TERTVLLIANI illud; *philoſophi haereticorum patriarchae*, haud obſcure adprobat, quando *pulchre quidam*, inquit, *noſtrorum ait: philoſophi patriarchae haereticorum, eccleſiae puritatem peruerſa maculauere doctrina, &c. ep. XLIII. ad Cteſiphontem, tom. IV. oper. part. II. p. 474.* edit. IO. MARTIANAEI.

Plerique tamen ex patribus aliter cenſuerunt, tantumque abeſt, vt philoſophiam reiecerint, vt laudauerint potius, commendauerintque. Nihil praeclarius temere de philoſophia dici poteſt, quam quod dixit IVSTINVS martyr: ἔστι γὰρ τῷ ὄντι φιλοσοφία μέγιστον κτῆμα, καὶ τιμιώτατον Θεῷ, ὅτε προσάγει καὶ συνίστησιν ἡμᾶς μόνη καὶ ὅσιοι ὡς ἀληθῶς οὗτοί εἰσιν, οἱ φιλοσοφίᾳ τὸν νοῦν προσεσχηκότες. *Eſt namque reuera philoſophia maximum bonum, & Deo gratiſſimum, quippe quae ſola nos ad illum adducat, eique commendet. Atque ii demum vere ſunt felices, qui mentem philoſophia excolunt*; in *dialog. cum Tryphone iudaeo, p. m. 218.* Pari ratione & CLEMENS Alexandrinus in laudanda philoſophia totus eſt. Φιλοσοφητέον οὖν, inquit, καὶ ταῖς γυναιξὶν, ἐμφερῶς τοῖς ἀνδράσι, κἂν βελτίους οἱ ἄρρενες, τὰ πρῶτα ἐν πᾶσι φερόμενοι τυγχάνωσιν, ἐκτὸς εἰ μὴ καταμαλακισθῶσιν. *Eſt ergo philoſophandum mulieribus similiter ac viris, etiamſi praeſtantiores maſculi primas in omnibus partes ferant, niſi euaſerint molles & effeminati; lib. IV. ſtrom. p. 592.* editionis IO. POTTERI. Idem deinceps laudat verba EPICVRI ad MENOECEVM ſcribentis, quae breuitatis ſtudio latine tantum recitabimus: *Nec ſi ſit aliquis iuuenis, differat philoſophari; neque ſi ſit ſenex, defatigetur philoſophando; nam nec eſt aliquis immaturus, neque nimis profectae & exhauſtae aetatis, ad adipiſcendam animi ſanitatem. Qui autem dicit, nondum eſſe, vel praeteriiſſe tempus philoſophandi, ſimilis eſt ei, qui dicit, ad beatitudinem vel nondum adeſſe tempus, vel tempus praeteriiſſe. Quare & iuniori philoſophandum eſt & ſeni; huic quidem, vt ſeneſcens iuueneſcat bonis, per gratiam eorum, quae facta fuerint; illi autem, vt ſit ſimul iuuenis, & ſenex per futurorum metus vacuitatem; l. c. p. 595. 596.* Similia & alibi, & apud alios, leguntur. Si tamen dicendum, quod res eſt, patres iſti diſtincte, quid per philoſophiam intelligant, non explicant, immo interdum cum religione reuelata, ſpeciatim chriſtiana, eam confundere videntur. Sic IVSTINVS martyr in eodem *dialogo cum Tryphone Iudaeo, p. m. 225.* de chriſtiana religione, ταύτην μόνην φιλοσοφίαν ἀσφαλῆ τε καὶ σύμφορον: *hanc ſolam certam & vtilem philoſophiam* eſſe, adſerit. Pari ratione CLEMENS Alexandrinus de barbara ſeu chriſtiana philoſophia dicit, quod τελεία ἐστι τῷ ὄντι καὶ ἀληθεῖ *vera & vere perfecta, lib. II. ſtrom. p. 430.* Ceterum CLEMENTIS de philoſophia ſententiam, quod ea chriſtianis conueniat, copioſius edifferit NIC. LE NOVRRY, in *adparatu ad bibliothecam maximam patrum, lib. III. diſſert. II. c. XV. artic. I. p. 1104. ſeqq.* qui & *articulo II.* ac *III.* operoſe ad rationes ſecus ſentientium reſpondet. Videtur etiam omnino CLEMENS plus, quam decet, philoſophiae tribuere; vt cum *lib. I. ſtrom. p. 377.* editionis IO. POTTERI, dicit: καί τοι καὶ καθ᾽ ἑαυτὴν ἐδικαίου ποτὲ καὶ ἡ φιλοσοφία τοὺς Ἕλληνας. *quamquam per ſe quoque aliquando Graecos iuſtificabat philoſophia*; & alibi *lib. VI.* ſcilicet *ſtromat. p. 823.* eiusdem editionis, adſerit, vt Iudaeis legem, ita Graecis datam eſſe philoſophiam, vsque ad aduentum Chriſti. Ad quae, aliaque eiusdem generis vt reſpondeat idem vir doctus NIC. LE NOVRRY, in omnem ſeſe vertit partem. Et ad poſterius quidem eius adſertum quod attinet, hoc ſibi velle CLEMENTEM, oſtendit, Graecos per philoſophiam, vt Iudaeos per legem, vocatos, ad doctrinam

fidei,

fidei, ſeu chriſtianae religionis, profitendam. Cum vero idem dicit, *Graecos per philoſophiam fuiſſe iuſtificatos*; in memoriam nobis reuocat, de ea tantum illum loqui philoſophia, quae iuſtitiam cum vera ſcientia docet, & vera dumtaxat documenta ex diuinis Ebraeorum ſcriptis aut traditionibus delibauit, quaeque proinde ad ipſummet Deum, omnis ſapientiae, omniumque bonorum auctorem, debet referri; *l. c. p. 1110*. Quis autem non videt, perquam incommode, minusque adcurate, CLEMENTEM loqui? Confirmatur etiam inde, quod antea dixi, CLEMENTEM, aliosque patres, diſtincte, quid per philoſophiam intelligerent, non explicaſſe; vnde non poteſt non magna obſcuritas, atque confuſio, oriri. Num CLEMENS iſte primus fuerit, qui chriſtianis philoſophiam commendauerit? idem NIC. LE NOVRRY, *l. c. p. 1106*. diſputat, & ex EVSEBIO, *lib. VI. hiſt. eccleſ. c. XIX*. probat, idem ante eum feciſſe PANTAENVM, quippe qui ſacrae ſcripturae, veraeque philoſophiae ſtudium coniunxerit.

Ad alterum nunc accedimus noſtrae diſceptationis caput, quamnam ipſimet patres maxime probauerint, aut ſectati ſint philoſophandi rationem? Platonicam pleriſque, certe IVSTINO martyri, CLEMENTI Alexandrino, ORIGENI, ipſique AVGVSTINO & aliis, placuiſſe, paſſim viri docti tradunt. Legendus prae reliquis hac de re THEOPH. RAYNAVDVS, in *theolog. naturali, prolog. §. V. num. LXXIV. ſeqq. p. 31*. Et AVGVSTINVS quidem multus eſt in Platonicae philoſophiae laudibus, *lib. VIII. de ciuit. Dei c. I. ſeqq.* alibique; quod & FRANC. FEVARDENTIVS obſeruat, ad IRENAEI *lib. III. c. XLV. p. 145*. editionis RENATI MASSVETI. Tam inſanus autem PLATONIS amor, aut furor potius, quosdam olim inuaſerat, vt dicerent, *omnes domini noſtri Ieſu Chriſti ſententias, quas mirari & praedicare cogebantur, de Platonis libris eum didiciſſe*, vt loquitur AVGVSTINVS, qui & illos ſimul refellit, *lib. II. de doctrina chriſtiana, c. XXVIII. p. m. 76*. De auctore, qui ſub DIONYSII areopagitae nomine latitat, quod prorſus Platonicus fuerit, conſtat. *Sanctus Dionyſius*, inquit NIC. CVSANVS cardinalis, *adeo Platonem imitatus eſt, vt ſaepius Platonis verba ſeriatim poſuiſſe reperiatur*; in *apolog. doctae ignorantiae, p. 60*. Nimium multorum patrum erga PLATONEM amorem etiam notat EHREGOTT DAN. COLBERGIVS, in *dem Hermetiſch-Platoniſchen Chriſtenthum, part. I. c. I. §. VI. ſeqq. p. 26. ſeqq.* itemque FRID. CHRIST. BVCHERVS, in *menſibus*, quos vocat, *pietiſticis*, cumprimis *menſe VI. ſeqq. p. 141. ſeqq.* vbi ex inſtituto hac de re diſputat. Placuit autem patribus vel hocce nomine PLATO, quod putarent, eum talia docere, quae cum Moſis pariter ac chriſtianae religionis ſcitis egregie conſpirarent; quem conſenſum inter alios ex inſtituto demonſtrare adgreſſus eſt, EVSEBIVS, *praeparat. euangel. lib. XII. & ſequentibus*. Cumque porro crederent, quae PLATO chriſtianae religioni conſentanea docuit, ea ex lumine rationis illi innoteſcere non potuiſſe; certatim in eam ingreſſi ſunt ſententiam, philoſophum huncce ab Ebraeis ſua accepiſſe, aut omnino Moſis legiſſe libros, licet, qua ratione hoc fieri potuerit, inter ſe non conuenirent. Praeeuntem ſibi hic habuerunt FL. IOSEPHVM, quem IVSTINVS, CLEMENS, THEODORETVS, aliique ſequuti ſunt, quorum loca indicat, placitaque calculo ſuo adprobat PET. DAN. HVETIVS, in *demonſtrat. euangel. prop. IV. p. 40*. Iungendus & THEOPH. RAYNAVDVS, *loco* antea *citato p. 31*. Quemadmodum autem a reliquis hic diſſentit LACTANTIVS, Iudaeos vmquam a PLATONE auditos, negans, *inſtitut. diuin. lib. IV. c. II.*

II. ita hodie fere haec ſententia exploſa eſt a viris doctis, ſaltem varia contra eam mouentur dubia, a IO. CLERICO, in *epiſtolis criticis & eccleſiaſticis, ep. VII. p. 217. ſeqq.* Legenda cumprimis viri clariſſimi IAC. LENFANT diſſertatio, *an Pythagoras & Plato notitiam habuerint librorum Moſis & prophetarum; dans la bibliotheque germanique, tom. II. num. V. p. 124. ſeqq.* Addenda, quae ipſemet hac de re dixi in *hiſtor. eccleſiaſt. veter. teſtam. tom. II. per. II. ſect. VI.* ad §. *XIII. p. 1066.* & in *inſtitutionib. theolog. dogm. lib. II. c. I.* ad §. *LV. p. 437.* Quando autem adſeritur, patres in quibusdam PLATONEM ſequutos, ſeu ab eo quaedam accepiſſe; cauendum, ne vltra, quam par eſt, hoc extendamus. Hoc illi faciunt, qui, quae ipſimet ferre nequeunt, ſtatim pro Platonicis venditant, eaque ex PLATONE, non autem ex ſcriptura ſacra fluxiſſe, adſerunt. Sic myſterium trinitatis, ſcripturae ſacrae pariter ac genti ebraeae, vt putant, plane incognitum, a IVSTINO martyre demum, aliisque, qui ex Platonica philoſophia illud acceperint, primum in eccleſiam chriſtianam introductum eſſe, clamitant; ſimulque, PLATONEM nihil ab Ebraeis accepiſſe, ſed cum de trinitate quadam loqui videtur, eum ingenii ſui nobis narrare commenta, acriter contendunt. Ita quidem auctor libri: *le Platoniſme devoilé*, quem SOVVERAINIVM eſſe, ferunt, cumprimis *part. I. c. IX. & XIII. p. 91.* item *122. ſeqq.* qui conſentientem ſecum habet, ſi caput cauſſae ſpectes, IO. CLERICVM, in *epiſtolis criticis & eccleſiaſticis*, cumprimis *epiſt. VII. & VIII. p. 217. ſeqq.* Quae, quo loco habenda ſint, a me iam demonſtratum eſt, in *inſtitut. theolog. dogmat. lib. II. c. I.* ad §. *LV. p. 440. ſeqq.* Qui theologiae myſticae, & quidem corruptae, originem ex philoſophia patrum Platonica deriuant; in eo quidem non falluntur, quod putant, ſententias quasdam, & loquendi formulas, ex ſchola PLATONIS incautius a patribus adſumtas, & vſurpatas, corruptioni huic originem dediſſe; ſubinde tamen, in Platoniſmis patrum augendis, modum excedunt, & pro Platonicis dogmatibus habent, quae ex ſcriptura ſacra poterant deriuari. Diiudicanda hinc, quae EHREGOTT DAN. COLBERGIVS, & FRID. CHRIST. BVCHERVS, *locis* antea *citatis*, de Platonicis patrum dogmatibus paſſim diſſerunt. Ad alterum extremum procurrere quodammodo videtur P. BALTVS, ſocietati Ieſuitarum adſcriptus, in libro, *defenſe de ſaintes peres, accuſez de Platoniſme* inſcripto, editoque Pariſiis 1711, 4. quem auctori libri: *le Platoniſme devoilé*, praecipue autem IO. CLERICO oppoſuit. Et ea quidem dogmata, quae chriſtianae religioni ſunt propria, quaeue ex ſcriptura ſacra deriuari poſſunt, cuiusmodi illud de ſacro ſancta trinitate eſt, patres ex philoſophia Platonica neutiquam hauſiſſe, recte prorſus docet. Dum autem patres ab omni Platoniſmi imputatione abſoluit, vltra, quam par eſt, progreſſus, patribusque plus, quam decebat, tribuiſſe, videtur. Quod per integrum *librum primum* copioſe & erudite diſſerit, patres in philoſophia Platonica non fuiſſe inſtitutos, eo quod philoſophia Platonica in ſcholis chriſtianorum non fuerit recepta; nec eam, ſi methodum ſtudii philoſophici vſitatam ſpectes, conſectati ſint; immo quod nec in ſcholis ethnicorum eo tempore vbique regnauerit; partim parum ad rem facit, partim ſine certo fundamento adſeritur. Cum enim quosdam patrum, vt IVSTINVM, CLEMENTEM Alexandrinum, ORIGENEM, Platonicae philoſophiae peritos fuiſſe, nec ipſe vir doctus negauerit; occaſionem certe eam addiſcendi eo tempore non defuiſſe, neceſſe eſt; quod vtrum ante quorumdam, ad chriſtianam religionem conuerſionem factum

ctum ſit, an poſt eam, parum refert. Quod *libro ſecundo* fuſe non minus quam erudite probat, patres generatim philoſophiam gentilem, ſpeciatim Platonicam, reieciſſe; id ita comparatum eſt, vt nondum inde ſequatur, in quibusdam eosdem patres Platonis non adprobaſſe placita. Potuerunt eam, prout chriſtianae religioni aduerſabatur, aut aduerſari putabant, reiicere, vt tamen, prout conſentire cum illa ex ipſorum opinione, videbatur, eamdem adprobarent ac ſequerentur. Nec video, quo pacto Platonicam philoſophiam prorſus reiicere potuerint, cum in eo fere omnes conſentiant, vt antea obſeruatum, PLATONEM ſua a Moſe accepiſſe. Ergone reiecerunt, quae a Moſe profecta ipſimet crediderunt. Eſto, impugnauerint patres ſpeciatim placita quaedam PLATONIS, quod *libro III.* probare conatur; rurſus hoc non minus certum, quod alia adoptauerint, ſuoque comprobauerint calculo. Multa ceteroquin hic moneri poſſent, ſi inſtituti noſtri hoc permitteret ratio. Sic ad ideas, quae tertium rerum omnium principium ex mente PLATONIS conſtituebant, quod attinet, de quibus auctor *c. I. p. 326. ſeqq.* diſputat, etſi quidam eas reiecerint, alios tamen adprobaſſe, certum eſt, licet rurſus nonnulli eas contra ſententiam PLATONIS cum intellectu diuino coniunxerint. Neque EVSEBIVS ſolum, quod vir doctus largitur, ſed IVSTINVS quoque, atque CLEMENS Alexandrinus, idearum originem ex ſacris litteris deriuare voluerunt, vt DION. PETAVIVS obſeruat, *dogmat. theolog. tom I. lib. IV. c. XI. p. 298. ſeqq.* Iungendus IAC. BRVCKERVS, vir clariſſimus, in *hiſtoria philoſophica doctrinae de ideis, ſect. II, §. II. p. 179. ſeqq.* vbi patrum, ſpeciatim & AVGVSTINI, de ideis Platonicis ſententiam, ex inſtituto diſſerit. Vltimo denique, ſeu *quarto libro*, P. BALTVS ea, quae ſuae ſententiae obſtare, putat, diluere adnititur; ſpeciatim ad elogia quod attinet, quibus patres philoſophiam Platonicam ornant, ex iis, quod eamdem quoque amplexi ſint, confici non poſſe, contendit. Quod admitteremus, niſi patres philoſophiam Platonicam ita laudaſſent, vt ſimul ceu deriuatam a Moſe, & in plurimis cum religione chriſtiana conſentientem, adprobaſſent. Vnicum ſufficiat IVSTINI martyris teſtimonium: χριστιανὸς εὑρεθῆναι καὶ εὐχόμενος, καὶ παμμάχως ἀγωνιζόμενος ὁμολογῶ. οὐχ᾽ ὅτι ἀλλότριά ἐστι τὰ πλάτωνος διδάγματα τοῦ χριστοῦ, ἀλλ᾽ ὅτι οὐκ ἔστι πάντῃ ὅμοια, ὥσπερ οὐδὲ τὰ τῶν ἄλλων, Στωικῶν τε, καὶ ποιητῶν, καὶ συγγραφέων. *Vt chriſtianus inuenirer, me ex votis omnibus optaſſe, & omni contentione elaboraſſe, profiteor: non equidem, quod alienae ſint a Chriſto Platonis doctrinae, ſed, quod in omnibus non ſibi ſint ſimiles ſicuti neque aliorum, Stoicorum videlicet, & poetarum, & hiſtoricorum; apol. II. pro chriſtianis, p. m. 34.* edit. H. HVTCHINI. Diſerte hic dicit IVSTINVS, *Platonis doctrinas a Chriſto non eſſe alienas.* Quod adeo telum fruſtra euitare conatur BALTVS, *lib. IV. c. XIII. p. 524.* Licet autem iſti Platonici vulgo audiant patres, quod PLATONIS in quibusdam adprobent, ac ſequantur placita; tantum tamen abeſt, vt in omnibus hoc faciant, vt potius interdum Stoicis, aut aliis philoſophis ſuffragentur. Pari ratione, licet HIERONYMVS, Stoicos proxime ad chriſtianam religionem accedere, videatur adſerere, & LACTANTIVS praecipue ARISTOTELEM laudet; ideo tamen reliquos non plane reſpuunt, quamquam vterque nec philoſophiae, nec philoſophis gentilium, multum tribuat. Hinc non errant, qui, patres eclecticos potius, quam Platonicos, aut certae cuidam ſectae addictos, ſtatuunt. Et hanc quoque ſe philoſophandi probare rationem, diſerte profitetur CLEMENS Alexandrinus: Φιλοσοφίαν δὲ, οὐ τὴν Στωικὴν λέγω, οὐδὲ τὴν Πλατω-

νικὴν ἢ τὴν ἐπικούρειον τε, καὶ Ἀριστοτελικήν. ἀλλ' ὅσα εἴρηται παρ' ἑκάστῃ τῶν αἱρέσεων τούτων καλῶς, δικαιοσύνην μετὰ εὐσεβοῦς ἐπιστήμης ἐκδιδάσκοντα, τοῦτο σύμπαν τὸ ἐκλεκτικὸν φιλοσοφίαν φημί. *Philoſophiam autem non dico Stoicam, nec Platonicam aut Epicuream & Ariſtotelicam, ſed quaecumque ab his ſectis recte dicta ſunt, quae docent iuſtitiam cum pia ſcientia, hoc totum ſelectum, dico philoſophiam; ſtrom. lib. I. p. m. 338.* editionis IO. POTTERI. Similia & alibi apud eumdem occurrunt, quae indicat NIC. LE NOVRRY, in *adparatu ad bibliothecam maximam patrum, lib. III. diſſert. II. c. XV. artic. I. p. 1104.* Accedit, quod eodem circiter tempore, quo patres philoſophiam cum religione chriſtiana coniungere coeperunt, eclectica philoſophandi ratio, auctore POTAMONE Alexandrino, orta ſit, eumque in finem introducta, vt ſcepticorum ſtultitiae pariter ac Epicureorum impietati obuiam iretur; quoniam per vtramque philoſophia omnium contemtui exponebatur. Immo putabant, qui eam amplectebantur, ſe hac ratione chriſtianorum, impie, inepte, turpiterque a gentilium philoſophis dicta, obiicientium, tela euitare poſſe; quemadmodum & iidem in rebus praecipue, ad mores ſpectantibus, ita philoſophabantur, vt in multis ad chriſtianae religionis ſcita proxime accederent, quod PROCLI, PORPHYRII, aliorumque exemplo patet. Praeclare hoc obſeruauit beatus GOTTFR. OLEARIVS, in *diſſertat. de philoſophia eclectica*, quae ſubnexa eſt THO. STANLEII *hiſtoriae philoſophiae, c. II. p. 1207. ſeqq.* qui & *c. IV.* de *chriſtianis eclecticam philoſophiam ſequentibus* differens, CLEMENTEM Alexandrinum pariter ac ORIGENEM iis adnumerat. Ex reliquis, & quidem latinis, audire adhuc iuuat LACTANTIVM, qui eclecticum ſe profitetur, dum ita verba facit: *Facile eſt autem docere, pene vniuerſam veritatem per philoſophorum ſectas eſſe diuiſam. Non enim philoſophiam ſic nos euertimus, vt academici ſolent, quibus ad omnia reſpondere, propoſitum eſt: quod eſt potius calumniari & illudere. Sed docemus, nullam ſectam fuiſſe tam deuiam, nec philoſophorum quemquam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero; lib. VII. c. VII. p. m. 806.* Eclectici itaque dici poſſunt patres, quod nulli philoſophorum ita adhaeſerint, vt totum eius ſyſtema amplecterentur, ceteroſque omnes reiicerent. Dubitari tamen, ſi dicendum quod res eſt, poſſit, an omnino adpellandi ſint philoſophi. Namque & ad eclecticam philoſophiam non ſufficit, quod nullius in verba quis iuret magiſtri, aut mox huius, mox illius effata adprobet, niſi ipſe ſimul integrum aliquod apteque cohaerens philoſophiae ſyſtema ſibi conſtituat; quod de nullo patrum, quantum mihi conſtat, adſeri poterit. Nec enim ſe philoſophos eſſe, aut philoſophiam proprie ſic dictam tradere, profeſſi ſunt, ſed religionem chriſtianam, quae, vt antea diximus, philoſophiae nomine illis quandoque veniebat. Hinc & ex gentilium philoſophorum ſcriptis ea tantum decerpebant, quae inſtituto ſuo inſeruire putabant, ſiue ea refellere, ſiue conſenſu iſtorum & conuenientia doctrinae ſuae pondus aliquod addere vellent. Quemadmodum autem pleriſque PLATO maxime placuit; ita maxime diſplicuit ARISTOTELES, quod, prolatis veterum teſtimoniis, docet IO. LAVNOIVS, de *varia Ariſtotelis in academia Pariſienſi fortuna, c. II. p. m. 131. ſeqq.* Rationes eius rei adfert IO. HERMANNVS AB ELSWICH, in *ſchediaſmate de varia Ariſtotelis in ſcholis proteſtantium fortuna*, quod libro LAVNOII a ſe iterum edito, praemiſit, §. *IV. p. 8. ſeqq.* qui & §. *V.* quoſdam veterum indicat, ſed non magni nominis, qui Ariſtotelem ſequuti ſint. Sed hiſce diutius non immorabimur.

§. VI.

§. VI. Logicam ſi ſpectes, ratiocinia eorum non ſemper adcurata eſſe, aut artis huius regulis ſatisfacere, dudum viris doctis obſeruatum eſt, exemplisque comprobari poteſt. * Nec in reliquis philoſophiae partibus adeo eximii quid ab hiſce eccleſiae veteris doctoribus exſpectandum, quamquam nec ab iis hoc poſtulari poteſt. **

* Patres quandoque infirmis, immo ſpuriis ratiociniis vti, non hodie demum, aut nudius tertius viri docti obſeruarunt, ſed in IRENAEO hoc iam notauit PHOTIVS. Cum enim dixiſſet, praeter *libros eius quinque aduerſus haereſes*, plura & varia ſcripta, & epiſtolas circumferri addit: ἐν καὶ ἔν τισιν αὐτῶν ἡ τῆς κατὰ τὰ ἐκκλησιαστικὰ δόγματα ἀληθείας ἀκρίβεια νόθοις λογισμοῖς κιβδηλεύεται, ἃ χρὴ παρασημαίνεσθαι. *etſi in aliquibus eccleſiaſticorum dogmatum certa veritas ſpuriis rationibus fucari videtur, quae obſeruaſſe conuenit; myriobibl. cod. CXX. p. 302.* Quae verba cum REN. MASSVETVS recitaſſet, addit: *In quae Irenaei ſcripta, ſcriptorumque loca, digitum intenderit Photius, incertum. Sed ſi is ſit Photii verborum ſenſus, infirma interdum argumenta, ad probandas certas fidei veritates, ab Irenaeo adhiberi; leuiſſimum vitii genus eſt, omnibus fere ſcriptoribus commune, quodque eo difficilius cauere quis poteſt, quo aduerſarios ſtudioſius inſectatur ac omnigenis argumentis obruere nititur. Quis enim auctor tantum valeat, vt ea omnia, quibus aduerſarios refellit, argumenta, totidem demonſtrationes ſint? diſſertationib. praeuiis in Irenaeum diſſert. III. p. 106.* Ita, dum vir doctus infirma patrum, ſpeciatim IRENAEI ratiocinia, defendere conatur; ipſemet mentis imbecillitatem inſigni exemplo prodit. Perperam primum *infirmas* rationes interpretatur, quas *ſpurias* (νόθους λογισμούς) PHOTIVS dixerat. Deinde *leuiſſimum vitii genus* eſſe, putat, infirma argumenta ad probandas certas fidei veritates adhibere. Itane? Nonne hac ratione veritas proditur potius, quam ſtabilitur? Si porro de patribus intelligit, quod dicit, *omnibus fere ſcriptoribus hoc vitium eſſe commune;* diſcent inde, qui eidem eccleſiae romanae addicti ſunt, quam parum patribus ſit tribuendum; ſin etiam de recentioribus, erunt, qui facile de romanae eccleſiae propugnatoribus, non autem de aliis hoc largientur. Nec perſuadebit omnibus, eo difficilius hoc vitium caueri, quo quis ſtudioſius aduerſarios inſectatur. Quo ſtudioſius enim quis aduerſarium ſuum refellit, eo maiorem in adſertionibus ſuis probandis adhibere ſolet ἀκρίβειαν. Bene autem eſt, quod poſt multas verborum ambages, ipſe tandem MASSVETVS fateatur: *Non tamen hactenus dictis negauerim, quin apud Irenaeum ſpuriae quaedam occurrant rationes, quibus reuera eccleſiaſticorum dogmatum veritas fucetur potius quam illuſtretur: quales ſunt eae, quas a Chriſti aetate & millenario regno petit; ſed iis & aliis quibusdam paucis exceptis, ceteris omnibus, ſi aequitatis ponderibus examinentur, & ad auctoris ſcopum atque conſilium exigantur, pretium conſtabit & robur.* Si verum eſt, quasdam ſaltem rationes ſpurias apud IRENAEVM occurrere; cur ergo vitio vertit PHOTIO, idem quod dixerat? cur contra eum diſputauit? Quamquam, an reliquae ita comparatae ſint, vt ſuum illis conſtare pretium, ſuumque robur queat, nunc non diſquiram. Legenda, quae de eodem hocce MASSVETI loco monet vir clariſſimus DAN. MAICHELIVS, in *introd. ad hiſtor. litterar. de praecipuis bibliothecis Pariſienſibus, part. II. c. II. §. XXVIII. p. 150. ſeqq.* De IVSTINI martyris *naeuis in ratiocinando commiſſis* ex inſtituto agit vir illuſtris NIC. HIERONYMVS

NYMVS GVNDLINGIVS, *obſeruation. ſelectar. ad rem litterar. ſpectant. tom. II. obſeruat. VII. & IX. p. 89. ſeqq.* Atque poterant ex ex aliis patribus ſimilia facili negotio colligi. Vnicum tantum quod ſpeciminis inſtar ſit, quodue legenti EPIPHANIVM ſeſe mihi obtulit, adferemus. Probaturus is contra antidico-Marianitas, beatam virginem Mariam, poſt editum in lucem mundi ſeruatorem, cum Ioſepho nullam habuiſſe conſuetudinem, nec alios peperiſſe liberos, ita inter alia verba facit: *Leaena cum ad partum venerit, eadem illa die ab omni parturiendi conditione & moleſtia liberatur; ſiquidem in ipſo partu vterum ſimul ac matricem excerni, naturalium rerum indagatores adſerunt; adeo vt nulla inpoſterum veneris cupiditate tangatur, niſi aliqua vis adhibeatur; quod ſi marem experiri cogatur, non amplius tamen foetum geſtare poteſt, vtpote quae matrice careat. Qua quidem ex narratione ad id, de quo agimus, ſimilitudinem quamdam licet transferre, quae vtilitatem potius, quam damnum aliquod continere videatur. Etenim ſi catulum leonis Iudam Iacob nominans, Chriſtum quadam ſermonis figura adumbrauit, cum eoque illud ex Ioannis apocalypſi congruit: ecce! vicit leo de tribu Iuda, & de ſtirpe Dauid; cum leoni dominus adſimuletur, non natura quidem, ſed ſimilitudinis, adumbrationisque gratia, quod regia quaedam inſit in leone dignitas &c. non abſurde matrem illius leaenam adpellabimus. Qui enim leo generari poteſt, niſi mater eius leaena nominetur. Ceterum vti leaena ſecundo non parit; ita ſacro-ſancta virgo Maria alterius partus expers fuit, ac nullum corporis commercium exercuit; haereſ. LXXVIII. p.m. 1044.* In hiſce verbis, quae breuitatis ſtudio latine tantum dedimus, EPIPHANIVS primum in eo peccat, quod perperam credidit, leaenam vnicum tantum per omnem vitam edere catulum. Licet enim HERODOTVS, & forte alii quidam, illud adſerant; rem tamen aliter ſeſe habere, iam obſeruauit ARISTOTELES, *de generat. animal. cap. X.* Immo ex ipſa ſacra ſcriptura, veritati conſentaneum non eſſe, quod ſcripſit, diſcere potuiſſet, ſiquidem *Ezech. XIX, 2.* legitur: *inter leunculos educauit catulos ſuos: & e catulis ſuis vnus in leunculum adoleuit.* Deinde, ſi quis hodie ita rationes ſubduceret: leaena vnicum tantum parit catulum; ergo Maria praeter mundi ſeruatorem alios liberos non peperit; is omnium ſe exponeret ludibrio. Non ſine ratione igitur hanc EPIPHANII ratiocinationem exagitat IAC. BASNAGIVS, in *diſſert. de haereſi Apollinaris, p. 60.* Cum igitur re ipſa, in arte ratiocinandi ſe non adeo exercitatos, patres oſtenderent; facile intelligitur, eos de praeceptis eius tradendis non multum ſollicitos fuiſſe. Cum philoſophia peripatetica iam caput tollere inciperet, IO. DAMASCENVS *dialecticam* ſcripſit, quae operum eius, a MICH. LEQVIEN editorum, *tom. I.* exſtat, *p. 5. ſeqq.* qua tamen hodie facile caremus. Quae AVGVSTINI nomen prae ſe ferunt, *principia dialectices*, a monachis Benedictinis, operum eius editoribus, in *adpendice tomi primi* inter opera ſpuria referuntur.

** Sic, qui in phyſica doctrina eximii quid in patribus quaerunt, falluntur; falluntur tamen etiam, qui eiusmodi quid ab iis poſtulant. Non enim id ſibi datum credebant, vt in rerum naturalium indolem, cauſſasque, adcuratius, curioſiusque inquirerent. Ea inſuper iſta aetate phyſicae doctrinae erat ratio, vt cum illa, quam hodie conſequuta eſt, facie, comparari nequeat. Nec praetermittendum, quod vir clariſſimus BALTVS obſeruat, veteris eccleſiae doctores alieniori a phyſica ideo fuiſſe animo, quod, qui eam ex gentilium philoſophis tractabant, eorum ſimul theologi cenſebantur, & in libris, in quibus rerum naturalium pirncipia explicabantur, ſimul de rebus diuinis, de prouidentia, de immortalitate animae,

mae, de quibus omnibus gentilium philoſophi plerumque longe aliter, quam chriſtiani ſentiebant, agebatur; *defenſe de ſaints peres accuſez de Platoniſme, cap. IX. p. 49.* Et ſane, EVSEBIVS, dum in eo eſt, vt libri decimi quinti *praeparationis euangelicae*, in quo praecipue phyſica philoſophorum dogmata attingit, argumentum indicet; *ſpecioſa illa egregiae Graecorum philoſophiae myſteria in lucem ſe prolaturum,* ait, & τὴν ἐν αὐτοῖς ἐκχεντομάθειαν, *quam nihil verae ſolidaeque eruditionis habeant, omnibus ante oculos poſiturum.* Addit, fore, vt omnes inde intelligant, ὅτι μὴ ἀγνοίᾳ τῶν παρ᾽ αὐτοῖς θαυμαζομένων, ὀλιγωρίᾳ δὲ τῆς ἐν αὐτοῖς ἀνωφελοῦς σχολῆς, ἥκιστα αὐτῶν πεφροντίκαμεν, τῇ τῶν κρειττόνων ἀσκήσει τὰς ἑαυτῶν ἐναθέντες ψυχάς, *non vlla rerum, quas tantopere demirantur, ignoratione, ſed inanis eorum ſtudii contemtu, omnem prope nos illarum curam exuiſſe, animis ad meliorum vſum exercitationemque traductis; cap. I. p. 789.* Mirum itaque non eſt, patres, ſi τὰ φυσικὰ interdum attingant, ea id facere ratione, vt haud adeo magnam hodie inde relaturi ſint laudem. Spectant autem huc, qui hexaëmeron, ſeu opus creationis, ſex diebus peractae, explicant, vt BASILIVS, AMBROSIVS, aliique. Qualis hic ſubinde illorum philoſophia ſit, vel inde intelligitur, quod plurimi in eam ingreſſi ſint ſententiam, *tenebras*, quarum *Gen. I. 2.* fit mentio, vmbram fuiſſe, quam caelum terrae & aquis conciliauerit; vti SOVCIETVS, Ieſuitarum ſocietati adſcriptus, obſeruat, in *diſſertat.* ad *Theophili Antioch. lib. II. §. XVIII.* quam ſuae THEOPH. editioni ſubiunxit IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, *p. 441.* Specimen phyſiologiae veterum chriſtianorum conſpicere licet in COSMAE, monachi aegyptii, qui & *Indopleuſtes* dicitur, *topographia chriſtiana*, ſiue *chriſtianorum opinione de mundo*, quam BERNH. DE MONTFAVCON edidit, in *collectione noua patrum & ſcriptorum graecorum*, quae Pariſiis 1706 lucem adſpexit, *tom. II. p. 113. ſeqq.* Exiſtimabant nimirum veteres chriſtiani, figuram orbis terrarum non ſphaericam, ſed planam eſſe; quam ſententiam, quibus argumentis propugnauerint, & quomodo ſecundum eam eclipſes, ortusque, & occaſus ſiderum, animo ſuo conceperint, hinc intelligere licet. Summam huius operis exhibet PHOTIVS, *myriobibl. cod. XXXVI.* quam ex eo repetit IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. III. cap. XXV. p. 609. ſeqq.* Aliud phyſiologiae chriſtianae ſpecimen exhibet Φυσιόλογος διεξελθὼν περὶ τῆς ἑκάστου φύσεως τῶν θηρίων τε καὶ τῶν πετεινῶν. *phyſiologus de natura ferarum & volucrum,* qui inter opera EPIPHANII *tom. II. p. 189. ſeqq.* exſtat, cum notis & verſione GONSALI PONCE DE LEON, Hiſpalenſis, qui eum ediderat Romae 1587 4. Atque hicce quidem editor, cum perſpiceret, quid in libello hocce deſiderari queat, cauſſam eius in *praefatione* hunc in modum agit: *Si quis, quas adfert animalium naturas, tanquam minus certas obiiciat, is ſciat, apud ceteros eiusdem argumenti ſcriptores fere eas omnes reperiri; ſi quae ſunt, quae vnum Epiphanium auctorem habeant, non ideo aduerſus ipſum falſi iudicium praetor dabit; nam & Ariſtotelem, quamdiu culex viuat, (vt Mercurius apud Lucianum aiebat) narrantem, quam profunde ſol radios emittat in mare, qualem animam habeant oſtrea, ac ſimilia cum admiratione legimus; quem tamen abligurito patrimonio, & infeliciter in militia, ad quam irruerat, agentem, pharmacopolam primum factum, poſtea ſimplices ac populares homines hiſce nugis detinuiſſe ſcribit Epicurus. Sed nec eo nomine reiiciendus eſt noſter phyſiologus, quod plebeia quaedam, trita, ac in omnium ore verſantia, adducat; nam certe, quidquid a tanto viro prodiit, plurimi faciendum eſt, viro ſanctitate, doctrina, antiquitate ſuſpiciendo.* Quae quousque ſufficiant? quilibet facile iudicabit. Phyſiologus autem iſte non tantum proprietates illorum animalium, de quibus agit,

agit, indicat, ſed adplicationem etiam ad theologica inſtituit, ieiunam maximam partem, atque frigidam, immo ſi dicendum, quod res eſt, haud raro plane ineptam. An ipſi EPIPHANIO hicce liber tribuendus ſit? viri quidam docti adhuc dubitant; immo eo antiquiorem eſſe putant, ſiquidem ab ORIGENE iam adlegetur *hom. XVII. in Geneſ. XLIX.* & RVFFINO, *de benedict. patriarch.* Conferendus hac de re IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth graec. volum. VII. lib. V. cap. XI. p. 427.* De natura animalium quaedam etiam attinguntur in epiſtola, quae ſub BARNABAE nomine circumfertur, *§. X.* quae tamen ita comparata eſſe, vt ſaepius opinionibus apud vulgus receptis, quam hiſtoriae naturali reſpondeant, viris doctis obſeruatum eſt. Legiſſe iuuabit, quae in editione *patrum apoſtolicorum* IO. BAPTISTAE COTELERII ad *huncce* BARNABAE *locum, tom. I. p. 31. ſeqq.* adnotantur. Ad doctrinam denique moralem quod attinet; eam, quae ex ſacrarum litterarum monumentis hauritur, patribus curae cordique fuiſſe, non eſt, quod dubitemus. Subinde quoque, quae ipſa ratio recta de his omnes condocet, ſcriptis ſuis inſperſerunt; ſed quemadmodum non ſemper, quae ad lumen rationis ſpectant, ab iis, quae luminis reuelationis propria ſunt, diſcreuerunt; ita multo minus ſyſtema aliquod philoſophiae moralis apud eos inuenire licet, vel ſcriptum aliquod morale ſolis rationis principiis ſuperſtructum, niſi A. MANLII TORQVATI SEVERINI BOETHII *libros quinque de conſolatione philoſophiae* huc referre velis. Sed de doctrina morali patrum capite ſequenti ex inſtituto dicemus.

§. VII. Ad ipſam *theologiam patrum* dum accedimus, obſeruandum; quo propius ab apoſtolorum tempore patres abfuerunt, eo purior ſimpliciorque fuit eorum theologia; quo longius inde remoti fuerunt, eo quidem adcuratius ſubinde varia doctrinae ſacrae capita, occaſionem praebentibus haereticis, pertractarunt; ſed eo plures etiam grauioresque in iis deprehenduntur naeui; qui tamen non obſtant, quo minus, quaenam catholica & orthodoxa eccleſiae fides fuerit, vtcumque cognoſci queat. *

* Quo propius ab apoſtolorum tempore abfuerunt patres, eo puriorem ſimpliciorem que eorum fuiſſe theologiam, probatione non indiget; cum nemo, vt puto, ſit, qui hoc inficiari auſus fuerit. Docent certe hoc ſcripta patrum, vt vocantur, apoſtolicorum, de quibus in ſequentibus erit dicendi locus. Sed id quoque conſtat, quo frequentius deinceps non tantum cum Iudaeis & gentilibus, ſed & cum variis haereticorum generibus, illis pugnandum fuit; eo diligentius modo hoc, modo aliud theologiae chriſtianae caput, ab illis excultum fuiſſe. Veritas ipſius religionis chriſtianae adſerta ab illis fuit, qui contra Iudaeos, aut ethnicos, ſcripſerunt, aut apologias pro chriſtianis ediderunt, vt IVSTINO martyre, ATHENAGORA, TERTVLLIANO, MINVTIO FELICE, aliiſque, quos recenſet IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. VII. lib. V. cap. VIII. p. 96. ſeqq.* de quibus etiam diligenter adcurateque in *adparatu ad bibliothecam maximam veterum patrum* NICOLAVS NOVRRY differit, qui ſpeciatim per integrum *tomum ſecundum* ſcriptores latinos tertii quartiue ſaeculi, qui veritatem chriſtianae religionis contra ethnicos demonſtrarunt, exhibet. Doctrinam de myſterio trinitatis illuſtrarunt, qui contra Samoſatenianos, Sabellianos, Arianos, ſimileſque haereticos, diſputarunt; quorum praecipuos indicat LVDOV. ELLIES

DV

DV PIN, in *methodo ſtudii theolog. cap. XVII. p. 178.* qui & ibidem, qui de incarnatione Chriſti ſcripſerunt, doctrinaeque de Chriſto maiorem adfuderunt lucem, laudat. Factum autem hoc praecipue ab iis, qui Neſtorianas, Eutychianasque, tractarunt controuerſias. Sic &, vt doctrina de gratia Dei, deque praedeſtinatione, itemque de libero arbitrio, & reliquis huc ſpectantibus, adcuratius ſub examen reuocaretur, effecerunt controuerſiae cum Manichaeis, & Pelagianis, in quibus AVGVSTINI maxime enituit diligentia; cui tamen & alii iungendi ab eodem auctore commemorati, *c. XIX. p. 185. ſeqq.* Atque ita quidem ſtudio patrum aucta eſt atque amplificata theologia. Neque tamen dixerim, quod vbique recte ſe geſſerint, & in omnibus laudem promeruerint. Immo neminem illorum omnis naeui expertem, quosdam etiam grauiores errores admiſiſſe, dudum viris doctis obſeruatum eſt; ſpeciatim MARTINO CHEMNITIO noſtro, in *orat. de lectione patrum*, quae beati ADAMI RECHENBERGII *ſummario hiſtoriae eccleſiaſt.* ſubnexa eſt, *p. 741 ſeqq.* IO. CLAVDIO, in *iudicio de patribus graecis & latinis antiquis*, quod ex *operibus* eius *poſthumis* excerptum, itidem *ſummario* RECHENBERGII ſubiunctum conſpicitur *p. 735. ſeqq.* IOAN. DALLAEO, de *vſu patrum, lib. II. c. IV. p. 252. ſeqq.* IO. HENR. HOTTINGERO, in *diſſertat. de abuſu patrum, p. 4. 5.* aliisque. Hi ipſi autem naeui atque errores patrum, dum hic in illo, alius in alio capite errauit, non obſtant, quo minus, ſi ex omnibus adſumantur, quae recte dicta ſunt, verae inde catholicaeque doctrinae in eccleſia perpetua conſeruatio propagatioque intelligi queat; in quo praecipuum vſum patrum conſiſtere, deinceps docebimus. Recte hoc obſeruauit magni quondam nominis in eccleſia noſtra theologus, AEGIDIVS HVNNIVS; dum, *non diffiteor*, inquit, *patres ſeu ſcriptores eccleſiaſticos varie de variis articulis ſcripſiſſe; fixum vero manet, in omnibus articulis chriſtianae religionis confirmandis proferri poſſe ex illorum monumentis aliqua perſpicua dicta & teſtimonia.* Et quibusdam interiectis: *Scimus, patres ſeu ſcriptores eccleſiaſticos in diuerſis articulis ſuos habuiſſe naeuos & errores; interim hoc firmum fixumque manet, non poſſe vllum in vniuerſa theologia demonſtrari locum, cuius non expreſſa reperiantur in erudita illa vetuſtate teſtimonia, ſi non apud hunc patrem, at certe apud alium, ſi non apud omnes, apud aliquos tamen, nec poterit inſtantia dari vlla, quae hoc adſirmatum infringat, aut debilitet ſaltem;* in *quaeſt. & reſponſ. de praedeſtinatione, tom. I. oper. p. 901.* Recitat haecce HVNNII verba, calculoque ſuo adprobat, beatus IO. GERHARDVS, in *methodo ſtudii theolog. part. III. ſect. V. cap. III. p. 265.*

§. VIII. Ad originem atque fata *theologiae patriſticae* quod attinet; fuerunt ſtatim in primis ſaeculis, qui ad priorum eccleſiae doctorum effata prouocarent, vt a ſe dictis auctoritatem quamdam conciliarent; tum vero exſtiterunt porro, qui patrum dicta colligerent, & inde velut theologiae quoddam ſyſtema concinnarent, vnde cum theologia patriſtica tandem ſcholaſtica enata, quae praeter alia & hoc incommodum habebat, quod patribus plus, quam decebat, tribuendo, ſcripturam tandem negligeret, ſaltem ei traditionem & patrum auctoritatem aequipararet, nouumque ita praeſidium romanae eccleſiae erroribus adferret. *

* Veteris eccleſiae doctoribus iam in more poſitum fuiſſe, vt, ad pondus aliquod a ſe dictis conciliandum, vel eccleſiae cum ſua ſententia conſenſum demonſtrandum,

ſubinde ad illos, qui ante ſuam aetatem vixerunt, prouocarent; nemo forte, niſi qui illorum numquam inſpexit monumenta, dubitauerit. Horum cum deinceps iterum alii imitarentur exemplum, nouaque in dies patrum auctoritas incrementa ſumeret, tandemque exſiſterent, qui ex dictis effatisque patrum integra theologiae ſyſtemata colligerent; ortam inde theologiam, quam vocamus, patriſticam, nemo non perſpicit. Quae licet in aprico poſita ſint, confirmare tamen paucis, ac illuſtrare iuuabit, vt ortum atque progreſſum theologiae huius eo planiorem faciamus. Scripſit IRENAEVS inter alia epiſtolam ad FLORINVM, in qua ſententiam eius, quod Deus ſit conditor malorum, refellebat, ex qua nonnulla EVSEBIVS refert, *hiſt. eccleſiaſt. lib. V. cap. XX. p. m. 187.* In ea IRENAEVS, vt FLORINVM refutaret, eiusque dogmata non eſſe ὑγιοῦς γνώμης oſtenderet, cumprimis etiam ad presbyteros, qui ante ſe vixerant, & apoſtolorum diſcipuli exſtiterant, hoc eſt, patres, prouocat. ταῦτα τὰ δόγματα, inquit, οἱ πρὸ ἡμῶν πρεσβύτεροι οἱ καὶ τοῖς ἀποστόλοις συμφοιτήσαντες, οὐ παρέδωκάν σοι. *Haec dogmata hi, qui ante nos vixere, presbyteri, qui etiam apoſtolorum diſcipuli exſtiterant, nequaquam tibi tradiderunt.* Opponit deinde FLORINO auctoritatem POLYCARPI, quippe quem adhuc vidiſſet ac audiuiſſet, dicitque: *Et in conſpectu Dei adfirmare poſſum, beatum illum & apoſtolicum presbyterum, ſi quid eiusmodi vnquam audiiſſet, exclamaturum continuo, & obturatis auribus ſuis dicturum fuiſſe, prout ipſi moris erat: Deus bone, quae me in tempora reſeruaſti, vt haec ſuſtinerem!* Dum autem IRENAEVS hac occaſione narrat, quae POLYCARPVS de Chriſto, eiusque miraculis ac doctrina vtpote quam a Ioanne & aliis, qui Chriſtum viderant, acceperat, commemoraſſet, addit: πάντα σύμφωνα ταῖς γραφαῖς, *in omnibus cum ſcriptura ſacra conſentiens;* haud obſcure ſignificans, quantacumque ſit patrum auctoritas, ſcripturam tamen ſacram nobis ſemper potiorem eſſe debere. Vt vero in aliis, ita cumprimis in controuerſiis cum Arianis patuit, quam ſollemne fuerit ad patrum prouocare auctoritatem. Arianos equidem hoc nomine reprehendit ATHANASIVS, quod patres, ſententiam eorum detorquendo, ad ſuas pertrahere partes auſi ſint; dum, οὐδὲν γὰρ, inquit, οὔτ' εὔλογον, οὔτε πρὸς ἀπόδειξιν ἐκ τῆς θείας γραφῆς ῥητὸν ἐχούσης τῆς διαιρέσεως αὐτῶν. ἀεὶ μὲν προφάσεις ἀναισχύντους ἐπορίζοντο καὶ σοφίσματα πιθανά. νῦν δὲ καὶ διαβάλλειν τοὺς πατέρας τετολμήκασιν· καὶ οὐκ ἀλλότριόν γε, ἀλλὰ καὶ ἴδιον τοῦτο τῆς κακονοίας ἐστὶν αὐτῶν. *Qui cum nihil rationi conſentaneum aut certi ex ſcripturis ſacris in haereſi ſua habeant, ac proinde improbas ſemper cauſſificationes & callida ſophiſmata in medium proferant, nunc eo audaciae proceſſere, vt etiam patres noſtros in calumniam vocent: minime id alienum ab ipſorum moribus, & proprium omnino eorum prauitatis ingenii;* in *epiſt. de ſententia Dionyſii &c. tom. I. oper. p. m. 549.* Recte itaque Arianos reprehendit, quod ad patres recurrant, cum rationis & ſcripturae praeſidiis deſtituantur, tum &, quod perperam id faciant, ea patribus tribuendo, quae iis in mentem non venerant. Quo ipſo, vt non negat, ad patres interdum prouocari poſſe; ita in hacce ipſa epiſtola operoſe probat, DIONYSIVM Alexandrinum neutiquam eadem cum Arianis docuiſſe, ſed cum ſynodi potius Nicaenae decretis prorſus conſenſiſſe. Sed & in *epiſtola de ſynodi Nicaenae decretis*, dum in eo eſt, vt euincat, patres iſtius ſynodi noua non finxiſſe vocabula, ſed quae ab aliis accepiſſent, vſurpaſſe; DIONYSIVM vtrumque, Alexandrinum & Romanum, THEOGNOSTVM, ipſumque ORIGENEM, in hiſce, Nicaenis patribus exemplum praeiuiſſe, condocet, *tom. I. oper. p. 274. ſeqq.* Sic & BASILIVS magnus, dum contra Sabellianos pariter, ac Arium, & anomoeos, diſputat, ad patres non minus, ac ſcripturam

ram

ram, quamuis ad hanc praecipue, eos ablegat. Παρακαλοῦμεν δὲ ὑμᾶς, inquit, μὴ ἐκ παντὸς τρόπου ζητεῖν τὸ ὑμῖν ἀρέσκον παρ' ἡμῶν ἀκοῦσαι, ἀλλ' ὃ τῷ κυρίῳ εὐάρεστόν ἐστι, καὶ σύμφωνον ταῖς γραφαῖς, καὶ μὴ μαχόμενον τοῖς πατράσιν· *Hortamur autem vos, ne quouis modo, quod vobis probetur, ex nobis audire quaeratis, ſed quod domino placeat, & conſonum ſit ſcripturis, nec patribus contrarium ſit.* Et quibusdam interiectis, ſpiritum ſanctum a patre & filio non eſſe ſeparandum, contendens; δυσωπείτω σε, inquit, ἡ παράδοσις· ὁ κύριος οὕτως ἐδίδαξεν, ἀπόστολοι ἐκήρυξαν, πατέρες διετήρησαν, μάρτυρες ἐβεβαίωσαν· ἀρκέσθητι λέγειν ὡς ἐδιδάχθης. *Abſterreat te dominica traditio; dominus ita docuit, apoſtoli praedicarunt, patres obſeruarunt, martyres confirmarunt; ſatis tibi ſit, vt dicas, quemadmodum edoctus es; homil. XXVII.* quae eſt *contra Sabellianos & Arium & anomoeos, tom. I. oper. p. m. 523. & 524.* Inter latinae eccleſiae doctores AVGVSTINVS cumprimis occurrit; qui etſi praecipue ſcripturae ſacrae auctoritate Pelagianos compeſceret, patrum tamen teſtimonia non negligenda, cenſuit, ne noua, quod illi iactitabant, quae propugnabat, dogmata eſſe viderentur. *Cum eorum (Pelagianorum)* inquit, *profanas vocum nouitates eccleſia Chriſti & occidentalis & orientalis horruerit; ad curam noſtram exiſtimo pertinere, non ſolum ſcripturas ſanctas canonicas aduerſus eos teſtes adhibere, quod iam ſatis fecimus; verum etiam de ſanctorum litteris, qui eas ante nos fama celeberrima & ingenti gloria tractauerunt, aliqua documenta proferre; non quo canonicis libris a nobis vllius diſputatoris aequetur auctoritas, tanquam omnino non ſit, quod melius ſeu verius ab aliquo catholico, quam ab alio itidem catholico ſentiatur; ſed vt admoneantur, qui putant, iſtos aliquid dicere, quemadmodum de his rebus ante noua iſtorum vaniloquia, catholici antiſtites eloquia diuina ſequuti ſint; & ſciant, a nobis rectam & antiquitus fundatam catholicam fidem aduerſus recentem Pelagianorum haereticorum praeſumtionem perniciemque defendi; lib. IV. contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap. VIII. tom. X. oper. p. 316.* Idem quoque Hipponenſium praeſul, ad Pelagianorum obiectionem, quod ipſemet dogma, de peccato originali, finxiſſet, reſpondens, *non ego*, inquit, *finxi originale peccatum, quod catholica fides credidit antiquitus; ſed tu, qui hoc negas, ſine dubio nouus es haereticus; de nuptiis & concupiſcentia, lib. II. cap. XII. tom. X. oper. p. 210.* Sufficere haec poſſunt, inde vt conſtet, iam in veteri eccleſia ad patrum interdum prouocatum fuiſſe auctoritatem. Plura autem ſi quis deſideret, MELCHIOREM CANVM adeat, *de locis theologicis, lib. VII. cap. III.* vbi, dum probare adnititur, *ſanctos ſimul omnes in fidei dogmate errare non poſſe*, varia, quae huc faciunt, adfert, cumprimis *p. 221.* Adeo vero hac de re dubitari nequit, vt potius, iam ea aetate interdum plus, quam decebat, patrum auctoritati tributum, videatur. Magis tamen ſequenti id factum tempore; exemplum luculentiſſimum iam praebente VINCENTIO Lerinenſi. Ipſi enim ſcripturae, ſacrae eccleſiae catholicae traditionem, quae patrum maxime teſtimoniis nititur, adiungit, vtraque fidei integritatem conſeruari adſerens; in *commonitorio primo cap. I. p. m. 211.* Traditionem nimirum *vniuerſitate, antiquitate* & *conſenſione* niti, docet; & *antiquitatem quidem*, inquit, *ſequemur, ſi ab his nullatenus ſenſibus recedamus, quos ſanctos maiores ac patres noſtros celebraſſe, manifeſtum eſt. Conſenſionem quoque*, ita pergit, *itidem, ſi in ipſa vetuſtate omnium, vel certe pene omnium ſacerdotum & magiſtrorum definitiones ſententiasque ſectemur; cap. III. p. 212.* Neue patrum auctoritas imminuatur, grauiter illis iraſcitur, qui veterum hallucinationes proferunt, deteguntque naeuos, quos *auctoris ſui Cham veſtigia ſequi*, ait, *qui*

qui nuditatem venerandi Noë non modo operire neglexit, verum quoque irridendam ceteris enuntiauit; cap. XI. p. 321. Per integrum huncce librum id maxime agit, vt *ad antiquitatem reſpiciendum*, *antiquitati inhaerendum*, inculcet, cumprimis *cap. XXVI. & XXVII. p. 245. ſeqq.* Dumque porro *vniuerſitatem & antiquitatem in ipſa praecipue fidei regula & contra recentes potiſſimum haereſes valere*, contendit, de patribus, & quousque eorum auctoritate ſtandum ſit, paullo diſtinctius mentem ſuam hunc in modum explicat: *Eorum duntaxat patrum ſententiae conferendae ſunt, qui in fide & communione catholica ſancte, ſapienter, conſtanter viuentes, docentes & permanentes, vel mori in Chriſto fideliter, vel occidi pro Chriſto feliciter, meruerunt. Quibus tamen hac lege credendum eſt, vt, quid quid vel omnes, vel plures vno eodemque ſenſu manifeſte, frequenter, perſeueranter, velut quodam conſentiente ſibi magiſtrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmauerint; id pro indubitato, certo ratoque habeatur; quidquid vero, quamuis ille ſanctus & doctus, quamuis epiſcopus, quamuis confeſſor & martyr, praeter omnes, aut etiam contra omnes ſenſerit, id inter proprias & occultas & priuatas opiniunculas a communis, publicae, ac generalis ſententiae auctoritate ſecretum ſit; nec cum ſummo aeternae ſalutis periculo, iuxta ſacrilegam haereticorum & ſchiſmaticorum conſuetudinem, vniuerſalis dogmatis veritate dimiſſi, vnius hominis nouitium ſectemur errorem; cap. XXXIX, p. 260.* Quid de hocce VINCENTII principio, quod, praeter romanenſes, & alii calculo ſuo adprobarunt, ſentiendum ſit? alibi exponitur. Nos iſthaec eum in finem attulimus, vt, quanta iam ea aetate patrum, in rebus ad doctrinae veritatem ſpectantibus, fuerit auctoritas, inde intelligeretur. Hinc nemo mirabitur, exſtitiſſe ſequenti aetate, qui patrum effata colligendo, & in certum ordinem diſponendo, velut ſyſtemata quaedam theologica conderent, certe theologiae ſyſtematicae occaſionem darent, quod ſaeculo ſexto ISIDORVM Hiſpalenſem, & LEONTIVM Cyprium, ſaeculo ſeptimo TAIONEM ſiue TAIVM, epiſcopum Caeſar-Auguſtanum feciſſe, ad *cap. I. §. VIII. & IX.* obſeruauimus. Imitati deinceps hoc inſtitutum ſunt primi theologiae ſcholaſticae conditores, inter quos PET. LOMBARDVS eminet, cuius *libri ſententiarum*, ex patrum itidem effatis ac teſtimoniis congeſti, magnam prae reliquis conſequuti ſunt celebritatem. Dum autem ſimul ex patrum dictis occaſionem arripiebant, de dogmatibus ſacris ſecundum ductum philoſophiae Ariſtotelicae, haud ita pridem receptae, raciocinandi, & hinc nouis otioſisque quaeſtionibus diſputationibusque theologiam obruendi; enata hinc eſt theologia ſcholaſtica. Si ergo dicendum, quod res eſt, theologia patriſtica principium & fundamentum eſt theologiae ſcholaſticae, & cum ea coniuncta deinceps, atque propagata fuit. Corruptionis hinc, qua theologia dogmatica eo tempore laborauit, haud vltima cauſſa fuit, quod patrum potius, quam ſcripturae ſacrae niteretur auctoritate; immo, factum inde, vt huius nulla fere haberetur ratio; cumque, qui theologi audiebant, ſcripturam ſacram nec curarent, nec intelligerent; non poterat non foeda theologiae ipſius exiſtere facies, immo horrendum tandem inde oriri monſtrum. Eiusmodi ergo cladem cum patriſtica theologia intempeſtiue tractata, verae ſanaeque doctrinae adferret; ipſa rurſus a ſcholaſticis doctoribus mirum in modum conſpurcata, & deformata fuit, cum graecae linguae pariter ac antiquitatis eccleſiaſticae rudes eſſent, multo minus artis criticae periti, vnde nec intelligebant patres graecos, quorum tamen vti volebant auctoritate, & miſere ſaepe decipieban-

Digitized by Google

bantur, dum ſcripta vera ac genuina a ſpuriis & ſuppoſititiis diſcernere non poterant. Et haec quidem patriſticae theologiae ante eccleſiae emendationem fuit conditio.

§. XI. Cum eccleſiae ſequuta eſſet emendatio, de patrum, in rebus praeſertim fidei, auctoritate, varie diſputatum; fuerunt tamen, tum ex noſtratibus, tum ex reformatis, qui theologiam patriſticam excolerent; quorum nonnulli eam cum dogmatica coniungebant, alii autem ſeparatim tradere, conſultum ducebant; id quod & a romanae eccleſiae doctoribus factum. *

* In emendatione eccleſiae, fortiter non minus, quam feliciter, ſuſcepta, praecipuum momentum ſcripturae ſacrae trahebat reſtitutio. Haec enim, vt antea denſiſſimis tenebris velut conſepulta iacuerat: ita, poſtquam ad eam iterum legendam, & diligentius perſcrutandam, & exemplo & adhortationibus ſuis LVTHERVS alios excitauit, non poterat non, detectis pulſiſque erroribus, priſtinus doctrinae nitor, meliorque eccleſiae redire facies. Ipſi itaque veteris eccleſiae patres, eorumque dogmata, ad ſcripturam ſacram, ceu vnicam veritatis regulam atque normam, exigi coeperunt, vt non aliter illorum admitterentur effata, quam, ſi cum ſcriptura ſacra conſentirent; quacum adeo neutiquam eodem haberi poſſent loco. Atque haec ſemper eccleſiae noſtrae deinceps fuit ſententia, quae in libris noſtris ſymbolicis, & quidem *epitome formulae concordiae, p. 570.* ita exprimitur: *Reliqua vero, ſiue patrum, ſiue neotericorum, ſcripta, quocumque veniant nomine, ſacris litteris nequaquam ſunt aequiparanda, ſed vniuerſa illis ita ſubiicienda ſunt, vt alia ratione non recipiantur, niſi teſtium loco, qui doceant, quod etiam poſt apoſtolorum tempora, & in quibus partibus orbis, doctrina illa prophetarum & apoſtolorum ſincerior conſeruata ſit.* Neque tamen ideo, negligenda prorſus, aut contemnenda patrum ſcripta, primi eccleſiae noſtrae theologi putarunt; quin potius, legenda euoluendaque diligenter, ſed cum ſelectu, & cum iudicio; quod & ipſosmet feciſſe, ingenii, quae reliquerunt monumenta, teſtantur. Beatus MARTINVS LVTHERVS quid de patrum lectione praecipuiſque patribus, cenſuerit, HIERON. WELLERVS, in *conſilio de ſtudio theologiae rite inſtituendo, & feliciter continuando p. 8.* hunc in modum exponit: *poſtquam ad ſacram theologiam animum adplicaſſem, vir Dei* (Lutherus) *admonebat, vt praecipuos quoſdam libros Auguſtini legerem, ſcilicet librum de confeſſionibus, item librum de doctrina chriſtiana, de ciuitate Dei, & ſimiles. Iuſſit & aliquid temporis interdum me impertiri lectioni ſcripturarum Bernhardi, propter egregias ſententias, quibus ille abundat. Nec non & Ambroſium me legere voluit, propter antiquitatis notitiam; ab Origenis & ſimilium lectione me deterruit, eo, quod illi omnes locos ſcripturae in allegorias transformarunt. Itaque Origenis & ſimilium lectionem theologiae ſtudioſis perniicioſam eſſe, ducebat. Hieronymi vero nec dictionem, nec interpretationem vmquam probauit. Nam dictio eius eſt tumida, & plus operae ſumſit in declamando, quam in interpretando ſcripturam. Sed nec Baſilii magni ſcripta admodum laudabat; dicebat enim, illa (vt ipſius verbis vtar) nimium redolere monachatum. Magiſtrum ſententiarum ideo legendum eſſe, aiebat, quod is omnium fere patrum ſententias de praecipuis locis doctrinae chriſtianae in libro ſuo collegerit; ſed tamen cum iudicio iuniores theologos legere illum volebat.* PHILIPPVM quoque MELANCHTHONEM hoſpitem ex patrum lectione neutiquam retuliſſe animum, *loci* eius *theologici*, aliaque ſcripta, abunde teſtantur.

VRBANVS RHEGIVS eruditionis ſuae in theologia patriſtica praeclarum ſpecimen dedit, in *iudicio de Cypriani libello, quem de eleemoſyna inſcripſit, ſecundum canonem ſcripturae ſacrae & orthodoxos; profuturo ad pleroſque alios eccleſiaſticos auctores intelligendum*, quod cum eiusdem *examine epiſcopi in ducatu Luneburgico* Francofurti 1545. 8. prodiit; de quo & legendus IOAN. GEORG. BERTRAMVS, in *der Reformations- und Kirchen-Hiſtorie der Stadt Lüneburg, part. II. cap. II. §. X. p. 89.* Cumprimis vero, vti in aliis, ita in hacce theologiae parte, enituit induſtria MATTHIAE FLACII illyrici; qui & prae reliquis intellexiſſe videtur, quantum inde vera eccleſiae noſtrae doctrina capere queat commodum. Huc namque *catalogus* eius *teſtium veritatis* comparatus eſt; in quo dum oſtendit, ante, & poſt iacta papiſmi fundamenta, fuiſſe, qui veram doctrinam retinerent; nucleum ſimul quemdam verae & orthodoxae patrum theologiae exhibet. Teſtimonia nimirum a tempore apoſtolorum, vsque ad annum 1517. deducuntur. Prodiit hicce liber primum Baſileae 1556. deinde Argentorati 1562. Poſt haſce editiones SIMON GOVLARTIVS libidinem in hocce opus, iuſto grauiorem, addendi, reiiciendi, emendandi, permutandi, ac ſi proprius labor eſſet, exercuit, & hac ratione illud prodire iuſſit Lugduni 1597. & auctius Geneuae 1608. Sed priſtinae integritati reſtitutum fuit a IOAN. CVNRADO DIETERICO, in editione, quae Francofurti 1666 ſine eius nomine, & deinde cum eodem ibidem anno 1672. 4. lucem adſpexit. Conferenda, quae hac de re obſeruat PETRVS BAELIVS, *diction. hiſt. & critic. voc. Illyricus, p. 1639.* Fallitur magnopere HENR. SPONDANVS, quando, FLACIVM librum huncce GVIL. EISENGREINII *catalogo teſtium veritatis* oppoſuiſſe, auctor eſt, ad *an. MDLX. n. 32.* cum, EISENGREINIVM potius FLACII *catalogum* refutare voluiſſe, conſtet. Quo nomine eum recte caſtigat PETRVS BAELIVS, *l. c.* vbi plura de hocce FLACII opere; de quo & legendus IO. BALTHASAR RITTERVS, in *vita Flacii*, germanice ſcripta, §. *XV. p. 43.* Nec aliud quid FLACIO in *centuriis Magdeburgenſibus*, quarum praecipuus auctor exſtitit, conſtitutum fuit, quam, vt romanenſibus, eccleſiae noſtrae doctrinam nouam, veteribusque incognitam fuiſſe, iactitantibus, obuiam iret, & per omnia ſaecula, continuam doctrinae orthodoxae, quam noſtra profitetur eccleſia, ſucceſſionem exhiberet, cumprimis autem veteris eccleſiae doctorum, ſeu patrum, cum noſtra eccleſia conſenſum demonſtraret. Quod &, quin egregie centuriarum iſtarum auctores praeſtiterint, nemo a partium ſtudio alienus dubitauerit; licet, poſtquam antiquitatis & hiſtoriae eccleſiaſticae ſtudium maximis incrementis auctum eſt, quaedam emendari, multa autem adhuc addi poſſint. Omnino itaque opus hocce huius loci eſt; cum tamen ad hiſtoriam eccleſiaſticam praecipue ſpectet, in ſequentibus de eo dicemus ex inſtituto. Poſt FLACIVM inter ſaeculi decimi ſexti theologos nemo temere antiquitatis eccleſiaſticae peritior, aut in patrum lectione magis verſatus fuit, quam MARTINVS CHEMNITIVS, quod *loci* eius *theologici*, & *examen concilii Tridentini*, aliaque ſcripta, teſtantur. Idem etiam, vt rectum ac genuinum ſcriptorum, a patribus profectorum, vſum omnes condoceret, *orationem de lectione patrum, ſeu doctorum eccleſiaſticorum*, conſcripſit, quae *locis* eius *theologicis* praemiſſa, &, vt antea iam diximus, beati ADAMI RECHENBERGII *ſummario hiſtoriae eccleſiaſticae* ſubnexa eſt. In ea de praecipuis patribus erudite diſſerit, & naeuos illorum indicat. Vſitatum autem eo tempore erat, in theologia dogmatica, cum ſcriptura ſacra patrum teſtimonia coniungere, vt inde verae doctrinae fata, conſer-

uatio

uatio cumprimis, & propagatio, intelligerentur; quod & diligenter a CHEMNITIO in *locis* eius *theologicis* factum. Nec enim neceſſe putabant, ſeparatim theologiam patriſticam tradere; quod tamen & a quibusdam factum eſt. Pari vero etiam ratione beatus IO. GERHARDVS noſter, in *locis* ſuis *theologicis*, magna copia patrum teſtimonia adduxit, vt dictis lucem adfunderet, noſtraeque eccleſiae doctrinam minime nouam eſſe, oſtenderet; vnde & ipſe LVD. ELL. DV PIN tractationem *de Deo* in hisce locis, vtpote optimis patrum teſtimoniis inſtructam, dignamque, quae legatur, commendat, ipſumque GERHARDVM, quod in lectione patrum probe verſatus fuerit, laudat; *bibliotheque des auteurs ſeparez de la communion de l' Egliſe Romaine, tom. II. p. 75. & 78.* Ceterum, cum GEORGIVS CALIXTVS, & CONRADVS HORNEIVS, in academia Helmſtadienſi, in Regiomontana autem CHRIST. DREIERVS, aliique, id agerent, vt demonſtrarent, romanae non minus quam reformatae eccleſiae addictos, in iis, quae ad fundamentum fidei ſpectant, nobiscum conſentire; eo deuenerunt, vt ſcripturae ſacrae, conſenſum eccleſiae, aut patrum, praeſertim quinque priorum ſaeculorum, adiungerent; contenderentque, in rebus dubiis conſenſum illum, ceu veritatis regulam, amplectendum, &, quidquid iſto conſenſu niteretur, hoc ſolum creditu ad ſalutem eſſe neceſſarium, nec adeo fundamentales errores exprobrari illis poſſe, qui crederent, quae cum iſto patrum conſenſu conuenirent. Hoc nimirum illud ipſum erat, quod VINCENTIVM Lerinenſem docuiſſe, antea obſeruauimus, quem & ducem hic ſe ſequi ipſimet profitebantur. Quo ipſo vt patribus plus quam decet, tribuebant; ita hanc illorum ſententiam acriter impugnabant alii; praecipue ABRAHAMVS CALOVIVS, tum alibi, tum in *ſyſtem. locor. theol. tom. I. cap. III. quaeſt. X. p. 420. ſeqq.* Profitetur ibidem, *adhiberi poſſe conſenſum patrum, ceu teſtimonium, & vt argumentum quoddam ſecundarium, ſiue confirmatorium, ſiue confutatorium; nequaquam tamen concedendum, teſtimonium eccleſiae, vel traditionem, ſiue e conſenſu, ſiue e patribus priorum quinque ſaeculorum petatur, eſſe principium fidei chriſtianae, aut normam interpretationis ſcripturae, vel etiam medium, adeo neceſſarium, vt ſine illo, ſola ſcriptura, non poſſint ora aduerſariis obturari.* Hinc, patres priorum quinque ſaeculorum ne in vno quidem fidei capite omnes conſentire, contendit, *p. 425.* immo &, vbi inter ſe conſentiunt, erroribus obnoxios eſſe, exemplis probat, *quaeſt. IX. p. 413.* Quemadmodum autem inde patet, quod non prorſus patrum teſtimonia reiecerit CALOVIVS; ita iisdem in toto hocce ſyſtemate diligenter, aeque ac CHEMNITIVS ac GERHARDVS, vtitur, patriſticamque adeo cum dogmatica theologia coniungit. Fuerunt vero etiam, qui ſeparatim, & ex inſtituto, theologiam patriſticam traderent, ſaltem praecipue teſtimoniorum ex patribus depromptorum haberent rationem; idque iterum vel ita, vt aut generatim ex omnibus, aut ex quibusdam, vel vno alteroue, doctrinae chriſtianae capita exhiberent. Ad priorem claſſem referre licet MICH. NEANDRI *theologiam chriſtianam ſacrae ſcripturae, patrum graecorum graecis, & latinorum latinis, e fontibus ipſorum, & tandem theandri Lutheri dictis & teſtimoniis illuſtratam & expoſitam*; Lipſiae 1595. 4. Enim vero, licet etiam ſcripturae teſtimonia NEANDER non negligat; maximum tamen ſtudium in patrum effatis colligendis poſuit, idque inſtituto prorſus laudabili. Prodiit hocce opus poſt auctoris obitum, cura filiorum eius IOANNIS & MICHAELIS NEANDRI; praemiſſaque eidem eſt praefatio ANTONII PROBI, antiſtitis ſacrorum Vinarienſis, in qua de re-

eo

cto & genuino patrum vſu, & ratione, illorum ſcripta legendi, differit. Habemus equidem & eiusdem NEANDRI *theologiam megalandri Lutheri*, cui addita eſt *theologia Bernhardi & Tauleri*, Wittebergae 1584. 8. in qua ſententias ſelectiores LVTHERI, BERNHARDI, & TAVLERI exhibet; ſed ordinem locorum theologicorum hic non obſeruat. Exſtat porro HENRICI ECKARDI *compendium theologiae patrum*, laudatum ABRAHAMO CALOVIO, in *paedia theologica de methodo ſtudii theologici, ſect. II. artic. poſt. cap. IX. p. 355.* Hoſce, & ſi qui forte fuere alii, qui eiusmodi quid ſuſceperunt, ſequutus deinde eſt beatus IO. GVIL. BAIERVS noſter, in *compendio theologiae hiſtoricae*, quod, poſt auctoris obitum, in lucem emiſit filius eius IO. GVIL. BAIERVS, theologus hodie Altorffinus clariſſimus, Vinariae 1699. 8. Eundo nimirum per omnes articulos, ſeu ſacrae doctrinae capita, fata ac ſucceſſionem verae doctrinae breuiter ac neruoſe oſtendit; vnde & hanc theologiae partem *hiſtoricam* ei vocare placuit, quod & HENRICVM ALTINGIVM feciſſe, ſupra iam obſeruauimus. Vltra quartum ſaeculum progreſſus non eſt, ſed eo maiorem, in conſenſu patrum quatuor iſtorum priorum ſaeculorum, cum eccleſiae noſtrae doctrina, demonſtrando, adhibuit diligentiam BALTHASAR BEBELIVS, in *antiquitatibus eccleſiae in quatuor prioribus poſt Chriſtum natum ſaeculis euangelicae &c.* Huius enim omnino loci praeclarum hocce opus eſt, quippe in quo licet hiſtorica quoque attingat; id tamen praecipue auctor agit, vt doctrinam patrum iſtorum ſaeculorum eruat, & per certa capita articuloſque diſpoſitam exhibeat. Tribus tomis in forma, quam vocant, quadripartita, opus hocce abſoluitur, quorum primus, qui Argentorati 1669 lucem adſpexit, *antiquitates eccleſiae euangelicae trium priorum ſaeculorum*, reliqui duo autem *quarti ſaeculi* complectuntur; ex quibus prior 1679 poſterior 1680, vterque itidem Argentorati, prodiit. Nec praetermittendus hic eſt THOMAS ITTIGIVS, ob *ſelecta*, quae reliquit *hiſtoriae eccleſiaſticae ſaeculi primi & ſecundi capita*, Lipſiae anno 1709 & 1711 edita. Tametſi enim hiſtoriam eccleſiaſticam in iis tradat, eiusque adeo inſtitutum latius patere videatur; in doctrina tamen patrum duorum iſtorum ſaeculorum adcurate delineanda maximam diligentiam poſuit, ſuntque ſelecta, & prorſus exquiſita, quae de ea adfert. Iam ad eos quod attinet, qui quorumdam, aut vnius, ex veteris eccleſiae doctoribus, doctrinam inueſtigarunt; ERNESTI SALOMONIS CYPRIANI *Clementem Romanum euangelicum, & Tertullianum euangelicum*, duabus diſſertationibus exhibitos, laudat CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, in *praefatione* parentis ſui commentationi: *dogmata proteſtantium ex iure canonico & conciliis deducta*, inſcriptae, praemiſſa, *p. 3.* Eumdem CLEMENTEM Romanum, pariter ac IRENAEVM, miſſae pontificiae non patrocinari, ipſemet peculiari diſſertatione demonſtraui, quae in *ſyntagmate diſſertationum theologicarum* exſtat, *num. I. p. 3. ſeqq. Demonſtrationem veritatis & diuinae originis librorum noui teſtamenti, ex Clementis Romani teſtimoniis de apoſtolis Ieſu Chriſti*, in diſſertatione theologica dedit IAC. HENR. BALTHASAR, theologus Gryphiswaldenſis clariſſimus, Gryphiswaldiae 1724. 4. De *Ignatio, veritatis confeſſore & martyre, diſſertationem hiſtorico-criticam* lectu dignam edidit CHRISTOPH. BEYERVS, Lipſiae 1722. 4. *Patres primitiuae eccleſiae, & ſpeciatim Ignatium, non fauere merito bonorum operum, diſſertatione hiſtorico-theologica* oſtendit IOAN. GEORG. IOCHIVS, Ttemoniae 1716. 4. *Iuſtinus philoſophus chriſtianus & martyr exhibitus veritatis euangeli-*

cae

Digitized by Google

cae teſtis & confeſſor de ſacro-ſancta trinitate & perſona Chriſti aduerſus Chriſtophori Sancti inculpationes iniuſtas, &c. auctore CHRISTIANO NIFANIO prodiit Francofurti 1688. 8. *Irenaeum, euangelicae veritatis confeſſorem ac teſtem a Renati Maſſueti prauis explicationibus vindicatum* exhibuit SALOMO DEYLINGIVS, Lipſiae 1717. 4. *Theologia ſpeculatiua & practica ex patribus, ab inſigni quodam theologo collecta, & publici iuris facta*, quae Wittebergae 1636. 4. prodiit, teſtimonia tantum TERTVLLIANI & CYPRIANI, magna tamen diligentia, & per locos theologicos rite diſpoſita, complectitur. Auctor huius operis HERMANNVS RATHMANNVS a nonnullis fertur; conferendaque, quae iam ſupra de eodem diximus ad *lib. I. cap. I. § VI.* Ad reliquos patres quod attinet, nemo fere inter omnes eſt, de cuius theologia plures ſolliciti fuerint, quam AVGVSTINVS, eo, quod maxima eius ſemper in eccleſia occidentali fuit auctoritas. *Auguſtini* equidem *& Chryſoſtomi theologiam, ex libris eorumdem depromtam, inque locos communes digeſtam*, dedit ANTONIVS CORVINVS Halae Sueuorum, an. 1639. 8. Sed leuioris momenti libellus eſt, nec ordo locorum theologicorum in eo obſeruatur. Scripta praeterea ſpuria a genuinis non diſcreuit, quod & ipſemet fatetur, & in *monito ad lectorem* hanc rationem reddit: *Quod alicubi ex iis etiam libris, qui falſo cum Auguſtino, cum Chryſoſtomo inſcribuntur, pleraque citauimus, rogo, candide lector, vt boni conſulas. Data enim opera, non errore hoc factum eſt. Quaeris cur iſtuc? Ego in ea ſum ſententia, vt nullum bene dictum contemni debere exiſtimem, quantumuis etiam ineptum auctorem habeat. Et ſcitum eſt illud: ſaepe etiam eſt olitor valde opportuna loquutus.* Sed cum de ſucceſſione doctrinae in eccleſia ſermo eſt, conſtare etiam debet, quis quidque dixerit. Ordinem locorum theologicorum ſequitur ERASMVS SARCERIVS, in *praecipuis ſacrae ſcripturae communibus locis a doctiſſimo & ſanctiſſimo doctore Auguſtino tractatis, & in concinnam methodi formam contractis*, Francofurti 1539. 8. Non prorſus ſpernendus libellus eſt; ampliſſimum tamen aliis ſpicilegium, aut integram adhuc meſſem, reliquit. IO. PAPPI *parallela Auguſtiniana*, ELIAE VEIELII *Auguſtinum teſtem veritatis euangelicae*, CHRIST. WEISII *Licht der Wahrheit, welche die Roemiſche Kirche aus der Schrifft mit Auguſtino erkandt hat*, commemorat CHRISTOPHORVS MATTH. PFAFFIVS, in *praefatione* antea laudata. Sed hosce omnes multis paraſangis poſt ſe reliquit ANT. REISERVS, in *Auguſtino veritatis euangelico-catholicae in potioribus fidei controuerſiis teſte & confeſſore, contra Bellarminum & alios ſcriptores papaeos, antiquos pariter ac recentiores, inſertis etiam ſuo loco quaeſtionibus Ianſenio-Noriſianis, vindicato*; Francofurti 1678. fol. Quo opere admodum luculento & egregio AVGVSTINVM, romanae eccleſiae ereptum, prorſus noſtrum fecit, & tum alios, tum maxime ROB. BELLARMINVM cardinalem, qui Hipponenſium huncce praeſulem nobis opponere conantur, ſolide refutauit. CHRYSOSTOMVM nobis vindicauit IO. FRID. MAYERVS, in *Chryſoſtomo Lutherano orthodoxae veritatis aduerſus decreta concilii Tridentini aſſertore, Georgii Heidelbergeri Loiolitae Chryſoſtomo papiſtae e diametro oppoſito*, Grimmae 1680. 4. Iungenda & *vita beati Ioannis epiſcopi quondam Conſtantinopolitani, dicti Chryſoſtomi, inter patres orientalis eccleſiae celeberrimi, cum ſpecimine doctrinae ex ſcriptis eius, ex Palladio, hiſtoria tripartita & aliis fide dignis auctoribus collecta*, Halae Saxonum 1702. 8. cuius auctorem BALTHASAREM KOEPKENIVM eſſe, accepi. Ampliſſimus hic differendi ſe nobis aperiret campus de CHRYSOSTOMI *epiſtola ad Caeſarium monachum*, deque variis eruditorum ſcriptis,

ſcriptis, quibus ea occaſionem praebuit; ſiquidem praeclarum in ea veritatis teſtimonium, contra transſubſtantiationem in ſacra coena, quam romana eccleſia tuetur, exſtat; ſed, quidquid de ea dici poteſt, diligenter, & adcurate, perſequutus eſt vir clariſſimus IO. ERHARDVS KAPPIVS, in *diſſertatione, de celeberrima ſancti Ioannis Chryſoſtomi ad Caeſarium monachum epiſtola, veritatis euangelicae contra pontificiorum transſubſtantiationem inſigni teſte,* quam, occaſione nouiſſimae eius editionis, ab illuſtriſſimo marchione Veronenſi SCIPIONE MAFFEIO ex codice manuſcripto Florentino euulgatae, publicae luci expoſuit, Lipſiae 1723. Continuabit idem vir doctus hocce argumentum in aliis diſſertationibus, & in ſecunda quidem ipſam hancce epiſtolam ex editione Maffeiana, cum aliorum tamen editionibus collatam, vna cum fragmento eius graeco, ab eodem ex bibliotheca Florentina Laurentiana primum publicato, & aliis fragmentis graecis, quotquot reperire poterit, latine etiam conuerſis, cum variis, quae habentur, lectionibus, repetet. Quod ſi denique BERNHARDO, abbati illi Claraeuallenſi, qui ſaeculo duodecimo vixit, inter patres locum concedere velimus, quod nonnulli facere ſolent; eum pro noſtra potius, quam romana militare eccleſia, euicit, ſimulque theologiam eius exhibuit GEORG. HENR. GOETZIVS, in *ſchediaſmate theologico de Lutheraniſmo Bernhardi,* Dresdae anno 1701. 4.

Reformatae eccleſiae doctores de patribus, eorumque auctoritate, in eo, quod caput cauſſae eſt, nobiſcum conſentiunt, ſi ab iis diſceſſeris, qui in Anglia *epiſcopalium,* ſeu hierarchicorum, nomine veniunt. Apud hoſce maxima eſt patrum auctoritas, eo, quod ſententiae ſuae, de diuina epiſcopatus origine, deque veteris eccleſiae ritibus, ac diſciplina retinenda, ingens in iis inueniſſe ſibi videntur praeſidium. Hinc illis adeo inuiſus eſt IO. DALLAEVS, quoniam, tum in aliis ſcriptis ſuis, tum in egregio illo, *de patrum vſu,* nimium patrum eum detraxiſſe auctoritati, credunt. Aperte id profitetur GVIL. BEVEREGIVS, in *prooemio*, quod *codici canonum eccleſiae primitiuae vindicato ac illuſtrato* praemiſit, circa finem. *Ratio,* inquit, *potius flagitat, vt nos iniquiſſime feramus, quod doctiſſimus Dallaeus tam ſanctam, tam puram, ipſo etiam iudice, eccleſiam toties lacerare eniteretur. Illum quidem ſummo ingenio, praeſtanti eruditione ac doctrina, nec minori pietate virum fuiſſe, & de eccleſia reformata plurimis in rebus optime meritum, vltro omnes hic confitemur. Verum id male nos habet, quod ille, contra eccleſiam romanam diſputans, noſtram etiam, tanquam iisdem erroribus obnoxiam, ſub communi Latinorum nomine indiſcriminatim oppugnauit.* Quibusdam interiectis, *prooemium* hocce hiſce verbis claudit: *Nulli enim dubitamus, quin Deus optimus maximus, cuius ſolius praeſidio confidimus, eccleſiam polite adeo e ſacris ipſius ſcripturis, iuxta perpetuam vniuerſalis ipſius eccleſiae praxin & conſenſionem interpretatis reformatam, contra omnes cuiusque modi aduerſariorum impetus ita defenderit, vt, iuxta fideliſſimum domini promiſſum, ipſae inferorum portae aduerſus eam numquam praeualiturae ſint.* Dum nimirum, ſcripturam ſacram ſecundum perpetuam vniuerſalis eccleſiae praxin & conſenſionem interpretandam, innuit; conſenſionem iſtam eccleſiae, ſeu patrum, pro regula ac norma quadam, & interpretationis ſcripturae, & adeo fidei, ſe habere, ſignificat. Confirmari, quod diximus, ex MATTH. SCRIVENERI *apologia pro ſanctae eccleſiae patribus, aduerſus Io. Dallaeum de vſu patrum,* itemque HENR. WOTTONI *praefatione, de vſu patrum,* quam CLEMENTIS Romani, *duabus ad Corinthios epiſtolis,* Cantabrigiae a ſe editis, praemiſit, poterat; ſed,

ſed, cum de hiſce deinceps adhuc nobis verba facienda fuerint, hocce nunc ſuperſedere poſſumus labore. Quantumuis autem apud eos reformatae eccleſiae doctores, qui epiſcopalium placita non ſequuntur, tanta patrum non ſit veneratio, quam apud hos; non minora tamen illorum ſunt in theologiam patriſticam merita; ſiquidem viri inter eos exſtiterunt antiquitatis eccleſiaſticae longe peritiſſimi. Haud vltimum inter eos locum tenet ANDREAS RIVETVS, qui ſuam de patribus ſententiam ediſſeruit, *in tractatu de auctoritate patrum errorum cauſſis, & notorum notis*, eiusdem *critico ſacro* praemiſſo; itemque in *catholico orthodoxo, tract. I. quaeſt. XI. p. 73. ſeqq.* Atque in ipſo hocce libro, quem *catholicum orthodoxum* inſcripſit, GVIL. BAILII *catechiſmo controuerſiarum* oppoſito, qui *tomo tertio operum* eius, Roterodami 1660 edito, exſtat, dum contra romanenſes diſputat, ſaepe patrum teſtimonia adcurate vindicat. Neſcio autem, an vllus inter reformatae eccleſiae doctores in hocce doctrinae genere cum IO. DALLAEO comparandus ſit? Is integrum equidem theologiae patriſticae ſyſtema non confecit; praecipua tamen quaedam eius argumenta ſeorſim magna diligentia pertractauit. Ecquis enim eſt, quem lateant eius *de poenis & ſatisfactionibus libri ſeptem*; *de ſacramentali ſiue auriculari Latinorum confeſſione diſputatio*, conſtans libris quatuor; *aduerſus Latinorum de cultus religioſi obiecto traditionem diſputatio*, conſtans libris quinque; *de duobus Latinorum ex vnctione ſacramentis, confirmatione & extrema vnctione, diſputatio*; aut potius diſputationes duae, quarum prior libris tribus, altera duobus abſoluitur; *de ieiuniis & quadrageſima liber; de imaginibus, libri quatuor*, & alia. Inter reliqua autem eius ſcripta eminent *de vſu patrum, ad ea definienda religionis capita, quae ſunt hodie controuerſa, libri duo*; de quibus tamen deinceps ex inſtituto agere, animus eſt. Magno autem cum apud omnes haecce DALLAEI ſcripta ſint in pretio, laudandum inſtitutum viri doctiſſimi CAROLI GOTTOFREDI ENGELSHALLII, dum iunctim ea edere ſecum decreuit, idque omnes condocuit, in *adlocutione ad eruditos epiſtolica, qua ipſis conſilium de noua operum Ioannis Dallaei editione exponit, eaque occaſione varia de theologo iſto reformato celeberrimo eiusque ſcriptis commentatur*; Budiſſae 1721. 4. Iniquas romanenſium in huncce virum doctiſſimum cenſuras, pariter ac iuſta, quibus alii eum proſequuti ſunt, elogia, aliaque memoratu digna, de eo hic legere licet. DANIELIS CHAMIERI *panſtratiam catholicam* ſupra equidem iam laudauimus, cum ſyſtemata theologica reformatae eccleſiae doctorum recenſeremus; ad *lib. II. cap. I. §. 15.* non minus tamen & hic commemoranda venit, eo, quod in colligendis, pariter ac vindicandis, patrum teſtimoniis, maximam diligentiam poſuit, adeo, vt quemdam velut theſaurum theologiae patriſticae hic conſpicere liceat. Fuit vero & aliis eiusdem eccleſiae doctoribus, aeque ac noſtris, in more poſitum, vt in theologiae dogmaticae tractatione doctrinae verae falſaeque ſucceſſionem quamdam attingerent, & ad illius confirmationem patrum teſtimonia adiungerent, quod & recentiori aetate a BENEDICTO PICTETO, in *theologia chriſtiana & ſcientia ſalutis*, gallice ab eo ſcripta, ſed in linguam quoque germanicam translata, Lipſiaeque 1723 duobus tomis in 4. edita, tactum, ſupra, ad *lib. II. cap. I. §. XV.* obſeruauimus, vbi iam de hocce opere egimus. Exſtiterunt autem inter eos, qui & ex inſtituto hoc agerent, quos inter vel maxime laudandus IO. FORBESIVS A CORSE, in *inſtructionibus hiſtorico-theologicis de doctrina chriſtiana & vario rerum ſtatu, ortisque erroribus & controuerſiis, iam inde a tem-*

poribus apoſtolicis ad tempora vsque ſaeculi decimi ſeptimi priora, Geneuae 1699. fol. Conſtitutum nimirum illi eſt, vt in *praefatione* docet, romanenſibus obuiam ire, qui *apud imperitos ſuum cum catholica antiquitate vnanimem conſenſum iactabant, & ab eodem doctrinam reformatarum eccleſiarum dicebant prorſus diſcrepare, atque adeo ipſis etiam repugnare diuinis ſcripturis, ſi ſecundum mentem orthodoxorum patrum accipiantur, atque explicentur.* Atque ita in praecipuis theologiae capitibus doctrinae ſacrae ſucceſſionem tradit, patrumque cum ea, quam reformata eccleſia profitetur, conſenſum oſtendere adnititur, idque ea ratione facit, vt multa profutura inde capere liceat. Legenda, quae de opere hocce obſeruat IO. FABRICIVS, in *hiſtor. bibliothec. Fabric. part. II. p. 206. ſeqq.* vbi & monet, editionem eius ad ipſius auctoris caſtigationes emendatam, plurimisque eiusdem additionibus inſigniter auctam, haberi in *operibus* FORBESII, Amſtelodami 1703, fol. editis; itemque compendium aliquod eius exſtare: *Forbeſius contractus*, inſcriptum, auctore ARN. MONTANO, 1663, 8. Omnibus autem dubiam in hacce eruditionis theologicae parte palmam reddidiſſe videtur IAC. BASNAGIVS, vir doctiſſimus, quippe qui gallicana lingua ſcripſit *hiſtoriam eccleſiae a Chriſto nato vsque ad noſtram aetatem*, (*hiſtoire de l' egliſe depuis Ieſus Chriſt iusqu' a preſent)* editam Roterodami 1699 duobus tomis in fol. Quatuor ea abſoluitur partibus, ex quibus duae mediae cumprimis ad noſtrum inſtitutum ſpectant; ſiquidem in ſecunda hiſtoriam praecipuorum dogmatum, de canone ſcripturae, de traditionibus, de octo conciliis oecumenicis, de iuſtificatione, de gratia, & euchariſtia; in tertia autem de adoratione ſacramenti euchariſtiae, de cultu angelorum, beatae virginis Mariae, ſanctorum, reliquiarum, & imaginum exhibet. Occaſionem, egregium hocce opus conſcribendi, auctori praebuit IAC. BEN. BOSSVETI *hiſtoria variationum*, ſpeciatim quae in eadem de Albigenſibus, ſeu Waldenſibus, ſcripſerat. Haec enim dum refellere BASNAGIVS inſtituit; operae ſe facturum pretium exiſtimauit, ſi eccleſiae, veraeque in ea doctrinae, ſucceſſionem, a prima origine vsque ad Albigenſes, demonſtraret. Chriſtianam itaque religionem, & theologiam puram, in prima ſua origine, hinc vero inter varias theologorum ſententias, per plurima ſaecula, in capitibus fundamentalibus, illibatam propagatamque hac ratione & conſeruatam, hic conſpicere licet. Certe, quae alii viri doctiſſimi ſparſim hac de re dixerant, hic in vnico corpore ſcite inter ſe coniuncta ſunt; cuncta porro tam exquiſito rerum ac teſtimoniorum, quae ex veteribus depromuntur, ſelectu inſtructa, tantoque argumentorum & rationum pondere firmata; diſſentientium denique exceptiones tam ſtudioſe diſcuſſae, vt, quod deſiderari queat, non inueniatur. Eccleſiae autem reformatae ſacra cum auctor ſequatur; mirum non eſt, quod eius quoque placitis, vbi a nobis diſſentit, inhaereat.

Apud romanenſes patrum auctoritatem vtramque facere paginam, notum eſt; quamquam non prorſus inter ſe conueniant, quantum illis tribuendum ſit, vt vel ex iis patet, quae anxie & operoſe diſputat MELCH. CANVS, *de locis theolog. lib. VII. cap. III. p. 208. ſeqq.* Vix ergo eſt, quod dubitemus, quin in theologia patriſtica multum ſtudii ac laboris collocent. Accedit, quod theologia ſcholaſtica, quae adhuc apud eos regnat, ex patriſtica enata ſit, & huic ceu praecipuo fundamento innitatur, vt ad *§. praecedentem* obſeruauimus. Poſt eccleſiae emendationem, a beato LVTHERO ſuſceptam, ortamque ſimul nouam meliorum litterarum lucem, nonnulli quidem ex romanae eccleſiae addictis theologiam ſcholaſticam emendare, elegantiorique eam ornare veſte, vt errores tamen & dog-

dogmata, eccleſiae romanae propria, retinerent, conati ſunt; alii autem conſultius duxerunt, ex antiquitatis eccleſiaſticae fontibus, patrumque effatis, noua theologiae ſyſtemata condere. Atque hinc ortum apud eos eſt diſcrimen inter theologiam *ſcholaſticam & poſitiuam*, de quo ad *libri* huius *ſecundi cap. I. §. I. & XV.* dictum eſt. Atque ad *poſitiuam*, quam vocant, cum etiam *patriſtica* ſpectet; qui hanc ſpeciatim excoluerunt, huius loci ſunt. Et ſane, non negandum, patriſticae theologiae hodie apud romanenſes longe aliam faciem eſſe, quam olim apud ſcholaſticos fuit; poſtquam viri quidam inter eos doctiſſimi, linguaeque latinae & graecae, itemque artis criticae peritiſſimi, ad eam pertractandam animum adiecerunt, Non omnes tamen eodem ſunt habendi loco; paucique omnino inter illos promerentur, vt in cenſum veniant. Nec vnus idemque omnibus in colligendis patrum teſtimoniis conſtitutus eſt ſcopus. Nonnulli enim eum in finem id faciunt, vt eorum conſulant commodis, qui ſermones ſacros ad populum habere cupiunt. Sic a nonnullis celebratur IO. LOPEZ *epitome ſanctorum patrum*; ſed illorum eam vſibus deſtinatam, qui in concionibus, patrum vti teſtimoniis, cupiunt, vel ex pleniori eius inſcriptione patet, quam NIC. ANTONIVS exhibet, qui auctorem *virum ſacrarum ſcripturarum, ſanctorumque eccleſiae patrum lectione & cognitione inſtructiſſimum*, vocat, & opus hocce Romae 1596 quatuor aut quinque voluminibus in fol. prodiiſſe, & deinde aliquoties recuſum, teſtatur; *bibliothec. hiſp. tom. I. p. 550.* Haud exiguus eiusmodi ſcriptorum apud romanenſes exſtat numerus; quos tamen, vtpote a noſtro inſtituto alienos, praetermittimus. ROB. BELLARMINVS cardinalis, aliique controuerſiarum ſcriptores, patrum itidem conglomerare teſtimonia ſolent, iis vt nos obruant, cum in ſcriptura ſacra nullam cauſſae ſuae inueniant praeſidium. Sed hiſce inter ſcriptores theologiae polemicae ſuum adſignabimus locum. Inter eos vero, qui dogmaticam theologiam ex patrum monumentis tractant, quosue hic praecipue innuimus, DION. PETAVIVS ita eminet, vt reliquorum gloriam plane obſcurauerit, ſolusque fere dignus ſit, qui commemoretur. Immortale namque nominis decus conſequutus eſt, ob *opus de theologicis dogmatibus*, cuius editio & nouiſſima & optima eſt, quae Antwerpiae, aut potius Amſtelodami, ſex tomis in fol. anno 1700, prodiit. THEOPH. ALETHINVS, hoc eſt, IOAN. CLERICVS, praefationem praemiſit, & hinc inde notulas adſperſit. Quidquid in patribus, ſcriptoribusque eccleſiaſticis, obſeruatu dignum de theologicis dogmatibus inuenitur, hic in vnum velut congeſtum cumulum, ſimulque apte diſpoſitum, obſeruationibus, notitiam antiquitatis eccleſiaſticae haud vulgarem ſpirantibus, illuſtratum, & ſtilo eleganti exornatum, conſpicere licet. Subſidiis vero iſtis, quibus auctor inſtructus fuit, ſi ad veritatem potius defendendam, quam eccleſiae romanae errores palliandos vti voluiſſet; nihil in hocce opere deſiderari potuiſſet. Nec tamen, ſi hinc etiam diſcedas, omnibus placuit, aut diuerſa doctorum virorum euitare potuit iudicia. Immo, non defuerunt, qui PETAVIVM omnino plagii reum facerent. EDMVNDVS namque MARTENE, atque VRSINVS DVRANDVS, in *itinerario*, quod gallicana lingua ediderunt, *litterario*, *p. 177.* narrant, Diuione in bibliotheca patrum minimorum oſtenſos ſibi aliquot tractatus theologiae poſitiuae cardinalis AVGVSTINI OREGII; confirmaſſe autem illum, qui ipſorum in bibliothecam deducendorum prouinciam habuerit, DION. PETAVIVM ex iis dogmata ſua theologica deſumſiſſe, & fuſius ſolum loca patrum, conciliorum, & auctorum eccleſiaſticorum expoſuiſſe, quae a cardinali in margine ſui operis tantum erant

 citata

citata atque indicata. Addunt iidem auctores, multum, ſi ea res ita ſe haberet, deceſſurum exiſtimationi, quam PETAVIVS illo opere ſibi adquiſiuerit; etſi negandum non ſit, innumeris aliis ſpeciminibus eruditionis eiusdem gloriam adprobatam eſſe. Liberare autem ab hacce ſuſpicione PETAVIVM ſuarum duxit eſſe partium OVDINVS, eidem ſocietati Ieſu addictus, ex cuius commentatione, gallico ſermone paullo fuſius exarata, ſumma quaedam, inſcripta: *obſervatio de tractatibus theologicis cardinalis Auguſtini Oregii, in qua inquiritur, an Dionyſius Petauius dogmatum ſuorum libros ex iisdem hauſiſſe cenſendus ſit*, inſerta legitur *actis eruditor. Lipſienſ. 1718. menſe Nou. p. 491. ſeqq.* Nec HVG. GROTIVM adeo praeclare de *dogmatibus* hiſce PETAVII cenſuiſſe, ex GVIDON. PATINI *epiſtolis ineditis ad Carolum Sponium (nouvelles lettres de feu Mr. Gui. Patin a Charles Spon)* condiſcimus. Ita enim ibi de iis pronuntiaſſe fertur: *en! indigeſtam rerum vilium congeriem! fruſtra hic theologiam quaeres; id tamen habet praeclari liber, quod auctor graecae linguae probe gnarus, adcuratas vbique verſiones inſeruit; tom. I. p. 243.* Refertur idem in *actis erudit. Lipſ. 1718. menſ. Nou. p. 517. 518.* Maioris adhuc momenti eſt, quod PETR. DAN. HVETIVS ex *dogmatum* PETAVII lectione ſibi obtigiſſe, hunc in modum narrat: *Per eos dies, quos in amplificanda bibliotheca mea conſumebam Lutetiae, ad veſperam aliquando redux, cum partas opes recognoſcerem, haeſi potiſſimum in peruolutandis theologicis dogmatibus Petauii recens editis, quorum magna erat apud doctos homines commendatio. Me enim, qui & auctorem noſſem, & amarem & facerem plurimi, cum materiae dignitas, tum nitor dictionis, & paſſim diffuſa eruditio, totas noctes attentum tenebant & affixum. Verum adhibita ab eo in dogmatibus comprobandis argumenta ponderibus meis examinanti mihi, ſi quod forte viſum erat infirmius, vacillabat tum quoque apud me dogmatis, quod eo nitebatur, fides, cum nihil ad eius defenſionem certius adferri poſſe putarem, quam quae a tanto viro perpenſa re fuerant prolata. Quae temeraria opinio, iuvenili leuitate ſuſcepta, priſtinam meam de quibusdam ſacro ſanctae noſtrae religionis capitibus ſententiam, praeſtitamque iis hactenus a me reuerentiam, contagione ſua labefecit. Nec ante conualui ex hoc morbo, quam clarioribus de caelo radiis colluſtrata mente mea, affuſae diſcuterentur tenebrae firmioribusque ac profundioribus radicibus mea fides inſiſteret;* in *commentario de rebus ad eum pertinentibus, lib. I. p. 69. 70.* Infirmis itaque admodum fundamentis, iudice HVETIO, hocce PETAVII opus ſuperſtructum eſt, adeo, vt ex eius lectione, in quibusdam ſacrae doctrinae capitibus, fides eius fuerit labefactata. Dubito autem num PETAVIO, cui ad ἀκρίβειαν nihil defuit, an potius romanae eccleſiae, quam ſequutus eſt, de traditione, ceu fidei principio & fundamento, ſententiae hoc tribuendum ſit, quod HVETIVS tam incertus dubiusque ex operis huius lectione euaſerit. Poteratque hoc romanenſes, ſi ſapere vellent, cautiores reddere. Idem vero HVETIVS antea de *dogmatibus* hiſce *theologicis* dixerat, PETAVIVM *hocce opere theologiam tricis ſcholae & pedicis expeditam ad liberos & patentes priſcae eccleſiae campos ſanctorumque patrum tritos veſtigiis reuocaſſe, l. c. p. 61.* Supereſt alia adhuc contra PETAVIVM adcuſatio, quae & multorum animos occupauit, eum patrum ante-Nicaenorum ſententiam de trinitate ita expoſuiſſe, vt trinitatis hoſtibus, ſpeciatim Arianis, haud obſcure gratificatus fuerit. Ambabus hoc manibus arripuit CHRIST. SANDIVS, qui in eo totus eſt, vt illorum, qui cum Arianis faciant, numerum augeat. *Cum autem conſidero,* inquit, *quod Petauius patres ante-Nicaenos eadem cum Ario docuiſſe, & traditionibus articulos fidei probandos eſſe dicat; impoſ-*

impoſſibile duco, quin Petauio perſuaſa fuerit concluſio ex his praemiſſis infallibiliter ſequens, ſcilicet trinitatem Arianorum eſſe articulum fidei, non trinitatem ὁμοούσιον. Adfert deinde coniecturas quaſdam, cur PETAVIVS, ſe concluſionem iſtam adprobare, videri noluerit; in *nucleo hiſt. eccleſ. lib. I. p. 156.* GEORGIVS quoque BVLLVS, PETAVIVM plus, quam decet, hic largitum exiſtimat. *Sed virum magnum*, inquit, *atque omnigena litteratura inſtructiſſimum, Dionyſium Petauium mirari ſatis nequeo; qui, cum ſummam prae ſe ferat ſynodi Nicaenae reuerentiam, fidemque in ea confirmatam contra Arianos, pro vere apoſtolica & catholica ſe agnoſcere vbique profiteatur; id tamen Arianis largitur, quod, ſi verum ſit, ad ſtabiliendam ipſorum haereſin, atque ad Nicaenae ſynodi fidem & auctoritatem eleuandam, adeoque funditus euertendam, quam maxime faciat; nempe eccleſiae praeſules & patres pleroſque omnes ante-Nicaenos, prorſus idem, quod Arium, ſenſiſſe*; in *prooem. defenſ. fidei Nic. §. VII. p. m. 4.* In eo tamen a SANDIO diſſentit BVLLVS, quod, non tam in gratiam Arianorum, quam potius romanenſium, PETAVIVM in hanc ingreſſum ſententiam, exiſtimet, vt ſcilicet patrum ante-Nicaenorum, ad quos ſubinde reformati prouocare ſoleant, auctoritatem imminueret; ſimulque conciliis oecumenicis facultatem, nouos fidei articulos condendi, vindicaret. Sed vtrumque, & SANDIVM, & BVLLVM, refutauit, qui PETAVII in ſe ſuſcepit defenſionem, THEOPH. ALETHINVS, hoc eſt IOAN. CLERICVS, in *praefatione*, nouae *dogmatum theologicorum* editioni praemiſſa, in qua hoc ex inſtituto agit. Non minus vero & PETAVII cauſſam egit BALTVS, in *defenſione patrum adcuſatorum Platoniſmi (defenſe des ſaints peres accuſez de Platoniſme) lib. IV. cap. IX. p. 497. ſeqq.* Quae autem viri iſti docti, pro defenſione PETAVII adferunt, eo fere redeunt, agnouiſſe illum equidem, & docuiſſe, patres ante-Nicaenos eo ſubinde modo loquutos eſſe, quo Ariani de Chriſto, eiusque diuinitate, adeoque & myſterio trinitatis loquebantur; mentem tamen illorum ſanam & orthodoxam fuiſſe, nec, ſi rem ipſam ſpectes, aliter eos quam Nicaenos patres, ſenſiſſe. Hanc PETAVII ſententiam eſſe, dubitari non poſſe, cum id ipſemet hinc inde innuat, diſerte autem in ampla illa, quam *tom. II. dogmat. theolog.* praemiſit, *praefatione*, profiteatur; vbi inter alia *cap. III. §. III. p. 9.* hunc in modum verba faciat: *De hoc vero* (THEOPHILO Antiocheno) *idem, quod de Athenagora & Iuſtino, atque etiam Tatiano, ſecundi omnibus ſaeculi ſcriptoribus aſſeuerandum eſt; eos omnes dogmatis caput, & ſubſtantiam ipſam, ſine vlla labe tenuiſſe; atque ex tam concordi de tribus in diuinitate, ſententia, quoquo tandem ea genere loquutionis expreſſerint, vim occultae, & ab apoſtolis transfuſae traditionis colligi. Ac mihi videntur illi, cum aduerſus gentiles doctos, & philoſophiae deditos pro chriſtiana fide diſceptarent, quo eam vendibiliorem facerent, ac magis perſuaderent, minus adcurate & ſubtiliter illius intima ac arcana commiſiſſe libris iſtis, quos emanare in vulgus cuperent; atque ad Platonis decreta, eamque quam illi combiberant, theologiae formulam, chriſtianum iſtud conformaſſe myſterium; &c.* Verum cum hiſce quo pacto conciliari queant, quae *tomi* huius *ſecundi lib. I. cap. III. ſeqq.* de patrum ante-Nicaenorum ſententia diſputat, me non perſpicere, lubens fateor. Nimis aperta ſunt, quae *lib. I. de trinit. cap. VIII. §. II. p. 38.* pronuntiat: *In ea vero profeſſione, quod ſupra memoraui, planiſſime conſtat, germanum Platonicum Arium exſtitiſſe; tum illorum veterum ſequutum eſſe dogma, qui, nondum patefacta, conſtitutaque re, ad eundem errorem offenderunt. Nam & illi, productum a Deo verbum, non tamen ex aeternitate, docuerunt;*

runt; ſed antequam mundum fabricaret; vt illo adminiſtro ad huius molitionem operis vteretur. Non enim per ſeſe, ac ſine interiecto aliquo procreaſſe putabant omnia; quod & Philo in libro de opifice mundi ſequutus eſt. Quamobrem quod Arium illius dogmatis architectum fuiſſe, cuiusmodi hactenus auditum non erat, Alexander in epiſtola queritur, aliique patres, qui contra hanc haereſin ſcripſere, oratorio more, & per exaggerationem dici arbitror; ſiquidem magna eſt a nobis producta copia priſcorum, qui idem, quod Arius, ante tradiderunt. Diſcrimen equidem aliquod inter patres iſtos ante-Nicaenos & Arium interceſſiſſe, deinde obſeruat, quod tamen ad caput cauſſae nihil facit; vnde & repetit, patres iſtos *re ipſa idem quod Arium ſenſiſſe.* Huiusmodi & alia ibidem occurrunt. Hinc & RICH. SIMON *praefationem*, quam *tom. II. dogmatum* ſuorum PETAVIVS praemiſit, ad ea, quae in ipſo hocce *tomo* ſcripſit, excuſanda aut diluenda non ſufficere, pronuntiat; *lettres choiſies, let. III. p. m. 12.* Sed progredimur ad reliquos. Sequutus PETAVIVM, aut eum imitatus eſt, LVD. THOMASSINVS, quippe qui itidem *dogmatica theologica* tribus tomis complexus eſt, quorum primus 1680, reliqui duo 1684 Pariſiis lucem adſpexerunt. Aemulatione PETAVII inductum, eum ad *dogmata* haecce conſcribenda animum adieciſſe, viri docti obſeruant; licet, ſiue eruditionem, ſiue dictionis nitorem, ſpectes, eius neutiquam adſequutus ſit laudem. Non magnum itaque operi huic ſtatui ſolet pretium. Legenda, quae de eo obſeruat PET. BAELIVS, in *nouvelles de la republique des lettres, anno 1684. menſ. April. p. 210. ſeqq.* Nec alius quis, qui his adiungi mereatur, ſuccurrit, niſi IO. BAPTISTA DV HAMEL, cuius tamen *theologiam ſpeculatricem & practicam, iuxta ſanctorum patrum dogmata pertractatam, & ad vſum ſcholae accommodatam*, editamque Pariſiis 1691 ſeptem voluminibus in 8. ſupra iam *libro II. cap. I.* ad *§. XV.* commendauimus; vbi & alios quosdam commemorauimus, qui itidem hic locum inuenient; ſiquidem romanenſes numquam non patrum habere rationem ſolent, licet non ſemper hoc ex inſtituto agant. Nec deſunt inter eosdem, qui vnius ex patribus dogmata ſpeciatim collegerunt, aut illuſtrarunt, vt HIERONYMI, AMBROSII, GREGORII magni, aliorumque. Quo in genere eminent PET. DAN. HVETII *Origeniana*, praemiſſa *exegeticis* ORIGENIS, quae graece exſtant; REN. MASSVETI *diſſertationes praeuiae in Irenaeum*, MICH. LEQVIEN *diſſertationes Damaſcenicae*; in quibus multa veteris eccleſiae dogmata excutiuntur, licet plerumque auctores iſti eccleſiae ſuae hypotheſibus cuncta attemperare adnitantur. Cumprimis autem in AVGVSTINI theologia exhibenda plurimorum occupatum fuit ſtudium. Recenſet praecipuos ANT. REISERVS, in *praefatione, Auguſtino veritatis euangelico-catholicae teſti & confeſſori* praemiſſa, ex qua eos, cum ἐπιμέτρου quam idem addidit, repetere iuuabit. Primum itaque IOD. COCCII *theſaurum*, quem vocat *catholicum*, prodire iubet, qui non parce commendari ſoleat, ob maximam teſtimoniorum e patribus, & inter illos AVGVSTINO, copiam; ſed calculo ſuo adprobat cenſuram ISAACI CASAVBONI, in *exercitationibus anti-Baronianis* ita ſcribentis: *nemo eruditus, & iudicio vel mediocri praeditus, oculos in illam coniecit farraginem, quin ſtatim intellexerit, propoſitum auctori fuiſſe, non veritate, ſed nube teſtium vincere.* Subiicit vero etiam iudicium IOAN. BONAE cardinalis, qui in *notitia auctorum*, quam *tractatui de diuina pſalmodia* præmiſit, *theſaurum* huncce COCCII *opus* quidem *infinitae lectionis* vocat, addit tamen, *eum inter veros auctores & ſuppoſititios nullum ſtatuiſſe diſcrimen.* Sequitur HIERONYMI TORRENSIS, Ieſuitae haud ignoti, *confeſſio Auguſtinianae, ex*

Auguſtini

Auguſtini operibus collecta ; & *innumero fere numero*, vt REISERVS loquitur, *teſtimoniorum ex Auguſtino compilatorum turgens* ; de qua tamen IAC. REIHINGIVS, qui, relicta ſocietate Ieſu, ad noſtram eccleſiam tranſiit, in *operis aranearum*, contra ſocios quondam ſuos, ita ſcripſerit, auctorem eius *multa quidem corraſiſſe, ſed ita infeliciter, vt magni nominis theologos etiam e Ieſuitis, rigidos cenſores ſit expertus, quod non pauca vel non ad mentem Auguſtini, vel extra rem, vel ſine robore produxerit.* Commemorat REISERVS porro IACOBVM MASENIVM, qui *Auguſtinum, controuerſiarum fidei huius temporis arbitrum ac deciſorem optimum* dederit; vnde pleraque *meditatae* poſtmodum *concordiae proteſtantium cum catholicis*, ac tandem *nouae praxi orthodoxae fidei, intra octidui exercitationem ſacram diſcernendae & amplectendae*, intulerit, *qua crambe,* inquit, *bis recocta, tertia vice adpoſita, an non lectori aliquod creauerit faſtidium, nullatenus licet dubitare.* Inter eos nimirum referendus eſt MASENIVS, qui in AVGVSTINO nouam methodum, conuertendi haereticos, quos vocant, ſibi inueniſſe viſi ſunt; quibus cumprimis exemplum praeiuerunt fratres de WALENBVRCH, HADRIANVS & PETRVS, in *methodo Auguſtiniana* ; de quibus alibi erit dicendi locus. Legenda interim IOAN. GEORG. NEVMANNI *diſſertatio, de methodo Auguſtiniana* Wittebergae edita, 1689. 4. Mitto reliquos, quorum REISERVS praeſertim circa finem *praefationis* mentionem facit, vt BARTHOL. D' ASTROY & EVSTACH. DE ROSARIO, cum obſcuriores ſint, nec digni, quorum habeatur ratio. Omnes autem, in doctrina & theologia AVGVSTINI exhibenda, ſiue induſtriam, ſiue iudicium, ſiue candorem ſpectes, multum ſuperauit CORNEL. IANSENIVS, epiſcopus Iprenſis, in *Auguſtino* ſuo, Louanii 1640. fol. edito. Tribus hocce opus conſtat tomis; in quorum *primo, haereſes & mores Pelagii, contra naturae humanae ſanitatem, aegritudinem & medicinam, ex ſancto Auguſtino recenſentur, ac refutantur* ; in *ſecundo, genuina ſententia ſancti Auguſtini de humanae naturae ſtantis, lapſae, purae ſtatu & viribus eruitur & explicatur* ; in *tertio* denique *genuina ſententia profundiſſimi doctoris, de auxilio gratiae medicinalis Chriſti ſaluatoris, & de praedeſtinatione hominum & angelorum proponitur, ac dilucide oſtenditur.* Summam huius operis paullo plenius & diſtinctius exhibet MELCH. LEYDECKERVS, in *hiſtoria Ianſeniſmi lib. I. de dogmatibus Ianſeniſmi, cap. V. p. 237.* qui & *cap. I. p. 225.* recte adſerit, opus hoc inſcribi: *Auguſtinus*, quia *totius theologiae Auguſtinianae eſt theſaurus.* Quantum ſtudium in vera ac genuina AVGVSTINI mente inueſtiganda IANSENIVS poſuerit, vel inde liquet, quod, vt in *ſynopſi vitae, operibus* eius praemiſſa, memoratur, familiaribus quandoque faſſus ſit, *ſe decies & amplius vniuerſa opera Auguſtini, attentione acri, adnotatione diligenti, libros vero contra Pelagianos facile trigeſies a capite ad calcem euoluiſſe.* Antea eiusdem *ſynopſeos* auctor dixerat: *ab initio ſtudii theologici cum ſcholaſticis legere coepit ſanctos patres, ſed praecipue Auguſtinum ; ſtatimque aduertit, vt fatebatur, plurimos ſcholaſticos in materia illa capitali, de gratia & libero arbitrio, longe abire a ſanctiſſimi doctoris mente.* Quanti vero IANSENIVS fecerit AVGVSTINVM, idem auctor porro hunc in modum docet: *Patres ceteros vtiles eſſe, ſed Auguſtinum neceſſarium, immo vnum pro omni materia theologica ſufficere, aiebat. Vbertatem enim eius, & foecundum illud pectus cum ſtupore admirabatur, & vnde ei, ſtatim etiam a conuerſione, ante ſtudium theologicum, abundantia illa rerum diuinarum, quae in primos eius libros manauerunt. Quae enim poſtea in libris retractationum deleuit, parui momenti & vocum fere ma-*

gis, quam rerum maculas eſſe cenſebat. Nullum, aut Ariſtotelis, aut Archimedis, aut cuiuscumque ſub caelo ingenium, dicebat aequale Auguſtino; & tale a Deo factum, vt eccleſia haberet, quem ſubtiliſſimae omnium Pelagianae haereſi opponeret, cui vllum ceterorum ſanctorum patrum negabat fuiſſe parem. Tanto itaque amore cum IANSENIVS proſequutus ſit AVGVSTINVM; mirum non eſt, vbi hic errauit, illum itidem cum duce ſuo erraſſe. Quod in iis factum, vbi gratiam Dei irreſiſtibilem, &c, quae hinc fluunt, ſtabilire conatur, vti dubio caret; ita in aliis quoque eccleſiae romanae decretis firmiter adhaeret. Non itaque omnia in opere hocce IANSENII probamus; nec tamen omnia repudiamus, quin potius multa praeclara, prorſusque egregia veritatis in eo occurrere teſtimonia, lubentes fatemur. Lectu cumprimis dignus *liber prooemialis*, quem *tomo ſecundo* praemiſit, *de ratione & auctoritate in rebus theologicis*, vbi, dum rationi humanae certos in theologia limites conſtituit, ſcholaſticae theologiae vitia cordate indicat, & acriter perſtringit; auctoritati tamen rurſus AVGVSTINI plus, quam decet, tribuit. Quantas liber hicce IANSENII in eccleſia romana turbas dederit, quam violenta, quamue atrocia excitauerit certamina, notum eſt, alibique ediſſeritur ex inſtituto. IANSENIO iungimus HENR. NORISIVM cardinalem, cuius *vindiciae Auguſtinianae*, *quibus ſancti doctoris ſcripta aduerſus Pelagianos ac ſemi-Pelagianos a recentiorum cenſuris adſeruntur*, vna cum eiusdem *hiſtoria Pelagiana* & *diſſertatione de ſynodo quinta oecumenica*, ſine mentione loci *iuxta exemplar Patauinum*, anno 1677. in fol. recuſae ſunt. In his ſtatim ab initio *cap. I.* oſtendit, doctrinam Auguſtini de praedeſtinatione & gratia nec difficilem, nec obſcuram eſſe; hinc vero *cap. II.* ordine, quae circa hancce doctrinam Hipponenſium praeſuli obiecta fuerunt, diluere adnititur. ANTONIVS REISERVS, in *praefatione* antea laudata, de hiſce *vindiciis* ita pronuntiat: *Placuit non immerito iis inter euangelicos, quibus eſt Auguſtinus in pretio, hic doctoris papiſtici candor, multa e ſcriptis ſuorum ſingulari diligentia colligentis, quae pleroſque latent etiam eruditiores, quibus non conceditur omnia partis aduerſariae ſcripta vel emere, vel euoluere, partim ob pretii maioris, partim ob temporis breuiſſimi caritatem.* Cum autem NORISIVS eamdem cum IANSENIO viam ingrederetur; mirum non eſt, nonnullis, ſpeciatim ſocietati Ieſu addictis, haſce vindicias maximopere diſplicuiſſe, qui & effecerunt, vt liber hicce, etiamſi ſupremae inquiſitionis romanae decreto, antequam vulgaretur, probatus eſſet, ſecundum, immo tertium examini ac cenſurae eiusdem romanae inquiſitionis ſubiiceretur, indemnis licet, nec vlla theologica nóta perſtrictus. Nec dubitarunt quidam, ſcriptis publicis haſce *vindicias* adgredi, quos inter eminet FRANCISCVS MACEDO, alias quoque ob *collationem Thomae & Scoti* notus, in qua ipſemet AVGVSTINO tantum tribuit, vt ad eius auctoritatem, ceu ſupremi iudicis, prouocet. Cum enim duas commentationes *eccleſiaſtico-polemicas* edidiſſet, in earum priori, VINCENTIVM Lerinenſem ſemi-Pelagianis neutiquam adnumerandum eſſe, quod NORISIVS fecerat, probare voluit; vnde alia quaedam ſcripta, tum pro NORISIO, tum pro MACEDONE, ſequuta ſunt. Excepit eum BRVNO NEVSERVS, initio ſub EVCHARII PALMAE nomine latitans, in *prodromo pro Auguſtino, aduerſus Henricum de Noris*; de quo ANTONIVS noſter REISERVS *loco citato* ita pronunciat: *Quantum hic anti-Noriſius praeſtiterit in prodromo velitari, quo Auguſtinum promiſit ab impoſturis diſcipulorum Ianſenii, praeſertim Noriſii, vindicandum, vno & altero in his vindiciis oſtenditur exem-*

Digitized by Google

exemplo, vnde coniectura facilis erit, quid de ſyndromo, ſi quis ſuccedet, aut etiam epiſodromo ſit ſperandum, vtpote qvi non Vincentium modo Lerinenſem, vel Thomam quoque Aquinatem, ſed Ariſtotelem etiam ſanctis eccleſiae doctoribus adnumerat, vt poſthac toto corpore regni, videlicet ſcholaſtici, ſummo nimirum eius patriarcha in auxilium adſcito, antagoniſtam poſſit opprimere, veritate Auguſtiniana ſimul ſepulta. Sed alia adhuc, & quidem numero haud pauca, non melioris tamen commatis, quam priora, contra NORISIVM eo tempore prodierunt ſcripta, quae idem ANT. REISERVS *loco citato* enumerat. Nos vero, priusquam hinc diſcedamus, illud ſolum addimus, theologiae patriſticae lucem interdum minime contemnendam adfundere, qui adnotationes ad ſcripta quaedam patrum ediderunt, cuiusmodi ſunt, beati CHRISTIANI KORTHOLTI, ex noſtratibus, *adnotationes* ad IVSTINI martyris *apologiam vtramque*, & *orationem ad Graecos*; ex reformatae eccleſiae doctoribus THOM. MILLES ad *Cyrillum Hieroſolymitanum*; ex romanenſibus IAC. PAMELII ad *Tertullianum*, FRANC. FEVARDENTII ad *Irenaeum*, MICH. LEQVIEN ad *Damaſcenum*; & ſimiles aliorum.

§. X. Qui rite hic incedere cupit, id cumprimis aget, vt veram patrum in dogmatibus fidei adſequatur ſententiam, eumque in finem ſcripta vera ac genuina a ſpuriis & ſuppoſititiis ſedulo diſtinguet, * tum vero diſpiciet, num integra ſint, an corrupta ac interpolata. ** Nec negligenda ei ſunt, quae de variis patrum editionibus paſſim viri docti monere ſolent. ***

* Ingentem librorum ſuppoſititiorum, inter eos, qui ſub patrum nomine circumferuntur, eſſe numerum, conſtat; iamque olim exſtitiſſe, qui eiusmodi ſcripta adulterina patribus adfingerent, quemadmodum & deinceps exſtiterunt, pluribus docet beatus IO. GERHARDVS noſter, in *methodo ſtudii theologici, part. III. ſect. V. cap. III. p. 269.* Idem confirmat IO. DALLAEVS, *de vſu patrum lib. I. cap. III. p. 11. ſeqq.* atque ANDREAS RIVETVS, in *tract. de auctoritate patrum*, eiusdem *critico ſacro* praemiſſo *cap. XIII.* vbi & de variis ſuppoſitionum cauſſis diſſerit. Caute ergo hic incedendum nemo non intelligit, ne adulterina & ſuppoſititia ſcripta pro genuinis nobis obtrudi patiamur, & ita pro Iunone nubem, pro theſauro carbones amplectamur. Laudandi hinc &, qui in ſuppoſititiis eiusmodi ſcriptis a veris ac genuinis diſcernendis, operam ſtudiumque collocarunt. Eminet inter eos ANDR. RIVETVS, cuius quippe exſtant *critici ſacri libri quatuor, in quibus expenduntur, confirmantur, defenduntur, vel reiiciuntur cenſurae doctorum, tam ex orthodoxis, quam ex pontificiis in ſcripta, quae patribus plerisque priſcorum & puriorum ſaeculorum, incogitantia vel error adfinxit, aut dolus malus ſuppoſuit*; tum in *operibus* eius *tomo ſecundo*, tum ſeorſim, & quidem quintum editi Lipſiae 1690. 8. Incipit ab epiſtola, quam ad Abgarum ſeruator optimus ſcripſiſſe dicitur, & deſinit in GREGORII magni ſcriptis. Alterum locum occupat ROBERTVS COCVS, in *cenſura quorumdam ſcriptorum, quae ſub nominibus ſanctorum, & veterum auctorum, a pontificiis, in quaeſtionibus potiſſimum hodie controuerſis, citari ſolent; in qua oſtenditur, ſcripta illa, vel eſſe ſuppoſititia, vel dubiae ſaltem fidei.* Prodiit ea primum Londini 1614, recuſa dein, tum ibidem, anno 1623, tum cura GEBHARDI THEODORI MEIERI Helmſtadii an. 1683. 8. Ipſorum autem plerumque pontificiorum teſtimoniis, ſcripta iſta,

Digitized by Google

quae attingit, aut ſuppoſititia, aut dubiae fidei eſſe, confirmat. PHILIPPI LABBEI iudicium, COCI hancce *cenſuram cum critico Riueti, medulla Sculteti, Hottingeri rhapſodia &c. in caſtellum lethes, vnde nefas egredi, procul ablegandam eſſe*, in *bibliothec. bibliothecar. p. 186.* neminem temere mouebit; cum hominis in omnes a romana eccleſia diſſentientes iniquitas, cum ſumma petulantia coniuncta, nota ſatis ſit. Tertium hic locum damus IO. HENRICO HOTTINGERO, ob *elenchum ſeu catalogum ſcriptorum ſuppoſititiorum*, in quo non tantum patrum, per quinque priora ſaecula, ſed & Iudaeorum ac gentilium, itemque patriarcharum, prophetarum, Chriſti quoque atque apoſtolorum, virorumque apoſtolicorum ſcripta ſuppoſititia, ſeu, quae illis adficta fuerunt, breuiter recenſet. Exſtat hicce *elenchus*, ſeu *catalogus*, in *pentade* eius *diſſertationum miſcellanearum*, Tiguri edita, an. 1654. 8. Cum vero tanta quorumdam olim fuerit impudentia, vt non tantum apoſtolorum, virorumque apoſtolicorum, ſed ipſius quoque Chriſti, atque beatae virginis Mariae, nomina, ingenii ſui praefigere commentis, auſi fuerint; & eiusmodi ſcripta, quo maiorem prae ſe ferunt antiquitatis ſpeciem, eo facilius fallere incautos, atque inducere in errorem queant; operae pretium fuerit, eos conſulere, qui de iis ex inſtituto egerunt, quod diligenter fecit THOMAS ITTIGIVS, in *diſſertat. de pſeudepigraphis Chriſti, virginis Mariae & apoſtolorum*, quae in *heptade diſſertationum*, eiusdem *diſſertationi de haereſiarchis aeui apoſtolici &c.* addita, prima eſt, *p. 97. ſeqq.* itemque IO. ALBERT. FABRICIVS, qui & ſpuria eiusmodi monumenta laudabili inſtituto collegit, in *codice apocrypho noui teſtamenti, collecto, caſtigato, teſtimoniisque, cenſuris & animaduerſionibus illuſtrato*, cuius *pars prima* & *ſecunda* Hamburgi lucem adſpexit, an. 1703. 8. quibus deinde an. 1719 *pars tertia* acceſſit. Spectat huc etiam IO. ANDR. SCHMIDII *pſeudo-nouum teſtamentum*, Helmſtadii 1699. 4. quemadmodum & nonnulla eius generis ſcripta exhibet, ac de iis diſſerit IO. ERNEST. GRABIVS, in *ſpicilegio ſanctorum patrum, vt & haereticorum ſaeculi poſt Chriſtum natum I. II. & III.* cuius tomus primus Oxoniae an. 1698. alter ibidem 1700. 8. lucem vidit. Quantae olim in romana eccleſia auctoritatis fuerint *epiſtolae decretales* epiſcoporum romanorum per tria priora ſaecula & quod excedit, a Clemente vsque ad Siricium, quantumque cauſſae ſuae praeſidium eccleſiae iſtius defenſores in illis ſe inueniſſe exiſtimauerint; nemini temere ignotum eſſe poteſt. Sed laruam iis feliciter detraxit DAV. BLONDELLVS, ideo hic vel maxime commemorandus; cuius *pſeudo-Iſidorus & Turrianus vapulantes, ſeu editio & cenſura noua epiſtolarum omnium, quas piiſſimis vrbis Romae praeſulibus, a beato Clemente ad Siricium &c. nefando auſu, infelici euentu, Iſidorus cognomento mercator ſuppoſuit, Franciſcus Turrianus Ieſuita aduerſus Magdeburgenſium ἰδιγχος, aculeato ſtylo defendere conatus eſt*, Geneuae prodiit 1628. 4. Effecitque hac ratione BLONDELLVS, vt hodie vix quisquam inter romanenſes inueniatur, qui iſtarum epiſtolarum γνησιότητα defendere audeat. FRANCISCVS certe PAGI, *eas tamen non genuinas*, inquit, *ſed ſuppoſititias eſſe, omnes fere eruditi ingenue fatentur, inter quos Petrus de Marca, lib. tertio, de concordia ſacerdotii & imperii, & Schelſtratius in parte ſecunda antiquitatis illuſtratae, diſſert. tertia;* in *breuiario hiſtorico-chronologico-critico, de pontificum romanor. geſtis, tom. I. ſaec. I. p. 15.* Idem etiam deinceps *p. 17.* agnoſcit, quae a TVRRIANO & aliis, qui epiſtolas iſtas pro genuinis habent, adferuntur, *leuia eſſe, & a viris eruditis ſoluta.* Immo laudat BLONDELLVM, vt tamen aliquid, ad auctoritatem iſtarum epiſtolarum vtcumque

que tuendam, adiiciat: *licet enim ſuppoſititiae ſint, & laudandum ſit Blondelli criterium, quo illas priſcis pontificibus abiudicauit; immerito tamen ab eo aliisque haereticis, atrocioribus verbis dilacerantur, cum e ſententiis & verbis legum, canonum antiquorum, & ſanctorum patrum, qui quarto ſaeculo floruerunt, ſi pauca demas, concinnatae ſint, vt inquit Marca laudatus.* Sed haec ὡς ἐν παρόδῳ.

** Scripta patrum corrupta hinc inde ac deprauata, variisque in locis immutata ac adulterata eſſe, tanto conſenſu viri harum rerum periti teſtantur, vt mirum ſit, ſi quis hac de re dubitare vellet. Legenda, quae generatim monent IOAN. DALLAEVS, *de vſu patrum, lib. I. cap. IV. p. 60. ſeqq.* & ANDR. RIVETVS, in *tractatu*, non ſemel nobis iam laudato, *de auctoritate patrum, cap. XII. p. 78. ſeqq.* Variae autem poſſunt eſſe cauſſae, cur patrum ſcripta corrupta ſint, ac immutata. Primum enim, librariorum incuria, temporumque antiquitate, ſimilibusque modis fieri potuit, quo minus integra, ſineque vlla corruptione ea ad nos peruenirent. Quod enim reliquis omnibus libris contigit, id cur de patrum ſcriptis credere non debeamus, nulla adferri ratio poteſt. Legenda, quae de eiusmodi mendorum origine fuſe & erudite diſſerit IOAN. CLERICVS, *art. crit. tom. II.* ſeu *part. III. ſect. I. cap. I. ſeqq.* Deinde & data opera nonnulli, ſcientesque adeo & volentes, patrum ſcriptis violentas intulerunt manus; idque tum ab orthodoxis, ſeu catholicis, tum ab haereticis, iam olim factum, negari nequit. Ab illis ſi eiusmodi quid perpetratum ſit, ad veritatem promouendam, ſeu contra diſſentientium inſultus in tuto collocandam, *pia fraus* vocari ſolet; quamquam nulla fraus *pia* dici queat, ſed vel maxime impia cenſenda ſit. Factum tamen quandoque, certum eſt, docetque IOAN. DALLAEVS, *l. c.* De haereticis omnes conſentiunt, exſtantque teſtimonia & exempla quamplurima. Cumprimis vero & ex inſtituto hoc oſtendit BARTHOLOM. GERMONIVS, in opere peculiari, *de veteribus haereticis eccleſiaſticorum codicum corruptoribus*, Pariſiis 1713. 8. edito. In huius enim *libro primo*, veteres haereticos ſacrorum codicum eſſe corruptores, euincit; in *ſecundo* autem, ab iisdem haereticis eccleſiaſtica ſcripta non pauca olim adulterata fuiſſe, comprobat; imo *cap. I. p. 211. ſeqq.* ab ipſis patribus reprehenſam fuiſſe veterum haereticorum in corrumpendis anteriorum patrum operibus, perfidiam, teſtimoniis quibusdam docet. Nimirum lis quaedam hac ſuper re GERMONIO interceſſit cum PETRO COVSTANTIO, cuius origo ex controuerſia de fide & auctoritate diplomatum, quam *lib. I. cap. IV.* ad *§. XVII.* attigimus, repetenda. GERMONIVS enim IO. MABILLONIO, aliisque, qui ab eius partibus ſtabant, auctoritatemque ac fidem diplomatum defendebant, acriter ſe oppoſuit. Hac vero occaſione, codices quosdam manuſcriptos Corbeienſes ab omni ſuſpicione falſi non eſſe immunes, adſeruit, *de vet. reg. Franc. diplom. diſcept. II. p. 344.* PETRVS itaque COVSTANTIVS, dum cauſſam MABILLONII tuendam ſuſcepit, *vindicias manuſcriptorum codicum*, quos GERMONIVS impugnauerat, edidit. Quas dum refutare iterum GERMONIVS voluit, operae pretium eſſe duxit, veterum haereticorum fraudes & perfidiam, tum in ſacrorum librorum codicibus, tum in ſcriptis patrum corrumpendis & adulterandis, retegere, omniumque exponere oculis; indeque liber iſte antea memoratus *de veteribus haereticis eccleſiaſticorum codicum corruptoribus*, enatus eſt. Ad hunc vero iterum reſpondit PETRVS COVSTANTIVS, in *vindiciis veterum codicum confirmatis*, quae Pariſiis anno 1715. in 8. prodierunt. In hiſce licet codicum

manuſcriptorum vſum adſerat, nec in exemplis, quae GERMONIVS, pro corruptione ab haereticis facta, adducit, eidem ſuffragetur; lubens tamen fatetur, exſtitiſſe omni tempore haereticos, qui in eccleſiaſticos codices perfidas manus intulerint; *part. I. cap. VI. p. 39.* Atque haec quidem poſita ſunt in aprico. Dum vero romanenſes committunt, quod in haereticis damnant; ſententiam contra ſe ipſimet ferunt. Librorum enim variorum, ſpeciatim & eccleſiaſticorum, ſeu a patribus profectorum, corruptionem iure meritoque iis exprobrari, paſſim viri docti oſtenderunt, & luculenter comprobarunt, & quidem ex inſtituto THOMAS IAMESIVS, in *tractatu de ſacrae ſcripturae, patrum & conciliorum corruptione*, lingua anglicana ſcripto, quem praeter alios laudat GVIL. CAVEVS, in *prolegomenis hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſt. ſect. V. §. V. p. 13.* alibique; ex noſtratibus CASP. LOESCHERVS, in *diſſertat. de latrociniis, quae in ſcriptores publicos, patres praecipue, ſolent committere haeretici*; IO. CHRISTOPH. WENDLERVS, *in ſchediaſmate, de libris a pontificiis aliisque haereticis in praeiudicium doctrinae purioris, noſtra & ſuperiori aetate, ſuppreſſis & corruptis*, Ienae MDCCXIV. 4. edito, *ſect. II. p. 21. ſeqq.* Nonnulla etiam huc ſpectantia monet CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, *introd. ad hiſtor. theolog. litter. prolegom. §. II. p. 7.* Indices praeterea librorum prohibitorum & expurgandorum, qui in eccleſia romana ſubinde edi ſolent, argumentum luculentiſſimum praebent, eos ab hacce culpa, corrumpendi & caſtrandi libros, in quibus occurrunt, quae iis diſplicent, liberari non poſſe. DANIEL equidem FRANCVS, qui in *diſquiſitione academica, de papiſtarum indicibus librorum prohibitorum & expurgandorum, in qua de numero, auctoribus, occaſione, contentis, fine, damnis & iure indicum illorum, diſſeritur, &c.* Lipſiae 1684. edita, omnia, certe pleraque, quae de eiusmodi indicibus ſcitu digna ſunt, complexus eſt, recte obſeruat, patrum ſcripta raro admodum in indices expurgatorios referri, cum facile romanenſes videant, quantam ea res ſibi creatura ſit inuidiam; idem tamen exemplis quamplurimis docet, & euidenter euincit, haud inſolens eſſe iisdem, patrum ſcripta corrumpere & immutare; *cap. VII. p. 97. ſeqq.* Quantopere autem in indices, patrum ſcriptis ſubiungi ſolitos, graſſentur, fuſe oſtendit *cap. X. p. 153. ſeqq.* De indicibus librorum prohibitorum & expurgandorum plura diximus ſupra *lib. I. cap. IV.* ad §. *XXIV.* quae ibi legiſſe, aut hic in memoriam ſibi reuocaſſe iuuabit. Addendus illis, quos ibi iam laudauimus, eſt IONAS CONR. SCHRAMMIVS, in *diſſertat. de librorum prohibitorum indicibus, horumque abuſu & vtilitate*, Helmſtadii 1708. 4. Solent viciſſim romanenſes noſtrae eccleſiae theologis obiicere, quod patrum ſcripta corrumpant, adulterentue, falſa iis adfingant, veraque ſupprimant. Id autem perperam, & ſine ratione, fieri, IOAN. CHRISTOPH. WENDLERVS, in *diſſertat. praeliminari*, *ſchediaſmati* antea laudato, *de libris a pontificiis aliisque haereticis &c. ſuppreſſis & corruptis*, praemiſſa, ex inſtituto demonſtrat.

*** Vt ſcripta patrum genuina a ſpuriis diſcernantur, & vera lectio in locis corruptis inueſtigetur, ac, ſi fieri poteſt, reſtituatur, arte critica opus eſt; qua & vtcumque inſtructum eſſe debere, qui ad patrum lectionem accedere cupit, deinceps ad §. *ſequentem* monebimus. Vtrique tamen incommodo conſuli etiam quodammodo poteſt, per editiones patrum meliores, in quibus diſcrimen inter ſcripta genuina & ſuppoſititia obſeruari ſolet, operaque adhiberi, vt, quae corrupta ſunt ac deprauata, ſuae reſtituantur integritati. De melioribus patrum editionibus nonnulla

nulla monet IOAN. ANDR. BOSIVS, in *introd. in notit. ſcriptor. eccleſiaſticor. cap. VI. §. VIII. p. 192.* Plenius autem, copioſiusque de iis diſſerit GVIL. CAVE, in *prolegomenis hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſt. ſect. V. p. 9. ſeqq.* vbi haſce regulas generales ponit: *I) editiones ſanctorum patrum, quo ſunt vetuſtiores, eo ſunt vt plurimum meliores; II) opera ſanctorum patrum, quae ex Roberti Stephani officina graece prodierunt, ceteras editiones emendationis cura, & typorum nitore facile vincunt; III) patrum latinorum editiones Frobenianae iure merito magni aeſtimantur; IV) ſanctorum patrum opera, quae graece & latine Pariſienſes in lucem emiſerunt, aliis in ſuo genere palmam praeripiunt; V) in diſcernendis ſanctorum patrum editionibus plurimum refert ſcire, quis editionis curam in ſe ſuſceperit; VI) praecipue cauendae ſunt editiones ſanctorum patrum, quae iis in locis prodeunt, in quibus ſacrae inquiſitionis viget officium.* Haſce regulas dum copioſiſſime illuſtrat, multa prorſus egregia, & de editionibus patrum ſcitu digna, tradit. Diſplicuit tamen ex hiſce regulis prima SAINIORIO, ſeu RICHARDO SIMONI, qui nonnulla, quae circa eam moneret, ſibi inueniſſe viſus eſt, in *bibliotheque critique, tom. I. cap. XVII. p. 255. ſeqq.* Et ad primam quidem, qua CAVEVS regulam ſuam confirmauerat, rationem quod attinet, *quod editiones, quae in primis rei typographicae incunabulis prodierunt, ex optimis quibusuis manuſcriptis expreſſae ſint, adeo vt deſideratis iam plerisque codicibus manuſcriptis editiones iſtae non immerito manuſcriptorum vicem ſupplere poſſint;* eam minime vniuerſalem eſſe, nec in omnibus patrum editionibus procedere, lubens largior; quemadmodum nec id nego, exſtare adhuc hodie hinc inde in bibliothecis codices manuſcriptos praeſtantiſſimos, ſecundum quos patrum ſcripta exigi queant. Non ſine ratione RICHARDVS SIMON hoc monet. Alteram vero CAVEI rationem: *nondum motis de eccleſia reformanda controuerſiis, nondum exorto romanos inter & reformatos de fidei articulis & eccleſiae romanae corruptelis diſſidio, nulla ſatis idonea cauſſa ſubeſſe poterat, cur in excudendis patrum operibus fraude vterentur,* infelicius SIMON impugnat, dum contra experientiam negare audet, poſt enatas iſtas de religione controuerſias patrum ſcripta a romanenſibus corrupta eſſe. Bene interim eſt, quod deinceps *p. 262. ſeqq.* fatetur, docetque, recentiorum theologorum ſcripta ſubinde immutata eſſe, immo addit, quemlibet ordinem, e. g. Dominicanorum, putare, ſe habere poteſtatem, ſuorum ſcripta corrigendi, eaque adeo pro lubitu immutandi. Ad reliqua vt pergamus, lectu cumprimis digna ſunt, quae de variis patrum editionibus ſingulari prorſus diligentia collegit beatus THOM. ITTIGIVS, in *praefatione, tractatui de bibliothecis & catenis patrum*, de quo deinceps plura dicemus, praemiſſa. Cum vero recentiori aetate monachorum Benedictinorum e congregatione ſancti Mauri in Gallia induſtria in edendis patrum operibus maxime enituerit; operae pretium fuerit conſulere viri longe doctiſſimi diligentiſſimique BERNARDI PEZ *bibliothecam Benedictino-Maurianam, ſeu de ortu, vitis & ſcriptis patrum Benedictinorum, e celeberrima congregatione ſancti Mauri in Francia libros duos;* Auguſtae Vindelicorum & Graecii editos 1716. 8. Notitiam enim hinc adcuratiorem haurire licet virorum iſtorum doctorum, qui de patribus praeclare meriti ſunt; quos inter eminent NICOLAVS HVGO MENARDVS, qui *Gregorii magni librum ſacramentorum cum notis & obſeruationibus*, Pariſiis 1642. 4. poſtea operibus GREGORII magni, eorundem monachorum cura publicatis, eadem ratione inſertum, itemque *Barnaba apoſtoli epiſtolam cum notis*, deinde in *monu-*

men-

Digitized by Google

mentis patrum apoſtolicorum IO. BAPTISTAE COTELERII recudendis, dedit; CLAVDIVS CHANTELOV, qui *bibliothecam aſceticam patrum* quinque voluminibus 4. Pariſiis 1662. publicae luci expoſuit; IOAN. LVCAS D'ACHERY, cui & *Lanfranci* & *Guiberti opera*, & *ſpicilegium* illud *veterum aliquot ſcriptorum*, de quo deinceps dicemus, debemus; IAC. DV FRISCHE, qui in *Ambroſii operibus*, Pariſiis anno 1686. & 90. duobus tomis in fol. editis, recenſendis & emendandis vna cum NIC. LE NOVRRY ſtudium operamque ſuam collocauit; IOAN. GARET, cuius diligentia *Magni Aurelii Caſſiodori opera* Rotomagi 1679. fol. in lucem emerſerunt; IOAN. MABILLONIVS, praecipuum ordinis ſui decus, qui, praeter plurima alia, eaque praeſtantiſſima, ingenii monumenta, *Bernhardi opera* edidit Pariſiis 1667. & iterum 1690. duobus tomis in fol. itemque *veterum analectorum* tomos quatuor, in 8. de quibus itidem deinceps quaedam monebimus; ANT. BEAVGENDRE, a quo *Hildeberti opera* habemus, Pariſiis 1708. fol. THEODORICVS RVINARTVS, qui tum aliis ſcriptis, tum & *actis primorum martyrum ſinceris & ſelectis &c.* Pariſiis 1689. & deinde Amſtelodami 1713. fol. excuſis; itemque *operum Gregorii Turonenſis &c.* editione, Pariſiis 1699. fol. nominis celebritatem conſequutus eſt; THOM. BLAMPINVS, qui praecipuum inter eos locum tenet, quorum cura & labore editio *operum Auguſtini*, quae Pariſiis 1689. ad 96. tomis vndecim, & deinde Antwerpiae, aut potius Amſtelodami 1703. duodecim tomis lucem adſpexit, adornata eſt; GABRIEL GERBERONIVS, qui *Anſelmi Cantuarienſis epiſcopi opera*, Pariſiis 1675. fol. & ſub GERMANI RIGBERII nomine latitans, *Marii Mercatoris acta cum notis*, Bruxellis 1673. in conſpectum orbis eruditi prodire iuſſit; NICOL. LE NOVRRY, quem cum IACOBO DV FRISCHE in *Ambroſii operibus* emendandis poliendisque elaboraſſe, antea diximus, cuius etiam *adparatum ad bibliothecam maximam patrum* ſupra iam commemorauimus; ne quid nunc de LACTANTII libro, *de mortibus perſecutorum* dicam, quem LVCIO CECILIO vindicauit, & ſub hocce nomine edidit, Pariſiis 1710. 8. IOANNES MARTIANAEVS, qui *Hieronymi opera*, quinque tomis in fol. Pariſiis ab anno 1693 ad 1706. excudenda curauit; DIONYSIVS SAMMARTHANVS (DE SAINTE MARTHE) cuius cura ſtudioque *Gregorii magni opera* Pariſiis 1705 quinque tomis in fol. prodierunt; PETRVS COVSTANTIVS, antea nobis quoque iam memoratus, cuius diligentiae *Hilarii opera* imputamus, Pariſiis anno 1693 fol. typis exſcripta; EDMVNDVS MARTENE, tum ob alia induſtriae ſuae monumenta, tum maxime ob *theſaurum anecdotorum*, de quo poſtea quaedam obſeruabimus, celebris; BERNHARDVS DE MONTFAVCON, cuius hodie vel maxime per orbem eruditum fama volitat, & quem cum IACOBO LOPINO, & ANTONIO PVGETO, *analecta graeca*, *ſiue varia opuſcula graeca*, *hactenus non edita*, Pariſiis 1688. 4. ſolum vero *Athanaſii opera*, Pariſiis 1698. tribus tomis in fol. porro *nouam collectionem patrum & ſcriptorum graecorum*, *Euſebii Caeſarienſis &c.* Pariſiis 1707 duobus tomis in fol. item *hexapla Origenis*, Pariſiis 1713 duobus tomis in fol. dediſſe, iamque in eo eſſe, vt *Chryſoſtomi opera* emendatiora, ornatioraque in lucem proferat, conſtat; RENATVS MASSVETVS, qui, in *Irenaeo* poſt IOAN. ERN. GRABIVM adcuratius adhuc reddendo, elaborauit, *operibus* eius Pariſiis anno 1710 publicae luci expoſitis; IVLIANVS GARNIER, a quo *Baſilii opera*, quorum tomus primus iam Pariſiis anno 1721 fol. lucem adſpexit, exſpectamus; denique ANT. AVGVST. TOVTTAEVS,

quem

quem *Cyrilli Hieroſolymitani opera*, Pariſiis 1720. fol. in conſpectum orbis eruditi iterum protuliſſe, notum eſt. Quantumuis autem monachorum iſtorum Benedictinorum congregationis ſancti Mauri, in edendis patrum ſcriptis laudanda ſit induſtria; non omnium tamen ſemper eos ſatisfacere votis, vel operum AVGVSTINI editionis exemplo conſtat, quippe quae cenſores quosdam longe acerrimos nacta eſt. Primus inter eos fuit Ieſuita quidam EMERICVS L' ANGLOIS, qui ſub ABBATIS GERMANI nomine *epiſtolam* edidit, in qua Ianſeniſmi veſtigia in hac editione ſibi deprehendiſſe, viſus eſt; cui tamen *vindicias editionis Auguſtini a Benedictinis adornatae, aduerſus epiſtolam abbatis germani* oppoſuit BERNH. DE MONTFAVCON, ſub nomine D. B. DE RIVIERE latitans, eoque tempore Romae degens, Romae 1699. 12. Hunc enim *vindiciarum* iſtarum auctorem eſſe, docet RICH. SIMON, *bibliothec. crit. tom. III. c. XII. p. 117.* & fatetur BERNH. PEZ, in *bibliotheca Benedictino-Mauriana, lib. II. cap. XV. p. 371.* Deinde & DIONYSIVS SAMMARTHANVS, lingua gallicana, *animaduerſiones* emiſit, *in epiſtolam cuiusdam in Germania abbatis, datam ad reuerendos patres Benedictinos congregationis ſancti Mauri, de vltimo tomo nouae editionis operum ſancti Auguſtini*, Rothomagi 1699. 12. Rurſus tamen BARTHOL. GERMONIVS, cuius ſupra iam facta mentio, Benedictinos adcuſauit, quod in ſua operum AVGVSTINI editione codices manuſcriptos Corbeienſes, a GOTTESCHALCO corruptos, ſequuti ſint; *de vet. reg. Franc. diplom. diſcept. II. adpend. c. III. ſeqq.* Sed obuiam ei hac quoque in re iuit PETRVS COVSTANTIVS, in *vindiciis codicum manuſcript. c. XV.* & in *vindiciis veterum codicum confirmatis, part. V. c. I. p. 478. ſeqq.* qui & contra IGNATIVM DE LAVBRVSSEL diſputat, qui Benedictinis idem obiecerat, in libro, gallicana lingua ſcripto, *de abuſu criticae in rebus ad religion. ſpectantib. tom. I. p. 131.* Denique & RICH. SIMON Benedictinos hoſce, *operum Auguſtini* editores, acerrime perſtringit; *biblioth. crit. tom. III. cap. XI. & XII. p. 101. ſeqq.* vbi iis *imperitiam artis criticae*, immo *craſſam ignorantiam* obiicit; talia quoque congregationis ſancti Mauri monachis exprobrat, quae multum exiſtimationi illorum, & integritatis laudi, detrahere poſſent, niſi SIMONIS ingenium notum omnibus ac perſpectum eſſet. Interim ſimilia repetit *tom. IV. bibl. crit. epiſt. IV. & V. p. 37. ſqq.* Apologiam quamdam pro hacce operum AVGVSTINI editione legere licet in *praefatione generali, tomo vndecimo* praemiſſa, cuius auctorem IO. MABILLONIVM eſſe, ferunt; in qua & nonnulla iam, ad hiſtoriam certaminum ſuper hac editione exortorum ſpectantia, attinguntur; de qua etiam conferre iuuabit CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVM, in *ſpecim. hiſtor. dogmat. de grat. & praedeſt.* in *primitiis* eius *Tubingenſibus*, ad §. *IV. p. 97.* Editionem hancce operum AVGVSTINI, quam Benedictinorum diligentiae debemus, Antwerpiae, ſeu potius Amſtelodami, cum notis IOAN. PHEREPONI, hoc eſt IOAN. CLERICI, adiecto *tomo duodecimo*, ſeu *adpendice Auguſtiniana*, anno 1703. recuſam, conſtat. Quam tamen editionem multis mendis typographicis foedatam, nonnulli contendunt. De *appendice* quoque iſta *Auguſtiniana* CASIMIR. OVDINVM, in *comment. de ſcriptorib. eccleſiaſt. tom. I. ſaec. V. p. 986.* non adeo praeclare ſentire, ſupra iam obſeruauimus. Praeterea, cum PHEREPONVS liberius hinc inde in notis ſuis de AVGVSTINO ſcripſiſſet; acerbe refutatus eſt, tum a ROB. IENKINO, in *defenſione Auguſtini*, Cantabrigiae 1707, tum a LAMINDO PRITANIO, hoc eſt, LVDOV. ANT. MVRATORIO, in *libris tribus de ingeniorum moderatione in religio-*

gionis negotio, Pariſiis primum anno 1714, tum Francofurti 1716. 8. editis. Haec vero cum ad ipſum potius AVGVSTINVM, eiusque doctrinam, quam *operum* illius editionem, ſpectent, alibi de iis dicendi locus erit.

Dum de patrum editionibus loquimur, praetermittendi non ſunt, qui iunctim plurimorum, aut quorumdam, ſcripta, in *bibliothecis patrum*, ſimilibusque operibus, exhibent, ſimulque noua quaedam, hactenusque inedita, in lucem producunt. Quorum vt valde commendandum eſt inſtitutum, vtpote ad antiquitatis eccleſiaſticae ſtudium promouendum mirifice faciens; ita optandum, vt maiori interdum ſelectu vterentur, ne nimia librorum non adeo neceſſariorum mole orbis eruditus obrueretur. Nonnullos ex iis, qui eiusmodi patrum, ſcriptorumque eccleſiaſticorum, monumenta collegerunt, iunctimque ediderunt, indicat IOAN. ANDREAS BOSIVS, in *introd. in notit. ſcriptor. eccleſiaſt. cap. VI. §. IX. p. 194. ſeqq.* Sed meſſem longe vberrimam poſt ſe reliquit THOMAE ITTIGIO, viro harum rerum peritiſſimo, cuius *tractatus de bibliothecis & catenis patrum, variisque veterum ſcriptorum eccleſiaſticorum collectionibus*, Lipſiae 1707. 8. editus, omnes, quae ad iſtud tempus vsque prodierunt, eiusmodi collectiones adcurate & diligenter recenſet. Addenda quaedam atque emendanda in hocce ITTIGII libro adducuntur a IOAN. FRIDERICO KERNIO, in *diſſertat. epiſtolica de vita, obitu, ſcriptisque Thomae Ittigii, p. 53. ſeqq.* Cum autem poſt editam hancce ITTIGII commentationem inſignes quaedam eiusmodi monumentorum collectiones prodierint; eas hic paucis indicare non abs re fuerit. Pariſienſibus itaque patrum collectionibus, quas ITTIGIVS *cap. III.* enumerat, addi debet *collectio noua patrum & ſcriptorum graecorum, Euſebii Caeſarienſis, Athanaſii, & Coſmae aegyptii,* quae auctore BERNHARDO DE MONTFAVCON Pariſiis anno 1706 duobus tomis in fol. prodiit. In priori nimirum tomo EVSEBII Caeſarienſis *commentarii in pſalmos,* in poſteriori autem ATHANASII *opuſcula ſecundis curis reperta & antehac inedita,* COSMAE *Indicopleuſtae chriſtianorum opinio de mundo, ſiue topographia chriſtiana,* & EVSEBII *commentaria in Eſaiam*, exhibentur. Deinde huc ſpectat *theſaurus nouus anecdotorum*, quem *quinque tomis* in fol. dederunt EDMVNDVS MARTENE, & VRSIN. DVRAND, Pariſiis 1717, in quibus varia, medii praeſertim aeui, monumenta ſiſtuntur. Nec ſubſtitit hic iſtorum virorum diligentia, quin potius vlterius progreſſa eſt, dum *veterum ſcriptorum & monumentorum hiſtoricorum, dogmaticorum, moralium, ampliſſimam collectionem* edere coeperunt, medii itidem aeui varia ſcripta complectentem, cuius hucusque tres prodierunt tomi, Pariſiis anno 1724. fol. vid. *acta erud. Lipſ. menſ. April. 1725. p. 145. ſeqq.* Eiusdem generis eſt *theſaurus anecdotorum nouiſſimus, ſeu veterum monumentorum, praecipue eccleſiaſticorum, ex germanis potiſſimum bibliothecis adornata collectio recentiſſima, quatuor* conſtans *tomis* in fol. quorum primus anno 1721, quartus 1723 Auguſtae Vindelicorum prodiit, quamue induſtriae viri doctiſſimi, ſupraque nobis iam laudati, BERN. PEZII debemus. Aliud diligentiae ſuae ſingularis monumentum idem vir clariſſimus ſtatuit, in *bibliotheca aſcetica antiquo-noua, tomis ſex*, quorum duo priores anno 1723, quatuor poſteriores anno 1724 Ratisbonae, in 8. euulgati ſunt. Nec praetermittenda hic ſunt LVDOV. ANTON. MVRATORII *anecdota* tum *latina*, tum *graeca*. *Latinorum* exſtant *tomi quatuor*, quorum duos priores, vtpote 1697 & 98 editos, iam recenſuit ITTIGIVS, *l. c. cap. XI. p. 662. ſeqq.* duo autem poſteriores Patauii 1713. 4. prodierunt. *Grae-*

corum

corum anecdotorum vnicus tantum tomus proſtat, qui Patauii itidem anno 1709. 4. lucem adſpexit. Sunt etiam huius quodammodo loci RAIM. DVELLII *miſcellanea, quae ex codicibus manuſcriptis collegit*, medii ſaltem aeui hiſtoriae eccleſiaſticae lucem quamdam conciliatura; quorum tomus primus anno 1723, ſecundus 1724, vterque Auguſtae Vindelicorum in 4. prodiit. Meliora vero, vtilioraque pariter ac ſelectiora, ſuppeditat vir doctiſſimus IO. CHRIST. WOLFIVS, in *anecdotis graecis ſacris & profanis, ex codicibus manu exaratis nunc primum in lucem editis, verſione latina donatis*, quorum tomus primus & ſecundus anno 1722, tertius anno 1723, quartus anno 1724, ſinguli Hamburgi, in 8. euulgati ſunt. IO. LVCAE DACHERII *ſpicilegium veterum aliquot ſcriptorum* iamdudum equidem eruditorum manibus teritur, & recenſetur a THOMA ITTIGIO, *l.c. cap. III. p. 166. ſeqq.* Sed noua deinceps editio comparuit anno 1723 Pariſiis, tribus tomis in fol. quae, quod priori non vno nomine praeferenda ſit, ipſa inſcriptio hunc in modum nos condocet: *Spicilegium, ſiue collectio veterum aliquot ſcriptorum, qui in Galliae bibliothecis delituerunt: noua editio priori adcuratior & infinitis prope mendis ad fidem manuſcriptorum codicum &c. expurgata.* Expurgatio nimirum iſta facta, ſecundum varias lectiones, quas STEPH. BALVZIVS, atque EDMVNDVS MARTENE ex codicibus manuſcriptis collegerunt; operam nauante, nouamque hancce editionem curante, LVD. FRANC. IOSEPHO DE LA BARRE, Tornacenſi, qui & cuncta, quae in hacce collectione continentur, in meliorem ordinem diſpoſuit. Idem de IOAN. MABILLONII *veteribus analectis* obſeruandum, quae ITTIGIVS, *cap. III.* recenſet, *p. 268. ſeqq.* Recuſa ea itidem ſunt cum DACHERII *ſpicilegio*, Pariſiis 1723. fol. Quid noua editio eximii prae priori habeat, ex ipſa rurſus inſcriptione intelligere licet: in ea ſcilicet praeter ipſa *analecta vetera*, cum *itinere* eiusdem auctoris *germanico, adnotationibusque & aliquot diſquiſitionibus*, exhiberi *vitam* MABILLONII, & *aliquot opuſcula, ſcilicet diſſertationem de pane euchariſtico, azymo ac fermentato;* porro opuſculum ELDEFONSI, Hiſpanienſis epiſcopi, de eodem argumento, & EVSEBII denique Romani ad THEOPHILVM Gallum, *epiſtolam de cultu ſanctorum ignotorum.* Nec praetermittendae hic ſunt HENRICI CANISII *lectiones antiquae*, quas longe meliori ordine, & egregiis acceſſionibus auctas, recudi curauit IACOBVS BASNAGE, inſcriptas: *theſaurus monumentorum eccleſiaſticorum & hiſtoricorum, ſiue Henrici Caniſii lectiones antiquae, ad ſaeculorum ordinem digeſtae, variisque opuſculis auctae*, Amſtelodami anno 1725 quatuor voluminibus in fol. Vnicuique auctori BASNAGIVS obſeruationes criticas adiecit; quod eo magis laudandum, quoniam eiusmodi obſeruationes, quantumuis maxime neceſſariae, ſaepius in bibliothecis patrum, aut aliis eiusmodi collectionibus deſunt. De catenis patrum, de quibus itidem THOM. ITTIGIVS *l.c.* agit, conſulere quoque iuuabit IOAN. ALBERT. FABRICIVM, *bibliothec. graec. lib. V. cap. XVII. volum. VII. p. 727. ſeqq.* vbi graecorum patrum catenas in ſingulos ſcripturae ſacrae libros recenſet; itemque IOAN. CHRIST. WOLFII diſſertationem, qua *catenas patrum graecorum, easque potiſſimum manuſcriptas, ex codicibus quibusdam anglicanis eruditis contemplandas ſiſtit;* Wittebergae 1712. 4.

§. XI. Eum porro, qui ſcripta patrum rite legere ac interpretari cupit, linguae graecae pariter ac latinae peritum eſſe, oportet. Verſionibus enim latinis

 patrum

patrum graecorum non ſemper tuto fidere licet. * Latini praeterea pariter ac graeci voces formulasque ſibi proprias & peculiares habent, quas qui non intelligit, facile dogmata illis tribuet, quae iis numquam in mentem venerunt. ** Artem quoque criticam hic quandoque in ſubſidium vocandam, quilibet facile perſpicit. ***

* Non erit, vt puto, qui hac de re dubitauerit; licet non ab omnibus obſeruetur. IOAN. DALLAEVS, cum idem inculcaſſet, addit: *Scio, pleroſque interpretibus, ſiue latinis, ſiue vernaculis fidem habere, immo & eo ventum eſſe, vt nonnulli non dubitarint, de patribus graecis, nulla (quantum quidem ex eorum ſcriptis adparet) graecae linguae ſolida cognitione inſtructi, iudicare; quod magnae fuiſſe temeritatis, nemo, credo, infitiabitur;* de *vſu patrum, lib. I. cap. V. p. 121.* Quibus verbis eum ROB. BELLARMINVM cardinalem pungere, adſcriptum huius in margine nomen docet. Et ſane, quam parum interpretibus fidendum ſit, inde liquet, quod nonnulli linguae graecae peritia, ac eruditione, alii fide, quidam vtraque deſtituantur. Ex ipſis veteribus hoc nomine reprehenditur RVFFINVS, quem ORIGENIS aliorumque ſcripta peſſima fide transtuliſſe, notum eſt. Quam ob cauſſam & ipſi iam HIERONYMO male audiuit, qui & ſinceriorem librorum ORIGENIS περὶ ἀρχῶν interpretationem, quam Ruffiniana fuit, dare voluit. Legenda, quae hac de re obſeruat PETR. DAN. HVETIVS, *Origenian. lib. II. cap. IV. §. XVII. p. 205.* cui & paſſim in hocce opere RVFFINVS ideo vapulat, immo tandem pronuntiat, eum *ſcripta Origenis interpretantem, ita additamentis & detractionibus ea vexaſſe ac corrupiſſe, vt Origenem in Origene deſideres; lib. III. cap. I. §. III. p. 233.* Generatim etiam, quid de RVFFINI interpretationibus cenſendum ſit, idem vir doctiſſimus hunc in modum ediſſerit: *Plurima graeca latinam ab eo* (RVFFINO) *conuerſionem adepta ſunt, Origenis puta opus* περὶ ἀρχῶν, *aliaque eiusdem nonnulla &c. in quibus ad inſaniam vsque ineptiuit, & extra modum profuſiſſima verbiloquentia proceſſit. Corruptiſſimis adhaec vſus eſt codicibus, & iudicio caruit critico, quo falſa a veris diſcerneret;* de *interpret. lib. II. p. 246.* Singulare, & obſeruatu dignum eſt, quod IOAN. DALLAEVS, *de vſu patrum, lib. I. cap. V. p. 122.* adfert, exemplum; quippe ex quo tum, quam male RVFFINVS interpretis munere functus ſit, tum, quam facile quis per prauam verſionem in errorem induci queat, conſtat. Martyres nimirum Lugdunenſes, ad depellendum Thyeſtaearum epularum crimen, apud EVSEBIVM, *hiſtor. eccleſ. lib. V. cap. I.* ſecundum verſionem RVFFINI ita loquuntur: *Multum erratis, o! viri, putantes, humanis viſceribus veſci eos, qui ne mutorum quidem animalium carnibus vtuntur.* Arripuit haecce verba IAC. PAMELIVS, iisque probare voluit, iam tempore IRENAEI chriſtianos in Galliis, romanae eccleſiae ritu, a carnibus abſtinuiſſe. Sed *carnium* nulla apud EVSEBIVM mentio fit. Graeca enim haec ſunt: πῶς ἂν παιδία φάγοιεν οἱ τοιοῦτοι, οἷς μηδὲ ἀλόγων ζώων αἷμα φαγεῖν ἐξόν. *Qui fieri poſſet, vt infantes comederent, quibus ne ſanguinem quidem animantium deguſtare licet.* Ex apoſtolico namque decreto, quod diutiſſime in eccleſia obſeruatum eſt, chriſtiani eo tempore ab eſu ſanguinis & ſuffocati abſtinebant. Aliud exemplum, dum RVFFINVS verba quaedam EVSEBII *eodem loco*, ſeu *lib. V. hiſtor. eccleſ. cap. I.* non recte vertendo, ex Zacharia, Ioannis baptiſtae patre, Lugdunenſem quemdam martyrem effinxit, refert THOM. ITTIGIVS, in *praefat. ſelect. capitib. hiſtor. eccleſ.*

eccleſ. ſaeculi ſecundi praemiſſa *§. XII. p. 14. 15.* RVFFINVM equidem valde perſtringit HIERONYMVS, quod mala in vertendis ORIGENIS libris vſus ſit fide. At recte IOAN. DALLAEVS: *Hieronymus Ruffino vir fuit, fateor, haud paullo doctior; interpres neſcio an multo fidelior ac religioſior; l. c. p. 122.* Ex translationibus eius adparere, perquam modice in lingua graeca eum exercitatum fuiſſe, adſerit IOAN. CLERICVS, in *quaeſtionib. Hieronymian. quaeſt. III. §. I. p. 44.* vti ſupra iam ad *§. IV.* obſeruauimus. De ſua ORIGENIS interpretatione, ipſemet, *Origenem*, inquit, *me arguit vertiſſe in latinum. Hoc non ſolus ego feci; ſed & confeſſor Hilarius fecit; & tamen vterque noſtrum, noxia quaeque detruncans, vtilia transtulit; ad Theophilum ep. LXII.* Quae verba cum PET. DAN. HVETIVS retuliſſet, ſubiicit: *pio quidem conſilio, ſed periculoſae alcae pleno exemplo; quod ſi quis ſequutus, cum interpretem agere inſtituerit, emendatorem agat, iam vero ad interpretum libidinem omnia veterum monumenta refigentur*; de *interpretat. lib. I. p. 112.* Iam ad recentiores ſi progredi vellemus, ingens ſe offerret interpretum multitudo, qui ſuo non recte functi ſunt officio. Sic EVSEBII hiſtoriam eccleſiaſticam ſaeculo decimo ſexto latine interpretatus eſt WOLFG. MVSCVLVS, iterumque eodem ſaeculo IO. CHRISTOPHORSONIVS; cuius verſionem dum CAES. BARONIVS, linguae graecae imperitus, ſequitur, haud raro caecum a caeco in erroris foueam abripi, PETRVS HALLOIXIVS adnotauit, *ſcriptor. oriental. tom. II. p. 730.* Tanto vero gratiorem hanc verſionem fuiſſe BARONIO, quanto dogmatibus romanae eccleſiae eſt adcommodatior, exemplis docet IOAN. DALLAEVS, de *vſu patrum, lib. I. cap. V. p. 124.* quibus aliud adhuc addit THOM. ITTIGIVS, in *praefat. ſelectis capitib. hiſtor. eccleſ. ſaec. ſecundi* praemiſſa *§. III. p. 4.* HENR. VALESIVS, cum in reliquis interpretibus *hiſtoriae eccleſiaſticae* EVSEBII multa deſideraret, nouam ipſe verſionem confecit; in qua tamen rurſus alii, quod reprehenderent, ſibi inueniſſe viſi ſunt; vt auctor eſt LVDOV. ELL. DVPIN, *nou. biblioth. ſcriptor. eccleſ. tom. II. p. 2.* & ex eo ITTIGIVS, *l. c.* Quam infeliciter IOACH. PERIONIVS, vir cetera non indoctus, in graecis latine vertendis verſatus ſit, quantam graecae linguae ignorationem prodiderit; in *praefatione*, ORIGENIS *commentariis* praemiſſa, PETR. DAN. HVETIVS ediſſeruit. CAES. BARONIVM graecae linguae non ſatis gnarum fuiſſe, antea indicauimus. Inſigni hoc comprobauit documento, dum in *martyrologio* ad *diem XXIV. Ian. p. 48.* ex voce graeca ξυνωρὶς id eſt, *par*, martyrem quemdam Xynoridem fecit. Legenda, quae IOAN. LAVNOIVS hac de re obſeruat, in *iudicio de controuerſia ſuper exſcribendo Pariſ. eccleſiae martyrologio, p. 2.*

** Recte hoc, vt alia multa, iam obſeruauit IOAN. DALLAEVS, de *vſu patrum, lib. I. cap. V. p. 149.* Quod namque in aliis ſcriptoribus obſeruare licet, vt quilibet ſuas habeat phraſes, ſuos idiotiſmos, interdum voces quaſdam ſibi proprias; idem etiam de patribus cenſendum. Quod ſi etiam inter ſe in modo loquendi, phraſiumque vſu, & vocum ſignificatione, conueniant; multum tamen in iis omnibus differunt a reliquis ſcriptoribus graecis, ac latinis; immo & a recentiorum loquendi ratione. Ad quod qui non attendit, non poteſt non in illorum interpretatione turpiter hallucinari. Sic vehementer falluntur romanenſes, quando, meritum bonorum operum ſe inueniſſe, putant, quoties vocem *merere*, aut *emerere*, apud patres legunt; cum ea nihil aliud apud eos ſignificet, quam *nanciſci* ſeu *conſequi*; vt praeter alios ISAC. CASAVBONVS obſeruat, in notis ad AELII SPARTIANI *Adrianum caeſarem, p. m. 40.* Cuiusmodi longe plurima apud eos occurrunt. *Eccleſi-*

aſtica hinc orta eſt *latinitas*, quae, etſi non ſit imitanda, obſeruandam tamen, cum ad veteres recte intelligendos plurimum faciat, ſupra iam oſtendimus, *lib. I. cap. IV.* ad *§. III.* Quod vero diximus, ſingulos ſaepe loquendi modos ſibi proprios ac peculiares habere; id vel TERTVLLIANI exemplo comprobari poteſt. *Quid dicam*, inquit IOAN. DALLAEVS, *de Tertulliano, qui praeter vehementis & acris ingenii naturalem, quae in eo paſſim adparet, aſperitatem, & ſtili Carthaginenſis, cum reliquis Africanis ipſi communem indolem, orationis ſuae ſplendorem tanta eruditione, tam multis vocibus, aut nouis, aut e iurisprudentia translatis, tot ſubtiliter & acute dictis obſcurauit, vt lectores ad nutum attentiſſime ſagaces, vt non nemo* (NIC. RIGALTIVS *praefat. in Tertullianum*) *dixit, ſibi poſcat, nullaque nimia ſit ad eum probe intelligendum vel doctrina, vel attentio; de vſu patrum lib. I. cap. V. p. 140.* Vbi, quod de *vocibus e iurisprudentia translatis* dicit, prae reliquis TERTVLLIANO peculiare eſt; quippe qui iuri ciuili operam nauauit, & hinc voces quasdam ex eo petitas, cum de rebus theologicis verba faceret, adhibuit. Fluxit inde *praeſcriptio* illa, quam perquam incommode haereticis oppoſuit; quamquam rectius adhuc fecerit, quam illi, qui ad exemplum eius prouocantes, ad doctrinae veritatem, ſolam temporis ſufficere diuturnitatem, errore ridiculo ſibi perſuadent. Diſputant equidem viri eruditi, num Q. SEPTIMIVS FLORENS TERTVLLIANVS noſter idem ſit cum TERTVLLIANO iurisconſulto; quod dum cum HENR. VALESIO, HVG. GROTIO, IAC. PAMELIO aliisque, negat AEGID. MENAGIVS, fatetur tamen, illum quoque non ſolum loquutionum iuris romani plenum eſſe, ſed & ius romanum citare; in *amoenitatib. iuris ciu. cap. XII. p. 73. 74.* De latinis patribus quod diximus, de graecis itidem eſt intelligendum, eos, tum vniuerſos, tum ſingulos, loquendi formulas, vocesque ſingulares, & ab vſu aliorum ſcriptorum diuerſas, habere. Quod cum praeter alios & IOAN. CASP. SVICERVS perſpectum haberet; recte omnino fecit, quod diligentia haud vulgari *theſaurum eccleſiaſticum e patribus graecis* collegit, *ordine alphabetico* diſpoſitum, editumque Amſtelodami 1682. fol. Enim vero, licet inſtitutum eius latius pateat, & ad dogmata quoque ac ritus veterum ſeſe extendat; praecipue tamen hicce eius labor eo comparatus eſt, vt voces & loquendi modos patribus proprios exhibeat, expliceſque.

*** Inter ſcripta, quae patrum nomina prae ſe ferunt, multa eſſe ſpuria & ſuppoſititia; genuina porro plurimis in locis corrupta ac deprauata, ſupra ad *§. X.* docuimus. Quibus incommodis licet vtcumque per melioris notae editiones, vt ibidem dictum, obuiam iri queat; propriis tamen, non alienis oculis vident, qui ipſimet artis criticae non ſunt ignari. Arti certe criticae emendatiores editiones debemus; ſine qua etiam ſi eſſemus, in magnis verſaremur tenebris. Quod longe alia hodie antiquitatis eccleſiaſticae facies ſit, quam olim fuit, & res ipſa docet, & fatentur, quotquot cordatiores ſunt inter romanenſes, praeſertim, qui hac ipſa arte critica adiuti, multa longe rectius tradunt, quam ceteroquin facturi fuiſſent. Sunt tamen in eadem eccleſia adhuc, quibus lumen hocce criticum maximopere diſplicet; idque mirum non eſt, cum ignorantiae ac ſuperſtitionis regnum per illud valde labefactetur; quod ſaluum ac incolume eſſe, illorum vehementer intereſt. Exemplum eius rei, ni fallor, praebet HONORIVS DE SANCTA MARIA, qui gallica lingua edidit: *animaduerſiones ſuper regulas & vſum artis criticae, ſpectantes ad hiſtoriam eccleſiaſticam, opera patrum, acta antiquorum martyrum, vitas ſanctorum &c. cum notis hiſtoricis, chronologicis & criticis*; Pariſiis duobus tomis

Digitized by Google

tomis in 4. quorum prior an. 1713, poſterior 1717 lucem adſpexit. Non aperte equidem, ſed occulte tamen, & per cuniculos, hoc agit, vt artis criticae vſum, in iis praecipue, quae ad hiſtoriam eccleſiaſticam, theologiam patriſticam, & traditionem, cui romanenſes omnia tribuunt, ſpectant, ſuſpectum reddat. Initio, ſeu *diſſert. I.* quae generatim de arte critica praecipit, eam laudat, eiusque vſum commendat, immo neceſſitatem agnoſcit. Deinde vero, & quidem *diſſert. II.* patrum, ſcriptorumque eccleſiaſticorum venerationem, vehementer inculcat, eorumque teſtimonia non, niſi ob rationes grauiſſimas praegnantiſſimasque, reiicienda, contendit. Eo nimirum cuncta iſta pertinent, quod auctor aegre ferat, ſcripta quamplurima hodie ceu ſpuria reiici, quae veteres vt genuina laudarunt; cum tamen veterum, vtpote qui artis criticae rudes fuerunt, facileque decipi potuerunt, in eiusmodi rebus aut nulla, aut exigua admodum, ſit auctoritas. Apertius, quid ſibi velit, ſimulque magnam mentis imbecillitatem, prodit, quando *artic. VI. p. 137. ſeqq.* ſerio docet, patrum auctoritatem non eſſe deſerendam, vt ſequamur ſententiam haereticorum, (ita proteſtantes vocat) in rebus facti, praeſertim ſi ipſam religionem quodammodo attingant. Negare namque monachus iſte nequit, inſignia maxime proteſtantium in antiquitatem eccleſiaſticam eſſe merita, eosque ope artis criticae multa reſtituiſſe feliciter ac emendaſſe; negare etiam nequit, doctiſſimos quoque romanenſium SEB. NANVM TILLEMONTIVM, LVD. ELL. DV PIN, IOAN. MABILLONIVM, NATAL. ALEXANDRVM, aliosque, id agnoſcere, & proteſtantium labores interdum in vſus ſuos conuertere; & nihiloſecius eosdem aliosque viros longe praeſtantiſſimos, LVDOV. ELL. DV PIN, PETR. DE MARCA, RICH. SIMONEM, HENR. VALESIVM, ADR. BAILLETVM, SEB. NANVM TILLEMONTIVM, perſtringit, quod, poſtpoſita patrum auctoritate, proteſtantium calculo ſuo adprobauerint placita. Quod quam inepte ab auctore iſto fiat, nemo non perſpicit. Cum enim viri iſti docti haud dubie perſuaſi fuerint, recte ſe habere, & veritati eſſe conſentanea, quae proteſtantes dixerunt, quaeue ipſimet calculo ſuo adprobarunt; num ab iis exigi poterat, vt, quae ipſorummet iudicio falſa & erronea erant, nihiloſecius amplecterentur, ne proteſtantium placita patrum praetuliſſe viderentur auctoritati? De teſtimoniis & libris ſuppoſititiis, apocryphis, auctoribusque, qui non magnae ſunt auctoritatis, *parte ſecunda diſſertationis ſecundae p. 169. ſeqq.* ita diſſerit, vt, praeſertim *articulo I.* oſtendere adnitatur, ſcripta quaedam a criticis ceu ſuppoſititia reiici, ex quibus tamen ipſimet teſtimonia depromere non dubitent. Sic *conſtitutiones apoſtolicas* & *recognitiones*, quae CLEMENTI Romano tribuuntur, itemque quae ſub ABDIAE nomine circumferuntur, magno quidem omnium conſenſu hodie inter ſuppoſititia referri; ad haecce tamen monumenta TILLEMONTIVM, BAILLETVM, NAT. ALEXANDRVM, aliosque, ſubinde prouocare. Quo iure equidem viri iſti docti ad haecce monumenta prouocent, diſputare noſtrum non eſt. Non tamen video, quid obſtet, quo minus ad ſcriptum ſuppoſititium, quod ſimul antiquum eſſe credimus, ad facta quaedam probanda, aut ritus ac inſtituta veteris eccleſiae illuſtranda, prouocare queamus. Cuncta vero iterum eo comparata ſunt, vt innuat, criticos ſibi ipſos non conſtare; nec firmo adeo talo niti, quae adferuntur, vt probetur, ſcripta eiusmodi inter ſpuria & ſuppoſititia referenda eſſe. Qua ratione viam auctor ſibi aperit, ad iſta quoque ſcripta, quae romanae eccleſiae erroribus & ſuperſtitioni fauent, ſpuriorum numero eximenda. In iis, quae *Artic. II.* de *teſtimoniis*, *quae ex ſcriptis*

Digitized by Google

ſcriptis, quorum auctores ignorantur, adducuntur; & *artic. III.* de *teſtimoniis ex libris apocryphis aut ſuſpectis, vel de quibus dubitatur, depromtis, quibus tamen patres ad facta quaedam probanda vſi ſunt*, diſputat, non alium itidem ſibi conſtitutum habere videtur finem, quam, vt ſignificet, multa temere a criticis in dubium vocata, quae in priſtinum dignitatis locum, ſi modo fieri poſſet, reſtitui vellet. Atque hinc adparet, quorſum tendant conſiderationes regularum, quae ex coniecturis ſumuntur, quibus ſue critici ſaepiſſime vtuntur, intuitu hiſtoriae eccleſiaſticae & ſcriptorum, quae patribus tribuuntur, de quibus *diſſertat. III.* verba facit, & quae *diſſert. IV.* ſpeciatim de regulis & vſu artis criticae in actis antiquorum martyrum diſſerit. Id namque ſibi datum crediderunt viri inter romanenſes doctiſſimi, vt acta martyrum ſincera a falſis adcurate diſcernerent, & fabulas, ac commenta innumera, quibus eiusmodi acta commaculata erant, ope artis criticae exploderent. Hoc ipſum vero HONORIO noſtro DE SANCTA MARIA valde diſplicere, ſatis ex iis, quae de eiusmodi actis diſputat, intelligitur. Modo enim ipſemet varia, quae in THEOD. RVINARTI *actis primorum martyrum ſinceris & ſelectis* deſideret, ſibi inueniſſe viſus eſt; modo, ſecundum ADR. BAILLETI regulas criticas quaedam adhuc ex iis reſcindenda, obſeruat; modo, ſecundum regulas criticas TILLEMONTII quaedam in ſuſpicionem, ac ſi ſuppoſititia ſint, adduci poſſe, contendit. Si quis ergo RVINARTI *acta* defendere velit, illum non poſſe non dubitare, an regulae criticae BAILLETI & TILLEMONTII, quibus acta ſpuria a genuinis diſcernuntur, & commenta ineptiſſima reiiciuntur, recte ſeſe habeant. Idque eſt, quod auctor ſibi velle videtur. Immo, hoc eum ſibi velle, dubitare non licet, cum *parte ſecunda* iſtius *diſſertationis*, *p. 19. ſeqq.* regulas iſtas criticas, quibus BAILLETVS & TILLEMONTIVS, ad acta genuina a ſpuriis diſcernenda, vſi ſunt, ſub examen reuocet, & varia contra eas dubia, non magni vtique maximam partem momenti, moueat. Quae *diſſert. V. p. 84. ſeqq.* contra RICH. SIMONIS regulas criticas, ad quarum ductum adcuratior ſcripturae ſacrae verſio, quam reliquae ſunt, quae hucusque lucem adſpexerunt, confici queat, diſſerit, mittimus, cum huius loci non ſint. In ſequenti *ſexta diſſertatione* initio conqueritur, criticos quosdam arte ſua ad labefactandam religionem interdum vſos eſſe; quod negare nolim, & minime quoque laudandum, niſi forte ſuperſtitio religionis nomine tegatur. Cetera eo redeunt, ſcripta quaedam vulgo pro ſuppoſititiis haberi, quae tamen genuina ſint; & quaedam, quae genuina ſunt, ſecundum regulas criticorum inter ſpuria poſſe referri; porro, ſecundum easdem criticorum regulas facta certiſſima poſſe in dubium vocari, incerta contra aut falſa, ceu veroſimilia defendi; & quae reliqua ſunt eiusdem generis; in quibus plurima ſunt, quae facilius dicuntur, quam probantur; eo autem cuncta collineant, vt luce, quam ars critica attulit, exſtincta, ignorantiae & tenebrarum regnum iterum reſtituatur. Immo tandem in ipſa arte critica, ſcriptisque eo ſpectantibus, multa adhuc, quae aut emendari debeant, aut maiorem ἀκρίβειαν deſiderent, inueniri, exiſtimat; dumque de ratione, qua omnibus incommodis obuiam iri queat, eſt ſollicitus, traditionem & conſenſum eccleſiae maxime commendat, vt per haecce principia vſus regularum criticarum dirigatur; *diſſert. VII. art. VIII. p. 265. ſeqq.* Cumque apud romanenſes cuncta ad traditionem redeant, & vero viri quidam docti, eiusdem eccleſiae ſacris addicti, ſecundum artis criticae regulas traditiones examinauerint, multasque hinc ineptias & aniles fabulas reiecerint; quas tamen priſtinum auctoritatis gradum recuperare noſter magno-

magnopere vellet; per integrum operis huius *tomum ſecundum*, hocce argumentum ſibi diſcutiendum ſumſit. Et generatim quidem de traditione, deque regulis criticorum, quibus veram a falſa diſcernere traditionem conati ſunt, diſſerit, ſuasque regulas, quibus *piae*, vt loquitur, *traditiones ab erroribus popularibus* diſtingui poſſint, proponit, *tribus diſſertationibus*, quae *librum primum* abſoluunt. Quae cuiusmodi ſint, ex dictis minime obſcurum eſſe poterit. Ad ſpecialia hinc deſcendit *lib. II. III. & IV.* deque oraculis Sibyllinis, quae natiuitatem Chriſti praeceſſerunt, porro de traditionibus, ad natiuitatem, circumciſionem, totamque vitam, paſſionemque & mortem ſeruatoris ſpectantibus, copioſiſſime quidem, ſed ita, verba facit, vt fabulas & commenta, dudum a viris doctis exploſa, poſtliminio in ſcenam reducat, orbique erudito obtrudere adnitatur. Documento eſſe poſſunt, quae *lib. II. diſſert. II. p. 178. ſeqq.* de oraculis Sibyllinis, *lib. IV. diſſert. II. p. 365. ſeqq.* de epiſtolis Chriſti ad Abgarum, & huius ad illum, quas genuinas eſſe credit; rurſus *lib. III. diſſert. I. p. 228. ſeqq.* de translatione aediculae, in qua Chriſtus conceptus dicitur, ex vrbe Nazareth, ad Lauretum, & hocce commentum plane ludicrum pro vera hiſtoria venditans, in medium adfert. Fruſtra itaque vt bonus hicce HONOR. DE SANCTA MARIA lucem, artis criticae beneficio in hocce litterarum genere accenſam, iterum obſcurare conatur; ita numquam etiam efficiet, vt viri, harum rerum intelligentes, eiusdem artis non agnoſcant & vtilitatem ſummam, & neceſſitatem; licet ipſorum criticorum, iuſtos limites transgredientium, vitia improbent. Quae vero diximus hactenus, ad eam praecipue artis criticae partem ſpectant, quae vera a falſis, a genuinis ſpuria, diſcernere docet. Non minor tamen & eius partis vſus eſt, quae corrupta ac deprauata corrigit ac emendat. Exempla innumera adnotationes criticae, ſcriptis patrum variis a viris doctis additae, ſuppeditant; quamquam nec deſint, qui eiusmodi obſeruationes in vnum collectas ſeorſim ediderunt. Huius nimirum generis ſunt IO. FRED. GRONOVII *obſeruatorum in ſcriptoribus eccleſiaſticis monobiblos*, Dauentriae 1651. 12. & CVNR. RITTERSHVSII *ſacrarum lectionum libri octo*, *quibus multa ad ius ciuile, & ad hiſtorias pertinentia, non pauca etiam in ſanctis patribus, aliisque probatiſſimis ſcriptoribus laudantur, illuſtrantur, emendantur*; Noribergae 1643. 8. Et in vltimo quidem hocce opere multa in CHRYSOSTOMO, eiusque verſione, corriguntur, emendantur, nouaque luce perfunduntur.

§. XII. In ſelectu & ordine, legendi ſcripta patrum, ad finem, quem ſibi quisque conſtitutum habet, qui ad ea accedit, attendendum. Ad antiquitatis enim eccleſiaſticae, non minus quam theologiae dogmaticae aut moralis, aut alium quemdam vſum, legi poſſunt. Ad theologiam dogmaticam qui cuncta refert, recte ſibi conſulet, ſi a patribus apoſtolicis initium faciat, tum ex reliquis eos ſeligat, qui auctoritate & eruditione reliquis praeſtant, & ad huncce maxime aliquid conferunt ſcopum. *

* Qua ratione in patrum lectione verſandum, quisue in eorum ſcriptis obſeruandus ſit ordo, qui de methodo ſtudii, theologici ſcripſerunt, IO. GERHARDVS noſter, in *methodo ſtudii theolog. part. III. ſect. V. c. III. p. 283. ſeqq.* ABRAH. CALOVIVS, in *paedia theolog. de methodo ſtudii theolog. ſect. II. artic. poſter. cap. IX. p. 356.*

p. 356. ſeqq. ANDR. HYPERIVS, de *recte formando theologiae ſtudio, lib. IV. cap. V. p. 634. ſeqq.* aliique, exponunt. Et IOANNES quidem GERHARDVS, non vnam omnium eſſe ſententiam, docet, quo ordine patrum ſcripta ſint euoluenda. Quosdam enim exiſtimare, temporum ſeriem vnice obſeruandam, vt, qui primis temporibus ſcripſerunt, primum etiam perlegantur, qua ratione animaduerti queat, quomodo ſenſim facta fuerit doctrinae inclinatio; aliorum hoc fuiſſe conſilium, vt CYPRIANVS primum agmen duceret, ſequerentur BASIL. NAZIANZENVS, & ab his demum tranſitus fieret ad HIERONYMI, AVGVSTINI, ceterorumque commentarios; alios rurſus AMBROSII ſcripta reliquis omnibus praeferre, quod DESIDERIVS ERASMVS Roterodamenſis faciat; quemadmodum quidam contra AVGVSTINO primum locum concedant, quos inter & beatus MART. LVTHERVS ſit, quod tum aliunde conſtet, tum ex teſtimonio HIER. WELLERI, in *conſilio de ſtudio theologico inſtituendo, & feliciter continuando, p. 8.* quod ſupra iam ad *§. IX.* huius capitis recitauimus. Ipſe autem GERHARDVS ſuadet, vt primum euoluantur *epiſtolae* IGNATII, IVSTINI *apologiae, & dialogus cum Tryphone*, IRENAEI *libri aduerſus haereſes*, TERTVLLIANI *apologeticus, de praeſcriptionibus, de reſurrectione carnis, & aduerſus Marcionem*, CYPRIANI *epiſtolae*, NAZIANZENI *orationes*, CYRILLI *catecheſes, didactica & elenchtica in tertio, quarto, quinto, ſexto & ſeptimo tomo* AVGVSTINI, DAMASCENI opus, *de orthodoxa fide:* in reliquis deinde, ſi vacet, & lubeat, temporis ordinem obſeruari poſſe, BERNHARDO excepto, qui ſolus poſt AVGVSTINVM, ſicut AVGVSTINVS poſt apoſtolos reliquis praeferendus ſit. Non contemnenda haecce ſunt; paucis tamen res omnis expediri poteſt, ſi, quod iam monuimus, quisque, qui ad patrum lectionem ſe confert, cumprimis ſcopi, quem ſibi conſtituit, habeat rationem. Alia enim ſcripta ei, qui antiquitatis inde vult haurire notitiam, alia iterum, qui in theologia aut morali, aut dogmatica proficere cupit, legenda eſſe, res ipſa docet. Vltimum qui ſibi propoſuit, recte faciet, ſi dogmatica ſcripta, eaque praeſtantiora, ſeligat; cumprimis tamen, quae tempora apoſtolorum attingunt, aut quam proxime ad ea accedunt, diligenter euoluat. Ipſa patrum, quos vocant, apoſtolicorum huc ſpectant monumenta; quibus magnum viri docti merito ſtatuunt pretium; dolendum tantum, quod tam pauca ex iis, quae genuina ſint, habeamus. Si enim a CLEMENTIS Romani *epiſtola ad Corinthios*, & *fragmento*, quod nonnulli ad alteram eiusdem *ad Corinthios epiſtolam*, alii autem ad librum, qui διδαχὴ ſeu *doctrina*, dictus eſt, pertinere contendunt, itemque *epiſtolis* quibusdam IGNATII, genuinis illis, & tum ab interpolatis, tum ſpuriis, probe diſcernendis, POLYCARPI denique *epiſtola ad Philippenſes*, diſcedas, reliqua omnia, vt BARNABAE *epiſtola*, HERMAE *paſtor*, *canones apoſtolici, conſtitutiones apoſtolicae*, & alia, quae perperam CLEMENTI Romano tribuuntur, aut, praeter epiſtolas antea memoratas, ſub IGNATII ac POLYCARPI circumferuntur nomine, inter ſpuria ac ſuppoſititia referri ſolent. Genuina patrum iſtorum apoſtolicorum monumenta ſaepe, tum ſeorſim, tum iunctim excuſa ſunt. Singulorum editiones diligenter recenſet THOM. ITTIGIVS, in *diſſertat. de patribus apoſtolicis*, *bibliothecae* eius *patrum apoſtolicorum* praemiſſa, *§. LXVI. ſeqq. p. 206. ſeqq.* item *§. LXXXIII. ſeqq. p. 255. ſeqq.* *Epiſtolae* CLEMENTIS Romani, & *fragmenti*, quod ei adiungi ſolet, ac ſubinde *ſecundae ad Corinthios epiſtolae* nomine venit, editionibus, eam adhuc addimus, quam HENR. WOTTON dedit,

Can-

Digitized by Google

Cantabrigiae anno 1718. 8. Non tantum enim WOTTONVS vtramque epiſtolam denuo adcurate cum codice manuſcripto contulit, textumque plurimis in locis emendauit, ſed & praeter PATRITII IVNII & IOAN. BAPT. COTELERII, IOANNIS quoque BOISII notas nondum editas, itemque ſuas, adjecit; *praefationem* denique, *de vſu patrum praecipue apoſtolicorum* ac *diſſertationes duas*, alteram *de diuinitus inſtituto clero, de vnitate eccleſiae* alteram, praemiſit. POLYCARPI *epiſtolam ad Philippenſes*, vna cum *epiſtola* BARNABAE, exhibuit STEPH. LE MOYNE, in *variis ſacris, ſeu ſylloge variorum opuſculorum graecorum, ad rem eccleſiaſticam ſpectantium*, Lugduni Batauor. 1694. 4. Vbi id nonnullis diſplicet, quod *epiſtolae* POLYCARPI ita ſubiunxerit *epiſtolam* BARNABAE, ac ſi haec illius pars ſit. Sed & alia quaedam in hacce *epiſtolae* POLYCARPI editione deſiderat THOM. ITTIGIVS, qui & de *notis*, quas ſecundus *variorum* iſtorum *ſacrorum* tomus complectitur, verba faciens, recte addit: *Sunt autem iſtae obſeruationes in Barnabam, Polycarpum & Hippolytum* (hic enim ſubſtitit, licet etiam reliqua opuſcula illuſtrare adnotationibus ſuis voluerit) *tam prolixae, vt vir multae lectionis non tam ſcriptores illos illuſtrare, quam collectanea ſua pleno modio effundere voluiſſe videatur;* de *bibliothecis & catenis patrum, c. VI. p. 574.* Interim in hiſce obſeruationibus multa lectu digniſſima inueniuntur. Singularem porro, in eiusmodi monumentis colligendis, induſtriam demonſtrauit IO. BAPT. COTELERIVS, dum *patrum, qui temporibus apoſtolicis floruerunt, Barnabae, Clementis Romani, Hermae, Ignatii, Polycarpi opera edita, inedita, vera & ſuppoſititia, vna cum Clementis, Ignatii & Polycarpi actis atque martyriis,* ex manuſcriptis codicibus eruta, correcta, verſionibusque, & notis illuſtrata, Pariſiis an. 1672 duobus tomis in fol. in lucem prodire iuſſit. Cum vero pleraque editionis huius exempla, priusquam diſtraherentur, incendio conſumta fuerint, eaque adeo rariſſima eſſet; rem plurimis longe gratiſſimam IO. CLERICVS fecit, dum hocce opus variis acceſſionibus locupletatum recudi curauit, Antwerpiae, aut Amſtelodami potius, 1698 duobus tomis in fol. Qua in editione praeter notas integras virorum doctorum, qui in ſingulos patres, quorum ſcripta in hocce ſyſtemate exhibentur, commentati ſunt, & quas hinc inde IO. CLERICVS adſperſit, acceſſere GVIL. BEVEREGII *codex canonum eccleſiae primitiuae vindicatus;* IAC. VSSERII *diſſertationes Ignatianae*, & IO. PEARSONII *vindiciae epiſtolarum Ignatii.* Noua denique editio, hoc ipſo, quo haec ſcribo, an. 1724 itidem IO. CLERICI ſtudio & opera, Amſtelodami prodiit; quae quid prae praecedenti eximii habeat, ipſemet CLERICVS nos condocet, *biblioth. anc. & mod. tom. XXI. part. II. artic. I. p. 237. ſeqq.* Cum autem non omnibus datum ſit, hocce opus ſibi comparare; theologiae cultorum ſtudiis optime conſulit beatus THOM. ITTIGIVS, edita an. 1699 Lipſiae, 8. *bibliotheca patrum apoſtolicorum graeco-latina, qua continentur Clementis Romani prior & poſterior ad Corinthios epiſtola; Ignatii epiſtolae ſeptem genuinae, vna cum interpolatis & ſpuriis, itemque actis martyrii Ignatiani; Polycarpi epiſtola ad Philippenſes, cui praeter fragmenta Polycarpi, eccleſiae Smyrnenſis de martyrio ejus epiſtola adjungitur.* Praemiſit diſſertationem de *patribus apoſtolicis*, exquiſito ſtudio conſcriptam, quam non ſemel iam laudauimus.

§. XIII. De auctoritate patrum illi recte ſentiunt, qui, media quadam via incedentes, nec plus, nec minus, quam decet, illis tribuunt.

 Nec

Nec omnes vno eodemque habendi loco. Fuerunt inter eos viri praeſtantes, pollentes ingenio, & pro iſtorum temporum ratione eruditi, virtutis quoque ſanctitatisque laude florentes; nec tamen naeuorum, errorum, vitiorum, humanaeque imbecillitatis plane expertes. *

* Duo itaque caute hic euitanda ſunt extrema; quorum alterum illorum eſt, qui plus, alterum illorum, qui minus, quam decet, patribus tribuunt. Ad prius romanenſes procurrere conſtat, quamquam non prorſus inter ſe conſentiant, quouſque hic procedendum ſit, idque operoſe expedire adnitantur, vt ex MELCH. CANO, de *locis theolog. lib. VII. c. III. p. 208. ſeqq.* ſupra iam ad *§. IX.* oſtendimus. Summatim romanenſium varias hac de re ſententias exhibet, & ſub examen reuocat, ANDR. RIVETVS, in *tract. de auctoritate patrum, critico* eius *ſacro* praemiſſo, *c. III. p. 12. ſeqq.* Addenda & IO. HENR. HOTTINGERI *diſſertatio, de abuſu patrum*, quae in *pentade diſſertationum* eius *miſcellanearum* Tiguri 1654 edita, prima eſt, *p. 1. ſeqq.* Obſeruatum praeterea viris doctis eſt, romanenſes, quando, patres a ſuis ſtare partibus, exiſtimant, mirum in modum eorum extollere auctoritatem; quam rurſus imminuere & extenuare quauis ratione laborent, quoties, illos ſibi aduerſari, deprehendunt. Hinc & naeuos, errores, lapſus, ipſimet romanenſes in patribus notant, aut aliud quid excogitant, cum eorum ſe premi ſentiunt auctoritate. Exemplis hoc demonſtrat, ANDR. RIVETVS, *l. c. cap. X. p. 63. ſeqq.* itemque IO. HENR. HOTTINGERVS, itidem *l. c. p. 6. 7.* cumprimis & beatus IO. GERHARDVS noſter, *confeſſ. cathol. lib. I. part. II. c. XIII. p. 196. ſeqq.* aliique, quos laudat DAN. FRANCVS, in *diſquiſitione academica de papiſtarum indicibus libror. prohibitor. & expurgandor. c. VII. §. LXXXVI. p. 97. ſeqq.* Praeter romanenſes, epiſcopales etiam, ſeu hierarchicos in Anglia, patrum auctoritatem vltra, quam fas eſt, euehere, ſupra itidem ad *§. IX.* docuimus. Confirmari ea poſſunt ex iis, quae PETR. ZORNIVS, vir eruditiſſimus, diſſerit, in *vindiciis ſanctorum patrum per omnes fidei articulos*, in *opuſculis* eius *ſacris* an. 1723 Francofurti in 8 iunctim editis, *p. 660. ſeqq.* vbi & praecipuos ex Anglis, qui de patrum auctoritate in controuerſiis theologicis agunt, laudat. De GEO. CALIXTI, aliorumque, ſcripturae ſacrae, patrum quinque priorum ſaeculorum conſenſum, ceu regulam fidei, & interpretationis ſcripturae, adjungentium, & hac ratione itidem ad prius hoc extremum procurrentium, ſententia, ſupra iam ad §. *IX.* hujus capitis diximus. Dum vero alii hoc euitare voluerunt, facile fieri potuit, vt ad alterum prolaberentur, certe prolabi viderentur. Ipſe equidem beatus MART. LVTHERVS noſter hoc nomine quibuſdam male audit, quod patrum auctoritatem prorſus reiecerit, pedibusque velut conculcauerit. Quantumuis autem pro libertate, quae illi propria fuit, ſententiam de patribus dixerit; eos tamen plane reieciſſe, aut contemſiſſe, dici nequit. Idque abunde patet ex iis, quae ad §. *IX.* huius capitis ex HIERON. WELLERO adduximus, qui LVTHERI de patribus iudicium expoſuit. Ex inſtituto quoque LVTHERI cauſſam hac in re egit IO. ERNEST. GERHARDVS, in *dedicatione*, beati parentis ſui *patrologiae* praemiſſa. Ex reformatae eccleſiae doctoribus illi, qui ab epiſcopalibus in Anglia diſſentiunt, huc referri ſolent. Qui, licet in eo, quod caput cauſſae eſt, nobiſcum conſentiant; non tamen negauerim, eos interdum extra limites ferri, vt paullo iniquiores in patres. videri queant. IO. DALLAEI ideo, ob opus de *vſu patrum*, inuiſum admodum

modum epiſcopalibus nomen eſſe, ſupra ad §. *IX.* huius capitis obſeruauimus, vbi & GVIL. BEVEREGII de eo recitauimus verba. Romanenſibus eumdem valde diſplicere librum, facile intelligitur, qui & certatim eumdem oppugnandum ſibi ſumſerunt, quod ſpeciatim IAC. BOILEAV, DIONYS. SAMMARTHANVM, RICH. SIMONEM, NIC. LE NOVRRY, NAT. ALEXANDRVM, aliosque, feciſſe, conſtat; quos PETRVS quoque ZORNIVS laudat, qui & illorum recitat nomina, qui viciſſim hocce DALLAEI opus elogiis ornarunt, aut eius in ſe ſuſceperunt patrocinium, in *vindiciis patrum*, de quibus deinceps dicemus, §. *III. IV. V. p.* 662. *ſeqq.* Praecipuum autem inter eos, qui patrum cauſſam agere voluerunt, & hocce DALLAEI opus impugnarunt, locum MATTH. SCRIVENERVS, anglicanae eccleſiae presbyter, tenet; in *apologia pro ſanctae eccleſiae patribus aduerſus Ioan. Dallaeum de vſu patrum*; Londini 1672. edita. In qua tamen magna quaedam animi impotentia eousque illum abripuit, vt conuiciis potius, quam rationum momentis, certet. Quod MATTH. LARROQVANI de eo iudicium calculo ſuo adprobauit IO. FRID. MAYERVS, in *diſputat. de ſalute maiorum ſub papatu*, quae inter *ſelectas* eius, anno 1692 iunctim editas, *quinta* eſt, *p.* 146. 147. Caeco porro, ac intempeſtiuo patrum, quos tamen ipſemet non recte legiſſe videtur, amore inductus, errores grauiſſimos libro ſuo adſperſit, eoque impudentiae delapſus eſt, vt iuſtificationem per ſolam fidem, *luſum puerilem* adpellitaret; immo, nec volam nec veſtigium eius in ſcriptura ſacra deprehendi poſſe, adſereret. *Quid vexatius*, inquit, *apud recentes theologos reperitur, quam quaeſtio de iuſtificatione per fidem ſolam & non ſolitariam, prout pueriliter ludunt quidam dicti euangelici? Auſim aperte adfirmare contra vtramque familiam tam Lutheri, quam Caluini, eiusmodi iuſtificationis neque volam neque veſtigium percipi poſſe, a ſincero perſcrutatore ſacrarum ſcripturarum omnium; reſponſ. partic. cap. II. p.* 87. Sed caſtigauit hanc viri temeritatem, prout par erat, IO. FRICKIVS, theologus Vlmenſis clariſſimus, in *diſſertat. theol. prima de iuſtific. & adnexis capitibus, cap. III.* §. *IV. p.* 45. Fuiſſe ex reformatae eccleſiae doctoribus, qui ex inſtituto DALLAEI contra SCRIVENERVM patrocinium ſuſciperet, mihi non conſtat. Ex noſtratibus tamen id fecit THOM. ITTIGIVS, in *oratione inaugurali pro Ioan. Dallaei tractatu de vſu patrum, aduerſus Matthaei Scriueneri apologiam &c.* habita Lipſiae die 27 Octobr. 1697, quae ſubiuncta eſt eiusdem *enneadi exercitationum theolog. varii argumenti, p.* 740. *ſeqq.* Quemadmodum autem ITTIGIVS in hacce *oratione* de DALLAEI libro iudicat, quod eum *auctor concatenatis quaſi rationibus ita firmauerit & conſtrinxerit, vt aequus rerum aeſtimator eius ſententiam cum veritate congruere, vix dubitare poſſit*; ita de SCRIVENERO contra pronuntiat, *eum more Anglorum epiſcopalium egregie papizare, & non Dallaeum modo, ſed etiam omnes, quorum fides patrum iudicio non innititur, alto ſupercilio contemnere; p.* 745. Sed & IO. CLERICVS, inter eos, qui DALLAEI hocce opus laudarunt ac defenderunt, numerandus eſt. Cum enim *tom. X. biblioth. vniuerſal. p.* 223. de eo dixiſſet: *qui liber, inuitis antiquitatis encomiaſtis, ſemper ab iis, quibus notus eſt, egregium opus habebitur;* GVIL. CAVEO ideo hocce opus laudaſſe videtur, quod DALLAEO conſtitutum fuerit, *omnem, quae patribus debetur, reuerentiam excutere, deque eorum ſcriptis ſiniſtre, & duriori cenſura iudicare*; in *diſſert. tertia, hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſticor.* ſubnexa, ſeu, *de Euſebii Caeſarienſis Arianiſmo p.* 34. Iudicium itaque ſuum de hocce DALLAEI opere tuetur CLERICVS,

RICVS, in *epiſtolis criticis & eccleſiaſticis*, ſeu *artis criticae volum. III. epiſt. IV. p. 114. ſeqq.* vbi inter alia de MATTH. SCRIVENERI *apologia* hunc in modum pronuntiat: *Scio, eſſe confutatum* (DALLAEI opus) *a Matthaeo Scriuenero, eccleſiae anglicanae presbytero; at ea confutatio non effecit, vt quisquam de Dallaei libro antea lecto & expenſo peius ſentiret. Bonus ille vir, vt hoc ſolum dicam, non conflixerat cum pontificiis, vt Dallaeus; non norat, quid ab iis ſoleret obiici, nec ſatis etiam ipſos patres verſauerat; ideoque de fine operis, deque toto eius inſtituto & rationibus Dallaei perperam iudicauit.* Nec defuit ſibi rurſus GVIL. CAVEVS, ſed IO. CLERICO etiam, ad hocce caput quod attinet, reſpondit in *epiſtola apologetica*, ſupra nobis iam laudata, *p. 28.* Patrum quoque cauſſam contra DALLAEVM egit vir eruditiſſimus, anteaque nobis iam laudatus, PETR. ZORNIVS, in *vindiciis patrum, per omnes fidei chriſtianae articulos, oppoſitis Ioanni Dallaeo;* quae in *opuſculorum* eius *ſacrorum tomo primo* exſtant, *p. 659. ſeqq.* Acriores nimirum iſtas patrum cenſuras chriſtianae religionis & orthodoxae theologiae hoſtes in rem ſuam vertere, contendit, indeque occaſionem arripere, grauiſſima ſacrae doctrinae capita labefactandi, eaque vocandi in dubium. Idque primum generatim, tum ſpeciatim, eundo per omnes fidei chriſtianae articulos, oſtendit; ſimulque multa, lectu & obſeruatu digniſſima, admiſcet. Et lubens ſane fateor, caute hac in re procedendum, ne vitia & naeuos patrum vltra, quam decet, exaggerando, & curioſe nimis, quae carpamus, in illorum ſcriptis, conquirendo, ipſam quoque religionem chriſtianam, doctrinamque ſacram, profanorum hominum ludibrio exponamus. Nec tamen ideo omnia in patribus laudanda, aut naeui, vitia, & errores diſſimulandi; cum tela, quae inde forte homines impii, aut diſſentientes, contra nos depromunt, alia repellere ratione queamus. Plura de hocce DALLAEI opere, de quo hactenus diximus, quodue nonnulli pro optimo eius libro habent, dabunt IO. FABRICIVS, in *hiſtor. biblioth. Fabricianae, part. III. p. 430.* THOM. CRENIVS, in *exercitat. de libris ſcriptorum optimis, p. 34. 35.* CAROL. GOTHOFR. ENGELSCHALLIVS, in *adlocutione epiſtolica ad eruditos, de noua operum Ioan. Dallaei editione &c. p. 28. ſeqq.* Vt vero DALLAEVS, ita & IO. CLERICVS ipſe, quem illius patrocinium in ſe ſuſcepiſſe, diximus, inter cenſores patrum iuſto rigidiores refertur. Spectat huc controuerſia, quae illi cum GVIL. CAVEO interceſſit, quamue ad §. *II.* huius capitis iam commemorauimus. Plus namque, quam par erat, CAVEVS patribus dare videtur CLERICO; vti CLERICVS contra minus, CAVEO. Idem vero CLERICVS, cum in *notis* ſuis, quas ſub IO. PHEREPONI nomine in AVGVSTINVM ſcripſit, paullo liberius errores praeſulis huius Hipponenſium notauerat, atque perſtrinxerat; acrem aliorum, ſpeciatim ROB. IENKINI & LAMINDI PRITANII, ſeu LVDOV. ANTONII MVRATORII, reprehenſionem incurrit, vti iam ad §. *X.* huius capitis obſeruauimus. Et PRITANIVS quidem, ſeu MVRATORIVS, in *tribus* iſtis *de ingeniorum moderatione in religionis negotio libris*, eleganter vtrique ſcriptis, multa de rebus grauiſſimis diſputat, quae adcuratiorem diſcuſſionem promerentur; AVGVSTINVM non ſemper aeque feliciter defendit, vt in quaeſtione: an ad religionem veram compellere quemquam ſummis magiſtratibus liceat, de qua copioſiſſime *lib. II. cap. VIII. ſeqq.* diſſerit; generatim autem de patribus, *lib. II. cap. IV. p. 252.* ita pronuntiat, vt errores in illorum ſcriptis non equidem diſſimulandos, fateatur; ſimul tamen modeſte agendum, & errantes excuſandos, magnopere commendat. *Cum de fidei*, inquit, *doctrina agitur, dixi-*

Digitized by Google

diximus, veritatis cauſſam poſcere, vt vel ipſis ſanctis patribus non ignoſcatur. Id repeto: diſſimulandi non ſunt errores, qui in nonnullorum patrum libris interdum occurrunt, ne iis quiſquam abutatur, in eccleſiae perniciem, quae contra ſenſit & ſentit. Verum quandoquidem chriſtiana moderatio tanti facienda eſt, vel cum in haereticos ſcribitur, quanto magis eadem ſeruanda eſt virtus, cum detegendi ſunt naeui ſanctorum patrum? Hic itaque duo obſeruanda inprimis. Primum eſt, vt quantum fieri poteſt, non errorem ſolum, ſed etiam erroris ſuſpicionem a magnis illis viris amoliamur; &c. Ad haec vbi honeſta nulla & commoda ratio ſuccurrit, qua ab erroris ſpecie liberentur quorumdam patrum dicta, ita veritatis amans huiusmodi naeuos prodit, vt caritas ſimul vindicet eorumdem auctores a crimine; &c. Laudanda vtique modeſtia, nec omnis erga veteres iſtos eccleſiae doctores, quibus multa debemus, abiicienda veneratio; ſed adcurate ſimul, diligenterque diſpiciendum, ne, dum modeſti videri volumus, in veritatem ſimus iniurii.

§. XIV. Qui ergo in patrum ſcriptis, aut eorum conſenſu, regulam quamdam atque normam fidei atque vitae ſibi inuenire videntur, eumque in finem ea legunt; & falluntur turpiter, & grauiter iis abutuntur. Recte contra ſibi, rebusque ſuis conſulunt, qui diligenter quidem ea euoluunt, ſed vt inde capiant, quae verae doctrinae conſeruationem, propagationemque confirment, ſimul vero tum dogmaticae, tum morali, tum & exegeticae theologiae hinc inde lucem adfundant. *

* Vt recto itaque hic incedamus itinere, ab abuſu legitimum patrum ſcriptorumque eccleſiaſticorum vſum diligenter diſcernere decet. Abutuntur autem patribus praecipue ii, qui vitae ac fidei regulam in illorum ſcriptis quaerunt; quod romanenſes, certe quosdam, facere conſtat; aut qui conſenſum patrum quinque ſaeculorum pro fidei, & interpretationis ſcripturae norma, venditant. De vtrisque, vti & omnibus, qui patribus plus, quam decet, tribuunt, abunde iam in antecedentibus, praeſertim ad §. *praecedentem*, diximus. Nunc id ſolum addimus, patres ipſos negare, nudis ſuis adſertionibus ſtandum eſſe in iis, quae de religione ipſi in medium adferunt; id quod luculenter demonſtrat IO. DALLAEVS, de *vſu patrum, lib. II. cap. II. p. 212. ſeqq.* qui & *cap. III. pag. 234. ſeqq.* non minus euidenter oſtendit, *patres ea ratione ſcripſiſſe, vt manifeſtum ſit, iis inter ſcribendum de religione pronuntiare non fuiſſe propoſitum.* Abutuntur vero & illi patribus, qui errores, ſpeciatim eos, qui aut ex iudaiſmo, aut gentiliſmo, illis adhaeſerunt, ceu recte & praeclare dicta, adſumunt, & acriter inſuper defendunt. Recte hoc obſeruat, & exemplis variis comprobat, IO. HENR. HOTTINGERVS, in *diſſertat. de abuſu patrum, §. IV. p. 13. ſeqq.* Abuti denique patribus & illi cenſendi ſunt, qui oſtentationis cauſſa eorum ſcripta legunt, ſeu vt quaedam inde corradant, quibus ſermones ſacros, quos ad populum habent, exornent; quamquam pauci ex his ſcripta patrum ipſimet legant; ſed ab aliis ex iis iam collecta, & ſaepe ſine iudicio in locos, quos vocant, communes, diſpoſita, vſurpent. Vſus contra legitimus, isque praecipuus patrum, in eo conſiſtit, vt verae doctrinae continuam in eccleſia chriſtiana ſucceſſionem, mirabilemque inter tot haereticorum inſultus, variaque eccleſiae fata, conſeruationem, propagationemque, in iis, quae ad fundamenta, praecipuaque religio-

ligionis chriſtianae capita, ſpectant, inde colligamus. Quantumuis enim fides noſtra ſcripturae ſacrae effatis certiſſimis luculentiſſimisque vnice nitatur; mirifice tamen animus confirmatur, & voluptate quadam perfunditur, quando videt, tam firmam, tamque immobilem eſſe hancce, quam tenet, veritatem, vt, poſtquam ſemel a Deo mortalibus fuit reuelata, numquam tot infernalis genii machinationibus exſtingui potuerit, aut exſtirpari. Quod autem doctrinae ſacrae veritas in iis, quae ad fundamentum fidei ſpectant, ſemper in eccleſia conſeruata fuerit, illi, qui ex noſtratibus de theologia patriſtica commentati ſunt, quosque ſupra laudauimus, oſtendunt; tametſi multa adhuc ex diligenti patrum lectione addi queant. Vſus quoque hicce ſibi conſtat, quidquid de eruditione patrum, linguarumque, vel aliarum artium peritia, aut imperitia, ſentias. Immo, etſi errores multiplices in doctrina admiſerint, naeuorumque non ſint immunes; hoc tamen non obſtare, quo minus verae doctrinae ſucceſſio & propagatio ex illis colligi queat, ſupra ad §. *VII.* huius capitis docuimus. Quem in theologia morali, polemica, exegetica, vſum praebeant, patebit ex iis, quae in ſequentibus de hiſce eruditionis theologicae partibus diſſeremus. Antiquitatis & hiſtoriae eccleſiaſticae notitiam adcuratiorem ſine patrum lectione neminem ſibi comparare poſſe, adeo manifeſtum eſt, vt ignorantiam ſuam proditurus eſſet, qui ſecus ſentiret. Praeterquam enim, quod nonnulli ex inſtituto hiſtoriam eccleſiaſticam ſcripſerunt, vt EVSEBIVS, SOCRATES, SOZOMENVS, ceteri; quos ſi non haberemus, in magnis tenebris, rerumque plurimarum verſaremur ignorantia; alii aliud quid agendo talia ſimul admiſcent, quae maximam, veteris eccleſiae rebus recte intelligendis, lucem adfundunt, vt IVSTINVS, IRENAEVS, TERTVLLIANVS, CYPRIANVS, aliique. Hiſtoriae denique philoſophicae cultor plurima ex patrum diſcet monumentis. Quosdam enim in gentilium, ſpeciatim philoſophorum, ſcriptis haud perfunctorie verſatos fuiſſe, ſupra iam ad §. *II.* obſeruauimus; idque IVSTINI martyris, CLEMENTIS Alexandrini, THEODORETI, aliorumque, ſcripta teſtantur. Immo *philoſophumena*, quae ſub ORIGENIS nomine circumferuntur, velut *compendium hiſtoriae philoſophicae antiquae* exhibent, prout ea quoque recte inſcripſit IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, qui & poſt IACOBVM GRONOVIVM illa *recognita*, *& notis vberioribus illuſtrata*, *paſſimque correcta*, edidit Hamburgi 1706. 8. Atque haec cum ita ſe habeant, nos patres neutiquam contemnere, manifeſtum eſt, ſed eorum potius lectionem, ſi recte inſtituatur, ceu vtilem maxime ac ſalutarem, omnibus commendare.

LIBRI

LIBRI POSTERIORIS
CAPVT QVARTVM
DE
THEOLOGIA MORALI, SIMVLQVE DE THEOLOGIA MYSTICA, ITEMQVE IVRISPRVDENTIA DIVINA, ET PRVDENTIA TVM CHRISTIANA TVM PASTORALI.

Σύνοψις.

Theologiae moralis nomine quid nobis veniat? §. *I.*
Diuerſae ſunt methodi theologiam moralem tradendi; §. *II.*
Fons eius praecipuus liber ſcripturae; quousque cum eo coniungere liceat librum naturae? §. *III.*
Theologia moralis patrum, & quidem trium priorum ſaeculorum; §. *IV.*
eorum qui ſaeculis quarto & quinto vixerunt; §. *V.*
itemque eorum, qui ſaeculo ſexto & ſequentibus floruerunt, vt & ſcholaſticorum; §. *VI.*
Per eccleſiae emendationem theologia moralis meliorem quoque faciem recuperauit; quidue exinde in ea, tum noſtrates, tum reformati, tum romanenſes, praeſtiterint? §. *VII.*
Cum theologia morali conuenit myſtica purior; impurae origo & fata ante eccleſiae emendationem; §. *VIII.*
poſt eam; §. *IX.*
De iurisprudentia diuina quid hic obſeruandum? §. *X.*
itemque de prudentia chriſtiana & paſtorali; §. *XI.*
Errores in theologia morali diligenter euitandi; §. *XII.*

§. I.

QVae circa agenda verſatur theologia, *practica* vocari ſolet, itemque *moralis*, voce hac in latiori ſignificatione accepta. In ſtrictiori enim ſi ſumatur, theologia moralis eam theologiae practicae partem denotat, quae docet, quo pacto homo regenitus in vitae ſanctae ſtudio rite progredi atque proficere debeat. *

* Lucem hic dabunt dicta *inſtitution. theolog. moral. part. I. prolegomen.* §. *V. ſeqq.* quae vt repetamus neceſſe non eſt.

§. II. Cum non vna ratione homines ad virtutis ſanctitatisque ſtudium excitari queant; diuerſi quoque ſunt modi methodique, theologiam moralem tractandi. Poſſunt tamen ad tres praecipue reuocari, vt alia ſit methodus *paraenetica*, alia *paradigmatica*, alia *dogmatica;* vti haec iterum vel *liberior* eſt, vel *adſtrictior*. *

Digitized by Google

* Quae GEORG. PASCHIVS, in *libro, de variis modis moralia tradendi*, alibi nobis iam laudato, generatim docet; maximam partem & in theologia morali locum inueniunt. Quod autem diximus, diuerſas methodos, theologiam moralem tradendi, ad tres iſtas, *paraeneticam, paradigmaticam, & dogmaticam* reuocari poſſe; res ipſa comprobat. Et ad methodum quidem *paraeneticam* ſententiae iſtae atque effata ſingularia virorum ſapientum ſpectant, quae ſimul velut aculeum in mente auditorum aut lectorum relinquunt, quo eos, ad conſectandas virtutes, & vitia fugienda, excitant. Cuiusmodi quidem methodum apud philoſophos, praeſertim Stoicos, in vſu fuiſſe, vel EPICTETI, ac M. AVRELII ANTONINI, imperatoris, ſcripta teſtantur; ne quid nunc de variis gnomologis dicam, de quibus alii ex inſtituto agunt. In ſcriptura ſacra ſpecimen huius methodi longe pulcherrimum praebent *prouerbia*, vt vocari ſolent, *Salomonis*; quamquam & eiusdem *eccleſiaſtes*, itemque *liber ſapientiae*, & *eccleſiaſticus*, ſeu *liber Ieſu filii Sirachi*, huc referri queant. Ipſemet rex ſapientiſſimus hanc methodum commendat, cum *eccleſiaſt.* ſiue *kobeleth XII. 13. verba*, inquit, *ſapientum ſimilia aculeis, & ſimilia clauis infixis, lectiſſima, tradita a paſtore eodem.* Cum aculeis & clauis infixis eiusmodi effata & ſententias comparat, quod alte in animum deſcendere, & firmiter eidem inhaerere ſoleant. Nonnulla de *prouerbiorum libro* iam monui, *inſtitut. theol. mor. part. I. prolegom.* ad *§. XVI.* quae hic iterum repetere nolo. Addenda, quae de iisdem GEO. PASCHIVS obſeruat, *de variis modis moralia tradendi, cap. IV. p. 378.* vbi & IAC. BEN. BOSSVETI in ea *notas* vehementer laudat. De *libro ſapientiae*, itemque *eccleſiaſtico*, vt vocari ſolet, Ieſu Sirachidae conferenda, quae docui in *introd. ad hiſtor. philoſoph. Ebr. p. 77.* item *p. 100. ſeqq.* vt & in *hiſtor. eccleſiaſt. vet. teſtam. tom. II. per. II. ſect. IV.* ad *§. XXIII. p. 647. ſeqq. ſect. VII.* ad *§. XVII. p. 1191. ſeqq.* rurſus *ſect. VI.* ad *§. VIII. p. 951.* & ad *§. XII. p. 1021. ſeqq.* Fuerunt & alii ex Ebraeis, qui ſententias eiusmodi relinquerent; ſed qui huius loci non magis ſunt, quam qui idem ex ethnicis fecerunt. Meliori iure ſibi hic ſedem depoſcunt, qui ex patribus, ſeu ſcriptoribus eccleſiaſticis, in hoc ſcribendi genere ingenii vires periclitati ſunt; quorum praecipuos GEORG. PASCHIVS indicat, *de variis modis moralia tradendi, cap. IV. §. X. p. 380.* Addendus autem iis omnino eſt SIXTVS II pontifex romanus, idemque philoſophus & martyr, cuius *enchiridion, notis* eruditiſſimis, in quibus ſententias eius cum ſcriptura ſacra & patribus coaeuis confert, *illuſtratum*, in lucem protulit vir doctiſſimus VRBAN. GODOF. SIBERVS Lipſiae an. 1725. 4. Ab eiusmodi ſententiis atque effatis, de quibus loquimur, non multum diſcedunt *apophthegmata*, ſeu ſcite & concinne virorum praeſtantium dicta. Atque eorum quidem, quae ad philoſophiam moralem doctrinamque ciuilem ſpectant, collectiones dederunt plurimi. Nobis autem cum de theologia morali ſermo ſit, commemoranda cumprimis ſunt *apophthegmata* illa *patrum*, a IOAN. BAPT. COTELERIO graece & latine edita, in *eccleſiae graecae monumentis, tom. I. p. 338. ſeqq.* Ad diſciplinam equidem monaſticam ea ſpectant, nec omnia, quae in iis occurrunt, probanda; nec tamen rurſus omnia reiicienda; quinpotius quaedam prorſus egregia, & ad vitam ſpiritualem inſtruendam apta, in illis inueniuntur. Ad paraeneticam methodum referri etiam poteſt *parabolica*. Vox *parabola*, generatim accepta, quamuis ſcitam & concinnam ſententiam denotat, quo ſenſu prouerbia Salomonis a nonnullis *parabolae* vocantur; ſpeciatim autem ſimilitudinem aut comparationem ſignificat.

Cuius-

Cuiusmodi comparationibus ſaepiſſime vſus eſt ſeruator ipſe optimus, quas euangeliſtae, vt Lucas *cap. VIII. 4. & 9.* παραβολὰς vocant, Ioannes etiam, *cap. X. 6. XVI. 25. & 29.* παροιμίας adpellitat. Hanc docendi rationem, ad erudiendum intellectum, pariter ac ad commouendam voluntatem, aptam, orientis populis valde vſitatam fuiſſe, conſtat, virique docti paſſim obſeruant. Legenda, quae hac de re copioſe docet PETR. DAN. HVETIVS, *de origine fabular. Romanenſ. p. 9. ſeqq.* itemque *p. 23. ſeqq.* Ex veteris eccleſiae doctoribus BASILIVM, AMBROSIVM, aliosque, methodo hacce parabolica vſos, viris doctis obſeruatum eſt.

Altera methodus eſt *paradigmatica*, quae exemplis vitanda pariter ac facienda docet, & ita homines ad virtutis ſanctitatisque ſtudium excitat. Cum enim mortalibus innatum veluti ſit aliquod imitandi ſtudium; exemplorum magnam vim eſſe & efficaciam, nemo non intelligit. Quod & experientia comprobat. Hinc in vita etiam ciuili hiſtoriarum & exemplorum vſum paſſim viri docti commendant. Non minorem vero in vita chriſtiana, ad quam theologia moralis reſpicit, eſſe, ſcriptura ſacra teſtatur, quae & exemplis ideo quamplurimis, quae nobis proſint, abundat. Ipſum ſeruatorem noſtrum optimum ὑπογραμμὸν nobis reliquiſſe, vt eius premeremus veſtigia, Petrus docet, *I. epiſt. II. 21.* Immo ipſemet hoc profitetur ſeruator, *Matth. XI. 29.* Paulus non ſemel ſemetipſum vt exemplum proponit, quod imitari debeant alii, quemadmodum ipſe exemplum Chriſti imitatus ſit, *I. Cor. XI. 1. II. Tim. III. 10.* Intellexerunt quoque deinde veteris eccleſiae doctores, quos patres vocamus, quantum in vita recte inſtituenda vſum exempla praebeant; ideoque in vitis ſanctorum hominum deſcribendis operam ſtudiumque ſuum collocarunt; quod ATHANASIVM, BASILIVM magnum, HIERONYMVM, aliosque feciſſe, conſtat. Notae quoque ſunt *vitae patrum*, quarum primum collectorem quidam EVAGRIVM Antiochenum, alii autem EVAGRIVM Ponticum, vtrique perperam, eſſe, ferunt, quae a plurimis magno in pretio habitae, ſuaſu deinde & auctoritate MART. LVTHERI a GEORGIO MAIORE editae ſunt, Wittebergae 1544. 8. Quae deinceps non ſemel repetita eſt editio, ſed & in germanicam linguam translata; qua etiam easdem *vitas patrum*, cum acceſſionibus quibusdam, dedit GOTTFR. ARNOLDVS, Halae 1700. 4. qui & in *dem hiſtoriſchen Bericht, §. XII. ſeqq. p. 32. ſeqq.* plura de hocce opere, eiusque variis editionibus, ſuppeditat. Quemadmodum autem in his ipſis *vitis patrum* multa non ſine grano ſalis accipienda occurrunt; ita iam antiquiſſimis temporibus exſtiterunt, qui, dum vitas hominum ſanctorum ſe ſcribere profeſſi ſunt, aniles fabulas, mendaciorumque protulerunt portenta. Lectu digna, quae hac de re obſeruat GEORG. WALLINVS, in *diſquiſit. de ſancta Genoueſa, part. I. generali, artic. XIII. p. 13. 14.* Circa initium deinceps ſaeculi decimi floruit SIMEON, magiſter & logotheta, qui, iuſſu & auſpiciis Conſtantini porphyrogeniti, martyria & vitas ſanctorum, non orientalium tantum, vt nonnullis viſum, ſed quorumuis, quos nanciſci potuit, conſcripſit, ita quidem, vt nonnullas ex ingenio ſuo componeret, ſi non omnino fingeret, plerasque autem ab antiquioribus acceptas transferendo, corrigendo, interpolando, alia forma exhiberet, & velut μεταφράσει quadam explicaret, unde & *metaphraſtes* dictus eſt. Male hicce plurimis audit, ob fabulas & mendacia, quae hac ratione ad poſteros propagauerit, licet CAES. BARONIVS, in *annalib.* ad *annum XLIV. num. XXXVIII. & LIV.* 10. BOLLANDVS in *praefat. ad vitas ſanctor.* §. *III.* aliique eum defendere conentur. Factum vero etiam, vt dein-

minum, certe ea, qua decet, ratione, deſcripſerunt; ex quibus tamen inſignis in vitae chriſtianae praxi capi poſſet vſus. Ingens certe eſt eorum numerus, qui vitas eruditorum, ſpeciatim theologorum, delinearunt; ex quibus haud contemnendum ad hiſtoriam litterariam & eccleſiaſticam redundare poteſt commodum. Id vero non eſt, de quo nunc ſumus ſolliciti. Ea, quae ad vitae ſpiritualis rationem, fideique praxin & exercitium pertinent, pauci admodum attingunt. Specimina quaedam GOTTFR. ARNOLDVS dedit, in *den Leben der Glaubigen;* cui iungi merentur illuſtriſſimi comitis ERDM. HENRICI DE HENCKEL *vltimae horae*, ſeu *lezte Stunden*, quarum exſtant partes tres, Halae Saxonum 1720, 21 & 23. 8. in quibus, dum piorum quorumdam hominum, qua praecipuum vitae momentum, vitam deſcribit, quam plurima adfert, quae vitam egregie inſtruunt; ne quid nunc de libello: *Hiſtorie der Wiedergebohrnen*, Offenbaci 1701, qui tamen reformatae eccleſiae doctorem auctorem agnoſcere perhibetur, ſimilibusque, dicam. Quantumuis autem methodus haecce paradigmatica maximopere laudanda ſit, cum exempla oſtendant, non tantum quid fieri debeat, ſed & quid fieri poſſit, ſimulque obſtacula varia, quibuscum in vitae ſanctae ſtudio progreſſuris colluctandum eſt, ob oculos ponant; caute tamen & circumſpecte iis, qui vitas piorum hominum deſcribunt, incedendum eſſe, recte nonnulli monent, atque res ipſa docet. Non tantum enim vera a falſis adcurate ſunt diſcernenda, ne pro hiſtoriis fabulas, romanenſium more, aliis obtrudamus; ſed cauendum etiam, ne imbecillitates magnorum virorum pro virtutibus venditemus, & aliis imitandas proponamus; neque quod praeter ordinem quandoque factum, id ſemper ac vbique ab omnibus fieri aut poſſe aut debere, exiſtimemus. Legenda, quae de abuſu methodi paradigmaticae recte obſeruat IO. MICH. GEISSENVS, in *den Anmerckungen über die Sittenlehre der Chriſten*, *cap. XVII. p. 358. ſeqq.* qui & *cap. XVIII. p. 389. ſeqq.* de abuſu iſto per vſum genuinum emendando, praecipit. Ad methodum paradigmaticam quodammodo accedit *dialogiſtica*, ſaltem ſpeciem quamdam hiſtoriae refert, praeſertim ſi characteres eorum, qui inter ſe colloquuntur, probe obſeruentur. Qua etiam methodo PLATONEM, XENOPHONTEM, AESCHINEM, ex Latinis CICERONEM, ex patribus IVSTINVM martyrem, in *dialogo cum Tryphone Iudaeo*, ORIGENEM, vel quisquis auctor eſt *dialogi, de recta in Deum fide contra Marcionitas*, GREGORIVM Nazianzenum, *aduerſus eos, qui vehementer iurant*, GREGORIVM Nyſſenum, *de anima & reſurrectione cum ſorore Macrina*, IO. CHRYSOSTOMVM, in *libris ſex de ſacerdotio*, & ex Latinis iterum MINVCIVM FELICEM, in *Octauio*, aliosque, vſos fuiſſe, conſtat. In quorum quibusdam licet non tam moralia, quam dogmatica tractentur; certum tamen, hancce methodum tradendae morum doctrinae perquam adcommodatam eſſe. Specimen quoque huius methodi elegantiſſimum ipſe *liber Iobi* exhibet, in quo grauiſſima de prouidentia diuina quaeſtio, ſeu, cur piis ſanctisque hominibus cum grauiſſimis calamitatibus conflictandum ſit, cum improbis contra ſaepe cuncta ex animi ſententia fluant, ita pertractatur, vt colloquentium characteres adcurate obſeruentur.

Supereſt methodus *dogmatica;* quae iterum vel *liberior* eſt, vel *adſtrictior*. Hanc in illorum ſcriptis deprehendere licet, qui ſyſtematica quadam ratione incedunt, & ex principiis certis concluſiones deriuant, quae cum illis apte colligentur. Cuiusmodi methodi exemplum apud veteres theologos vix inuenies. Illam autem, ſeu liberiorem, in ſermonibus ſeu diſſertationibus conſpicimus, in quibus argumenta

moralia tractantur, ſyſtematis cuiusdam nulla habita ratione. Huius generis ſunt ſermones Chriſti ſeruatoris, ex quibus *ethicam* quamdam *chriſtianam* optimo inſtituto concinnauit ERN. SAL. CYPRIANVS, in *der Sitten-Lehre Chriſti aus den alten Kirchen-Lehrern erklaeret*, Coburgi 1707. 8. itemque ſermones prophetarum & apoſtolorum, horumque epiſtolae. Inter veteres Iudaeos PHILO varia argumenta moralia hac ratione ediſſeruit, vti liber teſtatur *de eo quod deterius potiori inſidiari ſoleat*, item de *reſipiſcentia Noae*; de *fortitudine*, & alia eiusdem generis. Legere inuabit, quae de hocce PHILONE obſeruaui in *introd. ad hiſtor. philoſ. Ebraeor.* ad §. *XXXII. p. 215.* Graecorum philoſophos eadem methodo vſos, vel MAXIMI TYRII *λόγοι* ſeu *diſſertationes*, comprobant. Apud patres eam longe vſitatiſſimam fuiſſe, homiliae BASILII, GREGORII Nazianzeni, IOAN. CHRYSOSTOMI, & aliorum, ſimiliaque ſcripta, teſtantur. Atque hi quidem, cum ſoluta oratione id praeſtiterint; non minus tamen hic commemorari poſſent, qui idem fecerunt oratione ligata, ſeu poëtae chriſtiani, niſi de his iam ſupra dictum eſſet, *lib. I. cap. IV.* ad *§. XII.* Referre huc etiam licet omnes ſcriptores aſceticos, veteres ac recentiores, quorum praecipuos in ſequentibus recenſebimus. Ceterum illorum, qui hiſtoriae theologiae moralis, aut notitiae librorum eo ſpectantium, inſeruiunt, ſi ab iis, qui generatim de libris theologicis praecipiunt, diſcedas, non adeo magnus eſt numerus. HENR. IVLII SCHEVRLII *bibliographia moralis*, quam ſuo loco iam commendauimus, etſi philoſophicis praecipue ſcriptis deſtinata ſit; recte tamen vir ille praeſtantiſſimus iudicauit, mancam & mutilam eſſe philoſophorum doctrinam moralem, niſi ex diuinarum litterarum ſcitis corrigatur, emendetur, illuſtretur. Ideoque & fontes, ex quibus ſublimior illa morum doctrina, quam chriſtiani ſibi vindicant, hauriri poſſit, indicat. Propius adhuc ad noſtrum inſtitutum accedit GEBH. THEOD. MEIERVS, in *introductione in vniuerſum theologiae moralis, cum dogmaticae, tum practicae ſtudium*, Helmſtadii anno 1661. 4. edita; in qua non tantum, quae propria, quae aliena ſint theologiae morali, vnde illa, & in quantum, poſſint debeantque accipi, quo ordine quaue methodo in docendo diſcendoque ſit progrediendum, oſtendit; ſed & ſcripta, ad parandam illam ſcientiam apta, eundo per ſingula ſaecula, recenſet, ita, vt nec canones eccleſiaſticos, nec illos, qui eos collegerunt, praetermittat. Nos vero hos merito ſeparamus, iuris canonici & eccleſiaſtici hiſtoriam ſeorſim tradituri; cum theologia moralis diuini ſolum iuris rationem habeat. Non omnia autem ita exhauſit MEIERVS, quin aliis ſpicilegium aliquod relinqueret. In his IO. MICH. LANGIVS eſt, vir doctiſſimus, qui IOAN. CONR. DVRRII *compendio theologiae moralis* diſſertationem prooemialem praemiſit, *de origine & progreſſu theologiae moralis ſyſtematicae*, an. 1698. 4. In ea etiam de theologia myſtica, eiusque ſcriptoribus praecipuis, verba facit, de quibus & nos in ſequentibus ex inſtituto dicemus. Iungendus hiſce IOAN. FRIDER. MAYERVS, qui cum anno 1705 AEGID. STRAVCHII *theologiam moralem* ederet, ei ſubiunxit *bibliothecam ſcriptorum theologiae moralis & conſcientiariae triplicem*, doctorum ſcilicet noſtrae eccleſiae, reformatae, & romanae. Partem itaque ſolum quamdam theologiae moralis, non autem vniuerſum eius ambitum, haecce bibliotheca complectitur. De IOAN. BARBEYRACII, viri doctiſſimi, praefatione, verſioni gallicae SAM. PVFENDORFII operis *de iure nat. & gent.* praemiſſa, in qua de doctrina morali patrum, ſeu veteris eccleſiae doctorum, copioſe diſſerit, deinceps erit agendi locus.

§. III.

Digitized by Google

§. III. Fons praecipuus theologiae moralis eſt ſcriptura ſacra: iuuabit vero, vt alias, ita hic quoque cum *libro ſcripturae* coniungere *librum naturae;* vt tamen ſedulo caueamus, ne ratio ſuos transgrediatur limites, neue lumen rationis cum lumine reuelationis confundamus; quippe quae diſtincta manent, licet ſibi inuicem non aduerſentur. Non minus vero & ethnicae philoſophiae cum theologia morali confuſio ſummo euitanda eſt ſtudio. *

* Scripturam ſacram non tantum principium cognoſcendi, ſed & fontem vberrimum theologiae moralis eſſe, aliunde ſatis conſtat; nec, vt operoſe hoc inculcemus, neceſſe eſt. Ex antea etiam dictis haud difficulter intelligitur, tum paraeneticae theologiam moralem tractandi methodi, tum paradigmaticae, non minus ac dogmaticae, exempla longe praeſtantiſſima in ſcriptura ſacra inueniri. Falluntur equidem, qui artium omnium, & humanae eruditionis fundamenta, in ſacris litteris quaerunt; cum Deus huncce in iis neutiquam ſibi conſtitutum habuerit finem. Recte contra ſibi conſulunt, qui ad veram diuinamque ſapientiam adipiſcendam eas legunt; quippe ad quam viam nobis oſtendunt. Eoque cum & theologia moralis comparata ſit; non ex alio ea rectius, quam ſcripturae ſacrae, hauritur fonte. Cum *libro* autem *ſcripturae* quod coniungendum diximus *librum naturae*, nemo mirabitur, qui modo cognouerit, quid haec ſibi velit loquendi ratio. Generatim quidem, ad rerum naturalium ac diuinarum adcuratiorem cognitionem conſequendam, vtrumque librum conſulendum eſſe, ſupra docuimus, *lib. I. cap. III. §. XIX.* In doctrina morali vero cumprimis hoc neceſſe eſt; praeſertim ſi hoc non tam de *libro naturae vniuerſae*, quam *naturae humanae*, quem & nonnulli *librum conſcientiae* vocant, intelligatur. Cogitationum nimirum humanarum, propenſionumque variarum, itemque adfectuum, quibus numquam non agitantur miſeri mortales, indolem, adhaerentemque hiſce omnibus corruptionem, nemo rectius cognoſcet, quam qui diligenter ad ſe ipſum attenderit, & quae in ſuamet contingant mente, conſiderauerit. Si porro cum propenſionum, cogitationum, actionumque ſuarum omnium conſideratione coniunxerit, quae ipſa ratio de Deo, eiusque ſanctitate, & iuſtitia, omnes condocet; facile etiam, quaenam ſibi aut facienda aut fugienda ſint, videbit, quidue ſibi exſpectandum ſit, ſi Numinis voluntati non obtemperauerit. Atque hinc iſta *ſui ipſius notitia* oritur, quam verae ſapientiae initium eſſe, merito veteres dixere. Quae cum minime contemnenda ſit, ſi ſecundum emendatae rationis ductum inſtituatur; longe tamen rectius feliciusque procedit, ſi lumen reuelationis adhibeatur in ſubſidium. Ratio enim naturam tantum corruptam cognoſcit; reuelatio autem non tantum corruptionis iſtius profunditatem, originemque demonſtrat, ſed & de ſtatu naturae integrae ac reſtitutae nos erudit, & ita longe adcuratiorem naturae humanae cognitionem ſuppeditat. Et ad naturam quidem reſtitutam quod attinet, homo regenitus multa, quae diuina Numinis gratia in eo effecit, in ſe deprehendit, magna vtique ac praeclara, quae ceteris ignota ſunt atque abſcondita. Eoque ſpectant, ſi recte intelligantur, quae theologi quidam de *interno*, qui in homine (regenito) eſt, *theſauro*, dicunt.

Ceterum, ſi ratio in iis, quae ad mores hominum ſpectant, cum reuelatione comparetur; non minus illorum euitandus error eſt, qui pugnam quamdam inter rationem & reuelationem comminiſcuntur,

tur, quod PETR. BAELIVM facere conſtat, quam eorum, qui reuelationi nullam prae ratione ἐξοχὴν concedunt. Multa in his quoque longe clarius, longeque luculentius, reuelatio tradit, quam ratio; quibus tamen ratio, recte informata, nec adfectibus corrupta, neutiquam refragatur. Inter ſublimiora theologiae moralis capita haud vltimum locum illud tenet, de inimicis diligendis, itemque de abnegatione ſeu odio ſui. Vtrumque autem ita comparatum eſſe, vt & hominem, rationis ductum ſequentem, prorſus deceat, & ad animi plurimum conferat tranquillitatem, nemo dubitauerit, qui cuncta rite expenderit. Idque omnino & gentilium philoſophorum teſtimoniis comprobari poſſet, ſi iis opus eſſet. Legere ea iuuabit apud PETR. DAN. HVETIVM, in *quaeſtionib. Alnetanis, de concordia rationis & fidei, lib. III. cap. VII. p. 331. ſeqq. cap. VIII. p. 332. cap. XVIII. p. 420. ſeqq. cap. XIX. p. 430. ſeqq.* Sed caute fateor, ad teſtimonia iſta ethnicorum quod attinet, incedendum. Magnam enim etſi pleraque prae ſe ferant ſpeciem, ſi tamen fontes & principia, ex quibus fluxerunt, ſpectes, ad praecipitia nos ducunt, ex quibus emergere non licet. Nimirum philoſophiae dum adſtruimus cum theologia morali conſenſum, ſalua quidem huius ἐξοχῇ; non ſtatim philoſophorum adprobamus placita, aut, ea cum theologia morali coniungenda, exiſtimamus. Quin potius, vti ipſius philoſophiae conſenſum quidem cum theologia morali, neutiquam autem commixtionem probamus; ita multo minus illorum laudamus inſtitutum, qui philoſophorum, praecipue gentilium, placita, in theologiam moralem ita inferunt, vt hanc cum illis confundant. Nullum enim gentilium philoſophorum ſyſtema doctrinae moralis inuenitur, quod non grauiſſimis laboret erroribus, & adeo, ſi cum theologia morali coniungatur, maxima ſecum trahat incommoda. Platonica & Stoica doctrina moralis, ſi quis circumſpecte in ea non verſetur, ad enthuſiaſmum facile ac fanaticiſmum aliquem abripiet; Ariſtotelica ad Pelagianiſmum viam munit; Epicurea & ſceptica omnino ad atheiſmum. Non ſine ratione hoc adſeri, patebit ex iis, quae *lib. I. cap. IV.* §. *XXXI.* de variis doctrinae moralis ſyſtematibus diximus. Quae patrum de doctrina morali philoſophorum gentilium fuerit ſententia, opere amplo & erudito, *iugement des ſaints peres ſur la morale de la philoſophie payenne* inſcripto, editoque Argentorati 1719. 4. oſtendit BALTVS, Ieſuitarum ſocietati adſcriptus. In quo cum multa recte dicantur; nonnulla tamen adcuratiorem promerentur diſcuſſionem. In hocce enim ita verſandum argumento, vt a philoſophia, ſeu recte rationis ſcitis, diligenter diſcernantur decreta, ſeu placita philoſophorum, & haec iterum ſecundum cuiusque ſectae ſyſtema explicentur; quod an ſemper & vbique patres fecerint, diſpiciendum erat. In primo libro BALTVS recte docet, patrumque teſtimoniis confirmat, doctrinam moralem ſine veritatibus quibusdam theoreticis, de Deo, eiusque exiſtentia, & attributis, cumprimis prouidentia, de homine eiusque origine, praeſertim de mentis immortalitate, ſibi non conſtare. De quibus omnibus licet philoſophi interdum talia proferant, quae & rectae rationi ſunt conſentanea, & cum ſcriptura ſacra conueniunt; ſi tamen ſecundum propria illorum principia conſiderentur, adparebit, aliter de iis pronuntiandum. Latiſſimus hic ſe auctori aperuit differendi campus: dum patrum iudicia de philoſophorum gentilium, in grauiſſimis hiſce theologiae naturalis capitibus, placitis, profert. Vti vero ipſimet patres non ſemper ſibi conſtant, aut inter ſe conueniunt; ita &, an ſemper philoſophorum gentilium de hiſce omnibus mentem acu tetigerint? dubitari ſubinde non ſine ratione poteſt. Interim lu-

bens

bens fateor, gentilium philoſophos in hiſce omnibus grauiſſimos admiſiſſe errores; immo, plerorumque ſyſtemata ad atheiſmum ducere, aut eidem ſuperſtructa eſſe, alibi a me ex inſtituto demonſtratum. De praeceptis moralibus philoſophorum gentilium libro ſecundo agit; quorum plurima in ſe & extra illorum ſyſtema ſpectata, praeclara prorſus egregiaque eſſe, facile largimur; nec abnuimus, quod copioſiſſime probat, inter virtutes chriſtianorum & gentilium maximum omnino intercedere diſcrimen. Neſcio tamen quo iure auctor *lib. II. cap. III. p. 179. ſeqq.* adſerat, doctrinam moralem gentilium philoſophorum ad actiones externas tantum ſpectare, de internis, vt prauis cupiditatibus & cogitationibus, non eſſe ſollicitam; cum plurimis Platonicorum & Stoicorum effatis, ſecus ſe rem habere, probari queat. Ex ſcriptis philoſophorum gentilium, quibus doctrinam moralem tradiderunt, immo ipſa iſtorum philoſophorum doctrina, varia ad nos redundare poſſe commoda, quod auctor *lib. III. cap. I. ſeqq.* adfirmat, nemo temere negauerit. Dum vero eiusdem libri *cap. VI. ſeqq. p. 423. ſeqq.* operoſe probare adnititur, non omnes actiones philoſophorum gentilium fuiſſe peccata; ad diſcrimen, quod inter forum humanum & diuinum intercedit, non ſatis attendere videtur. Multa ethnicos feciſſe, quae in foro humano laudem haud exiguam promerentur, ambabus largior manibus; cum autem Deo nihil placere queat, quod non ex fide proficiſcitur, *Ebr. XI. 6.* ecquis ſibi perſuadeat, actiones gentilium philoſophorum, quantumuis ſplendidas, eodem in foro diuino loco haberi, ac in humano? Patrum, aliter hic ſentientium, teſtimonia non moramur; quippe quos, praeſertim ante AVGVSTINI tempora, diſcrimen naturae ac gratiae non ſatis intellexiſſe, aliunde ſatis conſtat. Sine ratione itaque auctor beatum MARTINVM LVTHERVM, *lib. I. cap. I. p. 6.* perſtringit, quod dixit, *omnes virtutes morales ac ſcientias ſpeculatiuas non eſſe veras virtutes & ſcientias, ſed peccata & errores.* In foro enim diuino non aliter ſe res habet. Veriſſimumque eſt, quantumuis auctor hoc agnoſcere nolit, per peccatum originale nihil aliud in homine ſupereſſe, quam caecitatem miſeram, triſtemque in ſpiritualibus ſeruitutem. Sed haec huius loci non ſunt.

§. IV. Veteris eccleſiae doctoribus, qui in tribus prioribus ſaeculis vixerunt, modo cum Iudaeis & ethnicis, modo cum variis haereticis, pugnandum, aut aliud quid agendum fuit; vnde mirum non eſt; quod ex inſtituto non adeo multa, quae huc ſpectant, ſcripſerint. In iis tamen, vbi aliud quid agere videntur, ſubinde quaedam adſpergunt, quae non tam ingenii ſubtilitatem, quam apoſtolicam grauitatem, ſeriumque in ipſis virtutis ſtudium, arguunt; quamquam & quidam naeuorum non ſint expertes. **

* Priusquam ipſa patrum, quae huc ſpectant, ſcripta recenſeamus; operae pretium fuerit, obſeruare, de theologia morali patrum copioſe verba facere IO. BARBEYRACIVM, in *praefatione*, quam verſioni gallicae operis Puſendorffiani, *de iure naturae & gentium*, praemiſit, *§. IX. ſeqq. p. 40. ſeqq.* In ea cum de morali doctrina patrum non adeo praeclare ſentiat, quorumdam etiam in ea errores acriter perſtringat; aduerſarium nactus eſt REMIGIVM CEILLIER, qui in libro: *apologie de la morale des peres de l'Egliſe, contre les iniuſtes accuſations du ſieur Iean Barbeyrac*

beyrac inſcripto, patrum hac in re cauſſam agere voluit. Prodiit Pariſiis anno 1718.

4. Ego quidem in eo, quod caput cauſſae eſt, cum BARBEYRACIO, viro eruditiſſimo, conſentio, patres, vt in aliis, ita & in doctrina morali, naeuorum non eſſe expertes; lubensque fateor, multa melius rectiusque hodie tradi poſſe, traditaque eſſe, quam ab iis factum; an vero in omnibus iſtis reprehenſionem mereantur, in quibus viro doctiſſimo eos reprehendere placuit, ex ſequentibus patebit. Primum hic nobis occurrunt patres, quos vocant, apoſtolici, CLEMENS Romanus, IGNATIVS, atque POLYCARPVS, de quorum, quae ſuperſunt, monumentis genuinis in praecedentibus dictum. In hiſce ſubinde, quae ad doctrinam moralem ſpectant, apoſtolica plane & maieſtate & ſimplicitate proponi, ipſa eorum quemuis condocebit lectio. Veritatis pariter ac ſanctitatis rationem optimi iſti viri habent, credenda vbique cum agendis coniungunt, de vita non minus ſolliciti ſunt, quam de fide. Iungerem BARNABAE epiſtolam, optimo iure inter primitiuae eccleſiae documenta moralia referendam, niſi de eius auctore viri eruditiſſimi adhuc dubitarent. Dictum vero & de ea ſupra eſt. Ex iis, quae CLEMENTI Romano perperam tribuuntur, vt *canonibus apoſtolorum*, itemque *conſtitutionibus apoſtolicis*, multa, quae ad diſciplinam veteris eccleſiae ſpectant, haurire licet; iis tamen, cum alterius loci ſint, non immorabimur.

Saeculo ſecundo pugnandum veteris eccleſiae doctoribus & cum ethnicorum calumniis, & cum variis haereticorum monſtris fuit. Nec tamen intermiſerunt, ea ſubinde tradere, aut ſcriptis ſuis apologeticis polemiciſque admiſcere, quae ad formandos inſtruendoſque chriſtianorum mores pertinent. Exemplum IVSTINVS, philoſophus ille atque martyr, praebet. Non commemorabo, quae in *apologiis pro chriſtianis*, aut in *paraeneſi ad Graecos*, ſubinde adſpergit; cum plura ex *epiſtolis* eius *duabus*, altera ad *Diognetum*, altera ad *Zenam* & *Serenum*, haurire liceat. Ex his cumprimis poſterior tota ethica eſt, & de moribus diſſerit. Ad diſcrimen naturae & gratiae, in quo caput fere theologiae moralis conſiſtit, ſpectat, quando, *prouidendum vero etiam*, inquit, *vt pax nobis & gratia ſit cum diſſidentibus; & ne vna cum illis per irae decretum transuerſum rapti, aliquando quidem dicamus:* Φύσεώς εἰμι τοιαύτης, καὶ οὐ δύναμαι μὴ ὀργίζεσθαι, *eiusmodi ſum naturae, & non poſſum non iraſci.* Ita quidem ſe res habet, ſi homines ſecundum naturam ſpectes; nec infrequens eſt, vt eiusmodi voces audiantur. Sed aliter quod cenſendum ſit, ſi ſecundum gratiam conſiderentur, hunc in modum IVSTINVS exprimit: τὸ μὲν γὰρ ἔτι κατὰ φύσιν βιοῦν, οὐδέπω πεπιστευκότος ἐστι. *Nam etiamſi ſecundum naturam viuas, nondum tamen id credentis eſt, p. m. 504.* ROBERTVS equidem BELLARMINVS hancce IVSTINI epiſtolam in dubium vocat; ſed ſine vlla ratione, vt GVIL. CAVEVS obſeruat, *hiſtor. litter. ſr. ſcriptor. eccleſiaſt. p. m. 28.* Generatim de doctrina morali IVSTINI martyris GEBH. THEODOR. MEIERVS hunc in modum pronuntiat: *Iuſtinus martyr paraeneſes dogmatibus, & haec illis admiſcet: in probandis dogmatibus dialecticum vel oratorem agit, rarius analyticum. Aliquando enim philoſophatur. Scripturam ſacram vt fontem doctrinae de moribus agnoſcit, quamuis in interpretatione & accommodatione eiusdem infelicior nonnumquam videatur. Deinde non omnia morum vel dogmata vel praecepta attigit, nec quae attigit, in ordinem redegit. Denique dictione ad docendum aptiſſima vtitur; introd. ad theol. moral. ſtudium, c. IX. §. V.* In *apologiis*, quibus IVSTINVS martyr aliique, veterum chri-

chriſtianorum innocentiam tuebantur, etſi ex inſtituto ea non traduntur, quae huius loci ſunt; dum tamen ex iiſdem, quae veterum chriſtianorum fuerit viuendi ratio, quodnam ſanctitatis ſtudium, condiſcimus; fructum inde haud exiguum in vita recte inſtituenda capere licet. Inter iſtos autem, qui ſaeculo ſecundo eiusmodi apologias ſcripſerunt, praeter IVSTINVM eminet ATHENAGORAS, cuius πρεσβεία περὶ χριστιανῶν, ſiue *legatio pro chriſtianis*, Lipſiae 1684. cura ADAMI RECHENBERGII & Oxonii 1706. 8. cura ED. DECHAIR prodiit. IO. BARBEYRACIVS in eo deſiderat, quod cultum angelorum ſtabiliat; quodue doceat, angelos ideo a Deo creatos, vt rerum huius mundi curam gererent; denique, quod virginitatem nimis laudet, & nuptias ſecundas damnet, quippe quas honeſtum adulterium adpellitet; *l. c. p. 41.* Verum, angelos colendos aut adorandos eſſe, quod, praeeunte LVDOV. ELL. DV PIN, BARBEYRACIVS adſerit, ATHENAGORAS diſerte nullibi docet. Idque & REMIGIVS CEILLIER ei exprobrat; qui & addit, BARBEYRACIVM eccleſiae romanae rem longe gratiſſimam facturum, ſi hoc probare poſſet; *apolog. de la morale des peres &c. cap. I. p. 1. 2.* Idem vero ſimul prorſus ἀπροσδιονύσως cultum angelorum probare adnititur. ATHENAGORAM adſerere, mundi huius inferioris regimen a Deo angelis commiſſum, verum eſt. Ἀλλὰ καὶ πλῆθος ἀγγέλων, inquit, καὶ λειτουργῶν φαμὲν, οὓς ὁ ποιητὴς καὶ δημιουργὸς κόσμου Θεὸς διὰ τοῦ παρ' αὐτοῦ λόγου διένειμε, καὶ διέταξε περί τε τὰ στοιχεῖα εἶναι καὶ τοὺς οὐρανοὺς, καὶ τὸν κόσμον καὶ τὰ ἐν αὐτῷ, καὶ τὴν τούτων εὐταξίαν· *Sed & angelorum copiam eſſe dicimus; & miniſtrorum, quos conditor & opifex mundi Deus per verbum ſuum ita diſtribuit atque diſpoſuit, vt & elementorum, & caelorum, & mundi, & eorum, quae comprehenduntur ipſo, & congruentiae in his conſeruandae, curam haberent; p. m. 86.* Similia & *p. 225.* docet, vbi generalem & vniuerſalem prouidentiam mundi, Deo, particularem vero angelis, tribuit. Quae ſi ſolum de miniſterio angelorum intelligeret; nihil, quod non cum ſacris litteris conueniret, diceret. Sed PLATONEM potius, vt viris doctis obſeruatum, ſequi videtur, qui vniuerſalem mundi adminiſtrationem Deo ingenito, particularem vero diis iunioribus, daemonibus, & ſideribus adſcribit. Idque adeo merito in eo reprehenditur. Quod virginitatem nimis extollit, deque nuptiis ſecundis adſerit, quod ſint εὐπρεπὴς μοιχεία, *ſpecioſum adulterium; p. m. 299.* in eo quidem, fateor, alios quoque patres ſibi ſuffragantes habet, quod operoſe oſtendit CEILLIER, *l. c. p. 31. ſeqq.* Inde autem, vt haec ſententia probanda ſit, non ſequitur.

Circa finem ſaeculi ſecundi floruit CLEMENS Alexandrinus; cuius cum varia exſtent ſcripta, huius tamen loci cumprimis eſt eius *paedagogus*, tribus conſtans libris, in quibus hominem ethnicum iam conuerſum, & in *protreptico* de religionis chriſtianae ſanctitate inſtructum, ad vitam moresque vere chriſtianos informat; quiue adeo pro quodam moralis doctrinae compendio recte reputantur. *Paedagogi* nomen cur iis praefigatur, ipſemet CLEMENS ſtatim in principio indicat; eos ſcilicet homines, qui, priſtinis erroribus reiectis, veram fidei chriſtianae doctrinam, προτρεπτικῷ ſeu *exhortatorio ſermone* eruditi, perceperant, mox παιδαγωγῷ, quo prioris vitae peccata & vitia emendare, ac deinceps pie ſancteque viuere doceantur, eſſe informandos. Paedagogi quoque hunc eſſe finem, ſtatuit, vt animae morbis perturbationibusque medeatur, eamque in poſterum virtute, ſanctisque actionibus meliorem efficiat. De quo paedagogi officio, itemque diſcipulis ſeu chriſtianis, qui ab eo erudiendi ſint, ſimilibusque, cum multa libro primo praecepiſſet; libro de-

inde ſecundo, qualem eſſe in tota vita eum, qui chriſtianus dicitur, oporteat, ſummatim deſcribens, de ſobrietate in eſculentis, potulentis, ſupellectili, conuiuiis, riſu, ſermone, & reliquis, quorum vt maximam partem vſus eſt neceſſarius, ita ad voluptatum illecebras abuſus fere certiſſimus, ſeruanda, verba facit; in vltimo denique *paedagogi* libro, de cultu corporis externo, de balneis, diuitiis, & aliis, quae eiusdem ſunt generis, exponit. Conferenda analyſis huius operis, quam NIC. LE NOVRRY exhibet, in *adparatu ad biblioth. maximam patrum, tom. I. lib. III. diſſert. I. cap. II. p. 643. ſeqq.* Vt autem in *paedagogo* ex inſtituto moralia tradit CLEMENS; ita & in *ſtromatum* libris multa, quae eiusdem ſunt argumenti, admiſcet; cumprimis vero & eiusdem liber: *quis diues ſalutem conſequi poſſit?* huc ſpectat, quem poſt FRANC. COMBEFISIVM, cum eiusdem verſione & notis edidit THOM. ITTIGIVS, Lipſiae 1700. 8. deinceps autem *operibus* CLEMENTIS inſertus eſt, a IO. POTTERO editis Oxonii 1715. fol. De morali doctrina CLEMENTIS, ſpeciatim de *paedagogo* eius, non omnes idem ſentiunt. Regulas vitae nimis ſeueras rigidasque, & ab hodierna vitae conſuetudine alienas, eum praeſcribere, conqueritur IO. BARBEYRACIVS, *l. c. p. 42.* At vero &, quae Chriſtus ipſe ſeruator dedit, virtutis praecepta, multis rigida & ſeuera nimis videntur, & a vitae conſuetudine aliena. Nemo tamen, ea ideo reiicienda, dixerit. Nec ſane ex vitae conſuetudine, ſed ex ſcripturae ſacrae praeſcripto, regulae, quas ſequi debeamus, conſtituendae, doctrinaque ſimul moralis aeſtimanda Quod confuſio, ordinis neglectus, declamationes, CLEMENTI obiiciantur, cum ad rem ipſam non ſpectet, me non morabitur; ſiquidem id ei cum aliis patribus commune eſt, & lubens fateor, anteaque faſſus ſum, eam, quae in methodo tractandi hodie obſeruari ſolet, ἀκρίβειαν a patribus exſpectari non poſſe. In *paedagogo* tamen CLEMENTIS meliorem deprehendi ordinem, methodumque, quam aut in eiusdem, aut aliorum patrum ſcriptis, nemo, qui harum rerum gnarus eſt, negauerit. Ex Stoicorum diſciplina CLEMENTEM quaedam ad rem chriſtianam transtuliſſe, quod eidem porro BARBEYRACIVS exprobrat, certum eſt. Stoicorum etiam eum imitari paradoxa, quando dixit: *ſolum chriſtianum diuitem eſſe*, dubio caret. Eſt tamen hoc eiusmodi, vt in ſano ſenſu admitti queat. Quod autem hominem chriſtianum, quem *gnoſticum* vocat, aeque ac Stoici ſuum ſapientem, prorſus ἀπαθῆ eſſe voluit; laudari aut excuſari nequit. Ieciſſe potius eum hac ratione fundamenta theologiae myſticae impurae, aliis obſeruatum eſt; cumprimis IAC. THOMASIO, qui omnino hac de re legendus, in *ſchediaſmate de philoſophiae definit. quod ſit γνῶσις ὄντων &c. §. XLIII.* Hinc & de eo, ceu ſcriptorum myſticorum haud poſtremo, copioſius agit GOTTFR. ARNOLDVS, in *hiſtor. & deſcript. theolog. myſt. cap. XI. p. 192.* Accuſatur denique a BARBEYRACIO CLEMENS, quod per imprudentiam quamdam idololatriam gentilium adprobauerit, quando ſcripſit, Deum gentilibus dediſſe ſolem, & lunam, & reliqua aſtra, vt ea colerent, & per huncce cultum mentem ad Deum eleuarent. Verba CLEMENTIS haec ſunt: ἔδωκεν δὲ τὸν ἥλιον, καὶ τὴν σελήνην, καὶ τὰ ἄστρα εἰς θρησκείαν ἃ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τοῖς ἔθνεσιν, φησὶν ὁ νόμος· ἵνα μὴ τέλεον ἄθεοι γενόμενοι, τελέως καὶ διαφθαρῶσιν· *Dedit autem* (Deus) *& ſolem, & lunam, & aſtra in religionem, quae Deus fecit gentibus, inquit lex, ne ſi omnino eſſent impii, & plane a Deo alieni, omnino etiam interirent; lib. VI. ſtrom. p. 795.* editionis IO. POTTERI. Et hicce quidem, ex cuius editione verba iſta recitauimus, POTTERVS, ea ita ſcribi & explicari poſſe, putat: ἔδωκε δὲ τὸν ἥλιον, καὶ τὴν σελήνην, καὶ τὰ ἄστρα, ἃ ἐποίησεν ὁ Θεὸς,

εἰς

εἰς θρησκείαν τοῖς ἔθνεσιν, φησὶν ὁ νόμος. *Dedit autem ſolem, & lunam, & aſtra, quae fecit Deus, in cultum gentibus, ait lex.* Hoc enim ſibi velle CLEMENTEM, idem vir doctus obſeruat, Deum gentibus conceſſiſſe, vt caeleſtia corpora religioſo cultu proſequerentur, quod praeſtet pro diis habere ea, quae veri Dei non ſunt, quam absque religionis ſenſu vitam agere, atque eo ſenſu illud ἀπένειμε τοῖς ἔθνεσι, *Deut. IV. 19.* accepiſſe. Vnde patet, CLEMENTEM verba Moſis *Deut. IV. 19.* non recte intellexiſſe. Deinde non adprobat aut excuſat idololatriam CLEMENS, ſed, comparate eam conſiderans, non aeque malam ac atheiſmum eſſe, pronuntiat. De ſola etiam permiſſione eum loqui, contendit REMIGIVS CEILLIER, *l.c. c. II. p. 70. ſeqq.*

Huius quoque adhuc aetatis eſt Q. SEPT. FLORENS TERTVLLIANVS, quippe quem circa finem ſecundi, & initium tertii ſaeculi, vixiſſe, conſtat. Hunc non tam morum doctorem, quam cenſorem rigidiſſimum fuiſſe, praeſertim poſtquam ad Montaniſtarum caſtra tranſiit, inter omnes fere conuenit. Scripſit autem ante lapſum, librum *de poenitentia* & *de oratione*, quorum vterque huius loci eſt. Poſt lapſum *de pudicitia, de fuga in perſequutione, de ieiunio, de monogamia, de ſpectaculis, de idololatria, de cultu feminarum, de virginibus velandis*, & alia, ad formandos mores ſpectantia. In quibus, etſi paullo ſeuerior eſſe videatur; vbique tamen intimorum velut cordis receſſuum, periculorumque, quibus obnoxii ſunt mortales, ſiue intrinſecus ſiue extrinſecus eos circumſtent, & rationis, qua obuiam illis eundum ſit, ſe longe callentiſſimum eſſe, demonſtrat. IO. BARBEYRACIO, principium illud, in ſe veriſſimum, illos, qui improborum praua facinora promouent, aut qui quacumque ratione ad malum concurrunt, peccare, TERTVLLIANVS vltra quam par eſt, extendere, adeoque in rebus quae excuſari poſſunt, nimis rigidus eſſe, videtur; prouocatque hac in re ad LVD. ELL. DV PINIVM, cuius & verba adfert, *l.c. p. 43.* Sed DV PINII auctoritatem hic ei non prodeſſe, contendit REMIGIVS CEILLIER, *l.c. cap. III. p. 77.* Quidquid eius ſit, cum principium hoc, cuius mentionem fecit, veriſſimum eſſe, ipſemet vir eruditiſſimus fateatur, quod & negari nequit; diſpiciendum ſolum, an TERTVLLIANVS illud vltra, quam par eſt, extenderit, anue nimis rigidus ſit in rebus, quae excuſari queant. Exemplis itaque hoc probaturus, cum DV PINIO vrget, quod TERTVLLIANVS noluerit, chriſtianos militiae pro imperii defenſione, nomen dare; luminibus & laureis ornare aedes ſuas; certisque loquendi formulis, eo tempore vſitatis, vti, eo, quod idololatriam ſapere viderentur. Et ad primum quidem quod attinet, TERTVLLIANVM hoc docere, notum eſt conſtatque ex *libro de idololatr. cap. XIX. pag. 97.* licet alibi contrarium ſtatuat. Docet vero hoc, poſtquam iam Montaniſta factus eſt; quo tempore multa eum adſeruiſſe, quae probari nequeant, qui ceteroquin cauſſam eius agunt, concedunt. Errant, qui prorſus negant, bellare, aut militis munere fungi, fas eſſe; cum nec chriſtianis hoc nefas eſſe, rationibus luculentiſſimis euicerit HVGO GROTIVS, de *iure belli & pacis, lib. I. cap. II.* Neſcio tamen, an non, qui ita errant, excuſationem quamdam promereantur, ſi infinita iſta mala, quae bella, etiam iuſta, ſecum vehunt, cogitemus. In bellis praeterea, quae ab ethnicis imperatoribus gerebantur, multa a militibus exigebantur, aut committi neceſſe erat, quae, an ſine peccato ab homine chriſtiano praeſtari potuerint, iure meritoque dubitaueris. Vt aedes ſuas chriſtiani in honorem principum luminibus & laureis ornarent, numquam forte illis prohibuiſſet, niſi, id ſimul in honorem deorum gentilium fieri,

 hinc

hinc & idololatriam quamdam cum hocce ritu coniunctam eſſe, credidiſſet. Cumque veri & vnici Dei cultores omnem idololatriam toto deteſtentur pectore, eiusque & ſpeciem fugere debeant; neſcio, an hoc itemque illud, quod loquendi formulas, idololatricum quid ſapientes, damnauerit, ei vitio verti queat. Idem dici poteſt, quando in *libro de corona militis*, omnes coronas militares a chriſtianis reſpuendas, contendit; ſi quidem verum eſt, quod nonnulli adſerunt, eas gentilium diis fuiſſe conſecratas, aliaue ratione idololatriam quamdam cum iis fuiſſe coniunctam; quod certe TERTVLLIANVS ſibi perſuaſit. Factum tamen illud militis chriſtiani, lauream caſtrenſem geſtare detrectantis, ne quid diffitear, nimis feruide a TERTVLLIANO iam Montaniſta defenſum, catholicis chriſtianis diſplicuit, vti & beato CHRISTIANO KORTHOLTO noſtro obſeruatum; de *perſequutionibus eccleſiae primit. cap. VI.* §. *IX. X. p. m. 262. ſeqq.* vbi plura hac de re. Ludos ſcenicos TERTVLLIANVM, in *libro de ſpectaculis, cap. XXIII.* alibique, improbaſſe, mirum non eſt, cum nec omnibus gentilibus placuerint, veteribus autem chriſtianis ob rationes grauiſſimas maximopere inuiſi fuerint; quod pluribus exponit TOBIAS PFANNERVS, in *obſeruat. eccleſ. part. I. obſeruat. VII. p. 421. ſeqq.* Hominem chriſtianum officio iudicis fungi poſſe, eaque obire munera, quae adminiſtrandae iuſtitiae inſeruiunt, nemo temere dubitauerit. Hoc ergo ſi negauit TERTVLLIANVS, eum erraſſe, fateor. Sin hoc ſolum, quod alii contendunt, ſibi voluit, multa magnaque cum eiusmodi muneribus coniuncta eſſe pericula, difficileque eſſe, vt quis ſine peccato in iis verſetur; (eo praeſertim tempore, quo gentiles adhuc rerum potiebantur) nihil dixit, quod reprehendi debeat. Idem de eo cenſendum, quod adſeruiſſe perhibetur, non poſſe aliquem ſimul & imperatorem eſſe, & chriſtianum. Difficile enim admodum eſſe, vt, qui in ſummo iſto rerum humanarum faſtigio conſtituti, & tot prauarum cupiditatum irritamentis quotidie circumſepti ſunt, eam, quae chriſtianos decet, vitae innocentiam ſeruent; nemo forte negauerit. REMIGIVS tamen CEILLIER, cum aliis, quos laudat, TERTVLLIANVM hoc ſibi velle, contendit, imperatorem pro iſto, qui tunc fuerit, rerum ſtatu, non potuiſſe ſine vitae periculo, & grauiſſimarum ſeditionum metu, ſe chriſtianum eſſe, aperte profiteri; *l. c. p. 93. ſeqq.* TERTVLLIANVM in libro *de monogamia*, item *de exhortatione caſtitatis*, ſecundas nuptias damnare, certum eſt. Nec neceſſe eſſe, puto, vt hic ad Montaniſmum eius nos recipiamus; cum, alios patres, qui pro orthodoxis habentur, itidem in ſecundas nuptias iniquiores fuiſſe, conſtet. Referendamque adeo hanc ſententiam inter errores patrum, ſupra iam obſeruauimus. Nimis rigidum eſſe TERTVLLIANI decretum, quo omnem tempore perſequutionis fugam improbat, cruciatusque pecunia redimere, prohibet, lubens fateor. Sed ita eum, Montaniſtam factum, ſtatuiſſe, cum antea, fugam interdum licitam eſſe, crederet, beatus CHRIST. KORTHOLTVS noſter docet, de *perſequutionib. eccleſiae primitiuae, cap. VI.* §. *XVIII. p. m. 270.* qui & §. *XI. ſeqq.* totam hanc quaeſtionem luculenter pertractat. Non magis probare poſſum, quod omnem defenſionem contra iniuſtum inuaſorem improbaſſe videtur; quippe quae, ſi caute inſtituatur omnesque, quae ad eam requiruntur, conditiones rite obſeruentur, cum patientia iſta, & iniuriarum tolerantia, a Chriſto ſeruatore nobis iniuncta, & a TERTVLLIANO rectiſſime commendata, neutiquam pugnat. Nimirum, etſi exiſtimo, quaedam, quae huic doctori obiiciuntur, aut defendi, aut excuſari poſſe; non tamen ea animo meo ſedet

ſen-

Digitized by Google

ſententia, ac ſi vbique in morum doctrina rem acu tetigerit, aut nihil docuerit, quod reprehenſionem mereatur, multo minus rationes omnes probo, quibus placita ſua ſtabiliuit, quin potius, quasdam friuolas & ineptas eſſe, lubens fateor, idque exempla a BARBEYRACIO adlata docent.

Ad ſaeculum tertium ſi progrediamur, primum nobis occurrit ORIGENES, quem in homiliis ſuis ſaepe ea tradere, quae formandis inſtruendisque hominum moribus inſeruiunt, notum eſt; quemadmodum & illud negari nequit, eum pleraque interpretationi allegoricae ſcripturae ſacrae, hoc eſt, infirmo lubricoque fundamento ſuperſtruere. Idem cum etiam IO. BARBEYRACIVS obſeruaſſet; *l. c. p. 43.* occaſionem hinc adripuit REMIGIVS CEILLIER, allegoricam iſtam interpretandi rationem, patribus vſitatam, defendendi. Sed hoc huius loci non eſt. Meam ceteroquin de *allegoriis Origenis* iam olim dixi ſententiam, in peculiari diſputatione, quae in *parergis hiſtorico-theologicis* exſtat, *p. 141. ſeqq.* Sed nec illud huius loci eſt, vt disquiramus, num ORIGENES verba ſeruatoris *Matth. XIX. 12.* litteraliter accipiendo, ſe ipſum caſtrauerit? illudque facinus num ceu heroicum laudauerit DEMETRIVS Alexandrinus, nondum ORIGENIS hoſtis factus? Eodem hocce ſaeculo vixit GREGORIVS Neocaeſarienſis, cognomento *thaumaturgus*, cuius ſupereſt epiſtola canonica, *de iis, qui barbarorum incurſu lapſi eſſent*, in qua de poenitentia agit, & diſciplina eccleſiaſtica, quod eccleſiaſtici potius iuris, quam theologiae moralis argumentum eſt. Idem de CAECILII CYPRIANI epiſtolis plurimis obſeruandum, quarum quaedam tamen propius ad noſtrum inſtitutum accedunt; cumprimis autem ex libris & tractatibus eius huius loci ſunt, *de diſciplina & habitu virginum; de oratione dominica; de mortalitate; de opere & eleemoſynis; de bono patientiae; de zelo & liuore; &c.* In doctrina CYPRIANI morali, varia, quae deſideret, praeeunte IO. CLERICO, *biblioth. vniuerſ. tom. XII. p. 215. ſeqq.* habet IOAN. BARBEYRACIVS, *l. c. p. 43. & 44.* in quibus refellendis non minus operoſus eſt REMIGIVS CEILLIER, *l. c. cap. V. p. 115. ſeqq.* Cum tamen pleraque ad facta quaedam, ad ſtilum, ad rationes quibus adſertiones ſuas probauit, redeant; hiſce immorari, operae pretium non eſſe, duco. In methodo enim, modoque aliquid probandi, ipſaque dicendi ratione, patribus, ἀκρίβειαν haud raro deeſſe, lubens fateor. Eſto, modum exceſſerit CYPRIANVS in laudanda continentia, & euehendo martyrio, in commendandis eleemoſynis; excuſationem tamen forte quamdam promerebitur, cum ſtudio, homines ad haſce virtutes perducendi, eousque prouectus ſit. Defectum ἀκριβείας penſabit quodammodo intentionis bonitas; praeſertim cum raro admodum homines ſe induci patiantur, vt in hiſce omnibus, plus faciendo, quam facere debebant, modum excedant. Paullo aliter de eo cenſendum, quod epiſcoporum nimis extuliſſe auctoritatem videtur. Licet enim nec hoc malo feciſſe conſilio, cenſendus ſit; quanto tamen cum periculo coniunctum ſit, ſi ſacri ordinis viris plus, quam decet tribuatur, experientia docuit.

§. V. Plura ingenii monumenta, quibus theologia moralis locupletari poteſt, reliquerunt ſaeculi quarti quintiue doctores; etſi turgida nimis quorundam eloquentia, methodique neglectus, obſtiterint, quo minus vbique ἀκρίβειαν deprehendere liceat. Interim certamina Pelagiana, quae hoc tempore acceſſere, effecerunt, vt in quibusdam noua lux doctrinae morali adfunderetur. *

* Inter

* Inter eos ſaeculi quarti ſcriptores, qui latino ſermone vſi ſunt, haud ultimum locum tenet LVCIVS COELIVS ſiue CAECILIVS LACTANTIVS FIRMIANVS; de cuius *libris ſeptem inſtitutionum diuinarum* ſupra iam *libri* huius *ſecundi c. I.* §. *VII.* diximus, eo quod a nonnullis inter compendia theologiae ſyſtematicae, licet perperam, referri ſolent. Moralia autem licet itidem ex inſtituto in iisdem non tractet; ſubinde tamen quaedam admiſcet; quamuis non ſemper feliciter, ſi IOANNI BARBEYRACIO credimus, *l. c. pag. 45.* Huic namque diſplicet, quod LACTANTIVS adſerat, hominem probum nec militare debere, nec commerciorum cauſſa peregrinas petere oras. Verba LACTANTII ſunt: *cur enim* (homo vere iuſtus) *nauiget, aut quid petat ex aliena terra, cui ſufficit ſua? cur autem belligeret, aut ſe alienis furoribus miſceat, in cuius animo pax cum hominibus perpetua verſetur? lib. V. cap. XVII. p. m. 600.* Quibus licet indicet, quid ex ſua ſententia verum chriſtianum deceat, qui commerciis ſe carere poſſe, nec vllam bellandi habere cauſſam, exiſtimat; an tamen inde colligi queat, LACTANTIVM bella pariter, ac peregrinationes, commerciorum cauſſa ſuſceptas, ceu prorſus illicitas, reiicere, valde dubito. Alterum, quod eidem viro doctiſſimo diſplicet, hoc eſt, quod LACTANTIVS vſuras omnes prorſus damnet, & tantum non pro latrocinio quodam reputet. Hancque eius mentem eſſe, negare non audet REMIGIVS CEILLIER, qui in eamdem ſimul ingreditur ſententiam, vſuraſque omnes illicitas eſſe, fuſe probare adnititur; *cap. VI. p. 172. ſeqq.* Quo quidem labore facile ſuperſedere potuiſſet. Plurimos patrum, quoſdamque recentiorum theologorum, omnes vſuras, ceu illicitas, improbare, non ignoramus. Sed hodie a viris doctis oſtenſum euictumque euidenter eſt, iſtas vſuras, quae aliis nullum adferunt incommodum, quaeue adeo cum charitate non pugnant, iure diuino non eſſe prohibitas, nec ſcripturae ſacrae dicta, quae vulgo adſerri ſolent, ad eas ſpectare. Quo pacto autem nonnulli ex romanenſibus, etſi magna voce clamitant, omnes vſuras illicitas eſſe, artes tamen quaſdam excogitauerint, vt vſurariae prauitati ſtrenue indulgere queant, exponit LVDOV. MONTALTIVS, ſeu BLASIVS PASCALIS, in *litteris prouincialibus, cap. VIII. p. m. 206. ſeqq.* Obligationem ad patientiam chriſtianam LACTANTIVM vltra, quam par eſt, extendere, quod BARBEYRACIVS illi porro obiicit, dubito, an ex verbis eius, quae *lib. VI. diuin. inſtitut. cap. XVIII.* leguntur, probari queat. Corrigit enim ſolum illud CICERONIS, docentis, *eum virum bonum eſſe, qui proſit omnibus, quibus poſſit, noceat nemini, niſi laceſſitus iniuria.* Namque & iniurias patienti ferendas animo, docet, nec nocendum iterum illis, a quibus ſumus laceſſiti. Id quod prorſus cum eo conuenit, quod a nobis fieri vult ſeruator optimus, *Matth. V. 39. ſqq.* Non aeque excuſari poſſe, cenſeo, quod *lib. VI. c. XX. p. m. 735.* adſerit, non fas eſſe, quemquam accuſare crimine capitali. Ex verbis enim eius apertiſſimis vix aliud colligere licet, quam, exiſtimaſſe eum, omnia ſupplicia capitalia chriſtianis illicita eſſe. *Non enim*, inquit, *quum occidere Deus vetat, latrocinari nos tantum prohibet, quod ne per leges quidem publicas licet; ſed ea quoque ne fiant, monet, quae apud homines pro licitis habentur; ita neque militare iuſto licebit, cuius militia eſt ipſa iuſtitia; neque vero accuſare quemquam crimine capitali; quia nihil diſtat, vtrum ferro an verbo potius occidas, quoniam occiſio ipſa prohibetur. Itaque in hoc Dei praecepto nullam prorſus exceptionem fieri oportet, quin occidere hominem ſit ſemper nefas, quem Deus ſanctum animal eſſe voluit.*

Inter eccleſiae graecae doctores maximum ſaeculi quarti ornamentum fuit

ATHA-

ATHANASIVS, in cuius ſcriptis non adeo multa principia moralia occurrere, & quae occurrunt, ſi excipias, quae ad fugam, cum aliorum vexationem patimur, itemque ad epiſcopatum & defenſionem veritatis ſpectant, non tam ſuſe, vt par erat, ab eo pertractata, praeeunte iterum LVD. ELL. DV PINIO, pronuntiat IOAN. BARBEYRACIVS. Nec vitio ei hoc adeo verti poterat, cui quippe in certaminibus cum Arianis & aliis haereticis, variisque calamitatum generibus, vita tranſigenda fuit; vnde & polemicam potius, quam moralem theologiam, ſcripta eius inſtruunt. Aegre tamen hocce iudicium tulit REM. CEILLIER, qui initio id vrget, inter ſcripta ATHANASII deperdita quaedam fuiſſe, in quibus ex inſtituto, quae ad mores vitamque ſpectant, tradiderit, *cap. VII. p. 211. ſeqq.* At hoc non negauerat BARBEYRACIVS, qui de ſcriptis eius, quae exſtant, loquitur. Deinde CEILLIERIVS compendium aliquod theologiae moralis ex ſcriptis ATHANASII exhibet, lectu non indignum. Nec tamen iterum BARBEYRACIVS negauerat, inueniri hinc inde quaedam in ſcriptis ATHANASII, ex quibus eiusmodi ſumma doctrinae moralis confici queat. Inter ſcripta equidem, in quibus ex inſtituto moralia tractantur, referri poſſet *ſyntagma doctrinae ad homines ſolitarios, omnesque chriſtianos, tam clericos, quam laicos;* quippe in quo vitae morumque regulae monachis praeſertim praeſcribuntur. Sed nondum euictum eſt, recte hocce ſyntagma ATHANASIO tribui. Dictum hac de re *libri* huius *ſecundi cap. I.* ad *§. VII.* Quod de CYRILLI Hieroſolymitani *catecheſibus* BARBEYRACIVS, praeeunte iterum DV PINIO, pronuntiat, eas *feſtinanter & ſine multa praeparatione* conſcriptas; eo minus ei vitio verti poteſt, quod ipſemet hoc fateatur CYRILLVS, vti iam *cap. I. libri* huius *ſecundi* ad *§. VII.* obſeruauimus. Quae autem CEILLIERIVS hac occaſione de auctoritate CYRILLI, &, num talia tradat, ex quibus romana eccleſia praeſidium aliquod capere queat, diſputat; huius loci non ſunt.

Sed ad eos dum accedimus, qui ſaeculo quarto ex inſtituto moralia tractarunt; primo loco BASILIVS magnus nobis laudandus eſt. Plurima namque, quae huius argumenti ſunt, in operibus eius inueniuntur. Ne quid enim de *homiliis XVII in quosdam pſalmos* dicam, quas *tomus primus* operum *p. 107. ſeqq.* exhibet; in eodem tomo *p. 276. ſeqq.* leguntur *homiliae XXXI* varii argumenti, quarum haud paucae de iis, quae ad mores ſpectant, agunt, vt prima & ſecunda *de ieiunio*, quarta *de gratiarum actione*, decima *de ira*, vndecima *de inuidia*, & ſic porro. In *tomo ſecundo* praeter ſermonem *de abdicatione rerum*, aliaque, huc ſpectant *ethica* ſeu *moralia*, regulis ſeu capitulis LXXX conſtantia, *p. 405. ſeqq.* in quibus vti velut ſummam quamdam doctrinae moralis chriſtianorum complectitur, ita nihil omnino adſerit, quod non ſtatim ſcripturae ſacrae dictis comprobet. Non minus vero, quae in *eodem tomo* inueniuntur, eiusdem *aſcetica, ſiue de inſtitutionibus monachorum ſermones duo*; item, *regulae fuſius diſputatae*, & *regulae compendioſe expoſitae* huius loci ſunt. In *tertio* denique *tomo*, praeter epiſtolas quasdam, in quibus de moribus praecipit, exſtant *conciones morales XXIV* ex libris BASILII, a SIMEONE magiſtro excerptae. In quibus omnibus multa recte & praeclare tradi, nemo negauerit. Perſpicuitatem praeterea & ſermonis decus in BASILII ſcriptis laudant, qui harum rerum ſunt intelligentes. Interim vitae monaſticae nimium eum ſtatuiſſe pretium, aliis iam obſeruatum eſt. Cumque ſubinde doctrinam ſuam moralem eo comparatam eſſe voluerit; facile intelligitur, eam naeuis non

non carere. Ἀκρίβεια quod in illis deſideretur, hoc ei cum aliis patribus commune eſt. Mirum itaque non eſt, quod vir doctiſſimus IOAN. BARBEYRACIVS, ſequentia in eo reprehendenda, cenſeat: *homicidii reum eſſe, qui alteri vulnus lethale inflixerit, ſi vel maxime id fecerit ad ſui ipſius defenſionem. Satius eſſe vt ſeparentur, ſi fieri queat, qui fornicati ſunt, quam vt vna maneant:* (hic enim verborum BASILII omnino videtur eſſe ſenſus) *ſi tamen matrimonio legitimo iungi velint, non eſſe prohibendos, ne deterius quid eueniat; homini ſolitarium vitae genus ſectanti, conuenire, vt animi modeſtiam externo corporis habitu prodat*, ſcilicet vt in eo ſit ὄμμα στυγνὸν καὶ εἰς γῆν συννενευκός· σχῆμα ἠμελημένον· κόμη αὐχμηρά· ἐσθὴς ῥυπῶσα· *triſtis oculus atque deorſum vergens, habitus neglectus, ſqualida coma, veſtis ſordida; epiſt. I. ad Gregorium theologum, tom. III. oper. p. m. 41.* porro, quod, *chriſtianis numquam fas eſſe*, adſerere videatur, *actionem alicui intendere; quod verba Chriſti: ſi quis tibi colaphum in dextram malam impegerit, ei obuerte & alteram, Matth. V. 39. litteraliter acceperit*; & denique, quod, *omne iuſiurandum chriſtianis illicitum eſſe*, pronuntiauerit. Nec rurſus deſunt, quae ad haec reſpondeat REMIG. CEILLIER, qui operoſe BASILII cauſſam agit, *cap. IX. p. 237. ſeqq.* Ad primum quod attinet, BASILIVM non de legitima defenſione, quam neceſſitas imperat, ſed de tali, quam ira & furor ſuadet, loqui, contendit. Qua quidem ratione res ſalua erit. Circa alterum difficultas euaneſcit, poſtquam veram BASILII mentem expreſſimus; ſed noua oritur, cum BASILIVS innuere videatur, non facile fieri poſſe, vt, qui in concubinatu viuunt, ſeparentur. Quam tamen vt CEILLIERIVS tollat, docet, concubinatum eo tempore per leges ciuiles fuiſſe toleratum. Quod de externo hominis, ſolitarium vitae genus ſectantis, habitu BASILIVS dixit, pugnare cum eo videtur, quod ſeruator *Matth. VI. 17.* effatus eſt: *at tu ieiunans vngito tibi caput, & vultum lauato; ne perſpicuum ſit aliis hominibus ieiunare te.* Reſpondet CEILLIERIVS, ſeruatorem oſtentationem ſolum & adfectationem, adeoque hypocriſin, non vero cultus ad corpus ſpectantis intermiſſionem, reprehendere. Quod licet non abnuam, nondum tamen ideo iſta BASILII probanda eſt inſtitutio, cum aliquis modeſtus eſſe queat, licet geſtibus, eiusmodi animi triſtitiam prodentibus, ſqualidoque corporis cultu non vtatur. Haec aliaque, quae BASILIVS praecipit, nimis ingenium monachale ſapiunt, & tandem, quidquid etiam CEILLIERIVS dicat, in meram oſtentationem & hypocriſin abeunt. Quae de geſtibus & habitu corporis illorum, qui hac ratione, ſe admiſſorum ſcelerum poenitere, teſtati ſunt, operoſe diſſerit, parum ad rem faciunt; cum BASILIVS de eo loquatur, quo pacto, qui vitae ſolitariae deditus eſt, ſemper comparatus eſſe debeat. Non temere, nec ſine ratione grauiſſima praegnantiſſimaque aliis actionem intendendam, verum eſt, ipſeque ſeruator docuit, *Matth. V. 40.* Prorſus id non licere, dici nequit, nec, ſi CEILLIERIO credimus, dixit BASILIVS. Verba Chriſti, *ſi quis tibi colaphum &c. Matth. V. 39.* non ſemper litteraliter accipienda, fateor; nec tamen a ſenſu litterali nimis recedendum, eaque contra mentem ſeruatoris extenuanda ſunt; cum haud dubie de iniuriarum, etiam grauiorum, tolerantia ſint intelligenda. Prius feciſſe BASILIVM, nec ipſe BARBEYRACIVS ἀντικρὺς adſerit; vtpote qui dubitanter hac de re loquitur. Omne iuſiurandum, ceu illicitum, a BASILIO reiici, negat CEILLIERIVS; ſimul tamen fatetur, plurimos patrum ita de iureiurando verba facere, vt, non ſine ratione haec eis ſententia tribui poſſe videatur.

BASILIO

BASILIO iungimus GREGORIVM vtrumque, Nyſſenum & Nazianzenum, illum fratrem BASILII, hunc amicum intimum. Vterque namque ſubinde in morum praecepta ſe diffundit, &, quae ad vitam recte inſtituendam ſpectant, tradit. Et Nyſſeni quidem exſtant *de oratione dominica homiliae quinque; de vita beata comparanda, ſiue de beatitudinibus orationes octo; de pauperibus amandis orationes duae*; *de fugienda fornicatione in I. Cor. VI. 18.* & alia eiusdem generis. Cumprimis tamen eius de *vita Moſis* liber hic commemorandus eſt, in quo perfectae ex praeſcripto virtutis vitae quamdam ideam exhibet; nimius tamen in allegoricis ſcripturae explicationibus, vitio quodam ſaeculi ſui. Nazianzenus, licet in orationibus ſuis ſaepe dogmatica & polemica tractet; moralia tamen ſubinde etiam admiſcet, immo ex inſtituto tradit, vt in illa *de pauperum amore*, & aliis quibusdam. Haud paucae etiam inter eius orationes ſunt, quibus dum magnorum virorum, vt CYPRIANI, ATHANASII, BASILII, laudes celebrat, eorum ſimul exemplum nobis imitandum proponit. Cumprimis autem in carminibus ſuis, quae operum eius *tomo ſecundo* exſtant, quae ad fouendam excitandamque pietatem, ad vanitatem rerum huius mundi agnoſcendam, ad res aduerſas conſtanter & fortiter ferendas, faciunt, diligenter inculcat. Quod in GREGORIO hocce Nazianzeno IOAN. BARBEYRACIVS, ad ductum IOAN. CLERICI, reprehendendum, putat; in eo praecipue conſiſtit, quod in ſuo erga haereticos zelo modum interdum iuſtosque limites exceſſerit. De ordinis enim neglectu, ſtiloque parum caſtigato, nimisque figurato, quae dicuntur, mittimus; cum ea huius loci non ſint, nec ea in re vir doctiſſimus nos ſibi refragantes habeat. Immo etiam, ad zelum aduerſus haereticos quod attinet, tum GREGORIVM noſtrum, tum alios patres, eidem interdum frena, vltra, quam par erat, laxaſſe, haud negauerim; quod, licet nonnullis virtus heroica videatur, non tamen ſemper laudandum, puto. REMIGIO interim CEILLIERIO enata hinc eſt occaſio, de tolerantia haereticorum fuſe diſputandi, *cap. IX. p. 253. ſeqq.* Quae vt maioris momenti quaeſtio eſt, quam vt hic expediri queat; ita quae mea de ea ſit ſententia, alibi iam expoſui. Abdicationem rerum huius ſaeculi, ſi ſalutis noſtrae hoc poſtulet ratio, non tam conſilio quodam ſuaderi, quod GREGORIVS innuere videtur, quam lege diuina praecipi, recte monet BARBEYRACIVS; quaeue hic in contrarium diſputat REM. CEILLIERIVS, vt romanae eccleſiae de conſiliis a legibus diſtinguendis, dogma tueatur, nullius plane momenti ſunt. Praetermittendus vero hic, dum inter graecos ſaeculi quarti doctores eccleſiae verſamur, non eſt EPHRAEM, natione Syrus, qui circa annum 370 floruit, magnamque iam olim conſequutus eſt auctoritatem, celebritatemque. Syriaca enim licet vſus ſit lingua, pleraque tamen eius ſcripta, ipſo adhuc ſuperſtite, iam in graecam linguam translata ſunt. Totus autem fere eſt in moralibus, vt ſcripta eius, *de ſacerdotio*; *de intemperantia, & incontinentia tractatus duo; de charitate tractatus tres; de oratione; de ieiunio; de amore pauperum; de virtutibus & vitiis; de amore Dei tractatus duo*; aliaque plurima teſtantur, quae longa ſerie enumerat GVIL. CAVE, qui & de iis ita pronuntiat: *Leues plane ſunt & futiles vt plurimum exceptiunculae, quae ſcriptis eius intentari ſolent. Si quae occurrunt, quae ſancto patre minus digna, aut quae aliis locis non bene conuenire videntur, noſtrae potius ſyriace loquendi modorum inſcitiae, vel verſionibus ex verſione male factis, quam Ephraemi inelegantiae & inſcitiae imputari poſſent; quin ſi reuera errores eſſent, ſummo*

 hominis

hominis zelo, ſimplicitati ac pietati condonari debebant; in *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſ. ſaec. IV. p. 133.* EPHRAEMO iungimus MACARIVM, ſeniorem illum, gente Aegyptium, qui itidem quartum a Chriſto nato ſaeculum condecorauit. Ad moralem doctrinam ſpectat, quidquid ingenii monumentorum nobis reliquit; de quibus prae reliquis omnibus praeclare optimeque meritus eſt vir clariſſimus doctiſſimusque IO. GEORG. PRITIVS, quippe cuius diligentiae *homilias* eius, graece latineque ſummo ſtudio Lipſiae 1698. 8. editas, debemus; itemque *opuſcula nonnulla & apophthegmata* paullo poſt ibidem euulgata. *Homiliarum* enim & *opuſculorum* iſtorum vnum eumdemque auctorem eſſe, editor celeberrimus recte cenſet, & rationibus euidentiſſimis probat, in *praefatione, opuſculis* praemiſſa, §. *XI.* In *homiliis* autem iſtis, pariter ac *opuſculis*, ſelectiſſima doctrinae moralis capita breuiter, ſed neruoſe ſimul, pertractari, ipſa inſpectio quemlibet ſtatim docebit. Et in *opuſculis* quidem de *cuſtodia cordis* agitur, de *perfectione ſpiritus*, de *oratione*, de *patentia & diſcretione*, de *eleuatione mentis*, de *charitate*, & denique de *libertate mentis*. Quid in hocce genere a MACARIO exſpectandum ſit, editor antea laudatus hiſce oſtendit verbis: *Conſtare autem vel ex prima operum eius inſpectione poterit omnibus, virum fuiſſe Macarium vt ſanctitatis ſtudioſiſſimum, ita in rebus diuinis & ſpiritualibus, ſi vllum alium, longe expertiſſimum, & admirandis diuinae gratiae dotibus cumulate exornatum; quales qui ſunt, illi vero maxime omnium exiſtant idonei, qui, qua luce diuina colluſtrantur, alios perfundant*; *praefat. cit. §. XV.* Naeuorum non prorſus expertem fuiſſe MACARIVM, idem vir doctiſſimus non diſſimulat. *In pulcherrimo vero hoc corpore,* inquit, *ſi quidem deprehendantur naeui, quid mirum eſt? ſi & Macarius fuerit homo, errandi facilitati expoſitus, nec ex omni antiquitate ſiſti poſſit vllus, qui labis omnis & erroris fuerit expers? l. c. §. XVII.* Vtrumque & EPHRAEMVM & MACARIVM inter ſcriptores myſticos refert GOTTFR. ARNOLDVS, in *hiſtoria & deſcript. theolog. myſtic. p. 241.* Nimirum qui de animo a prauarum cupiditatum ſordibus purgando, vitiisque ex intimis cordis receſſibus eiiciendis, perdomandisque prorſus & ſubigendis adfectibus, ſimilibusque doctrinae moralis capitibus ſunt ſolliciti, taliaque tradunt, quae ad internam mentis culturam ſpectant; tum ab eo, tum ab aliis inter myſticos referri ſolent.

Sed omiſſis hiſce, ad IOAN. CHRYSOSTOMVM nos conuertimus, oratorum non ſui modo, ſed ſequentium etiam ſaeculorum, ſi nonnullis credimus, principem. Eloquentia enim, cum non alibi, quam in ea doctrinae parte, quae de vita recte inſtituenda praecipit, ampliorem campum inueniat; vix aliter fieri potuit, quam vt ſaepiſſime, quae ad moralem diſciplinam ſpectant, argumenta, CHRYSOSTOMVS pertractaret. FRANC. SIXTVS Senenſis obſeruat, eum omnes ſermones ſuos interdum in duas partes diuiſiſſe, *exegeticen* & *ethicen*, interdum vero in tres, *paraſceuen*, *exegeticen* & *ethicen*. De vltima ſeu ethice haec porro addit: *In tertia vero parte, quae ſemper ethice ſiue moralis eſt, non ſolum digreditur ad locos illos ethicos, omnibus pro concione loquentibus communes, nempe de diuitiarum contemtu, de luxu, crapula, ira, arrogantia, ceterisque vitiis fugiendis, ſed exſpatiatur ſaepiſſime in ſelectis quibusdam moralis inſtitutionis paradoxis, ſibi vni propriis, quorum haec praecipua ſunt: virtutem nec eſſe rem moleſtam, nec adquiſitu difficilem; multo facilius eſſe bene viuere, quam male &c. biblioth. ſanct. lib. IV. p. 318.* Habuiſſe Stoicos παράδοξα ſua, conſtat, quorum nonnulla ipſe iam peculiari commentatione explicauit CICERO;

CERO; quaeue ſo comparata ſunt, vt audientes prima fronte in admirationem coniiciant. Religio autem chriſtiana longe plura ſublimioraque ſuppeditat, vtpote quae ea tradit, quae rationis vim longiſſime ſuperant. Hinc & LIPPVS BRANDOLINVS *ſeptem paradoxa chriſtiana* ſcripſit, ad imitationem CICERONIS: ſed longe plura, ducenta ſcilicet & octoginta ex ſacris litteris collegit SEB. FRANCVS, ediditque anno 1559. vti a me iam obſeruatum *diſſert. II. de erroríb. Stoicor. in philoſophia mor. §. IV.* in *analectis hiſtor. philoſoph. p. 130.* Nec contemnendum prorſus hoc inſtitutum, ſi quis caute ac ſobrie in eo verſetur. Cumprimis cauendum, ne παράδοξον ſimul ſit παράλογον, cuiusmodi iſtud eſt, quod itidem ex CHRYSOSTOMO hunc in modum FRANC. SIXTVS Senenſis refert: *Quod Chriſti diuinitatem etiam abſque vllis diuinarum litterarum teſtimoniis clariſſime & fortiſſime aduerſus omnes gentes demonſtrare poſſimus.* Illorum namque eo adprobari ſententia videtur, qui, λόγον ἐνδιάθετον cum ὑποστατικῷ confundentes, quod ratio ipſa, multa, quae recta & praeclara ſunt, ethnicos docuiſſet, inde concludebant, Chriſtum quoque illis notum fuiſſe, qua in ſententia IVSTINVM martyrem verſatum, conſtat. Reliqua CHRYSOSTOMI παράδοξα ex eodem auctore recitat HENR. IVLIVS SCHEVRLIVS, qui & quaedam lectu digna addit, in *bibliogr. moral. §. CCLXIII. p. 145.* Vt opuſcula aut orationes, in quibus CHRYSOSTOMVS ex inſtituto moralia tractat, recenſeamus, ſuperuacaneum foret; cum omnibus opera eius euoluentibus ſtatim ſe offerant. Multa in iis recte & praeclare dicta, nemo temere diffitebitur; ſemper tamen meminiſſe oportet, eum oratorem eſſe, adeoque nec in verbis, nec ſententiis, vbique exactum. Namque ad demulcendas aures, ad concitandos in adfectum animos, magis, quam ad conuincendum intellectum, quam ad veritatem aut ἀκριβῶς proponendam, aut rite demonſtrandam, iſtorum hominum ſermo comparatus eſſe ſolet. Hinc & vt in iis, quae a IO. BARBEYRACIO *l. c. p. 48.* ei obiiciuntur, diluendis, multum ponamus operae, neceſſe non eſt. Vſuras omnes quod ceu illicitas damnet, cum multis aliis ei commune eſt patribus, vt ſupra iam obſeruauimus. Si in facto Abrahami & Sarae, quod *Gen. XX. 1. ſeqq.* deſcribitur, laudando, ingenio ſuo CHRYSOSTOMVS nimium indulſit, idem, vt inepta quaedam ac ridicula inde eliceret, fecit PETR. BAELIVS, quem hic BARBEYRACIVS ſequitur. Licet enim non omnia probari queant; quaedam tamen, quae hac de re CHRYSOSTOMVS dixit, excuſari poſſe, patet ex iis, quae REMIG. CEILLIERIVS differit, *cap. XII. p. 315. ſeqq.*

Ad latinos ſaeculi huius quarti doctores reuertentibus, AMBROSIVS ſeſe offert, qui haud vltimum inter eos, qui moralia tractarunt, ſibi vindicat locum. Primus etiam, immo vnicus fere eſt, qui inſignem huius doctrinae partem velut in compendio complexus eſt, in *tribus de officiis libris*, de quibus tamen ad §. X. ex inſtituto dicere, animus eſt. Nec tamen & in reliquis AMBROSII ſcriptis deſunt, quae morali doctrinae lucem adfundant. Huc namque eius de *dignitate humanae conditionis* libellus ſpectat; quod argumentum ex recentioribus GEORG. QVECCIVS pertractauit, in *anatomia philologica de nobilitate & praeſtantia hominis*; nec indigna homine eſt meditatio, modo recte inſtituatur, vt in tantum diuerſam a brutis animantibus inire rationem diſcant, in quantum naturae ea vincunt praeſtantia. De *Caino* porro & *Abele* ſcripſit *libros duos*, malorum bonorumque & mores & facta depingentes; de *Noacho* & *arca* librum, qui in iuſtiſſimi viri exemplum, Noachum ſiſtit. Qua ratione & de *Abrahamo* patriarcha;

triarcha; de *Iſaaco & anima*; de *Iacobo & vita beata* itemque de *Ioſepho patriarcha* commentatus eſt, hiſtoriam ſacram vbique in occaſionem, mores hominum emendandi, vertens. Exſtat praeterea eius de *bono mortis* liber, in illorum ſolatium ſcriptus, qui vitae huius premuntur incommodis, a quibus morte beata liberari cupiunt. Vtraque eius *pro Dauide* apologia, multa huc ſpectantia continet, itemque commentatio de *Elia & ieiunio*; de *Nabothe Iezreelita*, diuitum mores delineans; deque *Tobia*, ſeu *aduerſus foeneratores*. Mitto reliqua. Recte in eo notat IO. BARBEYRACIVS, quod virginitati ac caelibatui nimium pretium ſtatuat, parumque abſit, quin matrimonium pro re turpi habeat. Referendum enim hoc vtique eſt inter eius aliorumque patrum naeuos. Idem de eo dicendum, quod vſuras omnes ſine diſcrimine reiicit. Maioris momenti eſt, quod de Abrahamo ac Hagare verba faciens, diſerte adſerit, *adulterium ante legem non fuiſſe interdictum*. Vbi ſi vel maxime per *adulterium* concubinatum intelligamus, quod nonnulli volunt; nec ſic quidem excuſatio rite procedet. REMIG. CEILLIERIVS, hoc ſibi velle AMBROSIVM, contendit, *lege ſcripta* adulterium ante Moſen non fuiſſe prohibitum, ita vt in illud poena quaedam ſtatuta fuerit; quod tamen iterum ad excuſandum aut defendendum Abrahamum parum facit. Vt enim intelligeret, adulterium illicitum eſſe, lege ſcripta illi opus non fuit. Fatendum potius, & AMBROSIVM & CHRYSOSTOMVM, & alios patres, dum perperam ſibi perſuaſerunt, viros ſanctos, qui in ſcriptura ſacra commemorantur, omnis naeui fuiſſe expertes, ſaepe ad ea aut excuſanda, aut omnino laudanda animum adieciſſe, quae nec laudari, nec excuſari poterant aut debebant.

AMBROSIVM excipiat HIERONYMVS, ob ſcripturae ſacrae interpretationem, qua omnibus ſui temporis palmam praeripuit, cumprimis quidem commendandus; non eximendus tamen prorſus ex illorum numero, qui vitam moresque inſtruxerunt. In epiſtolis namque ſuis, aliisque commentationibus, paſſim, quae eo ſpectant, tractat. Ipſe autem cum vir eſſet rigidioris ingenii, & amans ſolitariae vitae; hanc pariter ac virginitatem & caelibatum vbique fere praedicat, iniurius ſubinde in matrimonium, praeſertim in eos, qui ad vota ſecunda transeunt. Hos cum immundis arcae Noae animalibus, & ſerpentibus, confert, mulieremque nuptias repetentem cani ad vomitum, ſuique lotae ad volutabrum reuertenti, comparare non dubitat. Hoc agit praecipue in *epiſtola de monogamia, ad Gerontiam*, ſeu potius ſecundum IO. MARTIANAEVM *Ageruchiam; de cuſtodia virginitatis ad Demetriadem*; deque eodem argumento *ad Euſtochium; de ſeruanda viduitate, ad Saluinam*; & *libris duobus de virginitate aduerſus Iouinianum*; quae omnia *operum* eius *tomo quarto, parte ſecunda*, ex editione IO. MARTIANAEI continentur. Non minus vehemens eſt in commendanda vita ſolitaria, & aſcetica, quam perfectam vocat; quod in ea conſtituti rerum mundanarum cura ſoluti, liberius vacare diuinis, in virtutum ſtudio proficere, & ita ad perfectionem chriſtianam contendere queant. Spectant huc *exhortatio* eius *de laude vitae ſolitariae ad Heliodorum*; *inuitatio ad ſeceſſum Bethlehemiticum ad Marcellam*; *exhortatio ad perfectam vitam ad Lucinium Boeticum*; *de relinquendo ſaeculo ad Exuperantium*; & alia, quae itidem *tomo quarto operum* eius *parte ſecunda*, ex editione IOAN. MARTIANAEI, exhibentur. Haec vero aliaque, dum paſſim in HIERONYMO notantur, recte omnino IOAN. DALLAEVM pronuntiaſſe, exiſtimo: *Hic mos apud patres frequens eſt, maxime apud Tertullianum, Ambroſium, & Hieronymum, qui*

qui cum ingenio ſint feruido ac concitato, quam in partem propendent, eo tanto impetu feruntur, vt quos quidem laudant, eos inter angelos, quos vero vituperant, inter diabolos collocare videantur. Ita, quae credenda putant, non aliter commendant, quam ſi totidem eſſent chriſtianiſmi fundamenta, quae reiiciunt ac refutant, non aliter explodunt, quam ſi merum atheiſmum ſpirarent; de vſu patrum, lib. I. cap. VIII. p. 177. Sunt vero ex epiſtolis HIERONYMI & huius loci de *vita clericorum ad Nepotianum*, cuius mentio frequens in *decreto* GRATIANI; itemque *inſtitutio monachi ad Ruſticum*, & quae eiusdem argumenti eſt ad *Paulinum*, & aliae quaedam, quae in *parte ſecunda tomi quarti* editionis antea memoratae exſtant. Non ſine ratione in HIERONYMI doctrina morali a IO. BARBEYRACIO *l. c. p. 48.* quaedam deſiderari, ex antea dictis facile intelligitur. Cuiusmodi illud eſt, quod iam obſeruauimus, eum nimio virginitatis & caelibatus amore in matrimonium eſſe iniquiorem. Eſto; docuerit alibi ſaniora rectioraque, quod REMIG. CEILLIERIVS vrget, *cap. XIII. p. 329.* culpa tamen non vacat, quod non ſemel ſed ſaepe genio ſuo atque adfectui ita indulſerit, vt eorum, quae & recta ratio, & ſcriptura ſacra docent, nullam habuerit rationem. Cum iurisiurandi legitimum vſum adprobet, vt CEILLIERIVS *p. 330. 331.* oſtendit; quod in contrarium adſertur, de iuramentis ſuperfluis & non neceſſariis, cumprimis extra iudicium datis, intelligi poſſe videtur. Nolle HIERONYMVM, vt chriſtiani principibus infidelibus tributum ſoluant, adſerit BARBEYRACIVS; negat, hanc mentem eius eſſe, CEILLIERIVS. Verba HIERONYMI cum obſcuriora ſint, recte forte faciunt, qui in mitiorem melioremque ea interpretantur partem; praeſertim cum alibi, tributa imperatoribus ſine diſcrimine ſoluenda, innuere haud obſcure videatur. Error ceteroquin eſſet minime ferendus. Vitio vero HIERONYMO vertit BARBEYRACIVS, quod caſtitatem morte voluntaria tuendam, ſi aliter conſeruari nequeat, docuerit; nec negare CEILLIERIVS audet, verba eius hunc admittere ſenſum, etſi in omnem ſe vertat partem, vt, aliter ea accipienda, euincat, *l. c. p. 333. ſeqq.* Peccare feminam, quae caſtitatis iacturam morte voluntaria euitare non dubitat, haud inuitus largior; cum mala facienda non ſint, vt inde eueniant bona. Ipſum tamen caſtitatis ſtudium, quod hac ratione prodit, nemo non laudauerit; adeoque vix erit, qui non commiſeratione dignam cenſuerit, quod conſilio tam triſti ad virtutem exercendam illi opus fuerit. Vnde & non adeo acrem patres iſti promerebantur cenſuram, qui in mitiorem de illis, qui eiusmodi quid faciunt, pronunciant partem. De carnium eſu HIERONYMVM ita verba facere, vt, eumdem poſt diluuium equidem permiſſum, a Chriſto autem, non minus ac diuortium & circumciſionem ſublatum, adſerat, luculenter oſtendit IO. DALLAEVS, de *vſu patrum, lib. II. cap. IV. p. 277.* ex quo hoc repetit IO. BARBEYRACIVS *l. c. p. 48.* idque fruſtra excuſare nititur REMIG. CEILLIERIVS, *l. c. p. 338.* licet vel maxime concedam, alibi ita loqui HIERONYMVM, vt non omnem prorſus carnium eſum ceu illicitum damnare videatur. Patebit enim ſolum inde, quam parum ſibi conſtet. Sed & in reliquis, quae BARBEYRACIVS de HIERONYMO monet, me facile ſecum conſentientem habet, cum veritati ſint conſentanea. Quae autem CEILLIERIVS hac occaſione pro cultu reliquiarum, pro purgatorio, aliisque romanae eccleſiae placitis, aut erroribus potius, diſputat; ſaepiſſime iam, tum a noſtratibus, tum a reformatae eccleſiae theologis ſunt refutata.

Ad AVRELIVM itaque AVGVSTI-

NVM,

NVM, Hipponenſium iſtum praeſulem, accedimus; qui, ſi in linguarum peritia, & facultate interpretandi ſcripturam ſacram HIERONYMO palmam concedat; ingenii tamen praeſtantia non illum modo, ſed & reliquos ſui & ſequentium ſaeculorum doctores, ſuperauit, cuius & cumprimis in morum doctrina luculentiſſima ſpecimina dedit. Hinc & principem in ea inter omnes patres locum illi IO. HENR. BOECLERVS tribuit. *Qui enim*, inquit, *de omni argumento morali & ciuili plura exquiſitiora, ſubtiliora, & ad ſingulas non res modo, ſed momenta rerum, penitius pertinentia diſſerat, ex theologis veteribus nemo laudari poteſt. Nam & Chryſoſtomo inter Graecos hoc nomine illuſtri πολιτικώτερος eſt*; in *praefat. ad notas in Hug. Grot. de iure belli & pac. p. 21. 22.* Habetque profecto hoc ſibi proprium AVGVSTINVS, quod moralem doctrinam ad vſum ſcholae magis accommodauerit, quam quisquam alius ante eum. Plerique enim in eloquentiae exercendae argumentum moralem doctrinam excolebant, quos inter CHRYSOSTOMVS eminet; pauci ad vitae vſum cuncta tantum referebant. AVGVSTINVS autem de argumentis moralibus diſputando ac philoſophando, varios caſus formando, quaeſtiones plurimas ventilando, hac quoque in re exemplum reliquit, quod poſtea ſcholaſtici, praeſertim quos barbara voce *moraliſtas* & *caſuiſtas* vocant, imitarentur. Quantum ad theologiam *ſyſtematico-ſcholaſticam* AVGVSTINVS contulerit, *capite primo libri* huius *ſecundi* docuimus. Nunc de morali doctrina itidem obſeruandum, AVGVSTINVM praecipuum eſſe magiſtrum, a quo ſcholaſtici & rem ipſam, & modum, moralia tractandi, acceperunt. Rationis & reuelationis confuſio, quaeſtionum variarum, ad curioſitatem ſaepius magis quam vtilitatem facientium, vberrimus prouentus, inque iis proponendis aut ſoluendis ingenii potius oſtentatio, quam ſobrietas, eiusmodi ſunt, quae in ſcholaſticis merito reprehenduntur, ſed in quibus tamen interdum AVGVSTINVM quodammodo ſibi praeeuntem habuerunt. Vt vero numquam eo, quo coepit, loco vitium conſiſtit; ita & inepti iſti AVGVSTINI imitatores effecerunt, vt, quae tolerari in illo poterant, in his ceu monſtra reiiciantur merito, ad quae conficienda altero Hercule opus ſit. Nimia enim ſua ſubtilitate commiſerunt, vt interdum non inueniant, vbi pedem figant, diſputationibus ſuis & dubitationibus, aut ſcepticiſmo, aut aliis erroribus grauiſſimis viam munientes. Multa interim & praeclare egregieque ab AVGVSTINO dicta, & ingenioſe excogitata eſſe, negari nequit. Qui paullo adcuratius de natura hominis philoſophantur, in eo conſentiunt, adfectus omnes, omnesque voluntatis motus, qui, cum de moribus ſermo eſt, in cenſum veniunt, nihil aliud, quam diuerſos amoris aut odii modos eſſe; ad amorem rectum aut prauum omnes virtutes, omniaque merito reuocari vitia. In amore itaque fons totius doctrinae moralis quaerendus eſt. Ita vero etiam AVGVSTINVS: *Recta voluntas eſt bonus amor, & voluntas peruerſa malus amor. Amor ergo inhians habere quod amatur, cupiditas eſt; id autem habens, eoque fruens, laetitia; fugiens quod ei aduerſatur, timor eſt; idque ſi acciderit, ſentiens, triſtitia eſt; lib. XIV. de ciuit. Dei, cap. IX.* Licet autem in plerisque libris ſuis, praeſertim homiliis, & librorum ſcripturae enarrationibus, de rebus, ad vitam moresque ſpectantibus, Hipponenſium praeſul verba faciat; quaedam tamen ex eius ſcriptis ex inſtituto eo ſunt comparata. *Enchiridium* eius *ad Laurentium de fide, ſpe & charitate*, etſi compendium aliquod dogmatum theologicorum, vti ſupra obſeruauimus, contineat; morum tamen ſimul doctrinam tradit; hinc & a monachis Benedictinis; *tomo VI. ope-*

operum Auguſtini, qui moralia continet, inſertum eſt. Quod ſi in vita recte inſtituenda initium, vti par eſt, faciendum a conuerſione; non luculentiori exemplo hoc condoceri poteſt, quam ipſius AVGVSTINI, prout illud in *libris XIII. confeſſionum* exhibet. In *libris tribus contra academicos* CICERONEM imitatur; probatque inter alia ſub initium *libri primi*, per *bona*, quae vocantur, *fortunae* hominem minime reddi beatum. Quod vlterius in libro de *vita beata* ediſſerit; cuius eo tandem ſumma redit, veram hominum beatitudinem in cognitione Dei conſiſtere. Eoque etiam ſpectant *libri duo ſoliloquiorum*, in receſſu eius anno 387 ſcripti, quorum quippe ſcopus eſt, vt doceat, quo pacto in cognitione Dei, aliiſque virtutibus, proficere queamus. Commemorandi hic quoque eiusdem *de moribus eccleſiae catholicae, & Manichaeorum libri duo*; quorum prior velut compendium aliquod doctrinae moralis complectitur. Fundamenti loco ponit, ſolum Deum ſummum animae noſtrae eſſe bonum, indeque concludit, Deum ſupra omnia amandum; idque veteris pariter ac noui teſtamenti oraculis comprobat. Oſtendit quoque iterum, virtutes omnes nihil aliud eſſe, quam diuerſos amoris diuini modos; temperantiam eſſe amorem, quo quis ſe Deo purum & incorruptum ſeruat; fortitudinem, amorem, qui omnia libenter pro gloria Dei patitur, & ſic porro. Atque ad hanc regulam eum chriſtianorum mores exegiſſet; libro ſecundo demonſtrat, quantopere ab ea diſcedant mores Manichaeorum. Nec praetermittendus eſt liber *de agone chriſtiano*, in quo euincit, pugnandum omnibus chriſtianis fortiter eſſe contra daemonem, victoriamque eum referre, qui adfectus ſuos prauos vicerit, quod fiat, ſi nos voluntati diuinae ſubmittamus. In libro *de opere monachorum* ignauiam horum hominum acriter perſtringit, & Pauli exemplo ac teſtimonio meliora illos condocet, eſuriendum iis eſſe, inculcans, ſi laborare nolint. Ad officia hominis circa ſermonem ſpectat liber *de mendacio*, itemque *contra mendacium ad Conſentium*. Priorem anno 395 ſcripſit, cum quaeſtio hac de re agitaretur; idque cumprimis agit, vt explicet, quid mendacium ſit, recteque adſerit, eos qui vera eſſe credunt, quae dicunt, etſi falſa ſint, neutiquam mentiri; illum contra mentitum recte adſeri, qui animo, decipiendi alterum, ita loquutus fuerit, vt a verbis animi diſcrepet ſententia. Operoſe ſimul contendit, nullum mendacii exemplum in ſcriptura ſacra laudari. Alterum vero librum, *contra mendacium*, anno demum 420 ſcripſit, CONSENTII inductus precibus, qui eum interrogauerat, liceretne mendacio vti ad detegendos Priſcillianiſtas, qui ſe orthodoxos ſimulabant? Recte autem intempeſtiuum illum catholicorum zelum damnat, nec minori ſe obſtringere crimine, pronuntiat, qui ſe Priſcillianiſtas fingunt, ad illos detegendos, quam Priſcillianiſtas, qui ſe mentiebantur orthodoxos. De *libris duobus ad Pollentium de adulterinis coniugiis*, cum *notis iuridicis ac moralibus* IOAN. SCHILTERI editis, alibi erit dicendi locus. Sunt vero & alia adhuc AVGVSTINI opuſcula, in quibus, quae ad moralem doctrinam ſpectant, ediſſerit, vt *de continentia*, *de patientia*, *de cura pro mortuis gerenda*, quae, vt & alia eiusdem generis, *tomo ſexto operum* eius a monachis Benedictinis exhibentur, in quo & pleraque, quae hactenus recenſuimus, exſtant, quemadmodum reliqua *tomo primo* inueniuntur. Inter ea ſcripta, in quibus non equidem ex inſtituto moralia tractat, ſubinde tamen ad ea digreditur, obſeruatu lectuque adhuc cumprimis digni ſunt *libri XXII. de ciuitate Dei contra gentes ad Marcellinum*. Licet enim in iis per omnem hiſtoriarum & antiquitatis ſeſe diffundat campum; ſaepe tamen etiam de

iis, quae aut fugienda aut expetenda ſint, deque vita recte, & ſecundum regulas doctrinae chriſtianae, inſtituenda, diſſerit. Laudatur equidem a nonnullis hocce opus valde, ob eruditionem, quae in eo eluceat, ſingularem. Sed aliter de eo iudicat LVDOV. ELLIES DV PIN, hunc in modum verba faciens: *ſolent plerumque eruditionem in eo admirari, interim nihil continet, quod non deſumtum ſit ex Varrone, Cicerone, Seneca, & aliis ſcriptoribus profanis; nec falletur, qui dixerit, nihil admodum aut curioſi, aut exquiſiti in eo occurrere: immo ne quidem ſemper exactum eſſe in eo Auguſtinum. Saepius enim difficultates, quas circa textum & hiſtoriam ſacram proponit, non ſoluit. Inutiles praeterea proponit quaeſtiones, rationibusque admodum infirmis ad comprobandam ſuam ſententiam vtitur; nou. biblioth. ſcriptor. eccleſ. tom. III. p. m. 234.* Quae in cauſſa Pelagiana edidit AVGVSTINVS ſcripta, ad theologiam polemicam ſpectant, ſuoque a nobis enumerabuntur loco. Controuerſiarum tamen iſtarum omnino in theologia morali quoque habenda eſt ratio; cuius quippe prima fundamenta ſibi non conſtant, ſi aut de gratiae operationibus, aut de naturae viribus non recte ſentias. Facileque agnoſcent, qui cuncta paullo adcuratius expendunt, ex eo tempore, quo Pelagius iſtis diſputationibus occaſionem dedit, aliam quoque theologiae moralis exſtitiſſe faciem, quibusdam ad hoc, aliis ad alterum extremum procurrentibus, paucis mediam tenentibus viam. Graeci, praeſertim qui ante haec certamina vixerunt, naturae viribus interdum tantum tribuere videntur, ac ſi non multum a Pelagii erroribus abſint; quod & interdum illi, qui poſtea floruerunt, faciunt, quoniam quaeſtiones hae non adeo apud illos innotuerunt. Et ſplendidae hinc ſane oriuntur ad perdomandos adfectus, ad exuenda vitia, & conſectandas virtutes exhortationes, in quibus campum ampliſſimum oratores inueniunt, in quo ingenii exerceant vires, ſi, haec omnia prorſus in hominum viribus eſſe poſita, credas. Ad praxin ſi deſcendas, gratiaque Numinis non adſit, non poſſunt non haecce omnia in ventum ac fumum abire. Ad alterum extremum procurrerunt ex Latinis nonnulli, qui Pelagio quam fortiſſime ſe oppoſuerunt; dumque ne facultatem quidem, gratiae Numinis reſiſtendi, homini reliquerunt, omniaque ad merum Dei retulerunt beneplacitum; prima moralis doctrinae non potuerunt non labefactare fundamenta. Poenis enim pariter ac praemiis, adhortationibus ac dehortationibus, nullus amplius locus concedetur, ſi, qui mali ſunt, neceſſario mali ſunt, nec vmquam boni eſſe poſſunt, &, qui boni ſunt, neceſſario boni ſunt, nec mali eſſe poſſunt. A quo quidem extremo AVGVSTINVM, ſaltem in diſputationibus contra Pelagianos, non procul interdum abeſſe, notum eſt. Quantumuis autem praeclara ſint, quae eiusmodi homines de vita recte inſtituenda, deque vitiis fugiendis, ac virtutibus conſectandis, praecipiunt; dicendum tamen, eos aut principiorum ſuorum non ſemper memores eſſe, aut rem ſerio non agere, cum tam praeclare de rebus praeſtantiſſimis loquuntur. Quam adcurate itaque media hic tenenda ſit via, patet; cum illi ſoli, qui hoc faciunt, recte de morum doctrina praecipere queant. Alia adhuc ſunt, quae in morali doctrina AVGVSTINI deſiderat IO. BARBEYRACIVS, *l. c. p. 49.* Ex iis namque, quae praeſul hicce *lib. XVI. de ciuit. Dei, cap. XXV.* de Abrahamo, conſentiente Sara ducente Hagarem, diſſerit, colligit, eum docuiſſe, poſſe feminam alteri feminae ius ſuum cedere in corpus mariti, & viciſſim virum ius ſuum alteri viro cedere poſſe, in corpus vxoris; idque eum effato Pauli *I. Cor. VII. 4.* probare voluiſſe. Verum, etſi AVGVSTINVS dicat, ex conſenſu

ſenſu Sarae Abrahamum duxiſſe Hagarem; atque, eam conſentire potuiſſe, ex *I. Cor. VIII. 4.* non ſatis apte, euincere velit; non tamen colligi inde poteſt, quod omnibus feminis facultatem, ius ſuum in corpus mariti aliis cedendi, conceſſerit; cum de ſtatu veteris teſtamenti loquatur, in quo polygamiam permiſſam, certe a Deo toleratam fuiſſe, conſtat. Multo minus inde ſequitur, eum viro facultatem, ius ſuum in corpus vxoris alteri cedendi, adſeruiſſe; ſiquidem inter polygamiam vnius viri cum pluribus feminis, & polygamiam vnius feminae cum pluribus viris, maximum intercedit diſcrimen. Non ſine ratione hoc monuiſſe mihi videtur REMIGIVS CEILLIERIVS, *l. c. cap. XIV. p. 415. ſeqq.* Maioris adhuc momenti eſt, quod, ſecundum BARBEYRACIVM, AVGVSTINVS docet, *iure diuino omnia eſſe iuſtorum aut fidelium; infideles autem nihil legitime poſſidere;* quod quidem principium prorſus *exſecrabile* BARBEYRACIVS vocat, *quo ſocietas humana funditus euertatur; l. c. p. 49.* Iuuat hac de re ipſum audire AVGVSTINVM: *Iam ſi vero prudenter intueamur, quod ſcriptum eſt: fidelis hominis totus mundus diuitiarum eſt, infidelis nec obulus,* (verba haecce in verſione 70 interpretum *proverb. XVII.* poſt *verſ. 6.* leguntur, paſſimque ab AVGVSTINO, HIERONYMO aliisque citantur, ſed in textu ebraeo non exſtant) *nonne omnes, qui ſibi videntur gaudere licite conquiſitis, eisque vti neſciunt, aliena poſſidere conuincimus? Hoc enim certe alienum non eſt, quod iure poſſidetur, hoc autem iure, quod iuſte, & hoc iuſte, quod bene. Omne igitur, quod male poſſidetur, alienum eſt; male autem poſſidet, qui male vtitur. Cernis igitur, quam multi reddere debeant aliena, ſi vel pauci quibus reddantur, reperiuntur; qui tamen vbi ſunt, tanto magis iſta contemnunt, quanto ea iuſtius poſſidere potuerunt. Iuſtitiam quippe & nemo male habet, & qui non dilexerit, non habet. Pecunia vero & a malis male habetur, & a bonis tanto melius habetur, quanto minus amatur. Sed inter haec toleratur iniquitas male habentium, & quaedam inter eos iura conſtituuntur, quae adpellantur ciuilia; non quod hinc fiat, vt bene vtentes ſint, ſed ut male vtentes minus moleſti ſint; &c. epiſt. CLIII. tom. II. oper.* ex editione Benedictinorum, *p. m. 405.* REMIGIVS equidem CEILLIERIVS omnes hic ingenii vires intendit, vt AVGVSTINVM defendat, *p. 420.* ſed nimis manifeſtum eſt, Hipponenſium illum praeſulem hic fundamenti loco ponere, eum, qui bonis huius ſaeculi non bene vtitur, ea quoque non iuſte poſſidere. Iam, cum certum ſit, homines improbos, ex ipſius mente, bonis huius ſaeculi non bene vti; quid aliud inde conſequi poteſt, quam eos iniuſtos eſſe bonorum ſuorum poſſeſſores, & adeo ad ea reſtituenda obſtrictos? quod & diſerte profitetur. Nulla itaque AVGVSTINO fit iniuria, ſi docuiſſe dicatur: *infideles nihil legitime poſſidere;* quocum & alterum illud, *iure diuino omnia iuſtorum eſſe,* connexum eſt. Quantumuis autem addat, iuſtos, ſeu probos bona huius ſaeculi contemnere, hinc & metuendum non eſſe, ne ea improbis eripere velint; nondum tamen grauiſſimus huius principii abuſus ea ratione euitari poterit. Nihil enim ſollemnius, quam vt plurimi, ſe fideles, pios, ſanctos ſibi eſſe perſuadeant, & nihiloſecius bonis huius ſaeculi inhient. Quibus ſi per iſtam hypotheſin pulcherrima πρόφασις praebeatur; quae non inde rerum omnium oriri poteſt confuſio? Non magis defendi aut excuſari poteſt, quod AVGVSTINVS, cum antea vim omnem in religionis cauſſa damnaſſet, deinde, cum acres ac diuturnae illi cum Donatiſtis interceſſiſſent contentiones, ſuam ita mutauit ſententiam, vt non omnem vim & coactionem improbaret, modo non ad mortem vsque progrederetur, immo tan-

dem poenas, quae ſpem reſipiſcentiae non praeſcinderent, hoc eſt, quascumque, ſola morte excepta, non tantum non improbaret, ſed & infligendas doceret, vt hac ratione territi ad veram doctrinam amplectendam compellerentur. Conſtat hoc ex *epiſtola* eius *ad Vincentium*, quae eſt *CXIII. tom. II. operum, p. m. 174. ſqq.* Atque haec ſententia recte in AVGVSTINO, tum ab aliis, tum a BARBEYRACIO reprehenditur, in qua rurſus defendenda fruſtra operam omnem praeter REMIG. CEILLIERIVM, *l. c. p. 422.* collocat LAM. PRITANIVS, *de ingeniorum moderatione in religionis negotio, lib. II. c. VIII. p. 278. ſeqq.* vti ſupra quoque iam obſeruauimus. Iungenda, quae dixi *inſtit. theol. dogm. lib. V. cap. IV. §. XLVII. p. 1806.*

Saeculo quinto ad Pelagianas, quae magno feruore continuabantur, Neſtorianae, Eutychianaeque accedebant controuerſiae, praeſtantiſſimaque ingenia occupabant, vt in morum doctrina illuſtranda amplificandaque non multum elaborare poſſent. CYRILLI Alexandrini hoc patet exemplo, quem ducem atque anteſignanum illorum, qui Neſtorio ſe oppoſuerunt, fuiſſe, conſtat. Hinc & polemicis maxime inclaruit ſcriptis. In *homiliis* tamen, quarum *XXX paſchales*, deque rebus varii argumenti, *XIV* exſtant, quaedam attigit, quae morum doctrinam inſtruere poſſint. Idem vero etiam de aliorum quorumdam homiliis cenſendum; quas vt enarremus, neceſſe non eſt. ISIDORVS Peluſiota, CHRYSOSTOMI diſcipulus, in *epiſtolis* ſuis, multa diuini humanique iuris capita explicat, deque iis praecipit, quae ad mores formandos, vitamque recte inſtituendam, vſui eſſe poſſunt. Harum epiſtolarum cum tres libros edidiſſet IACOBVS BILLIVS, vir eruditiſſimus, CONRAD. RITTERSHVSIVS, cum eas recudi curaret, quartum, 230 epiſtolis conſtantem, addidit, ſingulasque notis illuſtrauit, Heidelbergae 1605. fol. quibus quintus tandem liber acceſſit, opera & ſtudio ANDREAE SCHOTTI, Francofurti 1629. fol. Tandem vero omnes epiſtolarum iſtarum libri iunctim, & quidem graece & latine, Pariſiis prodierunt 1638. fol. Varia ex hiſce ISIDORI epiſtolis loca adfert, illuſtrat, corrigit idem CONR. RITTERSHVSIVS, in *ſacrarum lectionum libris octo*, ſupra iam a nobis laudatis. Praeclare idem de SALVIANO quoque meritus eſt, presbytero illo Maſſilienſi, qui itidem ſaeculo hocce quinto floruit, & ſcriptis praeſtantiſſimis doctrinae morali lucem adfudit. Patet illud ex eius *de prouidentia & gubernatione Dei, deque iuſto ac praeſente eius iudicio libris VIII, ad Salonium epiſcopum, diſcipulum olim ſuum*; item ex *epiſtolis* eius *IX, & aduerſus auaritiam, praeſertim clericorum & ſacerdotum libris IV*, quos ſub ficto *Timothei* nomine in lucem emiſit. STEPH. BALVZIVS elogium illud, quo CYPRIANVM LACTANTIVS *lib. V. diuin. inſtitut. cap. I.* ornat: *admodum multa conſcripſit, in ſuo genere miranda; erat enim ingenio facili, copioſo, ſuaui, &, quae ſermonis maxima eſt virtus, aperto, vt diſcernere nequeas, vtrumne ornatior in eloquendo, an felicior in explicando, an potentior in perſuadendo fuerit?* optimo iure in SALVIANVM quadrare, exiſtimat; in *vita Saluiani*, *operibus* eius praemiſſa. GENNADIVS SALVIANVM vocat *magiſtrum epiſcoporum. Vere quidem*, inquit BALVZIVS, *& eleganter; verius tamen fortaſſis etiam orbis chriſtiani magiſter nobis dicetur, vt qui vitia totius chriſtianitatis caſtiget, & fidei integritatem adſerat.* Enimuero, cum Deus eo tempore chriſtianorum irritatus flagitiis, per Gothos & Vandalos, haereſi Arianae addictos, orbem romanum caſtigaſſet, multorumque ideo audirentur querelae, quod Deus vel negligeret res humanas, vel ſi curaret, in hac tamen vita iudicium non exerceret, aut, ſi quod exerceret, id tamen vix vacare iniquitate videretur; arrepta hinc occaſione,

SAL-

SALVIANVS, blaſphemiis iſtis ac querelis fortiter ſe opponens, prouidentiam Dei ac iudicium eius praeſens ac iuſtiſſimum rationibus, pariter ac teſtimoniis atque exemplis, luculenter adſeruit. Ex ipſis enim iſtis calamitatibus, quibus gentes illae imperium romanum adflixerint, adparere iudicium Dei, quem chriſtiani, ſeu catholici, ad puniendum velut coëgerint, patientia eius omni genere ſcelerum ac flagitiorum expugnata. Concludit tandem, poſtquam crimina iſta atque peccata enumerauerat; cum chriſtiani ſeu catholici, gentibus illis, quas pro barbaris habebant, vita moribusque deteriores fuerint; mirum non eſſe, quod per eas tandem ſint puniti. Haec ſumma eſt grauiſſimi operis, quam ita exhibet STEPH. BALVZIVS, in *vita Salviani* antea laudata. Poſt alios namque & vir hicce doctiſſimus opera SALVIANI, notis ſuis illuſtrata, edidit; Pariſiis 1663, & auctiora ibidem 1669, quae editio cum *libro commentario* CONR. RITTERSHVSII, ac notis integris IOAN. WEITZII, TOBIAE ADAMI, aliorumque, recuſa fuit Bremae 1688. 4. Digni quoque omnino ſunt, qui legantur, *libri* iſti *quatuor aduerſus auaritiam*, *praeſertim clericorum atque ſacerdotum*. Intelligent enim inde homines, quod pauci credunt, auaritiam non vitium modo, ſed vitiorum omnium grauiſſimum, & maxime exſecrabile eſſe; intelligent, vana ea omnia eſſe, quae explendae auaritiae obtendere ſolent, cuiusmodi illud eſt, proſpiciendum liberis eſſe, vt habeant, vnde viuant, quod qui non faciat, eum ethnico homine deteriorem eſſe, nec amare ſuos, & quae alia ſunt eiusdem generis. Agmen denique inter quinti ſaeculi ſcriptores claudat LEO I, epiſcopus Romanus, qui & *magni* elogio ornari ſolet. Huius exſtant & ſermones, & epiſtolae quam plurimae, cum reliquis, quae ei tribuuntur, operibus, editae a PASCHASIO QVESNELLO, Pariſiis anno 1675, & iterum Lugduni, anno 1700 fol. IOANNES equidem BARBEYRACIVS, praeeunte LVD. ELL. DV PIN, LEONEM *non admodum foecundum in moralibus eſſe*, pronuntiat, *ſiccamque eſſe eius tractandi rationem, quae & ad delectandum potius quam mouendum valeat*; *l. c. p. 49*. Qua in re non omnes forte ſibi ſuffragantes habebit. Quidquid eius ſit; in *ſermonibus* ſuis LEO haud raro moralia tractat, placuitque mihi prae reliquis *ſermo LXXXVIII* ſeu *quintus de ieiunio ſeptimi menſis*, vbi eodem ac AVGVSTINVS modo, docet, ex amore aut recto, aut prauo, omnes hominum adfectus, bonos aut malos, virtutes pariter ac vitia, fluere; ſeu: *duos amores Dei & mundi omnium voluntatum & actionum eſſe radices*. In *epiſtolis* ſuis de iis praecipue praecipit, quae ad eccleſiaſticam diſciplinam, itemque ritus & caerimonias, ſpectant. De *epiſtola*, ſeu *libello ad Demetriadem virginem*, in qua *de humilitate chriſtiana* agit, diſputatur; cum non deſint, qui eam PROSPERO Aquitanico tribuant. LEONI tamen eam peculiari *diſſertatione*, quae quarta eſt inter reliquas operibus eius adiectas, vindicat PASCHASIVS QVESNELLVS, eiusmodi quidem argumentis, quibus eidem & *libros duos de vocatione omnium gentium*, adſeruerat, quae ſententiam eius probabilem reddunt, minime autem prorſus euincunt. Non indignam eam LEONE exiſtimo, ob multa recte & praeclare dicta. Veram humilitatis indolem, pariter ac ſuperbiae damna, adcurate delineat, docetque, quinam maxime a vitio ſuperbiae ſibi cauere debeant. *Malum*, inquit, *ſuperbiae maxime virtutibus eſt cauendum; quia nullis opportunius inſidiatur, quam quibus laus iuſta debetur; c. IX*, circa finem, *p. m. 45*. De IO. CASSIANO, NILO, aliisque, qui adhuc commemorari poterant, dicemus deinceps, cum de ſcriptoribus theologiae myſticae verba faciemus. Ad hoſce enim a quibusdam referri ſolent.

§. VI. In illorum, qui ſaeculo ſexto, ſequentibusque, vixerunt, ſcriptis, decreſcentis in doctrina puritatis pariter ac eruditionis veſtigia deprehendentur haud pauca; quae & in ſcholaſticorum commentationibus luculentiori adhuc ratione conſpiciuntur, etſi quibusdam ingenii non defuerit ſubtilitas. Mirum hinc in modum tandem, & barbarie, & erroribus, cum dogmatica etiam moralis theologia obſcurata fuit, & commaculata. *

* Quae hucusque perluſtrauimus ſaecula intuitu moralis theologiae, aurea quodammodo, ſi cum ſequentibus comparentur, dici poſſunt. Iam, prolabente in deteriora orbe chriſtiano, mox alia quoque facies doctrinae moralis adparuit, exſanguis, ieiuna, ſqualida, ſuperſtitionibus miſere foedata, hinc ſcholae ſubtilitatibus, ceu ſpinis, tecta, miſereque commentis ineptiſſimis deformata atque corrupta. Pauci inſuper per ſex ſequentia ſaecula exſtiterunt, qui ingenii aut eruditionis laudem in hoc doctrinae genere retulerunt. Primus inter eos locus GREGORIO I, ſiue magno, romano pontifici, debetur. Laudatur is ob pietatem; cuius de eo opinionem auxit zelus, haud conſultus ſemper. Magnam praeterea religionis partem in ritibus & caerimoniis poſuiſſe videtur, in quibus augendis ac multiplicandis totus fere fuit, adeo, vt *pater caerimoniarum* vulgo audiat. Quo ipſo verae pietati ſanctitatique, ad quam theologia moralis viam munit, nocuit potius, quam profuit. Hac ratione etiam effectum, vt religio in meram ſuperſtitionem abiret. Eruditio GREGORII ex ſaeculi, quo vixit, conditione aeſtimanda. Scripſit *expoſitiones*, ſeu *commentarios*, & *homilias*, in aliquot libros biblicos; in quibus de ſenſu litterali parum ſollicitus, ad locos communes digreditur, ingenii ſui oſtendens foecunditatem. Eminent cumprimis *expoſitionis* eius *in Iobum*, ſeu *moralium libri XXXV*, in quibus nihil minus agit, quam vt ſenſum libri huius edíſſerat, quem aliis reliquit laborem, ſed promtuarium ſolum aliquod rerum moralium in iis exhibet. Magna nihiloſecius operis huius olim apud multos fuit auctoritas, quam fabulis & commentis maiorem reddere nonnulli conati ſunt, quae merito exploduntur a LVD. ELL. DV PIN, *nou. biblioth. ſcriptor. eccleſiaſt. tom. V. p. m. 134*. De *libro paſtoralis curae*, quem idem GREGORIVS ſcripſit, alibi erit dicendi locus. Exſtant etiam *epiſtolarum* eius *libri XII*, aut ſecundum recentiorem operum eius editionem, quae Pariſiis 1705 prodiit, *XIV*; in quibus tamen pleraque ad diſciplinam eccleſiaſticam ſpectant. De externis namque praecipue hoc ſaeculo ſolliciti erant eccleſiae doctores, interiori animae cultura fere neglecta. Hinc canonum in conciliis conditorum maior auctoritas, quam ſcripturae ſacrae, quorum collectiones magna cura inſtitui coeperunt. Cumque per Iuſtinianum imperatorem nouam ius ciuile formam acciperet, auctoritatis etiam incrementum iuri eccleſiaſtico per eumdem adderetur; ſenſim iſta theologiae moralis facies introducta eſt, quae deinceps in regno ſcholaſticorum plenius adparuit. De ANASTASIO Sinaita, IOAN. CLIMACO aliisque, qui ſexto adhuc ſaeculo vixerunt, nihil nunc dicemus; cum iis inter ſcriptores myſticos locus concedatur.

Vlterius progredientibus primo ſe offert loco ISIDORVS Hiſpalenſis, quippe qui circa finem ſexti, & initium ſeptimi ſaeculi, floruit. Hic non tantum in *commen-*

mentariis ſuis in nonnullos ſcripturae ſacrae libros morum doctrinam delibauit, ſed ſcripta etiam quaedam ex inſtituto, eo comparata, compoſuit, vti ſunt: *ſynonymorum, ſeu ſoliloquiorum libri duo; de contemtu mundi libellus;* ex quibus iterum compilatus fuit, qui inſcribitur: *norma viuendi;* item *oratio de flendis ſemper peccatis ad correctionem vitae; oratio breuis contra inſidias diaboli*, & alia. Cumprimis locum hic ſibi vindicant eiusdem *ſententiarum libri tres*, ex GREGORII magni *moralibus* magnam partem excerpti; quibus, cum aliis ſententiarum collectoribus, primisque adeo theologiae ſcholaſticae conditoribus, exemplum, quod ſequerentur, praeiuerit; ſupra iam *libri* huius *ſecundi cap. I. §. VIII.* de iis dictum. Idem opus interdum & *de ſummo bono* vocari, a primis, quibus inchoatur, verbis: *ſummum bonum Deus eſt*, ibidem iam obſeruauimus. *Liber de conflictu vitiorum & virtutum*, a SIGEBERTO quidem Gemblacenſi, *de ſcriptorib. eccleſiaſt. cap. LV.* ISIDORO, ab aliis autem aut AVGVSTINO, aut HIERONYMO, aut alii cuidam, tribuitur. GREGORIVM magnum in eo quoque imitatus eſt ISIDORVS, quod *de ſacerdotum in eccleſia officio* epiſtolam ad Ludifredum epiſcopum Cordubenſem ſcripſit, de qua alibi dicemus. Ob diligentiam potius, quam ſingularem aut ingenii, aut iudicii vim, ISIDORVM laudandum, nec naeuorum eum expertem, viri docti exiſtimant. Legendus LVD. ELL. DV PIN, *nou. bibliothec. ſcriptor. eccleſiaſt. tom. VI. p. m. 4.* De BEDA, quem *venerabilem* vocant, qui circa finem ſeptimi & initium octaui ſaeculi floruit, quid cenſendum, ex temporis iſtius conditione, iudicare licet. In *commentariis*, quos in pleroſque ſcripturae ſacrae libros compoſuit, ex patribus congeſſit, quae ad vitam inſtruendam faciunt. Nec adeo infeliciter ſemper: felicius vtique, quam, cum critici, aut interpretis, aut omnino philoſophi partes ſibi ſumit; quam tamen laudem, editis plurimis eius argumenti libris, adfectauit. In his namque adgreſſus ea eſt, quae ſupra ſaeculi iſtius genium erant. In *homiliis aeſtiualibus, hiemalibus, quadrageſimalibus*, aliis, vitae morumque rationem habuit; quod & in vitarum deſcriptionibus, quarum plurimas reliquit, quas inter tamen nonnullae ſpuriae ſunt, praeſtitit. In his omnibus, vbi lapſus eſt, id ſaeculi potius, quam ipſius vt hoc tribuamus vitio, aequum fuerit. Idem de FLACCO ALCVINO, ſeu ALBINO, viro ſuo tempore inſigni, obſeruandum, cuius conſiliis Carolum magnum imperatorem in rebus eccleſiaſticis frequenter vſum, conſtat. Namque & is non tantum in ſcriptis quibusdam exegeticis, ſeu commentariis in libros quosdam & loca ſcripturae ſacrae, *τὰ πρακτικὰ* attigit; ſed ex inſtituto quoque hoc egit, in *libro de virtutibus & vitiis ad Widonem comitem*, ne quid nunc de vitarum, quas reliquit, deſcriptionibus dicam. Diſcipulus ALCVINI fuit RHABANVS MAGNENTIVS MAVRVS, qui ſaeculum nonum, ſatis alias obſcurum, illuſtrauit; omnique litterarum genere, pro iſtius, qua vixit, aetatis ratione, fuit inſtructiſſimus. Eam, quae de vita recte inſtituenda praecipit, theologiae partem illum non neglexiſſe, non tantum commentaria in varios ſcripturae ſacrae libros, ſed alia quoque ſcripta teſtantur, vt: *de laudibus ſacrae crucis libri duo*, in quibus imaginum vſum hiſtoricum, non autem cultum, ſeu adorationem probat: *de videndo Deo, de puritate cordis, & de modo poenitentiae libri tres ad Bonoſum abbatem;* & quae alia ſunt eiusdem generis, de quibus conferre iuuabit viri clariſſimi IOAN. CHRISTIANI IVNG-IOHANN, diſſertationem *de vita, ac doctrina Hrabani Magnentii Mauri*, meo ſub moderamine, anno 1724 habitam, *part. II. §. XII. ſeqq.* vbi ex inſtituto de me-

meritis RHABANI MAVRI in theologiam moralem diſſerit. Inter ſcripta eius moralia ibi inter alia referuntur *homiliae*, ſpeciatim & 61 illae *ſuper euangelia & epiſtolas, a natali domini, vsque ad vigilias paſchae.* Illa nimirum ſcribendi per *poſtillas* ratio maximopere eo tempore inualuit, & deinceps continuata fuit; nec praetermittenda hic eſt, cum ad moralia, pro ſtatu iſtius temporis tractanda, comparata fuerit. Condiſcipulus RHABANI, & amicus coniunctiſſimus, fuit HAYMO, ſiue AIMO, monachus primum Fuldenſis, tum abbas Herſfeldenſis, & Halberſtadienſis denique epiſcopus; in cuius, quae occurrunt, *commentariis*, in varios ſcripturae ſacrae libros, & *homiliis*, cuiusmodi ſint, ex iis, quae de aliorum huius aetatis auctorum ſimilibus ſcriptis, omnibus nota ſunt, facile conſtat. Quae RHAB. MAGNENT. MAVRVS, RHEGINO Prumienſis, aliique ex Latinis, ex Graecis autem PHOTIVS, in hocce temporis interuallo, ad diſciplinam eccleſiaſticam, & ius canonicum, ſpectantia, commentati ſunt, huius loci non ſunt. Dicetur de hiſce alibi. Interim id haud difficulter ex eiusmodi ſcriptis colligitur, iuris eccleſiaſtici rationem potius ea aetate habitam fuiſſe, quam theologiae moralis, & iuris diuini; cum, qui reliquis praeſtantiores fuerunt, plus in illud, quam hoc contulerint diligentiae. Saeculo vndecimo ſe nobis adhuc ſiſtit ANSELMVS, Cantuarienſis ille archiepiſcopus, cuius habemus opuſcula quam plurima aſcetica, paraenetica, & ad deuotionem excitandam alendamque comparata. Continentur ea *parte ſecunda operum* eius, ſecundum editionem GABR. GERBERONI, quae recuſa fuit Pariſiis 1721. fol. Hic namque primum *homilias* & *exhortationes* ANSELMI conſpicere licet, tum *librum meditationum & orationum.* Inter meditationes iſtas prima eſt, *de humanae conditionis dignitate & miſeria*; altera, *de terrore iudicii, ad excitandum in ſe timorem*; tertia, *deploratio male amiſſae virginitatis*; quarta, *quomodo peccator excitet animam ſuam ad corrigenda peccata ſua.* Ex quibus cuiusmodi reliquae ſint, intelligere licet. *Hymni & pſalterium* eius, *de ſancta virgine Maria*, regnantis eo tempore ſuperſtitionis argumentum praebent. Cum vero ANSELMVS in ſcriptis ſuis paraeneticis & aſceticis non tam de officiis, quam de affectibus piis ac ſanctis excitandis ac conſeruandis, ſollicitus ſit; a nonnullis inter ſcriptores myſticos referri ſolet; vt a GOTTFR. ARNOLDO, in *hiſtor. & deſcript. theolog. myſtic. cap. XVIII. p. 271.*

Scholaſticos, quos vocant, doctores, ſaeculo duodecimo longe aliam theologiae intuliſſe faciem, conſtat ex iis, quae *cap. I. libri* huius *ſecundi* docuimus. Quae inde in theologiam dogmaticam redundarunt incommoda, vel maxime etiam in morali deprehenduntur. Huius namque ex eo tempore opus eſſe cenſebatur, non tam mores hominum ad pietatem ſanctitatemque formare, quam de moribus diſputare. Qui mos licet iam ab AVGVSTINO originem traxerit; hoc tamen tempore, quo per ſcholaſticos tota theologia aliam formam induit, maxime inualuit. Simul & ſyſtematica, theologiam tum dogmaticam, tum moralem exorta eſt tractandi ratio. Namque PETR. LOMBARDVS pariter ac THOMAS DE AQVINO theologiam moralem ſyſtematibus ſuis complexi ſunt. Et in LOMBARDI quidem *libris ſententiarum* tertii libri pars poſterior, vt & quaedam libri quarti, huius ſunt argumenti, adeoque velut ſedes omnium illorum, quae ſcholaſtici, qui quidem in *magiſtrum ſententiarum* commentati ſunt, de rebus agendis nobis reliquerunt. De THOMA DE AQVINO itidem conſtat, & ſupra iam obſeruatum eſt, quod in *ſecundae partis parte ſecunda*, *ſummae* ſuae *theologicae*, de virtutibus & theologicis & moralibus

ralibus agat, omniaque complexus ſit, quae *theologiae moralis* nomine veniunt. Hactenus quidem non male; cum agenda tam arcto cum credendis coniuncta ſint vinculo, vt a ſe inuicem ſeparari nequeant; quamuis nec reprehendendi ſint, qui ſeorſim moralia tradant, quod & nonnullos ex ſcholaſticorum gente feciſſe, conſtat. Obſeruare autem iuuat, eos, qui in *ſecundam ſecundae* THOMAE DE AQVINO commentati ſunt, ſpeciatim *moraliſtas* dici, a quibus *caſuiſtae*, & ab vtrisque iterum *canoniſtae* diſtinguebantur. Nimirum qui canones eccleſiaſticos explicabant, *canoniſtarum* veniebant nomine; vti *caſuiſtarum* ſeu *caſiſtarum*, qui ad ductum *librorum poenitentialium* de caſibus conſcientiae agebant. Cumque non deeſſent, qui *ſummas caſuum conſcientiae* ſcriberent, *ſummiſtae* itidem adpellati ſunt; quamquam illi etiam interdum ita vocati ſint, qui *ſummam theologiae* THOMAE DE AQVINO explicarunt. Quemadmodum autem *canoniſtae* inter ſcriptores iuris eccleſiaſtici locum ſibi vindicant; ita de *caſuiſtis* deinceps aliquid dicemus, cum ſpeciatim de iuris diuini ſcriptoribus verba facienda fuerint. Accedebant eodem tempore *myſtici*, quae ad internam animi culturam ſpectant, ſibi vindicantes; quorum qua ratione per ipſam theologiam ſcholaſticam excitatum promotumque ſit ſtudium, itidem ſuo loco dicemus. De *moraliſtis* itaque cum hic nobis ſermo ſit, prout a *caſuiſtis* pariter ac *canoniſtis* diſtinguuntur; hocce nomine etiam illi comprehendi poſſunt, qui de *virtutibus & vitiis*, aut eiusdem generis argumentis moralibus, egerunt; quod nonnullos etiam ante THOM. DE AQVINO feciſſe, conſtat. Commemorandus inter hoſce eſt GVILIELMVS Pariſienſis, quem ceu theologum pariter ac philoſophum, & mathematicum ſummum nonnulli celebrant; quiue ſaeculo decimo tertio vixit. Exſtant namque, & a quibusdam commendantur, libri eius *de virtutibus, de legibus, de moribus, de vitiis & peccatis, de tentationibus & reſiſtentiis*, hoc eſt, qua quis ratione tentationibus reſiſtere queat, & alii. Iungit ei alterum GVILIELMVM, ſcilicet Altiſiodorenſem epiſcopum, GEBH. THEOD. MEIERVS, ob *ſummam theologicam; quae minus*, inquit, *impurorum dogmatum habet, quam omnes aliorum ſummae, minus licet doctrinae; introd. in vniuerſum theolog. mor. ſtudium, cap. XVII. §. II.* Nec praetermittendus hic eſt ALEXANDER DE HALES, ſiue ALESIVS, cuius magna eodem ſaeculo decimo tertio fuit exiſtimatio, quippe qui itidem *ſummam* quamdam *virtutum* reliquit. Ex ALBERTI magni ſcriptis quampluriмis huc ſpectat *enchiridion* eius *de veris perfectisque hominis chriſtiani virtutibus*; itemque *de adhaerendo Deo*; ne quid de *commentario* eius *in libros ſententiarum* dicam, in quibus eam theologiae partem, quae de moribus praecipit, contineri, antea iam indicauimus. Atque ALBERTI huius diſcipulum THOMAM DE AQVINO fuiſſe, conſtat, de cuius *ſumma theologiae*, quam & *theologiam moralem* complecti antea diximus, fuſe *libri* huius *ſecundi cap. I.* ad *§. X.* egimus. Addimus ſolum, quae GEBH. THEOD. MEIERVS de *ſecunda ſecundae*, ſeu theologia morali THOMAE, pronuntiat: *Multum eruditae doctrinae ex lectione ſecundae amicis noſtris promittimus, praeſertim ſi lectioni eius commentarium Caietani coniunxerint, atque argumenta Thomae in formulas redegerint. Magni vero licet aeſtimemus ſolidam Thomae in moralibus doctrinam, non tamen tanti, vt cum canoniſtis haereſeos ſuſpectum habeamus, qui eam impugnare ſibi ſumſerit; l. c. cap. XVII. §. II.* qui & §. *III.* indicem rerum praecipuarum, in *ſecunda ſecundae* occurrentium, ſecundum litterarum ſeriem exhibet. Ex romanenſibus, quos in laudes THOMAE plus

plus, quam decet, effuſos eſſe, conſtat, audire tantum iuuat RENATVM RAPINVM. Hic, cum dixiſſet, BASILIVM, CHRYSOSTOMVM, HIERONYMVM, AMBROSIVM, AVGVSTINVM, GREGORIVM magnum, BERNHARDVM atque THOMAM, praecipuos inter veteres fuiſſe, qui in morum diſciplina aliquid laude dignum praeſtiterint; BASILIVM porro hoc feciſſe, ait, *vt patrem ſpiritualem* in *diſſertationibus aſceticis*, CHRYSOSTOMVM *vt oratorem ſacrum*, in *ſermonibus* & *conſiderationibus* ſuis *in epiſtolas Pauli, in quibus doctrinae moralis chriſtianorum perfectam imaginem exhibet*, HIERONYMVM, AMBROSIVM & AVGVSTINVM, *vt interpretes ſcripturae & doctores eccleſiae*, GREGORIVM magnum *vt philoſophum per allegorias*, BERNHARDVM *vt myſticum*, THOMAM denique *vt theologum. Secunda* eius *ſecundae*, ita pergit, *eſt doctrina moralis, ratiociniis longe melius inſtructa, meliusque concinnata, & adcuratior exactiorque, quam vlla alia, quae vmquam lucem adſpexit; reflexions ſur la morale* §. *IX. tom. II. oper. p. 401.* Non inuideo prorſus has laudes THOMAE, modo ſimul admittatur, eum & naeuorum non fuiſſe expertem, tum eorum, qui cum aliis ſcholaſticis eo tempore illi communes fuerunt, tum & eorum, qui illi fuere proprii. Eodem, quo THOMAS, tempore vixit, VINCENTIVS Bellouacenſis, qui praeter *doctrinale*, *hiſtoriale* & *naturale*, etiam *morale* compilauit *ſpeculum.* Tribus hoc conſtat *libris*, diuiſis in *partes* & *diſtinctiones*, tractatque de paſſionibus animi, de legibus, de gratia, de vitiis & virtutibus copioſiſſime. Veroſimile autem admodum eſſe, VINCENTIVM *ſpeculum* hocce *morale* ex THOMAE AQVINATIS *ſumma* exſcripſiſſe, idque omnino fieri potuiſſe, etſi aliquot ante eum annis obierit; ſupra iam *libri* huius *ſecundi cap. I.* ad §. *X.* docuimus. Non itaque neceſſe eſt, vt cum ROBERTO BELLARMINO adſeramus, *ſpeculum* hocce *morale* non eſſe VINCENTII Bellouacenſis, ſed auctoris cuiusdam recentioris, qui itidem VINCENTIVS dictus ſit, & *ſecundam partem* THOMAE in compendium redigere voluerit; *de ſcriptorib. eccleſiaſt. p. m. 205.* Iam ingens ſe nobis offert ſcholaſticorum turba, qui ſaeculo decimo tertio, ſequentibusque, aut in THOMAE DE AQVINO *ſummam*, ſpeciatim *ſecundam ſecundae*, commentati ſunt, aut aliis ſcriptis theologiam moralem illuſtrarunt; quos recenſere omnes ſuperuacuum prorſus, nulliusque vſus foret. Praecipuos, eosque qui pro *claſſicis* habentur, ſeu quorum auctoritate & ſententia in rebus dubiis ſtandum eſſe, recentiores cenſent, enumerat GEBH. THEOD. MEIERVS, in *introduct. in vniuerſum theol. mor. ſtudium, cap. XVII.* §. *IV.*

Exortae quoque ſunt in hocce temporis interuallo controuerſiae quaedam, ex quibus, cuiusmodi ea aetate theologiae moralis fuerit facies, intelligere quodammodo licet. Nimirum, cum Dominicani pariter ac Franciſcani monachi, paupertatis voluntariae ſplendido titulo ignauiam tegentes, gratiamque aliorum variis artibus aucupantes, ordinis ſui limites cum maximo aliorum incommodo dilatarent; cumprimis GVIL. DE S. AMORE ſeſe iis oppoſuit, & non tantum librum notiſſimum *de periculis nouiſſimorum temporum* conſcripſit, eoque ordines mendicantes acriter perſtrinxit; ſed & occaſionem inde arripuit, edendi *quaeſtionem vnicam de quantitate eleemoſynae, vtrum liceat homini dare, quidquid habet, ita vt ſibi nihil retineat, & mendicet?* item, *quaeſtionem vnicam de valido mendicante, vtrum debemus dare eleemoſynam valido mendicanti, ſi ſit pauper?* Eiusdem generis ſcripta & alia controuerſia haecce peperit, cuius hiſtoriam MATTHAEVS Pariſienſis enarrat, ad *annum 1255. ſeqq.* Diſputatum deinceps inter

inter ipſos Franciſcanos & Dominicanos fuit, de *paupertate Chriſti & apoſtolorum*, an omni prorſus rerum dominio & proprietate deſtituti fuerint? illis hoc adfirmantibus, his negantibus. Et Franciſcani quidem in conuentu ordinis ſui generali, Peruſii habito, cui & GVIL. OCCAMVS interfuit, decreuerunt, ſi quis adſerat, Chriſtum & apoſtolos nihil aut proprium, aut in communi poſſediſſe, eum in haereſeos ſuſpicionem adduci non poſſe, reclamante licet Ioanne XXII pontifice, qui hanc ſententiam, vt haereticam, damnauerat. Cum ergo vbique hoc vrgeret, ac defenderet OCCAMVS; pontificis in ſe concitauit iram, & anathematis fulmine ab eodem percuſſus eſt. Atque hinc ſcripta enata ſunt varia de dominio rerumue poſſeſſione, & quousque cum vita chriſtiana haec conſiſtere queat? Ipſius hinc OCCAMI exſtat *opus nonaginta dierum, de vtili dominio rerum eccleſiaſticarum, & abdicatione bonorum temporalium in perfectione ſtatus monachorum & clericorum, aduerſus errores Ioannis papae*, apud MELCH. GOLDASTVM, in *monarchia ſancti romani imperii, tom. II.* Vt autem OCCAMVS Franciſcanorum cauſſam egit; ita pro Dominicanis pugnauit PETR. PALVDANVS, in libro: *quod fratres praedicatores poſſunt habere poſſeſſiones & reditus.* Eiusdem PALVDANI manuſcriptus adhuc exſtare dicitur tractatus, *de paupertate Chriſti & apoſtolorum contra Michaëlem de Caeſena.* Namque MICHAEL hicce CAESENAS Franciſcanorum in hacce cauſſa defenſionem ſuſceperat, ſcripto libro: *contra varios errores & haereſes Ioannis XXII papae, praecipue vero de vtili dominio eccleſiaſticorum, & abdicatione rerum temporalium, in perfectione ſtatus monachorum & clericorum*; apud MELCH. GOLDASTVM, in *monarchia ſancti romani imperii tom II.* Conſultus iam anno 1321 de haccequaeſtione VBERTINVS DE CASSALIS, reſpondit, Chriſtum aliquid proprium aut commune, modo mundano, poſſediſſe, haereticam eſſe ſententiam; eum vero aliquid commune, modo ſpirituali, habuiſſe, ſatis orthodoxe dici poſſe. Quae VBERTINI ſententia mirifice pontifici & cardinalibus placuit. Nec enim hiſce gratius quid contingere poteſt, quam ſi quis viam, Deo & mundo ſimul inſeruiendi, ſibi inueniſſe videatur. Exſtat VBERTINI huius *reſponſio, circa quaeſtionem de paupertate Chriſti & apoſtolorum* coram Ioanne XXII apud Auenionem in conſiſtorio facta, contractior apud LVCAM WADDINGVM *annal. Minor. tom. III.* ad annum 1321. integrior vna cum articulis a fratre BONAGRATIA aduerſus eum adductis apud STEPH. BALVZIVM, *miſcellan. tom. I. p. 293. 307.* obſeruante HENR. WHARTONO, in *adpendice ad hiſtoriam litterar. Guil. Cauei, p. 12.* De variis ſcriptis, quae GVIL. OCCAM, aliique, pro adſerendo imperatorum iure in rebus temporalibus, contra iniquos romanorum pontificum conatus, ediderunt, alibi commodior erit dicendi locus.

Hoc ipſo tamen, quo haec contigerunt, ſaeculo, decimo ſcilicet quarto, velut lux quaedam mediis in tenebris oriri coepit, melioremque vt reliquarum litterarum, ita & theologiae moralis faciem promittere. Nihil de FRANC. PETRARCHA dicam, quippe qui philoſophis potius ac poëtis, quam theologis, adnumerandus eſt, quemue *refloreſcentis eloquentiae principem* DESIDER. ERASMVS Roterodamenſis vocat; quamuis non alieni ſint ab hoc loco eius *de vita ſolitaria libri duo; de remediis vtriusque fortunae, libri duo; de contemtu mundi, ſiue ſecretorum dialogi tres*; & qui alii ſunt eiusdem generis. In hiſce omnibus multa moralis doctrinae capita egregie pertractata eſſe, agnoſcit LVD. ELLIES DV PIN, *nou. biblioth. ſcript. eccleſiaſt. tom. XI. p. 77.* qui tamen hoc in PETRARCHA deſiderat, quod libere nimis pontifi-

cis, & aulae Romanae, vitia perſtringat. At hoc ipſum eſt, quod alii in eo laudant, eoque nomine illum inter teſtes veritatis referunt. IOAN. WICLEFVS praecipue hic commemorandus eſt, qui non minus in moribus eius temporis longe corruptiſſimis corrigendis, quam emendanda doctrina, operam poſuit laudabilem, quamuis haereticorum ideo adſcriptus ſit ordini. Varia is quoque ſcripſit, ad doctrinam moralem ſpectantia, quorum notitiam haurire licet ex HENRICI WHARTONI *adpendice ad hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſt. Guil. Cauei, p. 36.* WICLEFVM eodem in inſtituto ſaeculo decimo quinto excepit IOAN. HVSSVS, cui ad mortem vsque cum vitiorum monſtris dimicandum fuit. Totus cum eſſet in corrupto eccleſiae ſtatu emendando; praui hominum, cumprimis clericorum mores, non minus negotium illi faceſſiuerunt, quam doctrina, ad fouendam conſeruandamque romani pontificis tyrannidem comparata. Licet autem ipſa neceſſitas polemica maximam partem illi extorſerit ſcripta; in his tamen ſubinde & ea tradit, quibus corrigi vita, moresque emendari, queant. In quibusdam tamen & ex inſtituto hoc agit, vt in *explicatione ſymboli, decalogi, & orationis dominicae*; in tractatibus *de peccato mortali, de matrimonio, de cognitione & dilectione Dei; de tribus hoſtibus hominis, & ſeptem peccatis mortalibus*, aliisque. In eodem, quo HVSSVS condemnatus fuit, concilio Conſtantienſi, praeſens fuit IO. CHARLIERIVS DE GERSON, academiae Pariſienſis cancellarius, vulgo *doctor chriſtianiſſimus* dictus. Quem virum, tot laudibus ornatum, vellem procul abſuiſſe ab iſto improborum hominum coetu, qui iniuſta, immo iniquiſſima virorum innocentiſſimorum IOAN. HVSSI & HIERONYMI Pragenſis condemnatione, & errorum grauiſſimorum, non obſtante, quam agnoſcebant, ſcripturae auctoritate, & veteris eccleſiae conſenſu, confirmatione, aeternam infamiae & dedecoris labem contraxit. Quamquam & ipſe GERSON iniquiora in iſto concilio expertus ſit fata, non quidem, quod cauſſae Huſſiticae patrocinium ſuſcepiſſet, ſed, quod ordinis theologorum Pariſienſis cenſuram contra IOANNEM paruum, ducis Aurelianenſis caedem adprobantem, ſtrenue defendiſſet. Multa vero omnino ſcripſit, ad morum doctrinam ſpectantia, eaque minime contemnenda; quae cum alii recenſeant, ea vt hic repetamus neceſſe non eſt. Inter haec autem cum nonnulla ſint, quae vitae interioris diſciplinam inſtruunt; inter myſticos quoque ſcriptores locum ſuum occupat. Stilus eius horridus eſt atque barbarus: at, argumenta, quae ſibi tractanda ſumſit, exhaurit, ordinisque eſt obſeruantiſſimus, & in ratiociniis ſuis adcuratus; quamuis non omnia eius opuſcula eiusdem ſint generis aut pretii. Tantae fuit auctoritatis, vt, iudicio ZABARELLAE cardinalis, in concilio Conſtantienſi, nemo in toto orbe chriſtiano, ei comparandus eſſet; *adeo ſuperexcellens doctor eſt*, dicebat idem cardinalis, *qualis in tota chriſtianitate vix reperiri queat.* Immo, poſt BERNHARDVM eccleſiam non habuiſſe praeſtantiorem doctorem, LVDOV. ELL. DV PIN pronuntiat, *nou. bibliothec. ſcriptor. eccleſiaſt. tom. XII. p. 78.* Eodem ſaeculo floruit, & ex libro *de corrupto eccleſiae ſtatu* nominis celebritatem conſecutus eſt, NIC. DE CLEMANGIIS; qui, dum & in aliis ſcriptis vitia moresque prauos ſui ſaeculi perſtringit, ſimul, quid quisque fugere, quid conſectari debeat, docet. Idem ex inſtituto agit in *tractatu in parabolam de filio prodigo*, vbi de abuſu bonorum, a Deo nobis conceſſorum, diſſerit; porro in libro de *fructu eremi*, & in alio de *fructu* ſeu *proſperitate rerum aduerſarum.* Nec alienus prorſus ab hoc loco eſt liber, de *nouis feſtiuitatibus non inſtituendis*, in quo ſimul, quam

quam officii ſui in diebus feſtis celebrandis immemores ſint homines, oſtendit, itemque de *praeſulibus Simoniacis*. Dignus vtique prior fuit, quem vir quidam doctus an. 1703 Helmſtadii recudi curaret. In Baſilienſi concilio inclaruit IOAN. NIDERVS, ordinis praedicatorum, magnopere laudatus TRITHEMIO, in *catalogo illuſtrium viror. nat. germ. p. 154.* Hic, praeter commentationem de *viſionibus & reuelationibus*, ab HERMANNO VON DER HARDT editam, varia etiam, theologiae morali inſeruientia, conſcripſit, vt *formicarium, ſeu dialogum ad vitam chriſtianam exemplo conditionum formicae incitatiuum*, & alia, quae fuſius enarrant IAC. QVETIF & IAC. ECHARD in *ſcriptorib. ordinis praedicatorum recenſitis, tom. I. ſaec. XV. p. 792. ſeqq.* IOAN. CAPISTRANVS itidem varia, partim ad theologiam moralem, partim ad iuriſprudentiam, tum diuinam, rum eccleſiaſticam, ſpectantia, ſcripſit: notior tamen eſt ex concionibus, quas in foris & triuiis ad plebem habuit, quibusue homines ad arma, contra quosuis Romanae ſedis hoſtes capeſſenda, & haereticos ferro & flamma exſtirpandos, excitauit, quibus ipſemet etiam ſe ducem praebuit. Mitto reliquos, qui aut indigni ſunt, vt eorum habeatur ratio, aut rectius partim ad iuriſprudentiam diuinam, partim ad theologiam myſticam, referuntur. Reſtaurari equidem ſaeculo hocce decimo quinto bonae litterae coeperunt; ſed cum, qui iis dediti erant, linguis, graecae & latinae, grammaticaeque & arti criticae immorarentur; exiguus hactenus inde ad theologiam aut dogmaticam aut moralem redundare poterat fructus. Plurimum tamen hac ratione promota eſt eccleſiae emendatio, quae in ſequens ſaeculum a Numinis prouidentia reſeruata fuit, qua & effectum, vt, cum dogmatica, moralis quoque theologia meliorem faciem indueret. Id quod ex deinceps dicendis manifeſtum fiet.

Nunc illud ſolum addendum, ſcripta quoque aſcetica quamplurima ſupereſſe, quae non modo ad iſtud, de quo hucusque loquuti ſumus, temporis interuallum, ſed & ad praecedentia ſaecula ſpectant, quorum haud pauca in *bibliothecis*, ſimilibusque *patrum collectionibus*, inueniuntur. Fuerunt vero etiam, qui ſeorſim ſcripta eiusmodi aſcetica, in vnum collecta, darent, vt PETRVS POSSINVS, in *theſauro aſcetico, ſeu ſyntagmate octodecim opuſculorum aſceticorum a graecis patribus ſcriptorum*; Pariſiis 1684. 4. Recenſet huncce *theſaurum* THOMAS ITTIGIVS, de *bibliothecis & catenis patrum, cap. III. §. XX. p. 360. ſeqq.* Quemadmodum autem in hocce *theſauro* monumenta patrum graecorum cum verſione latina exhibentur; ita bibliothecam aſceticam latinam dedit CLAVD. DE CHANTELOV, inſcriptam: *bibliotheca patrum aſcetica, ſiue ſelecta veterum patrum de chriſtiana & religioſa perfectione opuſcula*, Pariſiis an. 1661 ſex tomis in 4. Recenſet & hancce THOM. ITTIGIVS, de *bibliothecis & catenis patrum, cap. III. §. XXI. p. 362. ſeqq.* Nec alieni prorſus ab hoc loco ſunt, qui homilias & ſermones ſacros patrum collegerunt, quippe in quibus plerumque, quae ad vitam moresque componendos emendandosque faciunt, tractari ſolent. Huiusmodi eſt *bibliotheca concionatoria* FRANC. COMBEFISII, quae in *octo tomos* diuiſa, Pariſiis 1662. fol. lucem adſpexit. Legendus de ea itidem THOM. ITTIGIVS, *l. c. cap. III. §. XXII. p. 370. ſeqq.* qui & alias eiusdem generis homiliarum collectiones commemorat. Nobis vero hic praetermittendu non eſt vir clariſſimus, deque antiquitat eccleſiaſtica praeclare meritus, BERN. PEZIVS, quippe qui non ita pridem *bibliothecam aſceticam antiquo-nouam, hoc eſt, collectionem veterum quorundam & recentiorum opuſculorum aſceticorum, quae hucusque in variis manuſcriptis, codicibus & bi-*

Digitized by Google

bliothecis delituerunt, dedit Ratisbonae ſex tomis, in 8. impreſſam, quorum primus & ſecundus an. 1723, tertius & quartus, itemque quintus & ſextus 1724 lucem adſpexerunt publicam; quos plures adhuc excipient. Continetque *bibliotheca* haecce *aſcetica* quaedam prorſus egregia & lectu digna, cuiusmodi ſunt *anonymi*, qui ſaeculo duodecimo floruiſſe cenſetur, *dialogus de conflictu amoris Dei & linguae doloſae, tom. I. p. 1. ſeqq.* HILARIONIS DANICHII, qui iam initio ſaeculi decimi ſeptimi vixit, *Saul & Dauid*, ſeu *tractatus de malis & bonis paſtoribus*; itidem *tomo I. p. 205. ſeqq.* anonymi Benedictini, qui ſaeculo duodecimo ſcripſit, liber de *poenitentia & tentationibus religioſorum*, *tomo ſecundo pag. 1. ſeqq.* ENGELBERTI, abbatis Admontenſis, qui ſub Rudolpho I & Alberto I imperatoribus floruit, *ſpeculum virtutum moralium*, quod integrum tomum tertium implet, & alia.

§. VII. Per eccleſiae emendationem non dogmatica tantum, ſed & moralis theologia, meliorem faciem recuperauit. Magnusque inde exſtitit illorum numerus, tum inter noſtrates, tum inter reformatae eccleſiae doctores, qui ſcriptis variis, nouam illi adfundere lucem, conati ſunt.* Nec defuerunt hic ſibi romanenſes, licet ſubinde errores, quos a maioribus velut hereditario iure acceperant, in hac etiam theologiae parte nouorum acceſſione auxerint.**

* Cum miſerrima, qua doctrinam pariter ac plerorumque vitam, eccleſiae eſſet facies; beatus MARTINVS LVTHERVS noſter in vtraque emendanda corrigendaque ſtudium ſummum diligentiamque collocauit. Idque adeo verum & euidens eſt, vt nec LVD. MAIMBVRGIVS id diffiteri audeat. *Cumque*, inquit, *Lutherus vitia acriter pro concione taxaret, multosque iam libros latinos & germanicos ad pietatem pertinentes edidiſſet, v. g. explicationes decalogi, orationis dominicae, epiſtolarum & euangeliorum aduentus, in canticum beatae virginis, in pſalmos & in epiſtolam ad Galatas, in quibus optima dixit; praeterea minime auarus aut obnoxius eſſet, & morate viueret; vir bonus & magnus in vniuerſum, immo ſanctus habebatur &c.* in *hiſtor. Lutheraniſmi, lib. I. ſect. XXXV.* Vbi haud perfunctorie obſeruandum, quod MAIMBVRGIVS agnoſcat, non modo *multos libros, ad pietatem pertinentes*, edidiſſe LVTHERVM, ſed *optima* quoque *in iis dixiſſe*. Iungenda, quae ad *huncce* MAIMBVRGII *locum* differit VITVS LVDOV. SECKENDORFIVS, in *hiſtoria Lutheraniſmi, lib. I. §. LXXXIII. p. 133. ſeqq.* Non tantum autem LVTHERVS exhortando, admonendo, reprehendendo, exemplo denique ſuo, aliaque ratione, in moribus hominum emendandis elaborauit; ſed ipſam quoque doctrinam moralem ab erroribus grauiſſimis, quorum, in moribus corrumpendis, non poterat non magna vis eſſe, repurgauit, & ita moralis pariter ac dogmaticae theologiae veram ac genuinam faciem reſtituit. Doctrina namque de bonis operibus, ac vera vitae ſanctitate non minus, quam de fide, & iuſtificatione, mirum in modum corrupta erat. LVTHERVS vero non tantum veram fidei & iuſtificationis rationem, ſecundum ſcripturae ſacrae ductum, nobis reddidit; ſed &, quaenam vere bona, Deoque placentia opera ſint, docuit, fontemque eorum, fidem in Chriſtum, nobis aperuit, profligatisque erroribus Pelagianis, ad gratiam Numinis, eiusque neceſſitatem, agnoſcendam, nos deduxit, ſuperſtitionem vero omnem ac idololatriam prorſus proſcripſit. Quae omnia,

omnia, vt reliqua nunc taceam, quanti, in doctrina morali, momenti ſint, nemini temere ignotum eſſe poteſt. Syſtema itaque, ſeu integrum corpus theologiae moralis etſi LVTHERVS non ſcripſerit; nulla tamen eius pars eſt, quam non ſubinde in ſcriptis variis exquiſite, magnaque cum efficacia, pertractauerit. Compendium vero aliquod tum moralis tum dogmaticae theologiae longe elegantiſſimum, & omnium captui adcommodatum, dedit in vtroque *catechiſmo* tum *minori*, tum *maiori*, de quibus ſupra copioſe verba fecimus. Reliqua, quae hic dici poterant, dabit IONAS CONR. SCHRAMMIVS, in *programmate de meritis beati Lutheri in theologiam moralem*, Helmſtadii 1711. 4. vbi inter alia, THOM. DE AQVINO cum beato LVTHERO noſtro comparans, recte, *quicquid*, inquit, *de eo ſit, quod iniquiores hodie in Thomam & ſcholaſticos ſimus, quod vix eos adſpiciamus, nedum conſulamus, aut in ſubſidium allegemus; eſt tamen cur Thomam & Lutherum inter ſe comparaturis illud obiiciamus, quod iam olim Eraſmus Caracciolo & Aleandro, oratoribus pontificiis, reſpondiſſe fertur, cum ad ſcribendum contra Lutherum eum excitarent: tantum eſſe Lutherum, vt plus erudiatur & proficiat ex lectione vnius pagellae Lutheranae, quam ex toto Thoma.*

A LVTHERO ad PHIL. MELANCHTHONEM progredimur, qui cum *locos theologicos* conderet, in capitibus *de libero arbitrio, de lege, de peccato, eiusque fructibus*, itemque *de fide, ſpe & charitate*, ea attigit, quae in theologia morali tractari ſolent. Quem morem deinceps & MARTINVS CHEMNITIVS, aliique, qui ſyſtemata theologica concinnarunt, ſequuti ſunt. Recte quidem. Cum enim credenda & agenda in praxi & vſu coniunctiſſima ſint; merito quoque iunctim traduntur; quamuis & nihil obſtet, quo minus ſeorſim conſiderari queant. A THOMA DE AQVINO, aliisque ſcholaſticorum, idem factum, ſupra obſeruauimus. Cum autem ea, quae de agendis in ſyſtematibus docebantur, ad dubia, quotidie occurrentia, expedienda non ſufficere viderentur; exſtiterunt, qui ad exemplum romanenſium, de caſibus conſcientiae agere, conſultum ducerent; qui, cum rectius ad iurisprudentiam diuinam referantur, deinceps de iis agendi locus erit. Tandem & fuerunt, qui theologiam moralem, a dogmatica diſtinctam, ordine quodam ſyſtematico exhiberent; quamquam plerique ſub hocce nomine talia proponant, quae itidem rectius iurisprudentia diuina ſibi vindicat. Primus omnium, iudice GEBH. THEOD. MEIERO, *introd. in vniverſ. theolog. moral. ſtudium, cap. XVIII. §. X.* qui ex noſtratibus theologiam moralem diſciplinae in morem tractare inſtituit, ſed non perfecit, GEORG. CALIXTVS fuit, in *epitome theologiae moralis*, operis ad finem non perducti fragmento; vna cum *digreſſione de arte noua, quam commentus erat Bartholdus Nibuſius*, anno 1662 recuſo, cum iam annis 28 ante lucem adſpexiſſet publicam. Felicius hoc negotium ceſſit IOAN. CONR. DVRRIO, theologo Altdorffino, qui, obſeruante viro doctiſſimo IO. MICH. LANGIO, inter primos fuit, quorum in theologia morali ſyſtematica a reformationis tempore conatus orbis eruditus non modo vidit, ſed etiam laudauit. Ediderat nimirum DVRRIVS iam anno 1662 *enchiridion theologiae moralis &c.* quod cum non diſplicere viris doctis intelligeret, acceſſionibus variis locupletatum, emendatumque an. 1675 denuo prodire iuſſit, inſcriptum: *compendium theologiae moralis, in quo virtutes & officia hominis chriſtiani tum in genere, tum in certis vitae ſtatibus conſiderati, explicantur, & variae quaeſtiones practicae deciduntur.* Succeſſit tandem anno 1698 editio tertia,

adnotationibus auctoris *poſthumis* auctior, curante IO. MICH. LANGIO, qui & diſſertationem prooemialem, *de origine & progreſſu theologiae moralis ſyſtematicae*, lectu digniſſimam, ſupraque ad §. *II.* nobis iam commendatam, praemiſit. *Praefationem* autem, ſeu *dedicationem* ad GVNTHERVM A GRIESHEIM, *quae non pauca digna lectu contineat, mentemque auctoris in permultis dilucidiorem reddat*, in tertia hacce editione omiſſam, dolet GVSTAV. GEORG. ZELTNERVS, in *vitis theologorum Altdorffinorum, p.365.* Non minora in theologiam moralem ſyſtematicam merita ſunt GEBH. THEOD. MEIERI, theologi quondam Helmſtadienſis clariſſimi. Praeter *introductionem* eius *in vniuerſum theologiae moralis ſtudium*, non ſemel iam a nobis laudatam, in qua non tantum praecipuos in hac theologiae parte ſcriptores enumerat, ſed & de methodo, theologiam moralem tractandi, copioſe praecipit; proſtant eiusdem *diſputationes theologicae, partem primam & ſecundam theologiae moralis* exhibentes, iunctimque editae Helmſtadii 1679. Pars tertia promittitur in *vita Meieri*, praemiſſa *hiſtoriae* eius *religionum*, quae cura viri celeberrimi PHIL. LVDOV. BOEHMERI, an. 1697 lucem adſpexit publicam. Idem vir doctiſſimus, in *dedicatione* eiusdem operis, *theologiam moralem* MEIERI *ſuccinctis theſibus exhibitam* pollicetur. In eadem academia Iulia docuit, poſtea tamen Halberſtadium translatus, HENR. RIXNERVS, cuius exſtant *inſtructionum theologiae moralis libri duo*, qui cum eiusdem *diſſertatione de rationis in voluntatem & adpetitum ſenſitiuum imperio*, & *oratione de inteſtinis eccleſiae chriſtianae diſſidiis*, prodierunt Francofurti ad Moenum 1690. 8. Lectu hocce opus non indignum, cum, praeter ſcripturae, patrum etiam, aliorumque ſcriptorum, auctor vtatur teſtimoniis. Methodo autem incedit, quae ex ARISTOTELIS philoſophia eo tempore recepta erat, quaeue practicis diſciplinis maxime adcommodata cenſebatur. Quae, quid incommodi ſecum vehat, exponitur alibi. Nunc illud ſolum obſeruandum, cum SAM. PVFENDORFIVS, reiectis ſcholaſticorum quisquiliis, aliam rationem, philoſophiam moralem, qua eam partem, quae de officiis praecipit, tractandi, iniiſſet, eiusque ſpecimen, tum in libro *de officio hominis & ciuis*, tum in maiori opere, *de iure naturae & gentium*, dediſſet; fuiſſe nonnullos, qui in hanc ingrederentur ſententiam, poſſe & theologiam moralem eadem ratione tractari, vt ex certo aliquo & euidenti principio omnes concluſiones deriuarentur; quod &, quin in ea parte, quae de officiis chriſtianorum praecipit, quamue *iurisprudentiam diuinam* vocare ſoleo, procedat, dubio caret, reque ipſa in *inſtitutionibus* meis *theologiae moralis, parte ſecunda*, quae *iurisprudentiam diuinam* exhibet, comprobaui. Atque id ſecum conſtitutum habuiſſe IVSTVM CHRISTOPHOR. SCHOMERVM, theologum Roſtochienſem percelebrem, IO. FRID. MAYERVS nos condocet, in *biblioth. ſcriptor. theolog. moralis Lutheranor.* AEGIDII STRAVCHII *theologiae morali* ſubnexa, *pag. 26.* Nimirum ediderat SCHOMERVS *ſpecimen theologiae moralis, quo vera & naturalia omnis iuris atque honeſtatis principia breuiter eruuntur, quinque diſputationibus in vniuerſitate Roſtochienſi propoſitum* anno 1690. At ſpecimen hoc ſolum erat, idque imperfectum, quippe cui accedere & alia debebant. Quod quo minus factum ſit, mortem auctoris praematuram obſtitiſſe, tradit IO. FECHTIVS, in *programmate funebri in obitum Schomeri.* Sed alia narrat MAYERVS, *l. c.* Namque cum SCHOMERO Puſendorffiana philoſophiam moralem tractandi ratio placuiſſet, eamque theologiae morali adcommodandam, cenſuiſſet; non tam de veteri opere continuando

nuando, quam de nouo concinnando, illum ſollicitum fuiſſe, refert, morte tamen ſpem iſtam omnem interuertente. Id vero eſt, quod auctor *praefationis*, nouae editioni, qua *ſpecimen* iſtud, hunc in modum inſcriptum: *theologia moralis ſibi conſtans, ſiue eiusdem* (SCHOMERI) *ſpecimen theologiae moralis, quinque diſputationibus vera & naturalia iuris atque honeſtatis principia eruentibus, anno 1690 primum publici iuris factum, per additas tres alias diſputationes, & conſcriptam, nunc editam nouam diſputationem, reuiſionemque priorum ad mortem vsque ab auctore continuatum, & addito qualicumque operis ſupplemento, ex collegio eiusdem manuſcripto completum*, Roſtochii 1706. 8. luci publicae expoſitum fuit, praemiſſae, prorſus negat, quin potius conſilium de mutanda ſententia in theologiae moralis tractatione SCHOMERO numquam in mentem veniſſe, acriter contendit. Quidquid eius ſit, ſi vel maxime, circa methodum tractandi theologiam moralem, ſententiam mutaſſet SCHOMERVS; vitio tamen hoc ei verti non potuiſſet, quamquam Pufendorfiana illa methodus in ea ſolum theologiae moralis parte, quae de officiis praecipit, vti antea diximus, procedat. Quam licet etiam praecipue *compendium* hocce SCHOMERI complectatur; hoc tamen cum pleriſque, qui ante noſtram aetatem in hocce campo ingenii vires periclitati ſunt, ei commune eſt; quippe qui ea, quae ad incrementum vitae ſpiritualis ſpectant, de quibus theologia moralis, ſtricte ſic dicta, maxime ſollicita eſt, aut praetermittunt, aut parce nimis attingunt, certe diſcrimen gratiae & naturae, in quo praecipuum moralis doctrinae caput conſiſtit, non euoluunt. Quaedam tamen, quae iſtius generis ſunt, SCHOMERVS delibauit, & in ipſa de officiis doctrina multa adcurate & exquiſite tradit; vnde melioris notae libris compendium hocce iure meritoque adnumeratur. Nec minoris aeſtimandum IO. GVIL. BAIERI noſtri *compendium theologiae moralis, officia hominis chriſtiani tam generalia, quam quoad ſingulos ordines in eccleſia & republica ſpecialia, exhibens &c.* Ienae 1697. 8. quod omnibus forte in hoc genere, certe ſecundum eam tractandi rationem, quae iſto tempore vſitata erat, dubiam redditurum fuiſſet palmam, niſi mors praematura auctoris bene coeptorum abripuiſſet filum. Ex duobus enim, quibus opus hocce conſtare debebat, tomis, prior ſolum, & ne is quidem prorſus ad finem perductus, poſt viri beati obitum in lucem prodiit. Addere, quae deſunt, adgreſſus eſt IOAN. MICH. LANGIVS, edito anno 1703, ad *Baierianum* iſtud *compendium, ſupplemento*; quemadmodum & ductu ac auſpiciis IO. ANDR. SCHMIDII, theologi Helmſtadienſis clariſſimi, iuuenes quidam collegerunt *faſciculum quaeſtionum moralium, ex beati Baieri theologia morali deductarum, & maximam partem ex eodem auctore reſolutarum*, quem anno 1698 examini eruditorum in diſputationibus publicis in eadem academia ſubmiſerunt. Nec praetermittendus hic eſt BART. BOTSACCVS, cuius quippe *medulla theologiae moralis*, ſeu *tractatus theologicus de irreprehenſibilitate praeprimis fidelium*, variis philologicis & polemicis obſeruationibus interſtinctus, Francofurti & Lipſiae 1703. 8. prodiit; & licet certam tantum theologiae partem, de *irreprehenſibilitate fidelium*, pertractet; talia tamen adfert, quae multum proſunt, quaeue neſcire decet neminem. AEGIDII STRAVCHII, theologi Wittenbergenſis primum, deinde Gedanenſis, doctrina & fatis ſuis notiſſimi, *theologiam moralem*, poſt auctoris obitum edidit, eique *bibliothecam ſcriptorum theologiae moralis & conſcientiariae*, ſupra nobis iam laudatam, adiecit IOAN. FRID. MAYERVS, Gryphiswaldiae 1705. 8. Breuiſſimum equidem,

dem, admodum tamen concinnum moralis theologiae compendium STRAVCHIVS exhibet, controuerſiis, quae hic agitari ſolent, inſeruiens, ceterum ea cumprimis itidem ediſſerens, quae iurisprudentiae diuinae ſunt propria. Memoriae, ſimulque illorum, qui primum ſe in hoc dant ſtudiorum genus, commodis, conſulere voluit IOAN. OLEARIVS, theologus quondam Lipſienſis, pietate & eruditione inſignis, in *doctrina theologiae moralis, in vſum incipientium, certis paediae ac methodi limitibus circumſcripta, & tabulis LXXII comprehenſa*, editaque Lipſiae 1688. fol. recuſa deinceps ibidem, cum *introductione in theologiam caſualem* an. 1703. & adnotationibus a beato FRIDEMANNO BECHMANNO noſtro illuſtrata, quae poſt auctoris mortem an. 1704 prodierunt. Quid ipſemet denique in hacce theologiae parte praeſtiterim, ex *inſtitutionibus* meis *theologiae moralis* omnibus notum eſt; de quibus vt multa faciam verba, nec neceſſe eſt, nec me decet. Supereſt, vt illos tantum adiiciamus, qui *ethicae chriſtianae* nomine theologiam moralem complexi ſunt. Neque enim non ad hunc locum referri poſſunt, cum, moralem diſciplinam ex ſacrarum litterarum fontibus tradere, theologiae morali ſit proprium. Commemorandus itaque hic eſt MELCH. SYLVEST. ECKARDVS, cuius *genuinus chriſtianus, ſeu ethica chriſtiana, praecipuas virtutes, chriſtiano maxime dignas, cum vitiis ſeu peccatis, eodem indignis, complectens*, Vlmae 1651. 8. lucem adſpexit. Exſtat & eiusdem *chriſtianus religioſus &c.* itemque *paſtor conſcientioſus &c.* de quibus legendus IO. FRID. MAYERVS, in *biblioth. ſcriptor. theolog. moral. Lutheran. p. 11. ſeqq.* Non minus vero & hic laudanda IO. PIKERI *aretologia chriſtiana, praeeunte potiſſimum ſacra ſcriptura, adornata*, editaque Francofurti 1681. 12. cui luculentam praefationem, ad vtilitatem operis commendandam, praemiſit beatus PHIL. IAC. SPENERVS. In ea dubitat, num hoc ſcribendi genus ad philoſophiam potius, an ad theologiam moralem pertineat? putatque poſſe theologiam cum philoſophia coniungi, vt, praeter ea, quae ex reuelatione conſtant, atque adeo mere theologica ſunt, non minus ea ſimul tradantur, quae philoſophia docet, & ex eius principiis fluunt, ſed cum correctione & ſupplementis ex altiori principio. Quod bene equidem ſe habet, modo vtriusque luminis, & rationis, & reuelationis, confuſio euitetur; quippe quam non poſſunt non magna conſequi incommoda. Recte vero idem vir beatus addit: *quocumque nomine adpellare placeat, opera eiusmodi non poſſunt non multae vtilitatis cenſeri.* Atque hoc nomine etiam commendanda GEO. GRABOVII *ethica chriſtiana, in vſum renatae eiusdemque ſtudioſae adoleſcentiae, conſcripta;* cuius editio ſecunda, priori emendatior & auctior, Berolini prodiit, an. 1698. 12. cui & acceſſit *iudicium de ethica Ariſtotelica*, quam plane e ſcholis & academiis eliminandam cenſet, quippe qua *ad renatam iuuentutem informandam & conformandam nihil ineptius, nihil peruerſius, nihil denique pernicioſius fingi atque excogitari poſſit*, vt in *praefatione* loquitur. Sed hac de re iam alibi dictum.

Theologiae moralis ſyſtematice tractatae ſcriptores cum ſcholae maxime inſeruiant; nunc de illis quoque dicendum, qui vitae rationem praecipue habent, quosue *aſceticos* vocare ſolent, vt eo rectius pleniusque theologiae moralis in noſtra eccleſia inde cognoſci queant fata. Praeter beatum MART. LVTHERVM enim, de quo antea dictum, ſtatim in ipſo emendationis eccleſiae initio exſtiterunt viri praeſtantiſſimi, qui non minus de vita ad verbi diuini regulam componenda, quam de doctrinae puritate aut reſtituenda, aut conſeruanda, fuerunt ſolliciti. Quem in

cenſum

Digitized by Google

cenſum referendi ſunt HIER. WELLERVS, IOAN. MATHESIVS, FRID. MYCONIVS, NIC. HAVSMANNVS, VRB. RHEGIVS, aliique, qui partim exemplo & vita, partim ſcriptis, ad excitandam alendamque pietatem comparatis, ad ſanctitatis ſtudium perducere alios, ſuarum duxerunt eſſe partium. Et VRBANI quidem RHEGII quanta fuerint in rem chriſtianam merita, peculiari commendatione ediſſeruit ELIAS VEIELIVS, inſcripta: *Vrbani Regii memoria & merita in eccleſiam Dei, tempore ſalutaris reformationis, nouiter repraeſentata*, Vlmae 1683. 4. cui iungendus IOAN. GEORG. BERTRAMVS, in *der Reformations- vnd Kirchen-Hiſtorie der Stadt Lüneburg, part. II. cap. II. p. 49. ſeqq.* Varia autem ad vitae ſanctae ſtudium promouendum ſcripſit RHEGIVS, vti praeter *dialogum Chriſti cum duobus diſcipulis Emmaunticis*, qui multis in pretio eſt, *ſolidam doctrinam & veram conſolationem, qua animi propter peccata anxii, & ad deſperationem vergentes, erigi poſſunt;* item *dialogum diaboli & peccatoris poenitentis;* porro, *medicinam animae in gratiam ſanorum & aegrotorum, contra varias tentationes*, & alia. Cumprimis memoratu dignum eſt eius *chriſtiani principis & magiſtratus enchiridion*, a GEORG. SPALATINO in linguam latinam translatum; de quo & ipſe interpres ita pronuntiat: *fuerunt etiam olim, qui non ſine laude ſcripſerunt enchiridia, vt inter philoſophos ethnicos Epictetus Stoicus, inter eccleſiaſticos doctores Auguſtinus, ſed & noſtra aetate Eraſmus Roterodamus, magnas res mirabili breuitate complexi; hoc vero enchiridion doctiſſimi viri, D. Vrbani Regii, eo eſt commendabilius, quod res ſummas tractat, nempe, vt officia, ita conſolationes ex verbo Dei ſuauiſſimas, certiſſimas, & magnifice ſalutares regibus, principibus & magiſtratibus cunctis, in omnibus rebus aduerſis &c.* Haec SPALATINVS, qui & ipſe moralem doctrinam ſecundum diſciplinam chriſtianorum, libros varios, eo ſpectantes, aut ex germanica in latinam, aut ex latina in germanicam linguam, conuertendo, egregie promouit. Conferendus CHRIST. SCHLEGELIVS, in *hiſtoria vitae Georgii Spalatini, p. 183.* Ad HIER. WELLERVM quod attinet; ſcriptis eius ob ſimplicitatem, grauitate temperatam, ſanctitatisque, quod vbique relucet, ſtudium, nihil efficacius. Et licet pleraque circa ſcripturae explicationem verſentur; in his tamen numquam non vitae morumque habet rationem. Exſtant autem etiam quaedam, praeſertim inter ea, quae germanica lingua compoſuit, quae huius loci ſunt, vt *antidotum aduerſus tentationes omnis generis, quibus piae mentes exerceri ſolent;* item *de officio eccleſiaſtico, politico & oeconomico*, & alia. De IO. MATHESIO, IO. ANDR. QVENSTEDIVS pronuntiat, quod fuerit *theologus ſincerus, & eloquentiſſimus, ingenio eleganti & vrbano, qui theologiam vniuerſam & omnes vitae oeconomicae &c. partes, eloquentiſſimis in lingua germanica ſcriptis exornauit; eth. paſtor. p. 66.* Huius nota ſunt ſcripta, meritoque celebrantur, ſcilicet *Sarepta; diluuium; vita Lutheri; conciones poenitentiales*, & alia, in quibus ſermo ſimplex, nihilque fucati ſpirans, animum candidum indicat, mentemque lectoris pietatis amore imbuit, & ad meliora flectit. Eodem nomine commendandus ERASM. SARCERIVS, cuius lingua germanica ſcriptum habemus libellum de *diſciplina eccleſiaſtica*, an. 1556 editum, in quo inualeſcentem in dies apud nos morum corruptionem acerbe deplorat. Legendus de hocce viro IO. FECHTIVS, in *adparatu ad epiſtolas Marbachiorum &c. cap. IV. pag. 69.* Sed mitto reliquos. Fuit ceteroquin iam ſaeculo decimo ſexto ea temporum infelicitas, vt in certamina & inteſtinas diſſenſiones raperentur praeſtantiſſima ingenia; indeque con-

contingebat, vt, qui vitae morumque praecepta inculcabant, minus ſapere reliquis viderentur. Horum praeterea licet non exiguus ſit numerus, vt omnes recenſere velle, res infiniti laboris foret; non omnes tamen quoque, quod operae ſit pretium, feciſſe, nemo diffitebitur. Contemtus eiusmodi librorum inde auctus eſt, quod pauci rem ſerio agere, plurimi contra, aut ad gloriolam, aut ad lucrum captandum, vel vt mori recepto aliquid darent, talia ſcribere crederentur. Hinc itaque, aliisque ex cauſſis, cum magnus in pietatis ſanctitatisque ſtudio tepor exortus eſſet, morumque corruptio valde inualeſceret; circa initium ſaeculi decimi ſeptimi beatus IO. ARNDTIVS, vir integerrimus, omni opera ſtudioque id egit, vt huic malo medelam adferret; idque tanto cum ſucceſſu, vt ad huncce vsque diem ſcripta eius praeſtantiſſima, praeſertim libri, quos de *vero chriſtianiſmo* compoſuit, a plurimis magno cum fructu legantur. Idem vero, cum inter ſcriptores myſticos a quibusdam referri ſoleat; copioſius de eo verba faciendi in ſequentibus nobis dabitur occaſio. Eodem tempore beatus IOAN. GERHARDVS vixit, qui cum ſyſtematica, in qua nemini ſecundus eſt, aſceticam theologiam ſedulo coniunxit. Teſtantur hoc *meditationes* eius *ſacrae*, *ad veram pietatem excitandam*, *& interioris hominis profectum promouendum accommodatae*; quae & in alias linguas, germanicam, gallicam, anglicanam, polonicam, ſuecicam, translatae ſunt; item, *exercitium pietatis quotidianum quadripartitum*, & alia ſcripta, diligenter enumerata ab ERDM. RVDOLPH. FISCHERO, in *vita Ioan. Gerhardi, cap. XIX. §. IX. p. 437. ſeqq.* Inter reliqua autem eminet eiusdem *ſchola pietatis*, cuius occaſionem hunc in modum, quem iam laudauimus, ERDM. RVDOLPH. FISCHERVS ediſſerit: *De libris Ioan. Arndtii de vero chriſtianiſmo male tum multi ſentiebant, quod ipſe incommodas quasdam & periculoſas loquendi formas, a Paracelſo & Weigelio deſumtas, in libros hoſce bono animo transſcripſerat. Quod inſtitutum Arndtii, quamquam minus ſe Gerhardo probabat, verenti, ne phraſes Weigelianae in ſenſum quoque Weigelianum traherentur; virum tamen, ſibi a multis annis probe cognitum, quantum poterat, excuſabat, certum apud ſe eſſe ſcribens, Arndtium rectius ſenſiſſe, quam loquutum eſſe. Haec interim praecipua Gerhardo cauſſa fuit, quamobrem ſcholae pietatis libros conſcriberet, vt oſtenderet, ex ſcriptura ſuppetere & ἀυτάρκεια ad pietatis ſtudium, & certam eius regulam, ſi vel maxime a Theophraſto & Weigelio in hoc genere nihil emendicemus; l. c. c. XVI. §. III. p. 308. 309.* Repetit item *cap. XIX. §. IX. pag. 450. ſeqq.* vbi & plura tum de *ſchola* hacce *pietatis*, tum de eiusdem GERHARDI *hodego euangelico ad ſcholam pietatis*, adfert. Nos vero, vt ea, quae de occaſione iſtius libri, ſeu conſilio, quo, vt eum GERHARDVS conſcriberet, inductus fuit, dicta ſunt, in medio relinquimus; ita in eo facile omnes nobiscum conſentientes habemus, melioris commatis in hoc genere ſcriptis, eumdem adaumerandum eſſe. IO. ARNDTII, quem antea laudauimus, amicus quoque atque defenſor fuit PAVL. EGARDVS, paſtor Nortorpienſis, in Holſatia, *incomparabilis ſtudii pietatis, & verae chriſtianiſmi praxeos ergodioctes*, vt IO. MOLLERO audit, in *iſagoge ad hiſtor. Cherſoneſi cimbr. part. I. p. 170.* vbi tamen chiliaſmi in eo notat errorem. Notus eſt ob *vindicias Arndtianas*, aliaque ſcripta, inter quae huius loci eſt *mundus immundus*, ſiue *das falſche Chriſtenthum der Welt*, hypocritarum fraudes & vitia, quibus & ſe ipſos & alios decipiunt, in apricum producens; item *wahres Chriſtenthum*; porro: *Koenigliches Prieſterthum der Chriſten*, & alia. Legendus de eo & GOTTFR. ARNOLDVS, in *der Kirchen-*

vnd

vnd Ketzer-Hiſtorie, *part. II. lib. XVII. cap. V. §. XVI. XVII. p. 467.* Cum de corruptis hominum moribus corrigendis ſerio ſollicitus eſſet IO. SAVBERTVS ſenior, theologus Altdorphinus lingua germanica librum de *diſciplina eccleſiae euangelicae* ſcripſit *(Zucht-Büchlein der euangeliſchen Kirchen)* Noribergae 1633. 12. in quo multa ſalutaria ad emendandum, qua vitae rationem, eccleſiae noſtrae ſtatum adfert. De eo GVSTAV. GEORG. ZELTNERVS, theologus itidem Altdorphinus clariſſimus, ita pronuntiat: *quam etiam ob rem, inter triſtes armorum ſtrepitus, ex diuinis iſtis caſtigationibus anſam captaturus, aureum illum libellum, das Zucht-Büchlein, inſcriptum, in publicam lucem dedit, omnium theologorum quidem cum plauſu exceptum; ſed iis, qui conſilia* τὰ πολιτικὰ *ſequebantur, & ſuſpicionibus agitabantur, non peraeque cunctis acceptum.* Quod pluribus confirmat, in *vitis theologor. Altdorphin. p. 176.* Non minus vero notatu dignum eiusdem *pſycho-pharmacum pro euangelicis & pontificiis*, ſiue, *Seelen-Artznei für die Lutheriſchen vnd Paebſtiſchen, das iſt, gründliche vnd ſchriſftmaeſſige Eroerterung dieſer Frage: ob nunmehr, wenn wir die Papiſten zu vnſerer euangeliſchen Religion bewegen wollen, hiezu noethiger ſey, vnſer diſputiren, oder aber die Beſſerung vnſers Lebens?* Norimbergae 1636. 4. Poſterius, ſcilicet, vitam potius emendando, quam diſputando, aduerſarios ad eccleſiam noſtram perducendos eſſe, adductis ſeptem rationibus, iudice ZELTNERO, ſolidiſſimis, demonſtrauit; qui & plura, tum de hocce tum de aliis eiusdem generis SAVBERTI ſcriptis, ſuppeditat. Magno quoque zelo vitia hominum moresque emendandi flagrauit IO. MATTH. MAYFARTVS, theologus Erffurthenſis, vt ſcripta eius, *himmliſches Jeruſalem*, Norimbergae 1668. 4. *hoelliſches Sodom*, ibidem 1661. 8. aliaque teſtantur. Cumque, praecipuam omnis mali cauſſam in ſcholis & academiis quaerendam, exiſtimaret; quid in iis deſiderandum ſint, quaue ratione emendandae ſint, in *admonitione chriſtiana*, germanice ſcripta, & Schleuſingae 1636 edita, expoſuit. Simile vitae ſanctitatem puritatemque promouendi ſtudium deprehendimus in IO. SCHMIDIO, theologo Argentoratenſi, cuius inter alia notus liber eſt, *zelus pietatis* inſcriptus, ſiue *eifrige Vbung wahrer Gottſeeligkeit*, Argentorati an. 1641. 4. ne quid de eiusdem *Ausgang aus Sodom, oder Vnterricht, welcher geſtalt ein ieglicher Chriſt aus der heutigen argen Welt ausgehen ſolle, ſeine Seele zu retten*; item *agone chriſtiano*, *oder chriſtlichem Ringen nach der engen Pforten der Seligkeit*, aliisque dicam. Nec ſilentio hic praetermittendus eſt IOACH. LVTKEMANNVS, ſummus quondam ſacrorum antiſtes Guelferbytanus, tum ob alia, tum maxime ob librum ſaepe recuſum, inſcriptumque: *Vorſchmack goettlicher Güte*, hic commemorandus. Exprobrati quidem illi ſunt, neſcio qui in doctrina naeui; ſed hoc illi commune fere eſt cum illis, qui vitae magis quam ſcholae labores ſuos conſecratos volunt, & τῆς ἀκριβείας in loquendo non ſemper obſeruant leges. Id quod ſuo etiam exemplo comprobauit THEOPH. GROSGEBAVERVS, eccleſiaſtes Roſtochienſis, vir, vt pietate florentiſſimus, ita vulnerum eccleſiae noſtrae callentiſſimus. Magno cordatorum adplauſu exceptus eſt liber, quem inſcripſit: *Waechter-Stimm aus dem verwüſteten Zion*, in quo cauſſas vitae corruptae, quae in eccleſia euangelica conſpicitur, & impedimenta, quae vim & efficaciam verbi diuini ſufflaminant, luculenter ediſſerit. Libri huius an. 1661 in lucem emiſſi editioni, non diu admodum ſuperſtes fuit. Iungi huic libro ſolent, certe in ea, quae an. 1667 prodiit, editione, iuncta ſunt, & alia eiusdem auctoris opuſcula, vt: *treuer Vnterricht von der Wiedergeburt*; item *preſeruatif wider die Peſt der heutigen Athei-*

Atheiſten &c. & verſio denique germanica libri a IOSEPHO HALLO lingua anglicana concinnati, & inſcripti: *die alte Religion;* ex quibus omnibus itidem multum bonae frugis capias. In libro tamen de *regeneratione* quaedam non recte dicta viri docti obſeruant. Baptiſmum enim medium efficax regenerationis eſſe, negauit, in iſtam haud dubie ideo inductus ſententiam, quod plerique chriſtianorum, vita, moribusque, ſe non eſſe ex numero regenitorum, oſtendant; cum tamen eum diſtinguere oportuiſſet, inter eos, qui nunquam regeniti ſunt, & inter eos, qui hocce iterum ſtatu exciderunt. Notat hoc in eo etiam beatus PHIL. IAC. SPENERVS, in *reſponſis theologicis* germanicis, & quidem prioribus, *part. III. p. 555.* qui ceteroquin egregia viri huius in rem chriſtianam merita, iuſtis extollit encomiis, *part. IV. p. 531. & 579. part. I. p. 194.* In eadem eccleſia & academia Roſtochienſi quoque docuit HENR. MVLLERVS, haud infimi in noſtra eccleſia ſubſellii theologis adnumerandus. Omnium fere promeruerunt calculum, quibus mores hominum vitamque inſtruxit, ſcripta: *himmliſcher Liebes-Kuß; Kreutz-Buß- und Beth-Schule; geiſtliche Erquickſtunden; Thraenen-und Troſt-Quelle; geiſtlicher Danck-Altar;* & alia. Ea, quae commemorauimus, ſaepe recuſa ſunt; vltimo autem ex iis, duae adnexae ſunt quaeſtiones; altera: num in certis caſibus vitae quis pro aliis facere iacturam debeat? altera: ſitne defenſio licita erga hominem ebrium, qui nos inuadat? Ne quid nunc de eiusdem *concionibus in euangelia & epiſtolas dominicales,* inſcriptis: *euangeliſche,* item *apoſtoliſche Schluß-Kette,* dicam. Non defuerunt iterum, qui & in hiſce ſcriptis, quod reprehenderent, ſibi inueniſſe viſi ſunt. Nonnullis dicendi genus argutum, atque breue, vtpote a ſimplicitate theologica alienum, non probabatur; quod aliis rurſus ita placuit, vt vel inuita natura iſtud imitari contenderent. Sed qui naturae quodam ductu, ſine vlla ingenii oſtentatione, tali ſcribendi genere vtitur, ſi non laudem, certe excuſationem, apud aequos harum rerum arbitros, facile obtinebit. Grauior fuit haereſeos, aut prauae doctrinae adcuſatio, quam alii, ſpeciatim IO. MVLLERVS, theologus Hamburgenſis, illi intentarunt, quod loca ſacris vſibus deſtinata, ob abuſum & ſuperſtitionem, in cuius a plurimis conuertuntur occaſionem, Lutheranorum idola dixiſſet. Quod, cum, ſi recte intelligatur, reprehenſionem non promereatur, deque ſano optimi viri ſenſu, dubitare nemini liceat; praeſtantiſſimi theologi eius defenſionem in ſe ſuſceperunt. Dum vero παῤῥησία iſta ſua quibusdam, ab eccleſiae noſtrae ſacris diſſentientibus, occaſionem, ſe laudandi, praebuit; id ſi quis illi vitio vertere vellet, illi ſimul omnis damnandus candor foret, ne ſcilicet hoſtes veritatis habeant, quod laudent, aut quo abutantur. Quod talia MVLLERO exprobrata ſint, conſtat; iuuabitque conferre EHREGOTT DAN. COLBERGIVM, in *dem Hermetiſch - Platoniſchen Chriſtenthum, part. I. cap. VIII. p. 323. ſeqq.* ſimul tamen addendus GOTTFR. ARNOLDVS, in *der Kirchen-und Ketzer-Hiſtorie, part. II. lib. XVII. cap. V. §. XXV. XXVI.* Laudatur MVLLERVS atque vindicatur paſſim, a beato PHIL. IAC. SPENERO, in *reſponſis theologicis* germanicis, & quidem prioribus, *part. II. p. 279. part. III. p. 721. & 828. part. IV. p. 220. 392. 420.* & alibi. Theologis vitae chriſtianae praxin ſtrenue vrgentibus adnumerandus quoque eſt CHRISTIAN. SCRIVERIVS, an. 1693. mortalium rebus ereptus. Inter ſcripta eius cumprimis celebratur *theſaurus animarum,* ſiue *Seelen-Schatz,* quinque conſtans partibus, in quo praeter dogmaticam, moralem quoque theologiam, fuſiſſime proſequutus eſt. Prodiit tum alias, tum & Magdeburgi an. 1698, 1701, & 1704.

Mul-

Multis quoque, & merito quidem, placuerunt eiusdem *meditationes ſubitaneae*, ſiue *zufaellige Andachten*, quas ſub GOTTHOLDI nomine ſcripſit, Lipſiae 1674. 8. & alias, editae, in quibus nouo, nec poenitendo inſtituto, res omnes, quae alicui ſe forte offerunt, naturales pariter ac arte factas, in argumentum piae cuiusdam meditationis, qua mens a mundanis ad caeleſtia trahatur, arripit. Reliqua eius ſcripta recenſet, qui & vitam eius exhibet, HENR. PIPPINGIVS, in *memoria theologorum noſtrae aetatis renouata*, *decad. III. num. XXXV. p. 466. ſeqq.* In *theſaurum animarum*, indicem copioſiſſimum, inſcriptum: *Kern und Stern*, adornauit CHRISTOPH. KOCHIVS, contractiorem eumdem dedit: CRISP. WEISE, inſcriptum: *Seelen-Schatzes Krafft und Safft.* Certatim hocce opus laudarunt viri docti, quos inter & beatus PHIL. IAC. SPENERVS eſt, cui nec reliqua ſcripta SCRIVERII diſplicuerunt, vti patet ex eius *reſponſis theologicis germanicis*, & quidem prioribus, *part. III. p. 204. 326. 447.* & alibi. Idem quoque memorat eiusdem *amphitheatrum prouidentiae diuinae*, in quo exemplis ſingularibus ac ſelectis diuinae vim prouidentiae comprobare ſecum conſtituerat; quod tamen, quantum mihi conſtat, lucem publicam non adſpexit. Magna etiam hic opus eſſe circumſpectione exiſtimo; cum, quot dubiis facta obnoxia ſint, nemini ſit ignotum. Praeterea, ſi quis eiusmodi opus conficere vellet, is merito hoc ſibi datum credere deberet, vt exceptionibus, quae profanis hominibus, diuinaeque prouidentiae contemtoribus numquam non in promtu ſunt, diligenter occurreret. Sed hoc ὡς ἐν παρόδῳ. Ad ipſum PHIL. IAC. SPENERVM nunc accedimus, cui inter eos, qui de pietatis, vitaeque ſanctae ſtudio praeclare meriti ſunt, vel primus debetur locus. Acerrimum namque fuit viri iudicium, induſtriaque incredibilis, idemque defectuum, quibus res chriſtiana in eccleſia noſtra laborabat, longe erat callentiſſimus. Diuino inſuper zelo excitatus, magno deſiderio, corrupta emendandi, flagrabat, quod & ſumma faciebat prudentia, animique moderatione ſingulari. Teſtantur hoc *pia* eius *deſideria*, *von Verbeſſerung der chriſtlichen Kirche in allen Staenden*, Francofurti 1676. 12. & alias, germanice & latine edita; in quibus naeuos practicos eccleſiae Lutheranae ſincere indicat & detegit, non minus tamen & rationem, qua medela rebus deprauatis adferri poſſit, ſuppeditat. Praeſtantiſſimorum theologorum, qui calculo ſuo *pia* haecce *deſideria* adprobarunt, iudicia, ipſemet adducit SPENERVS, in *der gründlichen Beantwortung des Vnfugs der Pietiſten*, *cap. I. §. XV. ſeqq.* Occaſionem *pia* haecce *deſideria* dederunt, vt aliorum quoque eodem collineantia ſcripta ederentur, aut iam edita in lucem reuocarentur, denuoque in cenſum venirent. Huc ſpectant THEOPH. SINCERI (hoc eſt, CHRISTIAN. KORTHOLTI) *Wolgemeinter Vorſchlag, dem eingeriſſenen aergerlichen Leben, in der euangeliſchen Kirche zu helffen*; IOAN. LVDOV. HARTMANNI *Vrſachen der Verkehrung und Mittel der Verbeſſerung*; ANTON. REISERI *grauamina non iniuſta*, *oder rechtmaeſſige Beſchwerden über den zerrütteten Zuſtand der euangeliſchen Kirche*; & quae alia ſunt eiusdem generis, de quibus legiſſe iuuabit GVSTAV. GEORG. ZELTNERI *ſchediaſma de piorum deſideriorum ſcriptoribus*, cum eiusdem *de corruptelis & medelis theologiae diſſertatione gemina*, editum Norimbergae 1707. 4. Ad SPENERVM vt reuertamur, multa alia is ſcripſit, ad pietatis excitandum, fouendum ac promouendum ſtudium comparata, eaque prorſus egregia. Eminet inter reliqua libellus *de natura & gratia*, ſiue *Natur und Gnade, oder der Vnterſcheid der Wercke, ſo aus natürlichen Kraefften, vnd aus den Gnadenwürckungen*

des heiligen Geiſtes herkommen &c. Francofurti 1687. 12. editus, ſaepiusque recuſus, in linguam quoque latinam conuerſus, & cum praefatione beati GOTTFR. OLEARII luci publicae expoſitus. Quantum vero in vitae chriſtianae praxi haecce diſcrimine naturae & gratiae doctrina, momentum trahat, quam late ſe per omnes virtutes, adfectus, actiones hominum diffundat, quamue ad naturae fallacias, qua plurimi miſere decipiuntur, detegendas, neceſſaria ſit, nemini ignotum eſſe poteſt. Hanc vero auctor ita pertractauit, vt miſſis ſcholaſticorum ſpinoſis, ſaepe ineptis de hocce argumento quaeſtionibus, cuncta praxi & vitae attemperaret; tanto ampliorem inde conſequutus laudem, quod nemo ante illum hac ratione, in praecipuo iſto theologiae moralis capite verſatus ſit, & alios ſimul exemplo ſuo excitauerit, maiori ſtudio & diligentia illud excolendi. Non minus inſignem in ſanctitatis ſtudio vtilitatem praebent, libellus, *vom geiſtlichen Prieſterthum frommer Chriſten*, Lipſiae 1667. 12. itemque *geiſtliche Anfechtungen der Kinder Gottes*, Francofurti 1698. 12. & quae alia ſunt eiusdem generis, ex quibus auctoris & perſpicacia ſingularis, in rebus ſpiritualibus, & ſtudium alios iuuandi, elucet. Exſtant & eiusdem conciones quamplurimae, cumprimis & in euangelia ac epiſtolas dominicales, in quibus de iis, quae huius loci ſunt, copioſiſſime ſolidiſſimeque diſſeritur; cuiusmodi ſunt: *euangeliſche Lebens-Pflichten*, in quibus integrum velut theologiae moralis ſyſtema, vti in *der euangeliſchen Glaubens-Lehre*, dogmaticae, exhibet; item, *euangeliſcher Glaubens-Troſt*; porro, *des thaetigen Chriſtenthums Nothwendigkeit, vnd Moeglìgkeit*, cetera. Ex eo quoque tempore, quo beatus SPENERVS maiori ſtudio non tantum vitae morumque emendationem vrgere coepit, ſed & viam, rationemque in virtutibus homine chriſtiano dignis rite proficiendi, diligenter monſtrauit, alii quoque exſtiterunt viri praeſtantiſſimi, qui idem inſtitutum ſtrenue promouere adgrederentur, vt IOACH. IVST. BREITHAVPT, AVG. HERM. FRANCKIVS, IO. HENR. MAIVS, IO. CASP. SCHADIVS; quorum ſcripta huc ſpectantia, cum multorum terantur manibus, ſatisque nota ſint, vt iis enarrandis immoremur, neceſſe non eſt. Immo & aliorum, tum veterum, tum recentiorum plurima adhuc proſtant monumenta, quorum in haecce theologiae parte vſus minime contemnendus eſt, quae tamen recenſere omnia nobis non licet, & forte quoque ſuperuacaneum foret. Praecipua ex iis, quaeue adeo hactenus enumeratis addi poſſunt, indicat IOACH. LANGIVS, in *inſtitutionibus ſtudii theologici litterariis, ſect. VI. cap. II. §. XIX. ſeqq. p. 645. ſeqq.*

Neſcio, an hic illorum quoque mentionem facere debeam, qui ex theologorum ordine in emendandis hominum moribus ita verſati ſunt, vt vitia illorum ſatyrico perfricarent ſale; quo nomine IOAN. VALENT. ANDREAE, & IOAN. BALTH. SCHVPPIVS, celebrantur. Etſi enim quibusdam hocce ſcribendi genus non diſpliceat, auctoribus etiam ingenii gloriam pariat; an tamen cum grauitate chriſtiana conueniat, deceatque theologum, dubitant alii. Sed IOANNES quidem VALENTINVS ANDREAE in pleriſque ſcriptis ſuis rem ſerio egit, & vitia in eccleſia noſtra regnantia detexit cordate ac reprehendit. Varia autem reliquit, cuiusmodi ſunt: *chriſtianiſmus genuinus*, Argentorati 1615; *veri chriſtiani libertas, bonae cauſſae fiducia, theologiae encomium*; Argentorati 1648, *ſubſidia ſacrae & litterariae rei*, in quibus continentur, *ſol veritatis; harmonia vitae Chriſti; chronologia ſynoptica; oculus eruditus; diſciplina eccleſiaſtica*, Tubingae 1642. Nec praetermittenda eiusdem *mythologia ſacra*, Argentorati 1619; *Menippus*

pus prior & poſterior, ib. 1617 & 18. & alibi, *peregrinus in patria*, ibidem 1618; *ciuis chriſtianus*, ibid. 1619; & alia quamplurima germanica quoque lingua ab eo conſcripta, quae longo agmine recenſet GOTTFR. ARNOLDVS, in *der Kirchen- vnd Ketzer-Hiſtorie, part. II. lib. XVII. cap. V. §. XIII. p. 465.* Nec hoſtibus auctor caruit, quos παῤῥησία iſta, qua in vitiis hypocritarum detegendis & redarguendis vſus eſt, non poterat non illi conciliare; immo plures forte expertus eſſet aduerſarios, niſi ſcripta eccleſiae noſtrae vulnera acerbius pungentia, tecto nomine edidiſſet, vti ARNOLDVS, *l. c.* obſeruat. At cordatioribus non diſplicuit, qui eum potius maximopere laudarunt; legique elogium eius poteſt apud ANDR. CAROLI, in *memorabilib. eccleſiaſt. ſaec. XVII. lib. VI. p. 89.* Ad IO. BALTH. SCHVPPIVM autem quod attinet, ſcripta eius iunctim recuſa ſunt Francofurti ad Moenum 1701. duobus voluminibus in 8. Ingenium eius atque mores adcurate deſcribit IO. MOLLERVS, in *iſagoge ad hiſtor. Cherſoneſ. cimbr. part. vltima, p. 590.* vbi & inſigne, quo SCHVPPIVM PETR. LAMBECIVS ornauit, elogium adducit. Concertationes, quae illi cum quibusdam interceſſerunt, idem ediſſerit, tandemque, quae illi ob dicendi rationem liberam, ſatyricamque, obiecta fuerunt, non diſſimulat, ſimul tamen excuſare conatur. *Scio*, inquit, *ſtilum eius in concionibus & libellis ſacris plus iuſto interdum dicacem, & mythologias, argutias, atque narrationes facetas ſtudioſe ſectantem, non antagoniſtae ſolum ipſius, Io. Mullero, in atheiſmo, acerbe in illum, ſuppreſſo nomine, inuecto, ſed theologis etiam Wittebergenſibus, qui peculari eumdem cenſura (quae exſtat in conſiliis Wittebergenſibus part. II. tit. IV. n. VII.) collegarum ipſius poſtulatu ſcripta, reprehenderunt, aliisque viris cordatis, dotes alioquin Schuppianas ſuo aeſtimantibus pretio, improbari. Quos inter Vincentius Fabricius, in epiſtola ad Henricum Vagetium anno 1659 miſſa: vidi, ait, quosdam Schuppii libellos, mirifice ſcriptos, ſaltim manſuetudini ac grauitati theologicae parum conuenientes. Nec ipſe licentiae eius, in ſatyrico iſto ſcribendi genere, ridendo verum inculcare adſueto, interdum nimiae, indifferenter patrocinabor. Excuſabunt tamen eum quodammodo, cum genius ipſius, ad perfricanda ſale iſto ſaeculi vitia naturae inſtinctu pronior, tum monita pro inſtituto hoc apologetica, quae & ipſe non vno in loco, & filius &c. lectori in memoriam reuocarunt.* Priusquam vero a ſcriptoribus aſceticis diſcedamus, iure conſultorum adhuc quorumdam iniicienda eſt mentio, qui in hoc ſcribendi genere, ipſis quodammodo theologis dubiam reddiderunt palmam. Praecipuum inter eos locum tenet AHASV. FRITSCHIVS, cancellarius & conſiliarius intimus Rudolphopolitanus, cuius ſcripta habemus haud pauca, in quibus eruditionem quidem anxie conquiſitam, cuius laudem auctor non adfectauit, fruſtra quaeſiueris, animum tamen ingenuum, & ſincero Numinis amore flagrantem, deprehendes. Cognoſcere haec eius ſcripta ex indice eorum, qui exſtat, peculiari, licet, quorum etiam pleraque laudat HENR. PIPPINGIVS, in *ſeptenario virorum celeberrimorum, qui vtut profeſſione theologi haud fuerint, ſcripta tamen ediderunt theologica, p. 111. ſeqq.* Libello FRITSCHII inſcripto: *Ieſus alles in allen*, praefationem praemiſit beatus PHIL. IAC. SPENERVS, in qua de ſcriptis illorum, qui profeſſione theologi non fuerunt, maxime iure conſultorum, *aſcetico theologicis*, erudite diſſerit. In eamdem hancce claſſem referendus IOAN. BRVNNEMANNVS, ob *meditationes ſacras ad ductum euangeliorum dominicalium*, Halae 1700. 8. editas; itemque ERASM. FRANCISCI, ob ſcripta haud pauca. De vtroque legendus PIPPINGIVS, *l. c.* Nec praetermitten-

mittendus VIT. LVDOV. SECKENDORFIVS, cui vt reliqua ingenii monumenta, ita & liber prorſus egregius, *Chriſten-Staat* inſcriptus, & tum alias, tum & Lipſiae 1706. 8. impreſſus, aeternum nominis pepèrere decus. Adderem hiſce IO. ANGEL. WERDENHAGENIVM, ob *verum chriſtianum, fundamenta religionis noſtrae continentem, octo orationibus ſaecularibus, in academia Iulia habitis, explicatum*; itemque ob librum, *die offene Hertzens-Pforte zu dem wahren Reiche Chriſti &c.* ſub ANGELI MARIANI nomine editum, & alia; niſi recte dictis quaedam, quae a forma ſanorum verborum, & doctrinae in noſtra eccleſia receptae puritate, abire videntur, admiſcuiſſet. Nolim equidem cum TOBIA WAGNERO, in *examine elenchthico atheiſmi, p.74.* & IO. MVLLERO, in *atheiſmo deuicto, p. 39.* eum inter atheos referre; IACOBI tamen BOEHMII eum in quibusdam preſſiſſe veſtigia, negari nequit, idque vel liber ab eo compoſitus inſcriptusque *pſychologia vera* I. B. T. (id eſt, IAC. BOEHMII Teutonici) *quadraginta quaeſtionibus explicata &c.* teſtatur. Legendus EHREGOTT DAN. COLBERGIVS, in *dem Hermetiſch-Platoniſchen Chriſtenthum, part. I. cap. V. p. 255.* itemque GOTTF. ARNOLDVS, in *der Kirchen-vnd Ketzer-Hiſtorie, part. III. cap. IX. p. 88.*

Inter reformatae eccleſiae doctores viros fuiſſe longe praeſtantiſſimos, qui, vt de omni doctrinae genere, ita & de theologia morali praeclare meriti ſunt, nemini ignotum eſſe poteſt. Et initio quidem in ſyſtematibus ſuis ac compendiis theologicis agenda cum credendis, ſeu theologiam moralem cum dogmatica coniungebant; quod & a noſtratibus factum, ſupra obſeruauimus. Deinde, cum nonnulli ſeorſim τὰ πρακτικὰ tractare inciperent; in ea praecipue parte, quae de officiis ac caſibus conſcientiae praecipit, ſtudium, induſtriamque ſuam collocarunt, de quibus in ſequentibus dicendi locus erit. Tandem & extiterunt, qui theologiam moralem, ſpeciatim ſic dictam, ex inſtituto traderent, quos inter praecipuum locum ſibi vindicat IOAN. HOORNBEECKIVS, theologus primum Vltraiectinus, deinde Lugdunenſis, cuius *theologiae practicae* tomi duo Vltraiecti an. 1663 prodierunt, non ſemel deinceps recuſi. Tertium quoque promiſerat, quem mortuo auctore ex diſſertationibus eius dare voluerunt PETR. DE WITTE, & GVIL. SALDENVS, teſte IOAN. FRID. MAYERO, in *biblioth. ſcriptor. theolog. mor. reform. p. 37.* Laudem hoc opere ſingularem promeritus eſt HOORNBEECKIVS; ſiquidem cuncta ex genuino moralis theologiae fonte, ſcriptura ſacra, deducit, vtilia & neceſſaria vbique conſectatur, miſſis ſuperuacuis, cum perſpicuitate ſoliditatem coniungit, quae ſcholae pariter ac vitae inſeruiunt, tradit, vt, ſi demas, quae cum reformatae eccleſiae doctoribus illi communia ſunt, omnibus in hoc genere dubiam reddere palmam queat. HOORNBEECKIO iungimus HENRIC. HAMMONDVM, cuius haud ignotum in orbe litterato nomen eſt, ob *catechiſmum*, quem pro pleniſſimo moralis theologiae ſyſtemate recte haberi, docet auctor verſionis gallicae, quae an. 1696 prodiit, atque inſcribitur: *la pratique de la morale chretienne.* Celebre quoque inter reformatae eccleſiae doctores nomen conſequutus eſt GISB. VOETIVS, diligentiae haud vulgaris, & multae lectionis vir, ingenioque ad varios proponendos caſus, quaeſtionesque mouendas, longe aptiſſimo praeditus, vt ſcholaſticis, atque moraliſtis, quos vocant, romanae eccleſiae, nihil concedere videatur. Documento eſſe poſſunt *diſputationes* eius *ſelectae*, in quibus vti integrum velut theologiae ſyſtema, ſeu locos potius communes per ſingulos fidei articulos, exhibet, ita praeſertim *pars III. & IV.* theologiae moralis capita & argumenta, ſi non

omnia,

omnia, certe pleraque, methodo auctori propria, pertractata complectitur. Nec praetermittendus hic PETRVS VAN MASTRICHT, in cuius quippe *theoretico-practica theologia*, quae pleniori habitu recuſa, Traiecti ad Rhenum an. 1699. in 4. prodiit, non tantum per ſingula capita theologiae dogmaticae, praeter partem exegeticam, dogmaticam & elenchticam, *practica* quoque proponitur, ſed & ſeorſim *idea theologiae moralis*, *de vita ſpirituali praecipiens*, itemque *hypotypoſis theologiae aſceticae*, ſiue *de exercitio pietatis* exhibetur. Ex Anglis vero hic adhuc addendus IOAN. FORBESIVS A CORSE, inter cuius opera Amſtelodami 1703. fol. edita, etiam *theologiae moralis libri X.* leguntur. Compendio autem ſummam doctrinae moralis complexus eſt CAMPEG. VITRINGA, in *typo theologiae practicae*, ſiue *commentatione de vita ſpirituali*, lectu prorſus digna, recuſaque Bremae 1717. 8. Poſſunt huc etiam referri, qui *ethices chriſtianae* nomine moralem theologiam tractarunt, vt LAMB. DANAEVS, IO. HENR. HEIDEGGERVS, ANT. WALAEVS, IEREM. TAYLORIVS, cuius *ethica chriſtiana*, ex anglicana lingua in germanicam conuerſa, proſtat. Ex his autem nonnulli, vt LAMB. DANAEVS, dum de *officiis* ſolum, aut praecipue, agunt; iuris diuini potius ſcriptoribus adnumerandi ſunt. DANAEVS inſuper, dum collationem ſcripturae, cum philoſophia, iure ciuili & canonico, inſtituit, a vitio ſcholaſticorum, quorum ſcripta etiam in ſubſidium vocat, haec inter ſe confundentium, prope abeſt. Ad ſyſtematicam hancce, doctrinam moralem tractandi, methodum, etiam quodammodo accedunt, qui lingua gallicana integram hancce theologiae partem expoſuerunt, licet vitae magis, quam ſcholae, habuerint rationem, vt praeter MOSEN AMYRALDVM, cuius *morale chretienne* Salmurii an. 1652. 8. prodiit, BEN. PICTETVS, *dans la morale chretienne, ou l' art de bien vivre*, Geneuae 1696. octo tomis in 8. Magna plurimorum adprobatione opus hoc exceptum eſt, & merito quidem, cum plene, ſolide, & perſpicue auctor omnia, quibus theologiae moralis ambitus circumſcribitur, expoſuerit, nihilque eorum, quae aut erudire intellectum, aut flectere ad meliora voluntatem poſſunt, praetermiſerit. Hinc & ipſis romanenſibus hicce liber placuit, ex quorum numero comitiſſa DE SPORCK, illum in linguam germanicam, omiſſis, quae romanae eccleſiae addictos offendere poterant, & quibusdam mutatis, transtulit, inſcriptumque: *die chriſtliche Sittenlehre*, Pragae 1711. edidit, eaque ratione & Campoduni anno ſequenti 1712 prodiit. Cum vero bibliopola quidam Lipſienſis an. 1713 mutata prima plagula orbi perſuadere voluiſſet, nouam hanc eſſe editionem, tandemque auctor de iſta, quam alii ſibi in ſcripta ſua ſumerent, licentia, conquereretur; idem bibliopola nouam verſionem germanicam, eamque mentem auctoris integre, ſineque corruptione aut mutatione exhibentem, a IO. FRID. BACHSTROHMIO confici curauit, quae & ipſi PICTETO probata fuit. Prodiit ea Lipſiae 1717. 4. Non exigua etiam ſunt IOAN. LA PLACETTE in doctrinam moralem chriſtianorum merita; cumque plurima is, ad eam illuſtrandam, ſcripſerit, huius tamen nunc loci eſt eiusdem *nouveaux eſſais de morale*; quod opus, cum multis admodum placeret, in linguam germanicam a viro doctiſſimo GOTTFRIED CHRIST. LENTNERO translatum, inſcriptumque, *Verſuch einer geiſtlichen Morale oder Sitten-Lehre*, Ienae 1719. 4. lucem adſpexit. Praemiſſa eidem eſt praefatio GOTTL. STOLLII, in qua de diſcrimine theologiae moralis veterum & recentiorum erudite diſſerit. Mitto nunc, qui ſpeciatim argumenta quaedam moralia pertractarunt, vt IO. FRID. OSTERWALDI

tractatum contra impuritatem; itemque eiusdem tractatum *de fontibus corruptionis, quae hodie inter chriſtianos regnat,* quorum vterque gallice ſcriptus, in linguam quoque germanicam conuerſus, proſtat; & qui alia eiusdem generis ſcripſerunt, quae tamen etiam inter aſcetica, de quibus mox dicemus, referri poſſunt. Nunc id ſolum monere liceat, reformatae eccleſiae doctorum ſcripta moralia nonnullis male audire, aut certe ſuſpecta eſſe, quod eiusmodi principia foueant, quae prima genuinae doctrinae moralis fundamenta euertere prorſus videntur; cuiusmodi cumprimis illorum de abſoluto praedeſtinationis decreto dogma, & quae cum eo coniuncta ſunt, eſſe cenſetur. Hinc ex noſtratibus BALTH. FVHRMANNVS *tractatum theoretico-practicum* edidit, *de remoris ac impedimentis ſincerae pietatis, e principiis dogmatum pontificiorum, Caluinianorum, Photinianorum, reſultantibus,* Wittenbergae 1628. Ex romanae autem eccleſiae addictis ex inſtituto hoc egit ANT. ARNALDVS, in libro, quem inſcripſit: *le renverſement de la morale de Ieſus Chriſt, par les erreurs de Calviniſtes, touchant la iuſtification;* recuſo Pariſiis an. 1713. 4. in quo hoc praecipue vrget, quod reformati doceant, eos, qui ad ſalutem aeternam praedeſtinati ſunt, fidem gratiamque Numinis amittere non poſſe, etiamſi grauioribus peccatis inuoluantur. Sed reformatae eccleſiae hic cauſſam agere, ſuarum duxit eſſe partium PETR. IVRIEV, quippe qui luci publicae expoſuit: *iuſtification de la morale des reformèz, contre les accuſations de Mr. Arnaud, repandües dans tous ſes ouvrages, & particulierement dans le renverſement de la morale de Ieſus Chriſt, par les Calviniſtes, & dans le Calviniſme convaincu de nouveau de dogmes impies,* Hagae Comitum, an. 1685, duobus tomis in 8. Mirum vero, Ianſeniſtas, quorum haud vltimus ARNALDVS fuit, talia obiicere reformatis; ſiquidem ex eorum placitis, in quibus cum iis conſentiunt, non minus, quae fundamenta doctrinae moralis concutiunt, deriuari poſſunt. Porro, dogma illud, quod electi fidem & gratiam Dei numquam prorſus amittere queant, neutiquam cum ſententia de abſoluto decreto tam arcte cohaeret, vt reformati, dum hoc defendunt, illud quoque admittere debeant; vt alibi a me oſtenſum. Hinc & PETR. IVRIEV illud inter dogmata fundamentalia reformatorum referendum eſſe, negat, *tom. II. lib. VI. cap. II. p. 201. ſeqq.* Ad ipſum autem, de abſoluto praedeſtinationis decreto, dogma quod attinet, ſi quis omnia iſta admittat, quae ex eodem deriuari poſſunt; eum circa praecipua, maximeque neceſſaria moralis doctrinae capita in ineluctabiles non poſſe non coniici difficultates, exiſtimo. Praeterquam vero, quod non omnes reformatae eccleſiae doctores eadem ratione de hocce dogmate ſentiunt; cum ad moralem doctrinam perueniunt, plerique ad id non attendere videntur, certe concluſiones, quibus moralis doctrinae labefactantur penitus fundamenta, reſpuunt. Legenda, quae hac de re monet GEBH. THEOD. MEIERVS, in *introd. in vniuerſum theolog. moralis ſtudium, cap. XVIII. §. VI.*

Haud exiguus quoque inter reformatae eccleſiae doctores illorum eſt numerus, qui eam theologiae moralis partem, quae vnice vitae inſeruit, quamue *aſceticam* vocant, ſcriptis ſuis illuſtrarunt. Immo fuerunt, qui eam veluti ſyſtematica quadam ratione proponerent, vt GISB. VOETIVS, cuius exſtant τὰ ἀσκητικά, ſiue *exercitia pietatis, in vſum iuuentutis academicae,* edita Gorichemi 1664. 8. in quorum *prolegomenis* de *aſceticis, ſeu de exercitiis pietatis, eorumque doctrina, methodo, ſcriptoribus,* copioſe diſſerit. PETRVS VAN MASTRICHT in *theologia* ſua *theoretico-practica, hypo-*

ty-

typoſin quamdam *theologiae aſceticae*, quam a *morali* diſtinguit, dediſſe, antea iam obſeruauimus. Ad reliquos quod attinet, eorum, qui germanica lingua ſcripta aſcetica compoſuerunt, praecipuos laudat GERH. MEIERVS, *biblioth. theolog. contract. lib. II. cap. X. §. V. p. 471.* Nec deſunt, qui gallicana lingua aut homilias, ſiue ſermones ſacros, aut alia ad pietatis ἄσκησιν comparata ſcripta ediderunt, vt IO. MESTREZATIVS, CAROL. DRELINCOVRTIVS, PETR. MOLINAEVS, IO. CLAVDIVS, & qui hodie eloquentiae laude floret IAC. SAVRINVS, aliique. Ex quorum ſcriptis nonnulla, vt MOLINAEI liber *de la paix de l' ame*, DRELINCOVRTII *conſolations de l' ame fidele contre les frayeurs de la mort*, & alia in germanicam quoque translata ſunt linguam. Addendus eſt hiſce IO. DE HISPANIA (D' ESPAGNE) gallicanae eccleſiae in vrbe Londinenſi miniſter, cuius opera, in quibus multa argute & ingenioſe dicta occurrunt, in linguam germanicam conuerſa iunctim edita ſunt a SIGISM. HOSMANNO, Francofurti 1699. 4. Interea vero libellus *de erroribus popularibus (allgemeine Irrthümer)* prae reliquis lectu dignus eſt. Sed omnibus in hoc ſcribendi genere dubiam reddiderunt palmam Angli, quos inter cumprimis hoc nomine celebrantur RICH. BAXTER, IOS. HALLVS, THOM. GOODWIN, IEREMIAS & DAN. DYKE, EMAN. SONTHOM, LVD. BAILIVS, THOM. WATSON, HENR. HAMMONDVS, & ſi recentiores ſpectes, IER. TAYLOR, WILHELM. SCHERLOCK, IO. TILLOTSON, aliique. Illorum, quorum opera in linguam germanicam conuerſa proſtant, indicem ſatis amplum IO. GEORG. HOFFMANNI *oratori ſacro anglicano (geiſtlichem Engellaendiſchen Redner)* Lipſiae 1706. 4. edito, praemiſit IO. MART. SCHAMELIVS, quem conſulant, qui plures eiusmodi ſcriptores noſſe cupiunt. Iungendus IO. WILKINS *eccleſiaſtes*, quem in linguam germanicam conuerſum, adnotationibus illuſtratum, inſcriptumque: *der gelehrte Prediger Candidat*, in lucem protulit HENR. ITTERSHAGENIVS, Lipſiae 1718. 8. Immo & MARTIN. KEMPIVM conſulere iuuabit, in *bibliotheca Anglorum theologica*, Regiomont. 1677. 4. praeſertim *cap. XVII.* vbi theologiae practicae ſcriptores recenſet; itemque IO. HENR. HOTTINGERVM, in *bibliothecar. quadripart. part. I. cap. III.* vbi *bibliothecam Anglorum contractam*, & ſecundum ordinem auctorum & ſecundum ordinem rerum exhibet; quamquam in hiſce recentiorum ſcriptorum notitiam minime quaerendam, quilibet facile perſpiciat. Non vna vero omnium de ſcriptis hiſce anglicanis, & eorum vſu eſt ſententia. In excolendo hocce doctrinae genere practico, primas ſcriptores anglicanos tuliſſe, pronuntiat IO. HOORNBEECKIVS, *prolegom, in theol. pract. p. 25.* Alii contra haec eorum ſcripta non tantum contemnunt, ſed &, ſine praeſentiſſimo in maximos errores prolabendi periculo, legi ea non poſſe, contendunt. In his CONR. TIBVRTIVS RANGO eſt, cuius acris & vehemens contra libros Anglorum aſceticos ſententia exſtat in eiusdem *Quakerey in der Quietiſterey, cap. XII. §. VII. p. 130. ſeqq.* Verum cum ſcriptores iſti non ſint vnius generis, ſiquidem in Anglia praeter hierarchicos, & puritanos, etiam quakeri, & alii inueniuntur; fieri omnino poteſt, vt in quibusdam errores, nonnullis proprii, deprehendantur. Hos autem vt prudens peritusque lector facile deteget ac euitabit; ita, quae recte, praeclare, ingenioſe ab iſtis ſcriptoribus dicta ſunt, cuiusmodi apud eos longe occurrunt plurima, ideo minime ſunt contemnenda ac reiicienda. Habent enim Angli, quod non negandum, ob ingenii praeſtantiam pariter ac varia vitae litterariae commoda, quo tum in aliis, tum ma-

xime in hocce litterarum genere, aliis quodammodo, dubiam gloriae palmam reddere queant. Nec tamen etiam nobis temere committendum, vt, quos domi habemus, apud exteros quaeramus, theſauros. De vſu & abuſu eiusmodi ſcriptorum in ſermonibus ſacris alibi dicetur. Legenda interim *diſſertatio praeliminaris* IO. GEO. HOFFMANNI, *oratori ſacro anglicano*, antea laudato, praemiſſa.

** Qui ex romanenſibus, poſtquam per eccleſiae emendationem ab iis diſceſſimus, ad moralem doctrinam pertractandam animum adiecerunt, non vna eademque id fecerunt ratione, nec adeo vnius ſunt generis. Alii ſcholae magis, alii vitae inſeruire videntur. Ad priorem ordinem tum *caſuiſtae*, quos vocant, tum *moraliſtae*, ſpeciatim ita dicti, referendi ſunt, hoc eſt, qui aut generatim in ſummam THOMAE DE AQVINO, aut ſpeciatim in *ſecundam ſecundae*, vel certam eius partem, commentati ſunt. Huius quoque generis ſunt, qui de *virtutibus & vitiis*; aut de *iuſtitia & iure*, aut de *quatuor virtutibus cardinalibus* egerunt, aut *inſtitutionum moralium* nomine vſi ſunt. Hi omnes, cum de officiis praecipue diſputent, eaque adeo tractent, quae iurisprudentia potius diuina, quam theologia moralis, ſpeciatim ita dicta, ſibi vindicat; de iis non minus, ac caſuum conſcientiae ſcriptoribus, in ſequentibus commodior erit dicendi locus; vbi & de recentiorum moraliſtarum placitis, quibus errores, romanenſibus omnibus communes, in hac doctrinae parte auxerunt, verba faciemus. Nunc addere ſolum lubet, quae LVD. ELL. DVPIN, de theologiae moralis in eccleſia romana ſcriptoribus, monet. Cum enim obſeruaſſet, eos non eſſe vnius generis, ſubiicit: *qui omnes illos auctores, hac de re agentes, perlegere vellet, is pelago ſe immitteret, haud ſine naufragii periculo, vel diu ſaltem ſine ſpe portum attingendi oberraret. Veterum ſcripta moralia vsque ad ſanctum Bernhardum numquam ſatis legi relegique cum cura poſſunt; modernorum vero magnus eſt ſelectus inſtituendus; pauci namque attentam lectionem merentur, pauci noui quid, quod apud antiquos non inuenies, adferunt. Quod ad theologiam moralem dogmaticam attinet, vnius cuiusdam bonorum auctorum lectio ſufficiet, poſtquam ſecunda ſancti Thomae pars pertractata fuit. Theologia moralis epiſcopi Gratianopolitani, & P. Natalis Alexandri, multum eis inſeruient, qui ſtudio huic muſas ſuas conſecrant, &c.* in *methodo ſtudii theolog. cap. XXIII. p. 205.* Inter libros gallicana lingua conſcriptos quidam exſtant, qui, licet ſyſtematica quadam ratione ſint conſcripti, vitae tamen ſimul rectae inſtituendae ſunt adcommodati, dignique adeo, quorum hic habeatur ratio. Hos inter primum praecipuumque locum tenet PETR. NICOLII *tentamen doctrinae moralis (Eſſais de morale contenus en divers traittés ſur pluſieurs devoirs importants)* Pariſiis & Hagae Comitum, x volum. in 12. Ianſeniſtarum nimirum, ex quorum numero NICOLIVS fuit, laus haecce propria eſt, quod doctrinam moralem reſtituerint velut, & a Ieſuitarum corruptelis vindicauerint. Hinc & aliorum ex eorum numero in hoc genere celebrantur ſcripta. Eiusdem quoque NICOLII prodierunt *inſtructiones theologicae & morales ſuper primum praeceptum, (inſtructions theologiques & morales ſur le premier commendement du decalogue &c.)* Pariſiis 1710. 12. in quibus de virtutibus, quas vocant, theologicis, fide, ſpe, & charitate tam fuſe agit, vt integrum velut theologiae moralis compendium exhibeat. Quo minus & reliqua eadem ratione explicaret praecepta, morte praepeditus fuit. REN. RAPINVS rei litterariae & chriſtianae ſimul inſeruire voluit, dum, quae ad vtramque ſpectant, opuſcula compoſuit. In *tertio* namque *operum* eius tomo, Amſtelodami 1695 recuſo,

Digitized by Google

cuſo, exſtant: *l' Eſprit du chriſtianiſme; la perfection du chriſtianiſme; l' importance du ſalut; la foy des derniers ſiecles.* NIC. MALEBRANCHII celebre quidem inter philoſophos nomen eſt; de morali tamen etiam chriſtianorum doctrina eum fuiſſe ſollicitum, ſcripta eius varia, *traité de morale*, Roterodami 1684. 12. *meditations chretiennes*, Amſtelodami 1690. 12. *converſations chretiennes*, Pariſiis 1702. 12. aliaque teſtantur, ne quid de eius *tractatu de natura & gratia (traité de la nature & de la grace)* an. 1682 ſine loci mentione edito, dicam. Enimvero, cum in his philoſophum magis quam theologum agat, principiisque, non omnibus probatis, inſiſtat; dubitabunt forte nonnulli, an eius inter hosce, de quibus nunc agimus, ſcriptores, habenda ſit ratio. Veſtigia tamen eius premit BERNH. LAMI, presbyter oratorii Pariſienſis; qui, dum veritatem ſanctitatemque doctrinae moralis chriſtianorum demonſtrationibus euidentiſſimis euicit, ſummam ſimul totius doctrinae moralis complexus eſt. Hoc inſcriptio libri nos docet: *demonſtrations, ou preuves evidentes de la verité & de la ſainteté de la morale chretienne; ouvrage qui comprend en cincq entretiens toute la morale &c.* Rhotomagi 1706. Sed vt reliquos, qui alia eiusdem generis ſcripſerunt, mittam, vnicus adhuc non ſine elogio nobis commemorandus eſt ESPRIT, ob libellum elegantiſſimum, *la fauſſeté des vertus humaines* inſcriptum, & duabus partibus Amſtelodami 1709. 8. editum. Ad naturae nimirum gratiaeque diſcrimen, quod theologiae moralis praecipuum opus eſſe, conſtat, & ſupra quoque obſeruauimus, recte intelligendum, plurimum omnino facit, vt cognoſcamus, quam facile, ſed & quam turpiter, externa virtutum ſpecie ſe decipiant miſeri mortales; quod auctor iſte egregie prorſus oſtendit. Licet autem in hisce, & aliis eiusdem generis romanenſium ſcriptis, quaedam minime contemnenda occurrant, quorum etiam in vita vſus eſſe poteſt; fatendum tamen, ſi errores, quos fouent, dogmatici, conſiderentur, nonnnullos ita comparatos eſſe, vt aut genuinae doctrinae moralis fundamenta labefactent, aut naeuos etiam grauiores eidem adſpergant; quibus mirum in modum deformatur, vſusque, quem ceteroquin habere poterat, interuertitur. Quod cum alibi demonſtretur, nunc de ſcriptis ſcriptoribusque aſceticis eorum, paucis ſolum aliquid addemus. Ingens namque equidem apud romanenſes eiusmodi ſcriptorum *aſceticorum*, quos ipſimet a *ſpiritualibus* ſeu *myſticis* diſtinguunt, eſt copia; ſolent tamen plerumque hoc nomine eos deſignare, qui vitam monaſticam inſtruunt. Hinc LVD. ELL. DV PIN *librorum*, inquit, *aſceticorum ſtudium ad monachos inprimis pertinet; neceſſe tamen eſt, vt theologi illud deguſtent, & ante omnia veterum libros euoluant, e. g. Baſilii aſcetica, regulasque, ſancti Benedicti Anianenſis codicem & concordiam regularum, vitas patrum &c.* in *methodo ſtudii theol. cap. XXII. p. 201.* Siluam quamdam eiusmodi librorum exhibet IO. MABILLONIVS in *catalogo librorum melioris notae*, tractatui *de ſtudiis monaſticis* ſubnexo, *num. XVI. p. 633.* Quod ſi hoc nomine generatim veniant, qui τὰ πρακτικὰ ad vitae vſum tractant, poſſent hic commemorari LVD. GRANATENSIS ſcripta quaedam, de quibus NIC. ANTONIVS, *bibliothec. hiſp. recent. tom. II. p. 31.* DIDACVS porro STELLA, *de contemtu mundi*; IO. EVSEB. NIEREMBERGIVS, in *inſtitution. ſpiritual. pandectis*; IEREM. DREXELIVS, in opuſculis variis, de quibus PHIL. ALEGAMBE, in *biblioth. ſcriptor. ſoc. Ieſu p. 181.* cui iungendus HENR. IVL. SCHEVRLIVS, in *bibliograph. morali*, §. *CLI. p. 100.* aliique. Sed cum noſtrates hic longe meliora ſanioraque ſuppeditent, vt hisce immoremur diutius, neceſſe non eſt.

§. VIII.

§. VIII. Cum theologia morali, voce in ſtrictiori ſignificatione accepta, prorſus conuenit *theologia*, quam nonnulli *myſticam* vocant, ſi modo haec erroribus non ſit contaminata. Nimirum, cum iam apud veteres quidam Platonicorum placita, formulasque loquendi cum theologia chriſtiana coniungerent, occaſionem dederunt aliis, vt peculiarem velut inde theologiae partem conſtituerent, quod in occidentali eccleſia eo praeſertim tempore factum, cum in eadem theologia ſcholaſtica caput erigeret. Vnde magnus deinceps ſcriptorum myſticorum exſtitit numerus. *

* Per *theologiam myſticam*, puram ſcilicet, nec erroribus coinquinatam, nihil aliud intelligi, quam ipſam theologiam moralem, ſtricte ſic dictam, vtriusque quemlibet condocere poteſt collatio. Myſticam namque theologiam ita nonnulli definire ſolent, quod ſit *diuina & arcana de Deo, rebusque diuinis ſapientia, qua mens hominis regeniti illuminetur, voluntas virtutibus diuinis inſtructa, ab inquinamentis peccatorum purgetur, vt illa cum Deo arctiſſime vniatur.* Id vero eſt, quorſum & theologia moralis tendit, vt ſcilicet homo regenitus in illuminatione qua intellectum, ſanctitate qua voluntatem, magis magisque proficiat, arctiusque cum Deo vniatur. Atque conſentit in eo nobiscum GOTTFR. ARNOLDVS, in latiori ſignificatione id omne *myſticum* dici ſolere, adſerens, *quod ad ſanctam, ſpiritualem & internam vitam, aut etiam ad verum & practicum chriſtianiſmum pertinet, & externis ſenſuum actionibus opponitur;* in ſtrictiori tamen ſenſu per *theologiam myſticam*, tantum *ſublimiorem illum contemplationis Dei gradum, aut etiam intimam & ſubſtantialem animae cum Deo coniunctionem, qua ſupra omnem ſenſationem & intellectionem Deum ipſum agnoſcimus, & experimur*, intelligi contendit; in *hiſtor. & deſcript. theolog. myſt. cap. II. p. 19. 20.* Nec procul hinc diſcedit BALTH. KOEPKENIVS; ſiquidem per theologiam myſticam, eum donorum ſpiritualium ac diuinorum gradum, qui eſt ἐν τοῖς τελείοις, ſecundum effatum Pauli *I. Cor. II. 6.* intelligit; in *der wahren theologia myſtica oder aſcetica aller Glaubigen alten vnd neuen Teſtam. part. I. cap. I. p. 2.* Nec diffitendum, certos eiusmodi donorum dari gradus, modo hoc non vltra, quam par eſt, extendamus, quod nonnulli myſticorum faciunt, qui de intuitione Dei ſine vllo ſpecierum aut idearum interuentu multa loquuntur, aut ſummam ἀπάθειαν vrgent, ſimiliaque hominibus, quos ad ἀκμὴν perueniſſe, putant, tribuunt, quae in hanc vitam non cadunt. Cauendum quoque, ne ad extraordinaria temere prolabamur; quippe quae, vti certis praeceptionibus ac regulis concludi nequeunt; ita facile variis illuſionibus, niſi circumſpecte incedamus, nos exponunt. Theologiam autem moralem, quacum myſticam conuenire diximus, recte etiam ita adpellari, non dubitabit, qui ſecum expenderit, totam doctrinam chriſtianam ab apoſtolo vocari σοφίαν θεοῦ ἐν μυστηρίῳ τὴν ἀποκεκρυμμένην, *I. Cor. II. 7.* eaque, quae tradit de vita ſpirituali, eiusque incrementis, de vnione cum Deo, & reliqua, hominibus, carnis ſenſuumque ductum ſequentibus, abſcondita prorſus, hinc reuera myſteria eſſe. Accedit vocis μυστικῆς apud veteres vſus. A gentilium enim ſacris, in quibus admodum recepta erat, ad chriſtianos translata, eam denotabat theologiae partem, quae Deum contemplatur, & myſterium regenerationis, & hanc inſequentis renouationis, ac vnionis cum Deo myſticae doctrinam, complectitur;

Digitized by Google

plectitur; vt beatus ADAMVS RECHENBERGIVS docet, qui erudite de hacce voce diſſerit, in *diſput. de origine theolog. myſt.* quae in *volumine exercitationum* eius *in nouum teſtamentum &c.* exſtat, *§. II. ſeqq. p. 242. ſeqq.* Hiſtoriae autem theologiae myſticae, & notitiae ſcriptorum myſticorum comparandae, inſeruient MAXIMIL. SANDAEVS, *theolog. myſtic. lib. III. commentat. V. p. 646. ſeqq.* ANDR. DV SAVSSAY, de *myſticis Galliae ſcriptoribus*, Pariſiis 1639. 4. PETR. POIRET, in *epiſtola de principiis & characteribus praecipuor. ſcriptor. myſticorum*, quae ſeorſim primum edita, & GOTTFR. ARNOLDI quoque *hiſtoriae ac deſcriptioni theologiae myſticae* ſubnexa, multis deinde acceſſionibus aucta, recuſa eſt in *bibliotheca myſticorum ſelecta*, Amſtelodami 1708. 8. in qua praeterea continetur *theologiae myſticae idea generalior*, itemque *myſticorum catalogus cum iudicio de pleriſque*; GOTTFR. ARNOLDI *hiſtoria & deſcriptio theologiae myſticae*, ſeu *theoſophiae arcanae & reconditae, itemque veterum & nouorum myſticorum*, Francofurti 1702. 8. Originem theologiae myſticae praeter ADAM. RECHENBERGIVM in diſſertatione iam laudata, egregie illuſtrat IAC. THOMASIVS, in *ſchediaſmate hiſtorico*, *de definit. philoſophiae, quod ſit γνῶσις τῶν ὄντων, §. LII. ſeqq. p. 52. ſeqq.*

Cum vero & nobis, pro inſtituti noſtri ratione, de origine, progreſſu & fatis theologiae myſticae aliquid dicendum ſit; vt de origine primum recte ſtatuatur, diſcrimen inter theologiam myſticam puram, & corruptam, ſeu impuram, quod iam antea innuimus, probe obſeruandum. Pura enim cum vna eademque ſit cum theologia morali; originem quoque eius non aliunde, quam ex ipſa ſcriptura ſacra repetendam, nemo non intelligit. Idque non tantum fatetur, ſed & diligenter inculcat GOTTFR. ARNOLDVS, in *hiſtor. & deſcript. theologiae myſt. cap. III. p. 30. ſeqq.* vt & *c. IX. p. 156. ſeqq.* itemque BALTHAS. KOEPKENIVS, qui ſpeciatim ab Abrahamo patriarcha eius primam deriuat originem, in *der wahren Theologia myſtica &c. part. I. cap. I. p. 5. ſeqq.* Cum vero deinceps theologia haecce myſtica ſeu moralis per formularum hypotheſiumque Platonicarum admixtionem corrupta ſit; non errant, qui hoc modo ſpectatam ex Platonicae philoſophiae fontibus arceſſere adlaborant; in quo toti ſunt EHREG. DAN. COLBERGIVS, in *dem Hermetiſch-Platoniſchen Chriſtenthum, part. I. cap. I. §. XI. ſeqq. p. 47. ſeqq.* & FRID. CHRISTIAN. BVCHERVS, in *Platone myſtico, in pietiſta rediuiuo*, aliisque ſcriptis. Cauendum tamen hic quam diligentiſſime, ne quid tamquam Platonicum reiiciamus, quod verbo diuino eſt conſentaneum; neue quid ideo, quia Platonicum, ſed, quia erroneum, repudiemus; ſimul vero, adcurate diſpiciamus, neceſſe eſt, quo ſenſu formula quaedam, aut dogma Platonicum, a ſcriptore myſtico adhibeatur. Fuiſſe autem iam in ipſa eccleſia primitiua, qui philoſophiam Platonicam, aut Platonico-Pythagoraeam, cum doctrina chriſtiana coniungerent, dubitari prorſus nequit. Praecipue ab haereticis quibusdam, ſpeciatim gnoſticis, id factum, a quibus hoc pacto varia errorum monſtra non minus ac portentoſae loquendi formulae introductae ſunt. Iſtis cum ſe prae reliquis opponeret CLEMENS Alexandrinus; id ſibi datum credidit, vt oſtenderet, haereticos iſtos perperam γνώσεως nomen ſibi vindicare, ſiquidem illorum γνῶσις ſit ψευδώνυμος; ipſemet contra verorum chriſtianorum γνῶσιν ita deſcribit, vt ſub hocce nomine, quae theologiae myſticae propria ſunt, tradat. Idem quoque per τὰ κατὰ τὴν ἀληθῆ φιλοσοφίαν ὑπομνήματα nihil aliud, quam myſticam theologiam, intelligit; immo & ſubinde ipſa τοῦ μυστικοῦ voce vtitur, vt recte obſeruatum ADAMO RECHEN-

RECHENBERGIO, *l. c.* §. *XIX.* Interim ipſemet CLEMENS non tantum in Platonis & Pythagorae philoſophiam valde propenſus erat; ſed &, vt gnoſticum ſuum eo magis haereticorum gnoſticis opponeret, eum &, vt eximia γνώσει praeditum, ab imperfectionibus chriſtianis, &, vt πνευματικόν, a σαρκικοῖς, porro, vt vnice contemplationi deditum, a vacantibus vitae actiuae, diſtinguebat, immo tandem vt prorſus ἀπαθῆ & tantum non ἀναμάρτητον deſcribebat. Quod licet non malo fecerit conſilio; hoc ipſo tamen πλατωνίζοντες theologiae myſticae fundamenta iecitte, creditur. Legenda, quae de hiſce omnibus IACOB. THOMASIVS tradit, in *ſchediaſm. hiſtor. de defin. philoſ.* §. *XLIII. ſeqq. p. 39. ſeqq.* Imitati ſunt hoc CLEMENTIS inſtitutum plures alii, ſaeculo quarto, praeſertim EVAGRIVS Ponticus, cuius libros SOCRATES recenſet, *hiſtor. eccleſ. lib. IV. cap. XXIII.* Atque hi quidem, vt & alii aſcetici, cumprimis MACARIVS, de quo fuſe ſupra dictum, ſparſim, & velut aliud agendo, quae myſticae huius theologiae propria ſunt, attigerunt, aut formulas myſticas adhibuerunt, quod & quoſdam, de quorum orthodoxia nullum in hocce capite eſt dubium, vt ATHANASIVM, THEODORETVM, CHRYSOSTOMVM feciſſe, ADAMO RECHENBERGIO obſeruatum, *l. c.* §. *XX.* Hoſce vero omnes ſi ſtatim inter myſticos referre velis, haud exiguus inde illorum exſurget numerus. Eos, qui ex ſaeculo tertio & quarto huic ordini adſcribuntur, recenſet GOTTFR. ARNOLDVS, in *hiſtor. & deſcript. theol. myſt. c. XIII. & XIV. p. 233. ſqq.*

Quae alii hucusque ſparſim tradiderunt, ea in vnum velut coire corpus iuſſit DIONYSIVS, quem vulgo *areopagitam* vocant, quiue ex plurium ſententia ſaeculo quarto vixit. Vnde nec errant, qui, eum hoc intuitu myſticorum πλατωνιζόντων principem & anteſignanum eſſe, contendunt. Is vero non tantum in libris *de hierarchia caeleſti*; *de hierarchia eccleſiaſtica*; *deque diuinis nominibus*, myſticae theologiae placita paſſim inſperſit; ſed & de *theologia myſtica* ex inſtituto libellum conſcripſit, in cuius capite primo diſputat; *quae diuina ſit caligo?* capite ſecundo: *quomodo oporteat & coniungi, & laudes tribuere auctori omnium, & qui ſuperat omnia*; capite tertio: *quae adfirmantes de Deo orationes, quae negantes*; capite quarto contendit, *nihil eſſe eorum, quae ſub ſenſum cadunt, auctorem omnium quae percipiuntur ſenſibus*; & capite denique quinto: *nihil eſſe eorum, quae ratione intelliguntur, auctorem omnium quae animo cernuntur.* Vnde patet, eum in hoc libello iſtam ſolum theologiae myſticae partem, quae θεωρητική eſt, paucis attingere. Ingens vero hic inter viros doctos exorta eſt quaeſtio, an quae ſub hocce DIONYSII nomine exſtant ſcripta, areopagitae illi Athenienſi, cuius ad fidem chriſtianam conuerſio, *actor. XVII. 34.* commemoratur, ſint tribuenda? Adfirmant hoc plurimi ex romanenſibus, vt PETR. LANSSELIVS, in *diſputatione apologetica de ſancto Dionyſio eiusque ſcriptis*, operibus DIONYSII, ab eo Pariſiis 1615. fol. editis, praemiſſa; CAESAR BARONIVS, *annal. tom. II. p. 36. ſeqq.* PETR. HALLOIXIVS, *eccleſ. oriental. ſcriptor. tom. I. quaeſt. II. ad vitam Dionyſii, p. 175.* EMMAN. SCHELSTRATENVS, in *antiquitat. illuſtrat. part. II. diſſert. III. cap. III.* vbi, ſcripta DIONYSII huius poſt decem ſaecula a LVTHERO primum impugnata fuiſſe, contendit; quod beatus THOM. ITTIGIVS *impudentiſſimum mendacium* vocat, in *ſelectis capitibus hiſtor. eccleſiaſt. ſaec. I. cap. I.* §. *XVII. p. 30.* Nimirum, iam ſua aetate, hoc eſt, ſaeculo ſeptimo, fuiſſe, qui, ſcripta DIONYSII non areopagitae, ſed recentiori cuidam, tribuenda, cenſerent, non diſſimulat MAXIMVS, ſummus ceteroquin ſcriptorum DIONYSII admirator, & cuius etiam in illa *ſcholia* exſtant,

Digitized by Google

exſtant. Sed & ſequentibus ſaeculis exſtitiſſe, quibus haecce DIONYSII ſcripta ſuſpecta eſſent, conſtat. Et licet ſaeculo decimo & ſequentibus in magna illorum temporum caligine ſcripta DIONYSII pro genuinis haberentur; circa ipſa tamen renaſcentium litterarum primordia viri quidam docti hunc errorem deprehenderunt; vt idem THOM. ITTIGIVS oſtendit, in *diſſertat. de patribus apoſtolicis*, eiusdem *bibliothecae patrum apoſtolicorum* praemiſſa, *§. XLV. & XLVI. pag. 151. ſeqq.* vbi de cenſura theologorum Pariſienſium agit, qua LVTHERVM notarunt, quod ſiniſtre de DIONYSII areopagitae ſcriptis iudicaſſet. Inter recentiores ſententiam iſtam, quod ſcripta, quae ſub DIONYSII areopagitae nomine exſtant, genuina ſint, tuentur NATALIS ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. noui teſtam. ſaec. I. diſſert. XXI.* & LAVR. COZZA, in *vindiciis areopagiticis*, Romae 1702 in lucem emiſſis; a qua rurſus diſcedere, praeter ERASMVM Roterodamenſem, ac LAVR. VALLAM, ſibi religioni non ducunt PHIL. LABBEVS, in *addit. ad tom. I. de ſcriptorib. eccleſ. p. 765.* CAROL. LE COINTE, in *annalib. eccleſiaſt. Francor. tom. VIII.* ad *annum Chriſti 835. ſect. CXXX. ſeqq.* NIC. LE NOVRRY, in *adparatu ad bibliothec. maximam patrum*, *tom. I. lib. I. diſſert. X. cap. II. ſeqq.* LVD. ELLIES DV PIN, in *biblioth. ſcriptor. eccleſ. tom. I. p. 34.* SEB. NANVS TILLEMONTIVS, in *commentar. hiſtor. eccleſiaſt. inſeruientibus, tom. I. p. 134.* & in *notis pag. 566. ſeqq.* aliique. Nec ex reformatae eccleſiae doctoribus quemquam eſſe exiſtimo, qui aliter ſentiat. Vtramque autem ex illorum numero hic paginam facit IO. DALLAEVS, in *libris duobus de ſcriptis, quae ſub Dionyſii areopagitae, & Ignatii Antiocheni nominibus circumferuntur*, Geneuae 1666. 4. editis, in quorum priori 41 argumentis probat, ſcripta haecce perperam DIONYSIO areopagitae tribui. Qua in re ſuffragantes ſibi habet ANDR. RIVETVM, *crit. ſac. lib. I. cap. IX. X. XI.* ROB. COCVM, in *cenſura quorumdam ſcriptor. eccleſ. p. 92.* EDM. ALBERTINVM, de *euchariſtiae ſacramento, lib. II. p. 262.* aliosque. His ex noſtratibus iungendi beatus IO. GERHARDVS, *confeſſ. cathol. tom. I. p. 621. ſeqq.* IOAN. CONR. DANHAVERVS, in *chriſteid. pag. 901.* BALTH. BEBELIVS, *antiquit. eccleſ. ſaec. IV. p. 91.* THOM. ITTIGIVS, in *diſſert. de patrib. apoſtolic. §. XLIII. ſeqq. p. 143. ſeqq.* & in *ſelect. capit. hiſtor. eccleſ. ſaec. I. cap. I. §. XVII. pag. 26. ſeqq.* vbi & plures laudat. Secus tamen ſentientibus, ſeu ſcripta haecce DIONYSII pro genuinis venditantibus, ſe adiunxere IOAN. GVIL. PETERSENIVS, in *nube teſtium*, *lib. II. p. 64.* & GOTTFR. ARNOLDVS, in *der Kirchen-und Ketzer-Hiſtorie*, *lib. I. cap. II. §. IX. & X.* Idem & vtriusque partis rationes adfert, in *hiſtor. & deſcript. theolog. myſt. cap. X. §. XX. ſeqq. p. 182. ſeqq.* vt tamen haud obſcure iterum illis ſubſcribat, qui, ſcripta haec genuina eſſe, exiſtimant. Noſtri equidem inſtituti non patitur ratio, quaeſtionem iſtam, prout decet, pertractare; diffiteri tamen nequeo, quaedam argumenta ex illorum numero, quibus euincitur, ſcripta iſta perperam DIONYSIO areopagitae tribui, ita comparata eſſe, vt nihil ſolidi ad ea reſponſum hactenus ſit, aut reſponderi queat. Sic, per quatuor priora ſaecula incognita prorſus fuiſſe haecce DIONYSII ſcripta, fateri omnes, neceſſe eſt; quod qua ratione fieri potuerit, ſi genuina ea ſint, atque reuera a DIONYSIO profecta, comprehendi facile nequit. Hinc qui, ea aut a gentilium philoſophis, qui ſua ex iis deſumſerint, abſcondita, aut ab haereticis occultata, aut denique per magnas eccleſiae calamitates ſuppreſſa, contendunt, aut ſimile quid comminiſcuntur; nihil aliud agunt, quam vt cauſſae ſuae prodant imbecillitatem. EM-

MAN. SCHELSTRATENVS equidem ſingulare quid hic ſibi inueniſſe viſus eſt, dum cauſſam, cur ſcripta iſta prioribus ſaeculis incognita fuerint, ex diſciplina arcani, in veteri eccleſia vſitata, arceſſit; in *tract. de diſciplina arcani, cap. VII. art. II.* Sed hoc quoque perperam dici, oſtendit WILH. ERN. TENZELIVS, in *diſſertat. de diſciplina arcani, exercitation.* eius *ſelectar. part. poſter. §. XVI. p. 16.* Rem vero prorſus conficit, quod in ſcriptis iſtis DIONYSII, de ritibus baptiſmi, de liturgiae adparatu, de catechumenis, poenitentibus, & energumenis poſt ſcripturae lectionem dimiſſis, de thurificationibus a pontifice peractis, de certis poenitentium locis, de monachorum & coenobitarum ordine, de ritibus funerum, multisque aliis caerimoniis talia memorentur, quae in aetatem apoſtolicam, qua DIONYSIVS areopagita vixit, non quadrant, & diu poſt eam demum introducta fuerunt. Romanenſium equidem quidam, ritus eiusmodi & caerimonias iam tempore apoſtolorum in eccleſia receptas fuiſſe, ſibi aliisque perſuadere volunt; ſed nihil aliud agunt, quam vt ſuam aut ignorantiam, aut impudentiam prodant. Qui autem agnoſcunt, a tempore apoſtolorum haec prorſus aliena eſſe; fruſtra in omnes ſeſe vertunt partes, vt, ſcripta DIONYSII genuina eſſe, euincant. Equidem non conſentiunt inter ſe, quo tempore haecce ſcripta confecta ſint, qui, ea ſpuria eſſe, fatentur, at hoc parum eos iuuat, qui ſecus ſentiunt; vt THOM. ITTIGIVS oſtendit, in *ſelectis capitibus hiſtor. eccleſiaſt. ſaec. I. cap. I. §. XVII. p. 33.* vbi & diuerſas hac de re ſententias recenſet; qui &, quinto demum ſaeculo ea innotuiſſe arbitratur; in *diſſert. de patrib. apoſtol. §. XLIV. p. 147.* Fata iſtorum ſcriptorum per omnia ſaecula perſequitur GOTTFR. ARNOLDVS, qui & ſcholiaſtas, paraphraſtas, commentatores, interpretes eorundem, itemque praecipuas editiones recenſet, in *hiſtor. & deſcript. theologiae myſt. cap. X. §. V. ſeqq. p. 170. ſeqq.* Scholiaſtas & commentatores etiam enumerat IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. V. cap. I. §. VI. p. 5. 6.* editiones autem NIC. LE NOVRRY, in *adparatu ad bibliothecam maximam patrum, tom. I. lib. I. diſſert. X. cap. XXI.* LAVR. COZZA, in *vindiciis areopagiticis, part. II. c. XXII.* itemque THOMAS ITTIGIVS, in *diſſertat. de patrib. apoſtol.* §. *XLI. & XLII. p. 133. ſeqq.* Inter Graecos qui DIONYSIVM illuſtrarunt, eminent MAXIMVS & GEORG. PACHYMERES, quorum ille ſaeculo ſeptimo vixit, & *ſcholia*, hic autem ſaeculo decimo tertio floruit, & *paraphraſin* in eius opera reliquit; quae quidem *ſcholia* & *paraphraſis* in plerisque, certe praecipuis operum DIONYSII editionibus exſtant. MAXIMVS praeterea & alia ſcripſit, iunctim a FRANC. COMBEFISIO Pariſiis 1675. duobus voluminibus in fol. edita, in quibus nonnulla itidem ad theologiam myſticam ſpectant.

Quod ſi ſcriptores aſceticos myſticis adnumerare velis; haud pauci ex quarto quintoue, ac ſequentibus ſaeculis, hic locum inuenirent; de quorum nonnullis, vt EPHRAEMO Syro, & MACARIO, aliisque, ſupra iam dictum eſt. Ex quinti ſaeculi ſcriptoribus magnam celebritatem conſequutus eſt IO. CASSIANVS, ex cuius ſcriptis praecipue huius loci ſunt *de inſtitutis coenobiorum libri duodecim*, in quorum octo poſterioribus de octo vitiis capitalibus diſſerit; in quinto ſcilicet, *de ſpiritu gaſtrimargiae* (ISIDORVS Peluſiotes: γαστριμαργία ἐστιν ἡ περὶ γαστέρα μανία, *gaſtrimargia eſt inſanum ventris ſtudium, lib. I. epiſt. CLXXXIV.*) in ſexto *de ſpiritu fornicationis*; in ſeptimo *de ſpiritu philargyriae*; in octauo *de ſpiritu irae*; in nono *de ſpiritu triſtitiae*; in decimo *de ſpiritu acediae*; in vndecimo *de ſpiritu cenodoxiae*; in duodecimo *de ſpiritu ſuperbiae*. PHOTIVS,

qui

qui hocce opus in duos libros, quos ἀσκητικοὺς vocat, diuiſit, ad alterum quatuor priores, octo poſteriores ad alterum referendo, mirifice eos laudat, & χρήσιμα δὲ, inquit, εἴπερ τι ἄλλο, τὰ λόγια ταῦτα τοῖς αἱρουμένοις τὸν ἀσκητικὸν ἀναδέχεσθαι ἀγῶνα· *vtiliſſima vero, ſi quae alia, haec iis ſunt pronuntiata, qui religioſam inire vitam cupiunt.* Immo non meliora monachis poſſe dari praecepta, contendit, tandemque concludit: διὸ χρεὼν ἐστι μηδὲν τῶν ἐν αὐτοῖς παραδεδομένων παρορᾶν· δεσποτικῆς γὰρ ταῦτα νομοθεσίας, καὶ τῆς εὐαγγελικῆς ἐστιν ἀνάπτυξίς τε καὶ ἐξάπλωσις πολιτείας. *Quare expedit nihil eorum, quae ibi traduntur, contemnere. Nam dominicae haec legis ſunt, atque euangelicae diſciplinae expoſitio, & explanatio;* in *myriobib. cod. CXCVII. p. 515.* Et fatendum ſane, multa hic prorſus egregie tradi, quae in vitae ſpiritualis incrementis promouendis nobis vſui eſſe poſſunt; licet nonnullis forte, quibus monaſticum illud vitae genus non placet, nec doctrina iſta moralis, quae vnice illi adcommodata eſt, ſe ſit probatura. Nonnulla quoque, a monachis illis aegyptiis, quorum inſtituta in quatuor libris prioribus omnibus ad imitandum proponit, dicta aut facta, laudat, quae num laudanda ſint, forte non ſine ratione aliquis dubitauerit. Idem de *collationibus,* quas ſcripſit, *patrum XXIV* cenſendum, in quibus quae a praeſtantiſſimis ſolitariorum in Aegypto abbatibus didicerat, refert. Quod quidem opus, licet cum priori non comparandum; magnam tamen mox obtinuit auctoritatem, vt in plerisque monaſteriis reciperetur, monachisque ad legendum commendaretur; vnde factum, vt ſemi-Pelagianiſmi, quae tum in eo, tum in priori continentur, ſemina, longe lateque propagarentur. Legenda, quae hac de re dixi in *diſſert. de Pelagianiſmo in eccleſia romana triumphante, §. III.* Opera CASSIANI omnia, cum commentariis ALARDI GAZAEI, recuſa ſunt Francofurti 1722. fol. Non alio, quam quo CASSIANVS, iure, quia ſcilicet ἀσκητικὰ ſcripſit, inter myſticos refertur NILVS, qui eodem ſaeculo quinto vixit; &, praeter *explicationem cantici canticorum; tractatum moralium, ſeu ſpiritualium admonitionum; librum de octo vitioſis cogitationibus;* itemque alium eiusdem argumenti; porro *de oratione capita CLIII.* in quibus precandi forma exponitur; ſimiliaque quamplurima reliquit. Recenſet ea LEO ALLATIVS in *diatriba de Nilis & eorum ſcriptis,* quam *bibliothecae* ſuae *graecae lib. V.* inſeruit IOAN. ALB. FABRICIVS, *p. 19. ſeqq.* itemque GOTTFR. ARNOLDVS, in *hiſtor. & deſcript. theol. myſt. cap. XV. p. 252. ſeqq.* vbi & reliquos ſaeculi quinti, quemadmodum *cap. XVI. & XVII.* ſaeculi ſexti & ſeptimi ſcriptores aſceticos, quos in numerum myſticorum refert, commemorat. Inter hos praecipui ſunt ANASTASIVS Sinaita, qui praeter alia *contemplationes anagogicas in hexaëmeron* libris duodecim conſcripſit, ex quibus duodecimum hactenus deſideratum graece & latine PETR. ALLIXIVS edidit, Londini 1682. 4. & IOANNES ſcholaſticus, qui & a libro, quem de *gradibus paradiſi* ſcripſit, *Climaci* nomen ſortitus eſt; quorum vterque ſaeculo ſexto vixit. Hi vero omnes, vt & reliqui, qui inter aſceticos iſtorum ſaeculorum celebrantur, vt ſcriptis ſuis vitae ſpiritualis incrementum promouere conati ſunt; ita MAXIMVS, qui ſaeculo ſeptimo vixit ad theologiae myſticae πλατωνίζοντος progreſſum, tum aliis ſcriptis ſuis, tum maxime ſcholiis in DIONYSIVM, plurimum contulit; de quibus iam antea diximus.

Vt autem in eccleſia occidentali theologiae myſticae πλατωνίζοντος ſtudium effloreſceret, factum cumprimis opera IOAN. ERIGENAE, qui & SCOTVS dictus eſt, & ſaeculo nono floruit, quippe qui DIONYSII opera in latinum tranſtulit ſermonem, vt adeo a monachis graecae linguae rudi-

tomus tertius complectitur; cumprimis autem *ſermones LXXXVI* in *tria priora cantici Salomonaei capita*, qui integrum tomum quartum implent. Continuauit myſticam hancce *cantici canticorum* expoſitionem GILLEB. DE HOILANDIA, ſermonibus XLVIII, qui vna cum aliis quibusdam monumentis, quorum nonnulla itidem ad theologiam myſticam ſpectant, in altero operum BERNHARDI volumine, tomum quintum & ſextum complectente, leguntur. Atque *ſermones* iſti BERNHARDI in *canticum canticorum*, multorum celebrantur elogiis. Audire ſolum FRANC. SIXTVM Senenſem iuuat, qui, *exſtat*, inquit, *praeter haec inſigne huius auctoris opus, quod eruditi omnes ceteris ipſius laboribus praeferunt, hoc eſt, in tria prima cantici canticorum capita explanationes myſticae, atque continuae, ſermones octoginta ſex, quos vltimo vitae ſuae anno coram monachis ſuis in ſolatium quotidiani laboris viua voce, & ex imo corde profudit, in quibus tanta facundia diuinae charitatis vim, atque ſublimitatem expreſſit, vt adpareat, illum omnes in ſe ipſo caeleſtis amoris adfectus, motus & aculeos vero, ac viuo ſpiritus ſancti experimento ſenſiſſe; lib. IV. biblioth. ſanct. p. 268.* Inter reliquos faeculi duodecimi ſcriptores myſticos eminent adhuc HVGO atque RICHARD. DE S. VICTORE, quorum vterque BERNHARDI familiaris fuit. Hos primo ſtatim, poſt ipſum DIONYSIVM eiusque commentatores, loco, commemorat MAXIM. SANDAEVS, *theolog. myſt. lib. III. comment. V. p. 649.* vbi & HVGONEM *multa ſcripſiſſe*, ait, *ad theologiae myſticae vſum adcommodata*, cuiusmodi ſint: *liber de arrha animae; libri quinque de myſtica arca Noae; liber de modo orandi; de meditatione animae; de clauſtro animae; de amore ſponſi & ſponſae;* quibus alia adhuc, ſpeciatim *explicationem in Dionyſium*, addit GOTTFR. ARNOLDVS, in *hiſtor. & deſcript. theolog. myſt. cap. XIX. p. 282.* Sed libros quatuor *de clauſtro animae*, rectius HVGONI DE FOLIETO, qui eodem tempore vixit, tribui, docet GVIL. CAVE, in *hiſtor. litterar. ſcript. eccleſiaſt. ſaec. XII. p. 457.* Praeterea IAC. THOMASIVS obſeruat, in operibus HVGONIS *de arca Noae myſtica librum vnum* legi, itemque *de arca morali libros quatuor*, ſed plane diuerſos a quinque libris RICHARDI, *de arca myſtica; faciem*, inquit, *artis omnino referentibus, quam in Hugone deſideres;* in *ſchediaſm. hiſtor. de definit. philoſ.* ad §. LII. *pag. 63.* Exiſtimat etiam, hoſce *quinque libros de arca myſtica* eosdem eſſe cum *medulla theologiae myſticae ſex libris conſtante*, quam SANDAEVS *l. c.* RICHARDO tribuit. Praeclare autem admodum de *medulla* iſta *theologiae myſticae* ſentit MAXIMIL. SANDAEVS; ſiquidem, ſe iſtis libris *nihil in hoc genere legiſſe adcuratius, & ingenioſius*, profitetur. Addit porro: *In iis autem ita exprimit omnia, quae ad myſticen ſpectant, ac ſi in libro experientiae legiſſet ſingula. Auctor digniſſimus, qui ab omnibus abditae ſapientiae amatoribus nocturna diurnaque manu verſetur.* Idem & reliqua RICHARDI ſcripta myſtica recenſet, *librum* ſcilicet *de Melchiſedech; de ſacrificio Abrahae; de tabernaculo federis; de templo Salomonis; commentarium in canticum canticorum; explanationem in Danielem; librum de duodecim patriarchis;* quibus & alia adiicit GOTTFR. ARNOLDVS, in *hiſtor. & deſcript. theolog. myſt. cap. XIX. p. 283.* Hunc ipſum vero RICHARD. DE S. VICTORE *primum, aut inter primos, fuiſſe, qui habitum artis induceret myſticae theologiae*, IAC. THOMASIVS contendit, *l. c. p. 63.* Eoque etiam ſpectant eiusdem, quae antea recitauimus, verba, libros eius de arca myſtica *faciem artis omnino referre.* Colligit nimirum inde idem vir doctiſſimus, *eodem tempore in eccleſia latina & myſticos theologos adoleuiſſe, & ſchola-*

laſticos primum in auras prodiiſſe. Hinc quibusdam interiectis: *Eadem ergo*, inquit, *aetas, & ſcholaſticae & myſticae theologiae prima dedit ſyſtemata, quaſi mutua aemulatione, (cui ſimilem in iuris ciuilis & canonici compilatoribus alii obſeruant) accenſis inter ſe magiſtris.* Quo pacto hoc intelligi velit, ita porro explicat: *Sed illud tamen teneamus interim, hac ratione eum infantia ſcholaſticae, adoleſcentiam coniungi myſticae, etiamſi vltra latinum orbem in hoc negotio non peregrineris, vt ea vincunt, quae de Ioanne Erigena prodidimus in praecedentibus.* Legenda &, quae ſequuntur, in quibus ad dubium, quod ſibi opponi poterat, reſpondet. Vt vero cuncta eo rectius intelligi ac diiudicari queant; repetenda, quae ſupra de origine theologiae ſcholaſticae fuſe diſputauimus. Non tantum vero eodem circiter tempore ſcholaſtica myſticaque theologia, ſyſtematica quadam ratione excoli coepit; ſed &, licet maxime ſibi inuicem oppoſitae eſſent, per illam huius omnino promotum fuit ſtudium. Taedio enim ſcholaſticae theologiae, quod rixoſis, quibus referta eſt, contentionibus, quaeſtionibusque vanis & ſpinoſis, animus veritatis diuinae amans exſatiari non poſſet, multos ad theologiam myſticam amplectendam excitatos fuiſſe, recte obſeruat EHREGOTT DAN. COLBERGIVS, in *dem Hermetiſch-Platoniſchen Chriſtenthum, part. I. cap. I. §. III. pag. 60.* Et ita quoque intelligendum, quod GISB. VOETIVS, in *exercitiis pietatis, cap. III. p. 82.* docet, theologiam myſticam *ex faſtidio ſterilis iſtius, verboſae, ac rixoſae theologiae*, ortam. Iungenda, quae hac de re monet IAC. THOMASIVS, in *ſchediaſm. hiſtor. de definit. philoſoph. &c.* ad §. *LII. p. 53.* Immo & ipſi praeſtantiſſimi ſcholaſticorum, velut conuicti de theologiae ſcholaſticae inanitate, cum ea *myſticam* coniunxerunt. Quod praeter VICTORINVM vtrumque HVGONEM & RICHARDVM, de quibus iam diximus, deinceps ſaeculo decimo tertio BONAVENTVRAM, ALBERTVM magnum, & THOMAM DE AQVINO, feciſſe, conſtat; quorum ſcripta myſtica recenſent MAXIM. SANDAEVS, *l. c. p. 650.* & GOTTFR. ARNOLDVS, in *hiſt. & deſcript. theolog. myſt. cap. XX. p. 285. ſeqq.* Eodem vero etiam ſaeculo decimo tertio inter Graecos GEO. PACHYMERES vixit, quem DIONYSII areopagitae opera *paraphraſi* illuſtraſſe, antea iam obſeruauimus.

Saeculo decimo quarto plurimi extiterunt, qui ob ſcripta myſtica nominis conſequuti ſunt celebritatem. Et inter Graecos quidem commemorandus eſt IOAN. CYPARISSIOTA, ob opus, quod inſcribitur: ἔκθεσις τοιχειώδης ῥήσεων θεολογικῶν, *expoſitio elementaris eorum, quae de Deo a theologis dicuntur*, quod in decem diſtributum eſt decades, &, in quo myſticam ſimul tradit theologiam. *Subtile & eruditum* illud vocat IO. ALB. FABRICIVS, qui & ſummam eius exhibet *biblioth. graec. lib. V. cap. XLIV. p. 463. 464.* In occidentali autem eccleſia inter reliquos omnes eminet IO. TAVLERVS, cuius opera, germanice ab eo ſcripta, vt *conciones* ſeu *ſermones ſacri, in diebus dominicis atque feſtis; imitatio pauperis vitae Chriſti; medulla animae*, & alia, tum alias, tum & magna diligentia, ſtudioque ſingulari, cum praefatione beati PHIL. IAC. SPENERI, Francofurti 1703. 4. prodierunt. Subiuncta eſt huic editioni vita TAVLERI, lectu omnino digna; praemiſſa autem ſunt elogia, quibus beatus MART. LVTHERVS, PHIL. MELANCHTHON, HIER. WELLERVS, aliique noſtratium, TAVLERVM, eiusque ſcripta ornarunt. Et, inſignem plane virum fuiſſe TAVLERVM, & eximia rerum diuinarum ac ſpiritualium cognitione praeditum, in cuius quoque ſcriptis, animum pium ſanctumque vndique prodentibus, multa praeclare & egregie dicta,

certe

certe aliorum, qui eodem tempore vixerunt, dogmatibus longe ſaniora, occurrant, negari nequit. Naeuorum tamen, non tam ipſi, quam temporis, quo floruit, infelicitati imputandorum, non fuiſſe expertem, lubentes agnoſcimus; ipſeque GOTTFR. ARNOLDVS fatetur. Cum enim, quae in viri huius optimi laudem ac honorem ab aliis dicta ſunt, recitaſſet, addit: *interim omnino quidam manifeſti in his ſcriptis exſtant naeui, qui puritati veri euangelii minime conſentanei ſunt, quos illuminatus homo facile agnoſcet, & diiudicabit*; in *hiſtor. & deſcript. theolog. myſt. cap. XXI. §. X. p. 304.* Hinc & in editione, antea laudata, vt lectorum commodis conſuleretur, naeui iſti, ex ſuperſtitione romanae eccleſiae orti, in margine notantur. Cum romanenſes viderent, TAVLERVM eiusque ſcripta a LVTHERO commendari; aegre hoc ex illorum numero ferens IO. ECKIVS vehementer in ipſum TAVLERVM inſurrexit, eumque *ſomniatorem* vocauit, & in haereſeos inducere ſuſpicionem conatus eſt; *ſed nihil*, inquit MAXIM. SANDAEVS, *adfert, vnde id probet*; *loco* ſaepe iam *laudato, p. 651.* Hinc & ex ipſis romanenſibus, ſcripta *Tauleri apologia*, eum refutauit LVD. BLOSIVS, qui &, *Taulerus*, inquit, *catholicae fidei cultor integerrimus eſt. Ea, quae ſcripſit, ſana & plane diuina ſunt, vt cognoſcere poſſunt, qui in illis ſunt verſati. Sed Eckius ardore eccleſiae accenſus, indigne tulit, quod Lutherus magnifice laudaret Taulerum &c.* Addit BLOSIVS: *Eckius non putans ſe falli, dicit: vtinam Taulerus prorſus lateret, & non inuolaret in monaſteria; ego vero in nomine domini dico: vtinam Taulerus vbique gentium cognitus eſſet, atque a quamplurimis diligentiſſime legeretur.* Haec ex BLOSIO, MAXIMIL. SANDAEVS *l. c.* Idem recte monet, iniquiores eſſe nonnullos in TAVLERVM, quod *videatur nonnumquam damnare bona opera, aut exteriora pietatis exercitia*; ſiquidem illos tantum reprehendat, qui ſolis externis illis dediti, de vitiorum fibris euellendis non ſunt ſolliciti, multo minus, quo pacto ad veram cum Deo vnionem, atque caritatis arctiſſimum nexum, ad quem TAVLERVS ſuos exhortatur, peruenire queant. Fatetur vero tandem SANDAEVS, habere TAVLERVM, vt alios myſticos, quae interpretatione commoda egeant, vt, *a patre filium ſuum in anima generari*; item, *intermittendas preces horarias, dum adeſt viſitatio diuina, & mentis exceſſus*, & quae alia ſunt eiusdem generis. Praeter BLOSIVM & SANDAEVM etiam alii romanenſium, & quidem praeſtantiſſimi, praeclare admodum de TAVLERO ſentiunt. Vt reliquos enim taceam, IOAN. BONA, cardinalis, in *notitia auctorum, tractatui de diuina pſalmodia* praemiſſa, eum vocat *theologum myſticum profundum, & caeleſti ſapientia ſingulariter imbutum.* Characterem eius PETR. POIRET hunc in modum exprimit: *Vrget, vt anima per adfectuum & vitiorum ſuorum mortificationem, per virtutum praxin, per deſertionem & abnegationem ſui, ſuarum cupiditatum, ſuae voluntatis, amoris proprii, immo omnis ſuae actiuitatis, omniumque rerum creatarum, ad intimum ſuum fundum reuertatur, Deum ibi quaerens, tandemque inueniens, qui ſeſe ibidem manifeſtat per natiuitatem verbi ſui diuini, & per adflatum ſancti ſui ſpiritus, & vt deinde per continuam & durabilem introuerſionem eodem in hoc interiori ſtatu ſeſe conſeruet: quo Deus voluntatem ſuam, ſuaque mirabilia, & ſpeciales regiminis ſui modos in ipſa exequi poſſit*; in *epiſt. de principiis & characterib. myſticor.* quae in *bibliotheca* eius *myſticor.* exſtat, §. *V. p. 110.* De variis operum TAVLERI editionibus eumdem POIRETVM *l. c.* legere licet. Eodem ſaeculo decimo quarto IO. RVSBROCHIVS vixit, neutiquam nobis, dum de myſticis ſcriptoribus loquimur,

mur, praetermittendus. *Illitteratus quidem*, inquit PETR. POIRETVS, *& magnae ſimplicitatis, at ſimul admirabili vitae ſanctimonia praeditus, ſublimiſque contemplator; vnde per viam experientiae & infuſionis, profundiſſimam & originariam vniuerſae theologiae myſticae notitiam adquiſiuit, plurimorumque in ea ductor exſtitit; l. c. p. 112.* MAXIMIL. SANDAEVS, tantae exiſtimationis illum eſſe, ait, vt DIONYS. CARTHVSIANVS eum *alterum Dionyſium areopagitam* adpellet, *illuſtri profecto*, inquit, *ac inuidendo praeconio.* Addit autem: *Altus eſt in ſuis libris, obſcurus, metaphoricus, formulas habet loquendi duras, non vſitatas, periculoſas, & niſi commoda interpretatione mitigentur, erroris indices; l. c. p. 651.* Scripta quoque eius praecipua ibi recenſet, vti ſunt: *ſpeculum totius vitae ſpiritualis; ſpeculum ſalutis aeternae; de ſeptem cuſtodiis; de ſeptem gradibus amoris; de praecipuis quibusdam virtutibus; de nuptiis ſpiritualibus, ſeu de ornatu ſpiritualium nuptiarum*; quibus alia adhuc adiungit GOTTFR. ARNOLDVS, in *hiſt. & deſcript. theol. myſt. cap. XXI. p. 306. 307.* & HENRIC. WHARTONVS, in *adpend. ad hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſt. Guil. Cauei, p. 39.* Exſtitiſſe autem tempore RVSBROCHII, qui principiis myſticis, ad abſona quaeuis atque impia ex iis deriuanda, abuterentur; inde intelligas, quod quosdam inducat, adfirmantes, *ſe nullum habere Deum, ſed vsque adeo ſibi eſſe mortuos, ac Deo vnitos, vt ipſimet Deus effecti ſint*; obſeruante GISBERTO VOETIO, in *exercitiis pietatis, cap. III. p. 81.* Hoc & inde confirmatur, quod apud eumdem VOETIVM, *l. c. p. 86.* quosdam ceu falſos prophetas hunc in modum depingat: *Quidam etiam eius ſunt ſententiae, vt, animas ſuas ex Dei ſubſtantia creatas, adfirment, cumque mortui fuerint, rurſum ſe futuros eſſe id, quod antea fuerint; perinde vt ſcyphus aquae hauſtus ex fonte, ſi in ipſum fontem refundatur, idem eſt, quod fuit prius. Aiunt praeterea, ſi quis per caelum omne peruagetur, nullum eum neque angelorum, neque animarum, neque ordinum, neque gloriae, neque praemiorum diſcrimen diſtinctionemque reperturum; ſiquidem nihil illic, niſi ſimplicem quamdam beatamque eſſentiam, omni actione vacantem, eſſe, arbitrantur. Addunt his, poſt extremum iudicii diem omnes omnino homines, malos aeque ac bonos, & ſimul Deum ipſum, non niſi vnam eamdemque Dei eſſentiam, quae in omnem aeternitatem absque vlla actione ſemper otio vacatura ſit, eſſe futuros. Atque eam ob rem nihil neque ſcire, neque cognoſcere, neque velle, nec amare, nec cogitare, non gratias agere, non laudare, ſed nec deſiderare, nec habere volunt. Nam ſupra Deum & ſine Deo eſſe, nec in vlla re Deum quaerere, nec inuenire, atque demum ab omnibus prorſus immunes eſſe, volunt. Et hoc ipſi perfectam adpellant ſpiritus paupertatem.* Quae hominum iſtorum placita quantopere deteſtetur RVSBROCHIVS, ſignificat, quando addit: *Verum eiuscemodi paupertas in caelo minime inuenitur, neque in Deo, neque in angelis, neque in ſanctis, ſed nec in hominibus bonis toto orbe terrarum. Itaque non niſi diabolica & tartarea paupertas eſt.* Nihiloſecius ipſemet RVSBROCHIVS in ſuſpicionem venit, ac ſi ab eiusmodi non alienus eſſet erroribus. Immo, ab ipſo IO. CHARLIER. GERSONE eum *haereſeos, in Almarico condemnatae*, (ad quam antea memorata placita tendunt) *inſimulatum*, conſtat, & MAXIMILIANVS quoque SANDAEVS teſtatur, *l. c. p. 650.* Apologiam tamen pro RVSBROCHIO ſcripſit, & GERSONI oppoſuit, IO. DE SCHONHOVIA, qui eodem tempore vixit; quemadmodum & deinceps cauſſam eius defendendam ſuſceperunt GERHARDVS AB HAMONT, in *dedicat. operum Rusbrochii*, LAVR. SVRIVS, in *praefatione* iisdem praemiſſa; CASP. PLACENTI-

NVS,

NVS, *praemonit. ad opera Baptiſtae Bononienſis*, & DION. CARTHVSIANVS, *lib. III. de contemplat. cap. vlt.* Suſpicionem erroris RVSBROCHIVM dediſſe, fatetur SANDAEVS, *quod obſcure loquens de vnione myſtica inſinuet, creaturam per vnionem cum Deo deſinere eſſe*; *l. c. p. 651.* IACOBVS quoque THOMASIVS ab erroribus eiusmodi, quos eum deteſtatum, antea diximus, equidem immunem fuiſſe, putat; *ſed cum phraſibus*, inquit, *tamen interdum vteretur, ab iſta illuuie parum deterſis, factum eſt, vt ipſum Gerſon inſimularet haereſeos, in Almarico condemnatae; niſi dicas, eum fluctuaſſe, aut initio infectum, poſtea reſipuiſſe*; in *ſchediaſm. hiſtor. de definit. philoſ. &c.* ad §. *LII. p. 65.* Diſcere vero hinc licet, quam caute in quibusdam myſticorum ſcitis verſandum ſit, ne ad praecipitia abripiamur.

Miſſis autem reliquis ſaeculi decimi quarti ſcriptoribus myſticis, HENR. SVSONE, GERHARDO Zutphanienſi, aliisque, ad ſaeculum decimum quintum properamus. Hoc vero cum eiusmodi ſcriptorum feraciſſimum fuerit; ex multis paucos tantum commemorare iuuabit. Eminet autem inter reliquos IO. CHARLIER. GERSON, de quo iam ſupra ad §. *VI.* huius capitis quaedam diximus. Inter ſcripta eius huius loci ſunt: *liber de myſtica theologia ſpeculatiua; liber de myſtica theologia practica; epithalamium myſticum theologi & theologiae; opuſculum de meditatione*; & denique *commentarius in canticum canticorum; in quo*, iudice MAXIM. SANDAEO, *de quinquaginta proprietatibus amoris diuini in canticorum libro diſperſis ita agit, vt tanquam verus myſticus altiſſime omnes amoris caeleſtis adfectus imbibiſſe, & quod diuinitus hauſerat, eructaſſe dici poſſit*; *l. c. p. 654.* Reliqua eius ſcripta myſtica, itemque aliorum de eo elogia, recenſet GOTTFR. ARNOLDVS, in *hiſt. & deſcript. theolog. myſt. cap. XXII. p. 316. ſeqq.* GERSONEM theologiam myſticam cum ſcholaſtica conciliare voluiſſe, conſtat ex iis, quae obſeruat IAC. THOMASIVS, in *ſchediaſm. hiſtor.* ad §. *LII. p. 56.* Non minor inter ſcriptores myſticos eſt celebritas THOM. A KEMPIS, cognomento *Haemmerlein*, ſeu *malleolus*, ex oppidulo *Kempis* ſeu *Campis*, dioeceſeos Colonienſis oriundi, qui eodem ſaeculo decimo quinto vixit. *Vir*, inquit HENR. WHARTONVS, *ſi quis alius, pius & deuotus, quem tamen nonnullibi, quaſi extra ſe raptum, enthuſiaſtam agere, & tantum non delirare, diſſimulari nequit*; in *adpend. ad hiſt. litter. ſcriptor. eccleſ. Guil. Cauei, p. 90.* Quibus verbis dum eum ita laudat, vt ſimul vituperet; ab aliis diſſentit, qui, quae quosdam offendunt, facile excuſari, aut in meliorem accipi poſſe partem, exiſtimant. Non alii autem magis, quam myſtici, diuerſis eiusmodi virorum doctorum iudiciis ſunt obnoxii. Hinc & eo maiori opus eſt circumſpectione, ne temere quemquam damnemus, aut ſtatim pro deliramentis habeamus, quae forte non ſatis nobis ſunt perſpecta. Scripta THOMAE A KEMPIS idem WHARTONVS recenſet, quod & GOTTFR. ARNOLDVS facit, in *hiſtor. & deſcript. theolog. myſt. cap. XXII. p. 323. ſeqq.* Eminent inter omnes *libri de imitatione Chriſti; opus*, vt iterum HENR. WHARTONVS loquitur, *non tam mole, quam vſu & fama magnum; cuius admirandum, venuſtum tamen dictionum zelum, ſententiarum pondus, & igneas pietatis ſcintillas multi multis depraedicarunt.* De auctore tamen libri huius praeſtantiſſimi dubitatur, num is THOM. A KEMPIS ſit, quod plurimi adfirmant, an IOAN. GERSON, quod aliis placet, an vero IO. DE GERSEN, ſiue de GESSEN, abbas Vercellenſis, quod iterum alii adſerunt. Sunt &, qui omnino eum BERNHARDO tribuunt; quemadmodum rurſus alii, ex plurium monumentis eum conflatum eſſe, ſibi perſuadent. Tantaque animo-

animorum contentione ac acerbitate hac de re diſputatum fuit, vt adpareat, quosdam de exemplo manſuetudinis, quod ſeruator nobis reliquit, quodue auctor iſtius libri tantopere commendat, parum fuiſſe ſollicitos. Hiſtoriam certaminis iſtius exhibet LVDOV. ELL. DV PIN, in peculiari *diſſertat. de auctore libri de imitatione Chriſti*, quae *tomo duodecimo bibliothecae* eius *ſcriptor. eccleſiaſt.* eſt ſubnexa, §. I. p. 157. *ſeqq.* Idem vir doctiſſimus, cum diligenter rationes, quas quaelibet pars pro ſententia ſua vrget, recenſuiſſet; illud TERENTII vſurpat:

Feciſtis probe,
Incertior multo ſum quam dudum,

tandemque concludit, nihil certi de huius libri auctore definiri poſſe. Inde autem praeſtantiae ac dignitati eius nihil decedit, quae tanta eſt, vt ab omnium ſectarum, in quas orbis chriſtianus diuiſus eſt, hominibus agnoſcatur & celebretur. ROBERT. BELLARMINVS cardinalis, *opuſculum*, inquit, *ſane vtiliſſimum eſt, ac iure in tota eccleſia ſummo omnium conſenſu receptum, & frequentatum & in omnes pene linguas conuerſum. Ego certe ab adoleſcentia & vsque in ſenectam hoc opuſculum ſaepiſſime volui & reuolui, & ſemper mihi nouum apparuit, & nunc etiam mirifice cordi meo ſapit*; de *ſcriptor. eccleſ.* p. 244. Et certe, non in omnes modo Europae linguas, ſed & in arabicam, libellum huncce conuerſum, ſaepiſſimeque editum, hodie quoque a plurimis non ſine fructu legi, conſtat. Nec ignotum inter ſcriptores huius ſaeculi eſt HENR. HARPHII nomen, in quo laudando operoſus eſt PETR. POIRET, in *epiſt. de principiis & characterib. myſticorum*, in *bibliotheca* eius *myſticor.* p. 114. *ſeqq.* Characterem eius cum deſcripſiſſet, addit: *Syſtema hoc eſt theologiae myſticae, tam egregium, tam eſſentiale, tam conſummatum, & profundum, atque vnquam comparuit.* Sed alii de eo aliter ſentiunt, taliaque, quae minime probanda ſint, ab eo adſeri, contendunt. De *theologia* eius *myſtica*, quae tribus conſtat libris, & praecipuum inter ſcripta eius locum tenet, ROB. BELLARMINVS obſeruat, *interdictum fuiſſe hoc opus in indice librorum prohibitorum, niſi repurgatum eſſet, ad exemplum eius, quod repurgatum prodiit Romae anno 1585*; de *ſcriptorib. eccleſiaſt.* p. 242. MAXIM. SANDAEVS, *in huius*, inquit, *lectione maior eſt adhibenda cautela*, (quam in lectione TAVLERI) *nam periculum eſt maius inexpertis.* Et deinceps: *Eſt enim loquendi modus illius contortus, figuratus, a communi receptoque in ſcholis abhorrens, quo incauti facile decipiuntur.* Addit tamen: *Quod ſi in myſtica theologia verſatus ad lectionem illius accedat, fructum non mediocrem inde percipiet; multa enim habet Harphius, quae alibi fruſtra quaeſiueris*; l. c. p. 653. Non omnibus lectionem HARPHII prodeſſe, ipſemet negare non audet GOTTFR. ARNOLDVS, in *hiſt. & deſcript. theolog. myſt. cap. XXII.* p. 344. Agmen claudat libellus egregius, bonaeque frugis pleniſſimus, *theologia germanica*, ſiue *die teutſche Theologia* dictus; de cuius auctore nihil aliud conſtat, quam quod fuerit *nobilis germanus, ſacerdos, & cuſtos, ſiue aedituus domus nobilium Germanorum Francofurti ad Moenum.* Quanti eum beatus LVTHERVS noſter fecerit, omnibus notum eſt ex *praefatione*, quam eidem praemiſit, cum illum an. 1518 ederet; quae deinceps non ſemel repetita eſt editio. Recudi quoque eumdem curauit 1621 beatus IO. ARNDTIVS, nouaque, eaque egregia praefatione, ornauit, in qua & ſummam eius exhibet, & de vſu diſſerit. Tandem, vt alias editiones taceam, additus quoque hicce libellus, cum vtriusque & LVTHERI & ARNDTII praefatione, eſt ei operum TAVLERI, quam cum praefatione beati PHIL. IAC. SPENERI an. 1703 prodiiſſe,

antea

antea diximus. Legenda, quae prorſus ex rei veritate in laudem huius libri copioſe diſſerit MICH. NEANDER, in *praefat. ad erotemata graec. linguae*, *p. 312.* Myſticis ſcriptoribus & auctorem huncce recte adnumerari, vel inde conſtat, quod triplicis viae, *purgatiuae*, *illuminatiuae* & *vnitiuae* mentionem facit. Quod cum etiam IAC. THOMASIVS obſeruaſſet, addit: *ſed hic tamen ita verſatur*, *vt capite vigeſimo ſeptimo diſerte diſputet*, *indolentiam in hac vita cadere in hominem non poſſe*; *vt omnino modeſtioribus adnumerandus veniat*; in *ſchediaſm. hiſt. de definit. philoſ. &c.* ad §. *XIV. p. 74.* vbi & iudicium beati LVTHERI de hocce libro contra intempeſtiuas quorumdam cenſuras defendit. Naeuis quidem quibusdam, vt alia eiusdem temporis ſcripta, liber hicce non caret; quemadmodum & formulae loquendi quaedam in eo occurrunt, quae non omnibus probantur. Ideo vero egregia iſta atque praeclara, quae continet, contemnenda non ſunt, aut reiicienda. De reliquis ſaeculi huius ſcriptoribus myſticis, LAVR. IVSTINIANO, DION. CARTHVSIANO, aliisque, legendi, quos ſaepe iam laudauimus, MAXIM. SANDAEVS, PETR. POIRET, atque GOTTFR. ARNOLDVS.

§. IX. Eccleſia occidentali per purioris doctrinae reſtitutionem in varias partes ſciſſa, theologia quoque myſtica diuerſa fata ſubiit. Vbique equidem ſuos habuit cultores; ſed qui eam eccleſiae, cui addicti erant, placitis adcommodarent, vel erroribus, qui ceteroquin cum ea coniuncti erant, nouos adderent; cum alii contra ab iis repurgare illam vellent, idque agerent, vt mala a bonis, a profuturis, noxia diſcernerent; quemadmodum rurſus alii, omnem in ea emendanda operam fruſtra conſumi, arbitrantes, eam reiiciebant prorſus, proſcribebantque. *

* Varia vtique poſt eccleſiae emendationem, a beato LVTHERO ſuſceptam, tum apud nos, tum apud eos, qui a nobis diſſentiunt, aliaque ſequuntur in religione placita, theologiae myſticae fuere fata. Atque ab iis quidem, quae apud nos experta eſt, vt incipiamus; quo pacto a noſtratibus, praeeunte LVTHERO, maxime autem a beato IO. ARNDTIO in ea repurganda elaboratum ſit, IAC. THOMASIVS hunc in modum exponit: *duae partes ſunt chriſtianiſmi*: *vera fides*, *pia vita*. *Illa ad intellectum*, *haec ad voluntatem refertur*. *Illi ſcholaſtica*, *huic myſtica theologia ſubuenire conata eſt olim*, *ſed ita*, *vt plurimum labis adſpergeretur*. *In vtraque repurganda laborauerunt noſtri*, *cum exemplo illis praeiuiſſet Lutherus*. *Huic enim bella fuere non cum ſcholaſticis modo doctoribus*, *ſed cum enthuſiaſtis quoque ac fanaticis*. *Poſt Lutherum quaſi partitis operis*, *alii ſcholaſticam*, *alii myſticam magis magisque reformare ſunt adgreſſi*. *E quibus Ioannes Arndius maxime negotium ſibi ſumſit myſticae theologiae refingendae in faciem ſaniorem*; in *ſchediaſm. hiſt. de definit. philoſoph. &c.* ad §. *LIV. p. 76.* Enimuero, licet haud pauci ex noſtratibus de vita ſpirituali eiusque incrementis fuerint ſolliciti, quod ſcripta illorum aſcetica, ſupra enumerata, teſtantur, qui & hoc nomine inter myſticos referri poterant; IOANNEM tamen ARNDTIVM, cuius inſignia in pietatis ſtudium merita, nulla vmquam delebit obliuio, omnem ea in re diligentiam collocaſſe, longe eſt notiſſimum. Idem etiam, cum IO. TAVLERVM, THOM. A KEMPIS, aliosque ex praeſtantioribus myſticis quandoque ſequutus ſit; ſpecialiori quadam ratione inter myſticos numerari ſolet. Varia autem cum vir optimus ſcripſerit, vt *homilias*, ſiue *ſermones ſacros*, in pe-

pericopas euangelicas, itemque *in pſalmos*, & alia; hic tamen *libri* eius *de vero chriſtianiſmo* in cenſum veniunt, qui magna multorum adprobatione excepti, ſaepiusque editi, in alias quoque linguas conuerſi, hodie adhuc a plurimis non ſine inſigni fructu leguntur. Interim & ſiniſtra quorumdam experti ſunt iudicia, fueruntque, qui errores Weigelianos, Schwenckfeldianos, & neſcio quos, in iis ſibi deprehendere viſi ſunt; hinc & acerrime eos impugnarunt; aliis contra eorum in ſe ſuſcipientibus defenſionem, & orthodoxiam viri beati ſtrenue adſerentibus. Inter illos noti ſunt IO. WALTHERVS, LVC. OSIANDER iunior, IAC. WERENBERGIVS, GEORG. ROSTIVS, CONR. TIB. RANGO, IO. CORVINVS, IO. TOBIAS MAIOR, aliique, quorum ſcripta adcurate recenſet M. C. G. in *apologeticis Arndtianis, das iſt, Schuz-Briefen zur chriſtlichen Ehren-Rettung Herrn Ioh. Arndts &c.* Lipſiae 1706. 8. editis, *p. 191. ſeqq.* Inter hos autem, ſeu qui ARNDTIVM defenderunt, eminent DAN. DILGERVS, HENR. VARENIVS, PAVL. EGARDVS, MICH. (ſeu MELCHIOR) BRELLERVS, IOAN. SAVBERTVS, IO. MICH. DILHERRVS, IO. GEORG DORSCHEVS, quos, vt & reliquos, idem auctor *apologeticorum Arndtianorum*, laudat, eorumque ſcripta enumerat, *p. 177. ſeqq.* Media quadam via incedunt alii, & formulas quidem quasdam loquendi parum vſitatas non probant; de ſana autem atque ſincera viri beati mente non dubitant. Praeter multos alios ita ſentit IO. ANDR. QVENSTEDIVS, dum, *in libris eius*, inquit, *de vero chriſtianiſmo phraſes quaedam duriuſculae, a ſuſpectis fortaſſe auctoribus mutuatae occurrunt, ipſi tamen libri ob pietatem, rerum pretioſitatem, & vtilitatem digni ſunt, qui non tantum ſedulos lectores, ſed etiam feruidos habeant imitatores; eth. paſt. monit. VII. p. 68.* Exprobrabatur ARNDTIO inter alia, quod formulis phraſibusque myſticorum vſus ſit; quod tamen cum ſano ſenſu, prauis quorumdam pſeudo-myſticorum dogmatibus repudiatis, fecerit, facile ideo excuſabitur. Cumprimis vitio datum, quod capita quaedam ex VAL. WEIGELII *libello precum* in ſuos *de vero chriſtianiſmo* libros transtulerit; ſed cum eo tempore ignorauerit, libelli iſtius auctorem WEIGELIVM eſſe; nihil praeterea in iſtis formulis occurrat, quod rectum non admittat ſenſum; haec quoque ſponte ſua cadit adcuſatio. Inter varias operis iſtius editiones laudandae maxime, quae cum adnotationibus HENR. VARENII, & IO. GEORG. DORSCHEI prodierunt; in quibus cum omne illud, quod vel leuiſſimum procreare ſcrupulum queat, ſublatum ſit; nihil amplius ſupereſt, quam vt eius lectio omnibus quam diligentiſſime commendetur. Plura vero de eo, ipſoque ARNDTIO, praeter auctorem *apologeticorum Arndtianorum*, iam laudatum, qui omnia pro eius innocentia & orthodoxia, teſtimonia diligentiſſime collegit, dabunt GOTTFR. ARNOLDVS, in *dem Leben der Glaubigen, p. 536. ſeqq.* item, in *der Kirchen-und Ketzer-Hiſtorie, part. II. lib. XVII. cap. VI. §. V. ſeqq. p. 478. ſeqq.* aliique, laudati CHR. MATTH. PFAFFIO, in *introduct. in hiſt. litter. notis ampliſſimis illuſtrata, lib. II.* ad §. *VIII. p. 276.* quibus iungendus CHRIST. EBERH. WEISMANNVS, in *introduct. in memorabilia eccleſ. hiſtor. ſacr. noui teſtament. part. poſt. ſaec. XVII. p. 1174. ſeqq.* In *excerptis & epiſtolis ineditis* IO. CHRISTIANI A BOINEBVRG, & ZACH. PRVSCHENCK A LINDENHOVEN, quae BVRCARD. GOTTH. STRVVIVS noſter in *actis litterariis ex manuſcriptis erutis, faſcic. III.* exhibet, ſubinde ARNDTII, eiusque *de vero chriſtianiſmo* librorum, honorifica fit mentio. Immo *p. 61.* BOINEBVRGIVS, cum iam ad romanenſium ſacra tranſiiſſet, hunc in modum ſcribit: *Expeto Varenii apologeticon*

con pro Ioan. Arndtii aureo libro de chriſtianiſmo vero. Memini id penes te videre vicennio abhinc plus minus, & ſcio, te eſſe peramantem Arndtii. Quem quanti & ego faciam, forte nec tu neſcis ex priſtina mecum conſuetudine. Vtique iam in feſto mihi felicique hoc otio vnice vaco probis eiusmodi omni in parte libris lectitandis, & veſtratibus, quinam Melanchthoni Arndioque, illi in lenitate & candore iudicii, ſuper dogmatibus, huic vero in pietatis doctrina antecellant, neminem recordor.

Non tam facile, ac ARNDTIVM, excuſare aut defendere licebit, qui itidem inter myſticos referri ſolent, VAL. WEIGELIVM, IAC. BOEHMIVM, CHRISTIANVM HOHBVRGIVM, aliosque; qui cum variis controuerſiis ac concertationibus occaſionem dederint; rectius in theologia polemica de iis agetur. Conferre interim de hiſce, aliisque eiusdem generis ſcriptoribus, iuuabit EHREGOTT DAN. COLBERGIVM, in *dem Hermetiſch-Platoniſchen Chriſtenthum*, & de WEIGELIO quidem *lib. I. cap. IV. p. 205. ſeqq.* vbi & de CHRIST. HOHBVRGIO, cuius, praeter alia ſcripta, nota eſt *theologia myſtica*, itemque *poſtilla myſtica*, agit, quippe quem inter Weigelianos refert; de IAC. BOEHMIO autem *cap. VIII. p. 307. ſeqq.* Si quis contra, quid pro iſtorum hominum defenſione dici queat, ſcire aueat; eum GOTTFRIEDVM ARNOLDVM conſulere oportet, in *der Kirchen-vnd Ketzer-Hiſtorie*, & de VALENTINO quidem WEIGELIO *part. II. lib. XVII. cap. XVII. p. 615. ſeqq.* de IAC. BOEHMIO *cap. XIX. p. 657 ſeqq.* de CHR. HOHBVRGIO *part. III. cap. XIII. §. XIV. ſqq. p. 128. ſeqq.* Iungere licet, ſi placeat, quae dicta ſunt in *der hiſtoriſchen vnd theologiſchen Einleitung in die vornehmſten Religions-Streitigkeiten, cap. VI. §. XIII. ſeqq. p. 631. ſeqq.* BOEHMII characterem exhibet, & ſummam doctrinae eius ſimul ſatis perſpicue exprimit, PETR. POIRET, in *epiſt. de principiis & characterib. myſticor. p. 162. ſeqq.* Admodum autem magnifice de eo ſentit, dum, *hic vnicus*, inquit, *eſt*, (*ſaltem cuius ſcripta ante hac innotuerint*) *cui Deus imos naturae receſſus detexit, tam quod ad ſpiritualia attinet, quam ad corporalia; & qui in rebus theologicis & ſupernaturalibus ad centrum vsque penetrauit, atque in ipſa origine principia vera philoſophiae, tam metaphyſicae & pneumaticae, quam verae phyſicae peruidit.* Multa eiusmodi alia cum in laudem BOEHMII diſſeruiſſet; concludit, neminem occurrere, qui prorſus cum illo comparari queat. *Auctoris noſtri*, inquit, *dona tam ſingularia ſunt, vt incaſſum alibi quaeras ſcriptores, qui ex origine tam profundae cognitionis characterem gerant; ex origine, inquam, id eſt, tales, qui veritates eiusmodi e fonte & per experientiam in ſeſe ipſis hauſerint.* Laudat hinc quosdam, qui ſecundum principia BOEHMII ſcripſerunt, indeque varias deduxerunt concluſiones; vt ABRAH. FRANCKENBERGIVM, aliosque; obſeruatque, ex veteribus proxime ad BOEHMIVM accedere *poemandrum, qui*, inquit, *iure aut iniuria tribuitur Mercurio triſmegiſto.* Inter eos denique, qui *in quibusdam Boehmio adpropinquant*, refert THEOPHR. PARACELSVM, VAL. WEIGELIVM, IVL. SPERBERVM, BARTH. SCLEIVM, FRANC. GEO. VENETVM, vtrumque HELMONTIVM, IO. BAPTISTAM patrem, & FRANC. MERCVRIVM filium, aliosque; *l. c. p. 173.* De CHR. HOHBVRGIO hoc ſolum addimus, *theologiam* eius *myſticam* mirifice laudari a IO. CHRISTIANO A BOINEBVRG, in *excerptis* & *epiſtolis* eius *ineditis* apud BVRC. GOTTH. STRVVIVM; in *actis litterariis ex manuſcriptis erutis, faſcic. III. p. 61.* Cum enim, quae de IO. ARNDTIO recitauimus, dixiſſet, ita pergit: *Niſi ſi Chriſtianus Hohburgius perinde in cenſum deuocari debeat, cuius myſtica theologia in vernaculo exſtat, opuſculum ſane praeclariſſimum, & quod*

mereatur

mereatur ab omnibus penitiſſime noſci. Sed viri huius, quantumuis eruditi, iudicio in eiusmodi rebus ſtandum eſſe, haud dubie negabunt alii.

Et ſane, placitis illis ſingularibus, partimque erroneis, partim a ſimplicitate ſcripturae ſacrae nimis diſcedentibus, quae in VALENT. WEIGELII, IAC. BOEHMII, aliorumque, qui pro myſticis habentur, ſcriptis inueniuntur, effectum, vt ab eo tempore ipſa myſtica theologia male audire apud nonnullos inciperet, immo, vt in ea fontem velut ac ſcaturiginem omnis fanaticiſmi ac enthuſiaſmi quaererent. Huc EHREG. DAN. COLBERGII liber, *das Hermetiſch-Platoniſche Chriſtenthum &c.* inſcriptus, anteaque nobis iam commemoratus, qui Francofurti 1690. 8. prodiit, comparatus eſt. Hoc namque in eo auctor agit, vt omnem fanaticiſmum & enthuſiaſmum per theologiam myſticam ex philoſophia Platonica deriuet. Speciatim, cum *part. I. cap. I.* hiſtoriam theologiae myſticae velut in compendio exhibuiſſet, & de praecipuis ſcriptoribus myſticis quaedam obſeruaſſet; theologiam myſticam *ſemina ſuperbiae ſpiritualis, fanaticiſmi & enthuſiaſmi continere*, probare adgreditur §. *XIV. p. 66. ſeqq.* deinde vero praeter haereticos quosdam veteres, omnes recentioris aeui fanaticos & enthuſiaſtas ex theologia myſtica prognatos, oſtendere conatur, *§. XV. p. 71. ſeqq.* Eodem praeterea tempore, cum domeſtica illa in eccleſia noſtra orirentur certamina, in quibus beati PHIL. IAC. SPENERI, & aliorum quorumdam theologorum, pietatis ſtudium ſtrenue vrgentium, a quibusdam in dubium vocata eſt orthodoxia, inter alia etiam de theologia myſtica acriter diſceptatum eſt. Fuerunt enim, qui omnes errores, quos pietiſticos vocabant, non aliunde rectius, quam ex theologia myſtica, deriuari poſſe, cenſerent. Hanc vero cum ſimul, COLBERGII inſiſtendo veſtigiis, pro matre omnis fanaticiſmi & enthuſiaſmi venditarent; non poterat non illorum doctrinae labes, ex horum quidem mente, adſpergi. Cumprimis hoc ſibi datum credidit FRIDER. CHRIST. BVCHERVS, qui tum alibi, tum maxime in *Platone myſtico in pietiſta rediuiuo, das iſt, pietiſtiſcher Vbereinſtimmung mit der heidniſchen philoſophia Platonis, vnd ſeiner Nachfolger,* Dantiſci 1699. 4. hoc egit. Quo in ſcripto cum etiam BALTH. KOEPKENIVM vellicaſſet; hic illi oppoſuit librum, ſupra nobis iam laudatum, inſcriptumque; *ſapientia Dei in myſterio crucis Chriſti abſcondita, die wahre theologia myſtica oder aſcetica aller Glaubigen alten vnd neuen Teſtaments,* Halae 1700. 8. in cuius praecipue altera parte BVCHERI *Platonem myſticum* ſub examen reuocat. Quemadmodum autem KOEPKENIVS, non aliam theologiam myſticam, quam puram, & verbo Dei conuenientem, de qua ſupra dictum, quam & ideo aſceticam vocat, ſe defendere, profitetur; ita beatus SPENERVS, in *praefatione*, libro huic praemiſſa, ab erroribus & Platonicorum, & myſticorum, ſe quam longiſſime abeſſe, luculenter teſtatur; licet, tum in Platone, tum apud myſticos, interdum occurrere, quae minime ſpernenda ſint, fateatur. Pari ratione & AVGVSTVS HERM. FRANCKIVS, ea ſolum, quae veritati & ſcripturae ſacrae ſunt conſentanea, in myſticorum ſcriptis ſe laudare, docet, in *der gründlichen vnd gewiſſenhafften Verantwortung gegen D. Io. Fridr. Mayers harte vnd vnwarhaffte Beſchuldigungen &c. p. 277. ſeqq.* vbi & ſpeciatim de imputata myſticis deificatione, deque IO. RVSBROCHIO agit; quemadmodum & in antecedentibus, *p. 97. ſeqq.* de Catharina Genuenſi verba fecerat. Praeterea, cum theologia ſcholaſtica ſemper myſticae oppoſita fuerit, & conflictum quemdam inter vtramque obſeruare liceat; IO.

WILH.

Digitized by Google

WILH. ZIEROLDVS, myſticae theologiae non rectius ſe agere cauſſam poſſe, exiſtimauit, quam ſi ſcholaſticae iugulum peteret. Eo namque ſpectat eius *D. Martin Luthers euangeliſche Auffmunterung zur Liebe des Wortes Gottes wider das Ariſtoteliſch-ſcholaſtiſche Chriſtenthum; inſonderheit wider M. Fridrich Chriſtian Büchern &c.* Stargardiae 1700. 4. Quo in libro LVTHERI teſtimonia contra theologiam ſcholaſticam & Ariſtotelem congeſſit; quantumque damnum theologia Ariſtotelico-ſcholaſtica dederit, probare adnititur. Nec alium ſibi finem conſtitutum habet in *der Einleitung zur gründlichen Kirchen-Hiſtorie, mit der hiſtoria philoſophica verknüpfft &c.* cuius pars prior Stargardiae 1700. 4. poſterior, ſpeciatim SAM. SCHELGVIGIO & FRID. CHRIST. BVCHERO oppoſita, anno 1703 lucem adſpexit publicam. Cumprimis vero adhuc commemorandus eſt GOTTFR. ARNOLDVS, qui in promouendo & commendando theologiae myſticae ſtudio, ſcriptoribusque myſticis laudandis, excuſandis, defendendisque, totus, immo interdum nimis liberalis fuit; idque tum in *der Kirchen-und Ketzer-Hiſtorie*, itemque in *dem Leben der Glaubigen*, aliisque ſcriptis; tum maxime in *hiſtoria & deſcriptione thelogiae myſticae;* ex quibus & notitia reliquorum, quorum adhuc mentio hic fieri poterat, haurienda; quemadmodum & ipſe quaedam ſcripta, ad myſticam theologiam ſpectantia, edidit. In quibus omnibus vt diligentiam ſingularem demonſtrauit; ita rectius ſibi, & aliis, conſuluiſſet, ſi maiori vſus eſſet circumſpectione, nec laudare aut defendere ſuſcepiſſet, quae nec laudari, nec defendi aut poterant, aut debebant. Nec praetermittenda hic eſt apologia iſta theologiae myſticae ſobrie ſatis ſolideque ſcripta, quae nuper admodum germanice prodiit: *die wahre theologia myſtica, aus heiliger Schrifft bewaehret, vnd von den falſchen concepten des Herrn D. Hermann Scheins, Menniſten-Predigers in Amſterdam, durch Aletophilum geſaubert*, Francofurti & Lipſiae 1725. 8. Ediderat HERM. SCHYN, Mennonitarum partibus addictus, doctorisque munere apud eos fungens, lingua belgica librum: *homo in Chriſto, ſiue vita ſpiritualis fidelium, &c.* inſcriptum, in cuius praefatione theologiam myſticam acriter perſtrinxerat, & grauiſſimis adcuſationibus omnibus inuiſam reddere adniſus fuerat. Hinc itaque occaſio apologiam iſtam edendi ALETOPHILO enata; quo ſub nomine quis lateat, ignoro, eum tamen eccleſiae noſtrae ſacris addictum, exiſtimo.

Inter reformatos non defuiſſe theologiae myſticae cultores, praeſertim ſi aſcetica hoc nomine intelligatur; tot ſcripta, maximam partem ſupra iam commemorata, teſtantur. Specialiori tamen quadam ratione locum hic ſibi poſtulant GISB. VOETII τὰ ἀσκητικά, ſiue *exercitia pietatis;* ſupra equidem itidem iam laudata, ſed hic repetenda, quod non tantum myſticam theologiam, methodice digeſtam, contineant, ſed auctori etiam conſtitutum fuerit, myſticam theologiam romanenſium a ſcoriis & quisquiliis repurgare. Id ipſemet profitetur *cap. III. §. III. p. 67.* vbi & more ſuo varia problemata, eodem ſpectantia, proponit. Exſtiterunt vero & alii inter reformatos, praeſertim in Anglia & Belgio, qui, de orthodoxia eccleſiae iſtius ſeruanda non adeo ſolliciti, ſuo ſubinde indulſerunt ingenio; vnde & ab aliis fanaticorum numero adſcribuntur. Quosdam ex illis recenſet PETR. POIRET, in *epiſtola de principiis & characteribus myſticorum;* plures autem in *catalogo auctorum myſticorum epiſtolae* huic ſubnexo; in *bibliotheca myſticorum ſelecta, p. 322. ſeqq.* cui iungendus GOTTFR. ARNOLDVS, in *hiſt. & deſcript. theolog. myſt. cap. XXIV.* vbi *indicem ſcriptorum myſticorum & aſceticorum ſaeculi decimi ſexti &* deci-

decimi ſeptimi, *& quidem ex cardinalibus tribus ſectis vel religionibus*, exhibet. Sed omnium inſtar hic ipſemet eſſe poteſt PETRVS POIRETVS, qui, licet a reformatae eccleſiae placitis in plurimis deinceps diſceſſerit, initio tamen eidem addictus fuit; quo etiam nemo forte recentiori aetate maiorem in propaganda theologia myſtica induſtriam collocauit. Magiſtram ſuam ANTON. BVRIGNONIAM ipſemet quoque inter myſticas feminas, (quarum haud paucas exſtare notum eſt) refert, eiusque characterem exprimit, in *epiſt. de princip. & characterib. myſt. p. 230. ſeqq.* Quo iure hoc faciat, ipſemet ita ediſſerit: *Quamuis ipſa, ceu mox innui, nequidquam arte aut ſtudio conſectetur argumenta, aut dictiones myſticorum auctorum; tamen eius ſcripta paſſim eorum ſubſtantiam & ſolida fundamenta comprehendunt, eorumdemque ſenſum mire detegunt; ac ipſorum, immo & omnium cuiusque generis ſpiritualium librorum reſpectu, idem operantur, quod ſolis radii circa omnes terrae plantas, quae licet in ſe viuentes, durante tamen frigida anni intemperie, quaſi mortuae nil quidquam nobis vtilitatis impertiunt, at adpropinquante igneo hocce ſidere &c. de nouo incipiunt aperiri, vireſcere, & fructuum largitione nobis demum prodeſſe.* De myſtica autem theologia, ſcriptoribusque myſticis, quid generatim ſentiat, paſſim quidem in ſcriptis ſuis POIRETVS innuit; cumprimis tamen in *defenſione methodi inueniendi verum*, quae in *operibus* eius *poſthumis* exſtat, *ſect. V. p. 167. 168.* diſerte profitetur. *Teſtor igitur*, inquit, *atque adſeuero coram Deo omnipotente, cordium ſcrutatore, mendacii oſore, & iudice iuſto, ſcriptores myſticos, eorumque libros, quantum eos noui, & quales edidi nonnullos, pluresque cum laude commemoraui, tales eſſe, vt contra quam dominus Thomaſius* (contra hunc enim ibi diſputat) *teſtatus eſt*, *(tantum abeſt vt ſint periculoſi) contineant potius praeſtantiſſimos ſapientiae diuinae theſauros, quibus animae, quae ſincere Deum, principium & finem ſuum anhelant, ad eum per ſuas vnaquaeque vias ſibi oſtenſas, poſſint tuto duci, progredi, & tandem ad eum peruenire, aeternum beandae.* Quinam vero ex eius ſententia *myſtici* dicendi ſint, ibidem *p. 168. 169.* exponit. Quantumuis autem maximum theologiae myſticae, myſticisque ſcriptoribus ſtatuat pretium; ſe ipſum tamen myſticum eſſe, negat; vehementerque ideo expoſtulat cum IO. WOLFG. IAEGERO, qui ei locum inter illos haud vltimum adſignauerat. *Quandoquidem*, inquit, *theologiam myſticam cum innumeris viris maximis & doctiſſimis, ipſoque Arndio &c. ita magni facio, vt nihil ſupra; nemo non videt, me, cum e theologorum ſiue auctorum myſticorum numero me excipio, id non facere, quaſi illius me puderet theologiae vere diuinae; ſed e rei veritate adſertioni D. Iaegeri, qui me vel principem inter illos, ex malo quidem fine ſtatuit, contraria. Numquam de ea theologia ex profeſſo ſcripſi, neque de ea ſcribendi me capacem credidi, multo minus, vti falſo adſerit D. Iaeger, nec ſemel eamdem recoquit crambem, me inter illuminatos immediate & adeptos adnumerari, aut me ab aliis credi regenitum, legemque impleuiſſe, volui &c.* in *vindiciis veritatis & innocent.* quae itidem in *poſthumis* eius exſtant, *lib. I. cap. V. §. VI. p. 252.* Et quibusdam interiectis: *Quidquid autem de theologia myſtica edidi, ſunt vel aliorum tractatus aliquot valde egregii, vel praefationes, quas a me compoſitas eisdem praemiſi &c. In qua vero*, (bibliotheca myſticorum ſelecta) *immo nec in vllo ex meis operibus, nullam materiam myſticam data opera tractaui, vti neque in oeconomia mea; tantum abeſt, vt haec ſit ſyſtema illius theologiae, veluti perridicule perſuadere vult D. Iaeger, hac vna de cauſſa, quod forte in tranſitu feci mentionem theologiae illius honorificam, vel quaedam ſubiecta ei vicina eſſe indicaui, quae more non illius, ſed meo & phi-*

& philoſophico tractatui, & id admodum raro &c. Principiis equidem myſticorum eum ſubinde in ſcriptis ſuis inſiſtere, res, puto, ipſa ſatis docet; ne tamen ei faciamus iniuriam, ea tantum huc referemus, quibus theologiae myſticae ſtudium ſe promouere voluiſſe, ipſemet non diffitetur. Huc primum aliorum ſcripta ſpectant, quae ipſius opera ſtudioque lucem publicam adſpexerunt, vt: *theologia germanica*, ſupra nobis iam commemorata, quae in linguam gallicam ab eo tranſlata, typisque exſcripta eſt an. 1676, ſed deinceps denuo gallice e germanico idiomate ab eo conuerſa, inſcriptaque: *la theologie reelle, vulgairement dite la theologie germanique*, cum variis acceſſionibus an. 1700. 12. lucem adſpexit. Inter acceſſiones iſtas etiam eſt *theologiae myſticae apologia*, ab ipſo POIRETO conſcripta, oppoſitaque PETR. IVRIEI *tractatui hiſtorico, exhibenti iudicium proteſtantis theologi de theologia myſtica;* quae *apologia* ex gallica lingua in latinam (ſed haud exacte non in vno loco, vt ipſemet POIRETVS obſeruat, in *vindiciis veritatis &c. lib. I. c. V. §. VII.)* conuerſa, addita eſt GOTTFR. ARNOLDI *hiſtoriae & deſcriptioni theologiae myſticae.* POIRETI porro ſtudio opera omnia ANTON. BOVRIGNONIAE gallice voluminibus XIX in 8. prodiiſſe, notum ſatis eſt. Id ſolum monemus, ſubiunctam iis eſſe IO. ENGELBERTI *diuinam de tribus ſtatibus, eccleſiaſtico, politico & oeconomico viſionem*, gallice verſam. Qui quidem ENGELBERTVS, ſiue ENGELBRECHTVS, itidem haud vltimum inter myſticos tenet locum. Non tantum autem *theologiam germanicam*, ſed & THOM. A KEMPIS *libros quatuor de imitatione Chriſti* in linguam gallicam conuertit, ita, vt libri quarti non tam ſenſum litteralem, quam paraphraſin quamdam exhiberet. Prodierunt ita, inſcripti: *Kempis commun ou les IV. livres de l' imitation de I. C. traduits pour l' edification commune de tous les chretiens*, primum anno 1683. 12. non ſemel deinceps recuſi. Curante quoque POIRETO an. 1687 in lucem emerſit *theologiae chriſtianae iuxta principia Iac. Boehmii idea breuis*, de quo quid ſentiat libello, exponit in *epiſt. de principiis & characterib. myſticor. p. 170. Theologia cordis (la theologie du coeur)* quam anno 1690 in publicum emiſit, collectionem libellorum quorumdam myſticorum non magnae molis continet, qui recenſentur in *commentariolo de vita & ſcriptis Petri Poireti, poſthumis* eius praemiſſo, *§. XLII. p. 26.* Sequuta an. 1691 eſt, operam nauante POIRETO, *theologia amoris (la theologie de l' amour)* ſiue *vita & opera Catharinae Genuenſis.* Hanc anno 1696 excepit *theologia crucis Chriſti Ieſu*, ſiue *opera & vita Angelae de Fulginio*, quae ex latina in gallicam linguam conuertit, & ita in lucem emiſit. Eiusdem porro cura recuſa eſt an. 1701 cum praefatione noua *vita marchionis de Renty, (le chretien reel, ou la vie du Marquis de Renty; & de la ven. mere Eliſabeth de l' Enfant Ieſus.)* Lucem quoque eodem anno ipſius opera adſpexit, *ſanctus profugus*, ſiue *vita & mors exemplaris Werneri (la ſaint refugié, ou la vie & la mort edifiante de Wernerus;)* quemadmodum & anno 1703 editionem *catechiſmi chriſtiani pro vita interiore a D. Olierio ſcripti*, adiuuit. Vitam ARMELLAE NICOLAAE, pauperculae ancillae ruſticae, *id omne, quod de theoria ac praxi chriſtiana atque myſtica concipi poſſit, ſuperantem*, vt auctor *commentarioli de vita & ſcriptis Petri Poireti p. 31.* loquitur, denuo typis excudi curauit anno 1704, addita praefatione. Inſcripta eſt: *Schola puri amoris Dei (l' ecole du pur amour de Dieu, dans la vie merveilleuſe de la bonne Armelle)* 2 volum. in 12. GVIONIAE feminae (I. M. B. DE LA MOTTE GVION) notius ob certamina, quibus in Gallia occaſionem

dedit, nomen eſt, quam vt a quoquam, niſi harum rerum plane rudi, ignorari queat. In huius autem ſcriptis variis, vita quoque, & opuſculis quibusdam ipſius FRANC. SALIGNAC DE LA MOTTE FENELON, archiepiſcopi Cameracenſis, qui GVIONIAE patrocinium in ſe ſuſcepit, publicae luci exponendis, quid POIRETVS praeſtiterit, ab auctore *commentarioli de vita & ſcriptis* eius fuſius exponitur, *§. LII. p. 32. §. LXI. p. 38. 39. §. LXX. ſeqq. p. 42. ſqq.* Reliqua, quorum editionem promouit, ſunt: *praxis theologiae myſticae verae, (la pratique de la vraye theologie myſtique)* 1709. 2 voluminibus in 8. collectionem variorum opuſculorum continens; *theologia praeſentiae Dei (la theologie de la preſence de Dieu)* ſiue *Fratris Laurentii religioſi Carmelitae* opuſcula; quibus ipſemet POIRETVS commentationem *de exercitii praeſentiae diuinae praeſtantia fructibusque*, addidit; *ſacra orationis theologia*, ſiue FRANC. DE LA COMBE *analyſis orationis mentalis*, cui & alia eiusdem generis addidit, an. 1711. 12. *anima Dei ſui amans exhibita in emblematis, tum Hermanni Hugonis pia ſua deſideria illuſtrantis, tum Othonis Vaenii de amore diuino, (l'ame amante de ſon Dieu)* anno 1717. 8. *ſanctus Indiarum anachoreta (le ſaint ſolitaire des Indes)* ſiue *vita Gregorii Lopez*, 1717. 8. Ex ſcriptis denique, ab ipſomet POIRETO elaboratis, praeter praefationes illorum, quas edi curauit, nonnullis operibus praemiſſas, & additamenta quaedam, iisdem adiecta, huius ſolum loci ſunt *apologia* iſta *pro theologia myſtica*, quam PETRO IVRIEO oppoſuit, cuius antea iam mentionem fecimus; itemque *epiſtola de principiis & characteribus myſticorum*, ſaepe nobis commemorata, quam cum aliis quibusdam in *bibliotheca myſticorum ſelecta*, contineri, ſupra diximus. Reliqua ſua ſcripta cum ipſemet pro myſticis haberi nolit, nihil de iis addimus. De placitis vero eius ſingularibus, erroribusque & auctoribus, qui eos refutarunt, in theologia polemica erit dicendi locus.

In eccleſia romana propriam velut ſedem fixit theologia myſtica, cum vita, quam plurimi in ea amplectuntur, monaſtica, ad eam fouendam alendamque prorſus apta ſit, maximamque opportunitatem praebeat. Hinc & per duo proxime elapſa ſaecula ingens eiusmodi ſcriptorum in ea effloruit numerus; quos inter eminent, magnamque prae reliquis celebritatem ſunt conſequuti, IO. A CRVCE, in *adſcenſu montis Carmeli; obſcura nocte animae; flamma amoris viua*; aliisque; FRANC. DE SALES, in *libris duodecim de amore Dei*, latine & germanice editis, itemque in aliis gallice ſcriptis, vti ſunt: *introductio ad vitam deuotam; epiſtolae ſpirituales &c.* MAXIMIL. SANDAEVS, in *theologia myſtica*, ſeu *contemplatione diuina religioſorum a calumniis vindicata*, Moguntiae 1627. 4. HVGO DE PALMA, *de triplici via myſtica*, Amſtelodami 1647. 12. IO. BONA cardinalis, in *manuductione ad caelum*; itemque in *principiis & documentis vitae chriſtianae*; porro in *via compendii ad Deum*, aliisque, quae tomum primum operum eius, Coloniae 1683. 8. iunctim editorum, conſtituunt; CONST. DE BARBANSON, in *compendio verae theologiae myſticae*, ſiue *amoris diuini occultis ſemitis*, Amſtelodami 1698. 12. Immo ipſe ROB. BELLARMINVS, etſi principem inter eos, qui controuerſias tractarunt, teneat locum; myſticis tamen etiam adnumerari voluit, ob libellos quosdam, vti ſunt: *gemitus columbae: adſcenſus mentis in Deum; inſtitutiones chriſtiani hominis &c.* Non omnibus tamen in eadem eccleſia quaeuis myſticorum placita probari, obſeruat IAC. THOMASIVS, & teſtimoniis MAXIMIL. SANDAEI AC CAR. HERSENTII euincit; qui licet ipſi loquutionibus myſticorum non paucis, valde horridis, patrocinentur;

non

non diſſimulent tamen, horum theologiam aliis, quos ipſi quidem minus peritos vocent, ſuſpectam haberi; nec abſque diſcrimine myſticos omnes alba ſignare linea audeant; in *ſchediaſm. hiſtoric. de definit. philoſ.* ad *§. LIII. p. 70.* Notum quoque eſt, & ab aliis paſſim repetitur illud ROB. BELLARMINI effatum: *Id enim accidere ſolet iis, qui ſcribunt de myſtica theologia, vt eorum dicta ab aliis reprehendantur, ab aliis laudentur, quia non eodem modo ab omnibus accipiuntur;* de *ſcriptorib. eccleſiaſt. p.m. 226.* Atque id etiam recentiori aetate vel maxime MICH. MOLINOSI, eiusque ſectatorum, quos quietiſtas vocant, exemplo patuit. In libello enim, *manuductio*, ſiue *ductor ſpiritualis*, inſcripto, anno 1675 primum edito, in varias deinde linguas translato, & intra ſexennium, vigeſies & quod excedit, recuſo, nihil continetur, quam quod & alii, iique in eccleſia romana recepti & probati, ſcriptores myſtici docuerunt. Hinc & non tantum magno plurimorum adplauſu exceptus, ſed ab iis etiam, quorum cenſurae primum ſubiectus fuit, quorum nonnulli ex inquiſitorum numero fuerunt, adprobatus & *opuſculi inaeſtimabilis* elogio ornatus fuit. Hicce nihiloſecius liber aliis deinceps, neſcio quae nefanda & impia continere dogmata viſus eſt; ipſeque MOLINOSVS pro haeretico omnium peſſimo habitus, & ad aeternos carceres condemnatus eſt; ſignum hic ad bellum contra eum gerendum tollente PAVLO SEGNERIO, Ieſuita, in *concordia laboris & quietis in operatione;* itemque in *quietiſta*, ſiue *illuſionibus orationis quietis.* Ad propoſitiones autem illas LXVIII, decreto inquiſitionis damnatas, quod attinet, in quibus impia quaedam prorſus atque deteſtanda occurrunt; non equidem negandum, ex principiis myſticis, ſi ea vltra, quam par eſt, extendantur, illas deriuari poſſe; iureque inde concluditur, caute admodum ac circumſpecte in dogmatibus quibusdam myſticis verſandum, ſcriptaque, recentiorum praeſertim myſticorum, non ſine adcurata δοκιμασίᾳ legenda; an tamen MOLINOSO recte iſta tribuantur, non ſine ratione alii dubitant, immo quidam prorſus inficiantur; licet fieri potuiſſe, fateantur, vt quidam ex eius ſectatoribus ad iſta extrema prolapſi ſint. Sed hac de re diſputare, aut ipſos pſeudo-myſticorum errores refutare, huius loci non eſt. Conferre iuuabit, quae dicta ſunt in *der hiſtoriſchen vnd theologiſchen Einleitung in die vornehmſten Religions-Streitigkeiten, cap. III. ſect. II. §. XIII. p. 293.* vbi & auctores, hiſtoriam quietiſmi ſuppeditantes, laudati; quibus addendus CHR. EBERH. WEISMANNVS, in *introd. in memorab. eccleſiaſt. hiſtor. ſacr. noui teſtam. part. poſt. p. 530. ſeqq.* IAC. BENIGNVM BOSSVETVM, in *inſtructionibus de diuerſis ſtatibus orationis, (inſtructions ſur les divers etats d'oraiſon) p. 386.* alibique, MOLINOSVM grauiſſimorum poſtulare errorum, illisque adeo accedere, qui iure damnatum contendunt, mirum non eſt, cum de theologia myſtica, certe de ſcriptoribus quibusdam myſticis, non adeo praeclare eum ſentire, conſtet; id quod in certamine cum FRANCISCO SALIGN. DE LA MOTTE-FENELON, archi-epiſcopo Cameracenſi, de quo mox dicemus, prodidit. Illud ſolum nunc obſeruamus, ESTRAEVM cardinalem, qui iuſſu Galliae regis, & inſtinctu Ieſuitarum, plurimum ad MOLINOSI interitum contulit, non tantum initio inter amicos eius fuiſſe, ſed quanti theologiam myſticam faceret, teſtatum eſſe, tum FRANC. MALAVALLI, cuius inter recentiores myſticos haud ignobile nomen eſt, *praxin facilem ad contemplationem (pratique facile pour elever l'ame à la contemplation)* in italicam linguam verti iuſſit, eiusque editionem Romanam curauit. Recuſus quoque hicce liber eſt, opera PETRI POIRETI, in *praxi theologiae myſticae verae*, de qua antea dictum,

Iiii 3 Inter

Inter amicos porro MOLINOSI, ſimulque myſticae theologiae defenſores ac promotores, celebre cumprimis nomen eſt PETRI MATTH. PETRVCCII cardinalis, cuius *epiſtolae*, aliique *tractatus myſtici*, multorum teruntur manibus, & inter noſtrates a IO. WOLFG. IAEGERO quoque laudantur, in *exam. theolog. myſt. pag. 444.* Quasdam enim hypotheſes ſi demas quae aliunde illi adhaeſerint, pleraque alia minime contemnenda, pronuntiat.

Quo pacto vero quietiſticae controuerſiae in Gallia excitatae, ibidem quoque diuerſis de theologia myſtica iudiciis, variisque ſcriptis occaſionem dederint; quae porro in hiſce certaminibus FRANCISCI SALIGNAC DE LA MOTTE-FENELON partes, quae fata fuerint? aliunde conſtat, alioque in loco a nobis fuſius copioſiusque exponitur. Ad myſticam theologiam, placitaque quaedam myſticorum, cuncta rediiſſe, res ipſa docet. Illuſtrem enim feminam, GVIONIAM (I. M. B. DE LA MOTTE GVION) quae iſtorum motuum cauſſa praecipua extitit, myſticorum placitis imbutam fuiſſe, immo inter myſticos haud vltimum tenere locum, ſcripta eius teſtantur; in quibus in lucem proferendis PETR. POIRETVM diligentiam ſingularem poſuiſſe, antea obſeruauimus. Magiſtrum GVIONIA habuit FRANC. DE LA COMBE; cuius itidem tum ob librum: *analyſis orationis mentalis*, inſcriptum, tum ob aduerſa, quae expertus eſt, fata, non ignotum inter recentiores myſticos nomen eſt. Ob librum enim iſtum pariter, ac quod, vt diximus, GVIONIAE director extitiſſet, in prauorum dogmatum ſuſpicionem adductus, detentusque per annos plurimos in carcere Pariſienſi, tandem in ergaſtulo vitam finiit. Suppreſſa quoque *analyſis* eius *orationis mentalis* tanta diligentia, vt inter ſcripta rariora referretur, ſed eo auidius etiam quaereretur, donec ſtudio PETRI POIRETI, vt antea itidem obſeruatum, denuo lucem adſpiceret publicam. Nimirum ſummo ſtudio eo tempore id egerunt romanae eccleſiae inquiſitores, vt libros myſticos, qui ſibi non placebant, vel quietiſmum redolere videbantur, ex hominum conſpectu remouerent; vnde in indices ſuos librorum prohibitorum eosdem referebant, in quibus adeo, praeter *analyſin* iſtam *orationis mentalis* FRANC. DE LA COMBE, locum inuenerunt BERNIERII DE LOVVIGNI *opuſcula ſpiritualia & chriſtianus interior*; BENED. CANFELDI *regula perfectionis*, aliaque eiusdem generis. GVIONIA itaque cum myſticorum, quorum diſciplina imbuta erat, principiis inſiſteret; in loquendo autem ἀκρίβειαν, quam ſcholaſtici requirunt, non obſeruaret, quod & alias raro admodum myſtici facere ſolent; accedentibus & aliis cauſſis, quae eam inuiſam reddebant; in haereſeos, & quietiſmi, Romae damnati, ſuſpicionem venit. Syſtema eius in compendio exhibet auctor *hiſtoriae vitae Franciſci de Salignac de la Motte-Fenelon, archiepiſcopi ducis Cameracenſis*, quae gallice ſcripta Hagae Comitum anno 1723. 8. prodiit, *p. 44. ſeqq.* quod ita comparatum eſt, vt, quo iure a romanae eccleſiae addictis condemnari aut reiici potuerit, non videam, cum illud doctrinae myſticorum, in eadem eccleſia probatorum, prorſus ſit conueniens. Interim exaggerationes quasdam, myſticis ceteroquin valde familiares, formulasque loquendi parum exactas, in eius ſcriptis occurrere, non negauit FENELONIVS; vt autem doctrinam eius ipſam damnaret, a ſe impetrare non potuit, cum, mentem illius ſententiamque ſanam ac orthodoxam eſſe, perſuaſiſſimum haberet. Legendus hac de re auctor iam laudatus, *p. 47. 48.* Cum porro primum controuerſiae iſtae exortae eſſent, in colloquio quodam Iſſiaci, circa initium anni 1695 inſtituto, XXX articuli, qui inde *Iſſiacenſes* dicuntur, a IAC. BEN.

BOS-

BOSSVETO conſignati, propoſiti ſunt, quibus quietiſmo inualeſcenti, heterodoxiae GVIONIAE, & ſuſpectae FENELONII orthodoxiae, ſe obuiam ire poſſe, BOSSVETVS exiſtimabat. In hiſce cum FENELONIVS quaedam mutaſſet, & quatuor alios adieciſſet; tandem, poſt concertationes quaſdam, ab omnibus adprobati ſunt. Cum vero nec hac ratione lites iſtae conſopirentur; FENELONIVS articulorum iſtorum XXXIV Iſſiacenſium amplam quamdam explicationem compoſuit, in qua, mente ſententiaque myſticorum luculenter expoſita, cuncta patrum, praeſtantiſſimorumque ſcriptorum, teſtimoniis comprobauit. Quod ſcriptum cum archiepiſcopo Pariſienſi longum nimis viſum fuiſſet, & ob patrum, aliorumque auctorum teſtimonia diffuſum; FENELONIVS illud in compendium miſit, & ita enatus eſt libellus *explicatio regularum ſanctorum de vita interiori*, qui tantum ſtrepitum dedit. Qua ratione is editus ſit, exponit auctor *hiſtoriae de vita Fenelonii, p. 49.* In eo FENELONIVS velut compendium aliquod theologiae myſticae, ex ſententia romanae eccleſiae orthodoxae, exhibere voluit; comparatiſque adeo inter ſe myſticorum formulis, quo ſenſu aut admitti queant, aut reiici debeant, demonſtrauit. Summa ad doctrinam de amore Dei redit, cuius quidem recte diuerſas ſpecies conſtituit, quaſdamque ceu impuras merito reiicit; dum autem eum quoque Dei amorem, quo ad noſtram felicitatem, licet tantum ſecundario, reſpicimus, ceu impurum improbat, illumque tantum pro puro habet, qui ab omni ad noſtram beatitudinem relatione ſeiunctus eſt; ad ἀπάθειαν illam, atque indifferentiam, quietiſmi reprobati praecipuum fontem, accedere quodammodo videtur. Tantum vero abeſt, vt lis hac ratione compoſita fuerit, vt aucta potius ſit, magiſque exacerbata, eo quidem euentu, vt tandem an. 1699 viginti tres propoſitiones, ex libro iſto FENELONII deriuatae, a romano pontifice damnarentur. Bullam pontificis legere licet in *actis erudítor. Lipſ. anno 1699 menſe April. p. 148. ſeqq.* vbi & ſcripta praecipua, ex vtraque parte in hac cauſſa edita, indicantur. Si rem ipſam ſpectes, ex parte illorum, qui FENELONIO ſe oppoſuerunt, praecipuum locum tenent IAC. BENIGNI BOSSVETI *inſtructiones de diuerſis ſtatibus orationis;* itemque *de noua quaeſtione tractatus tres;* I) *myſtici in tuto;* II) *ſcholaſtici in tuto;* III) *quietiſmus rediuiuus;* porro: *declaratio trium epiſcoporum*, LVDOVICI ſcilicet DE NOAILLES, archiepiſcopi Pariſienſis, GODETI DE MARAIS, epiſcopi Carnutenſis, & IAC. BENIGNI BOSSVETI, epiſcopi Meldenſis, cuius tamen praecipuus auctor itidem BOSSVETVS exſtitit; FENELONII autem ex parte *explicationem* iſtam *regularum ſanctorum, de vita interiori*, itemque *reſponſionem ad declarationem trium epiſcoporum*, vt & *epiſtolas* quaſdam ab eodem ſcriptas, legiſſe iuuabit. Hiſtoriae iſtarum controuerſiarum adcuratius pernoſcendae inſeruiet IAC. BENIGNI BOSSVETI *relatio de quietiſmo*, gallice ſcripta, & cum reſponſione FENELONII *ad hanc relationem* recuſa Bruxellis 1698. 8. Summatim etiam hac de re dictum in *der hiſtoriſchen vnd theologiſchen Einleitung in die vornehmſten Religions-Streitigkeiten, c. III. ſect. II. §. XIII. p. 297. ſeqq.* vbi plures, qui lucem adfundere poſſunt, nominati; quibus omnino iungendus auctor antea laudatus, qui *hiſtoriam vitae Fenelonii* ſcripſit, quemue dignum prorſus eſſe, exiſtimo, qui ab omnibus legatur.

Interim haec ipſa certamina aliis quoque ad quos non pertinuerunt, quiue romanae eccleſiae ſacris non fuerunt addicti, occaſionem praebuerunt, ſuam de theologia myſtica ſententiam expromendi. Hos inter eſt auctor *tractatus hiſtorici, contínentis*

nentis iudicium proteſtantis, *de theologia myſtica*, *de quietiſmo*, *deque certaminibus epiſcopi Meldenſis*, *& archiepiſcopi Cameracenſis &c.* cuius editio altera an. 1700. 8. ſine mentione loci prodiit. Nomen auctoris non exprimitur, quem tamen PETR. IVRIEVM eſſe, conſtat; cui *apologiam* ideo *pro theologia myſtica*, antea nobis iam memoratam, PETR. POIRETVS oppoſuit. Nobis id inde condiſcere licet, romanae eccleſiae doctores non ſatis ſibi conſtare, cum de theologia myſtica dicere ſententiam iubentur. Si eam damnent, non poſſunt non multos eccleſiae ſuae doctores, quorum magna eſt exiſtimatio, immo quorum nonnulli in ſanctorum numerum relati ſunt, ſimul damnare. Sin laudent aut adprobent, non poſſunt non talia adprobare, quae cum aliis iſtius eccleſiae placitis ac decretis pugnant. Nec parum ea res faceſſiuit negotii IAC. BENIGNO BOSSVETO, qui, cum reuera alieno a theologia myſtica eſſet animo, hinc ſe expedire non potuit; & quidquid etiam diceret, aut in quamcumque ſe verteret partem, refutando GVIONIAM atque FENELONIVM, praeſtantiſſimos ſimul myſticorum refutauit. Noſtratium equidem diuerſa ſunt de myſtica theologia, ſcriptoribusque myſticis, iudicia. Sed recta hic incedemus via, ſi theologiam myſticam puram, ſiue aſceticam, vnice ex ſacrarum litterarum fontibus hauſtam, ab ea, quae πλατωνιζόντων quorumdam, aut aliorum non recte ſentientium opinionibus fuit corrupta, diſtinguamus, ſique maximum, quod inter ſcriptores myſticos intercedit, diſcrimen probe obſeruemus. Vti enim puram nemo vituperauerit; ita, qui impuram defendunt, aut excuſant, operam oleumque perdunt. Sic & ad ſcriptores ipſos quod attinet, quo puriores & ipſi ſunt, & ad veritatem ſimplicitatemque ſcripturae ſacrae propius accedunt, eo magis laudandi; quo longius inde diſcedunt, & aliquid impuritatis ſecum vehunt, eo cautius legendi, ſi modo omnino legendi. Quae excuſari poſſunt, cuiusmodi non pauca ſunt, excuſanda, adfectibusque illorum, forte non malis, aliquid condonandum, nec ſcholaſtica ſemper ab iis exigenda ἀκρίβεια; quae excuſari nequeunt, repudianda. Quae ſalutaria in iis occurrunt, retinenda, & ad vſum transferenda; reliqua ipſis auctoribus relinquenda. Lectio eorum nec promiſcue, praeſertim nullo obſeruato auctorum iſtorum diſcrimine, commendanda aut concedenda omnibus, nec omnibus interdicenda; quin potius, quanta cuiusque vis ſit, cuncta diiudicandi, diſpiciendum. Quodſi etiam nihil in iis, quod doctrinae ſacrae conueniens non ſit, deprehendamus; cauendum tamen, ne eiusmodi librorum ita capiat nos lectio, vt ſcripturae ſacrae ſordere incipiat ſimplicitas. Huic enim ſuum ſemper manere pretium, ſua conſtare auctoritas illaeſa & illibata debet.

§. X. Fuerunt etiam recentiori aetate, qui doctrinam de legibus diuinis, deque officiis hinc fluentibus, paullo adcuratius pertractarent; vnde *iurisprudentia diuina*, theologiae practicae, ſeu moralis, in latiori ſignificatione ita adpellatae, partem hodie conſtituit. Multa quidem veteris eccleſiae doctores, quae eo ſpectant, attingunt; ſed ſeorſim de illa non praecipiunt. Ex ſcholaſticis autem tum alii, tum ſpeciatim illi, quos *caſuiſtas* barbare vocant, non ſine ratione huc referuntur. Quibus iungendi, qui aut ex noſtrae, aut ex reformatae eccleſiae doctoribus, hanc theologiae moralis partem emendare adgreſſi ſunt. *

* Qui recentiori aetate theologiam moralem adcuratiori quadam ratione tractant, eam, quae de interiori animi cultura, virtutibusque, & earum incremento, agit, doctrinam, diſcernere ſolent ab ea, quae de officiis, hoc eſt, actionibus hominum regenitorum, ad legem diuinam componendis, praecipit; illamque *theologiae moralis* ſpeciatim ſic dictae, hanc autem *iurisprudentiae diuinae*, eo quod in ea quoque de legibus diuinis conſideratio inſtituitur, nomine inſigniunt. Idque recte fieri, facile agnoſcet, qui tractationis vtriusque diuerſitatem rite ponderauerit. Veteris eccleſiae doctores hocce diſcrimen non obſeruant; quibus & ſyſtematica theologiam moralem tractandi ratio ignota fuit. Hinc &, cum ſupra de illorum ſcriptis moralibus verba faceremus, ea ſimul, quae ad iurisprudentiam diuinam ſpectant, attigimus; vt adeo, denuo de illis aliquid commemorare, neceſſe non ſit. Cumprimis autem inter Graecos IO. CHRYSOSTOMVS, inter Latinos AVGVSTINVS ſaepiſſime ea admiſcent, quae iuris diuini quaeſtionibus, doctrinaeque de officiis, lucem adfundere queant. Immo AVGVSTINVM in variis quaeſtionibus excogitandis, iisque paullo curioſius euoluendis, exemplum, quod imitarentur, ſcholaſticis praeiuiſſe, ſupra obſeruauimus. Ex inſtituto autem, qui hanc doctrinae moralis partem pertractauerit, non occurrit, niſi vnicus AMBROSIVS, in *tribus de officiis libris*, ſeorſim, tum alias, tum & Stutgardiae an. 1699. 8. cum commentatione, ſeu diſſertationibus aliquot, MICHAEL. FOERTSCHII in eos, excuſis; de quibus adeo hic aliquid adhuc monendum; cum de reliquis eius ſcriptis, in quibus, quae ad morum doctrinam ſpectant, occurrunt, iam ſupra dictum ſit. Scopus equidem AMBROSII in hiſce libris fuit, de officiis miniſtrorum eccleſiae praecipere; quod & eorumdem inſcriptio indicat, quae in codicibus manuſcriptis legitur, obſeruante hoc LVD. ELL. DVPIN, in *nou. bibl. ſcript. eccleſiaſt. tom. II. p. 256.* Hinc & ſtatim *cap. I.* oſtendit, epiſcopi munus eſſe, docere populum; & in tractatione ipſa ea adfert, quae eccleſiae miniſtros inſtruunt, quo pacto ſeſe gerere debeant. Cum tamen plurima officia eccleſiae miniſtris cum chriſtianis quibusuis ſint communia; non poteſt non ea quoque attingere, ex quibus omnes & ſinguli, cuiuscumque ſtatus aut ordinis ſint, vſum capere queant. Conſtitutum illi fuiſſe, CICERONEM imitari, vel ipſa inſcriptio, tractandique, quam ſequitur, ratio, indicat. Idque eum ita praeſtitiſſe, vt illum non aequauerit modo, ſed & ſuperauerit, nonnulli exiſtimant. Certe praeclare admodum atque magnifice multi de hocce AMBROSII opere cenſent; quos inter & IO. HENR. BOECLERVS eſt, qui in *praefatione*, editioni Argentoratenſi praemiſſa, nihil eorum, quae ad illius commendationem facere poſſunt, praetermittit. Hiſce autem neutiquam ſuffragatur IO. BARBEYRACIVS, qui, ſi principia ex doctrina chriſtiana hauſta, teſtimonia porro & exempla ſcripturae ſacrae, plerumque parum apte adplicata, demas; in reliquis, ſiue ſtili nitorem & facilitatem, ſiue ordinem tractationis, rerumque nexum, ſiue denique ſoliditatem cogitationum, & in ratiociniis ἀκρίβειαν ſpectes, hocce opus ad exemplum, quod ad imitationem AMBROSIVS ſibi propoſuit, ſeu TVLLII libros *de officiis*, minime accedere, pronuntiat. Speciatim deinde hoc in libris iſtis deſiderat, quod, chriſtiano fas eſſe, neget, ſe contra latronem defendere, & velut fundamenti ac principii loco ponat, nemini vmquam licere, cum morte alterius vitam ſuam conſeruare; itemque, quod regulam hancce generalem conſtituat, nihil prorſus licite fieri, quod non ſcriptura ſacra diſerte adprobet, aut recte fieri doceat; *praefat.*

 verſioni

verſioni gallicae operis Puſendorfiani de *iure nat. & gent.* praemiſſa, *p. 47. 48.* Verum, quae ad ordinem, methodumque tractandi, ad ratiociniorum ἀκρίβειαν, & dictionis elegantiam ſpectant, & quae alia ſunt eiusdem generis, a patribus exigi non poſſe, ſupra non ſemel iam faſſi ſumus. Nec abnuo, in iis, quae vir doctiſſimus ſpeciatim in hoc opere reprehendit, AMBROSIVM vltra limites paullisper procedere; quod ei cum aliis veteris eccleſiae doctoribus commune eſſe, itidem ex ſupra dictis conſtat; non tamen iſta obſtant, quo minus magno cum fructu libri iſti legantur, in quibus multa quoque recte & egregie dicta occurrere, negari nequit. IO. NIC. ALEXANDRI MAVROCORDATVS, illuſtriſſimus Vallachiae princeps, qui noſtra aetate ad CICERONIS & AMBROSII exemplum, περὶ καθηκόντων ſiue *de officiis* librum ſcripſit, de AMBROSII hocce opere ita pronuntiat: ὁ δὲ θεῖος Ἀμβρόσιος καίτοι πολιτικοῖς ἀξιώμασιν ἐν Ῥώμῃ κεκοσμημένος, καὶ ὡς ἔθος ἐστὶ τοῖς ἀπὸ δύσεως ἱεροῖς ἀνδράσι, μᾶλλόν πως τῶν ἀνατολικῶν πατέρων (ὧν δὲ πλείους οὐχ ἥψαντο πολιτικῶν πραγμάτων διοικήσεως) ὑποτίθεναι τὰ καὶ ἐν πόλει, καὶ αὐλαῖς φυρομένοις εἰς σωτηρίαν ψυχῆς συνοίσοντα, θείως ἅμα καὶ συνετῶς ἀνατίθεσι τὰ ἐπιβάλλοντα, καὶ ἐνίοτε ἐπικαίρῳ οἰκονομίᾳ χρώμενος φαίνεται· ἀλλ᾽ ὁ κύριος αὐτῷ σκοπὸς, τὸν τέλειον ὑποτυπώσασθαι βίον, εἰς τε τὸν ὑπ᾽ αὐτὸν τελοῦντα κλῆρον ἀποτείνων τοὺς λόγους, ἐνίησί πως πτοίαν τοῖς πράγμασιν ἐνειλημμένοις, καὶ μήπω δυναμένοις ἀποτάξασθαι κόσμῳ· ὄρη μὲν γὰρ τὰ ὑψηλὰ ταῖς ἐλάφοις, πέτρα δὲ καταφυγὴ τοῖς λαγωοῖς· *Diuus autem Ambroſius; quamuis ciuilibus honoribus Romae ornatus, ſicut mos eſt occidentalis eccleſiae ſanctis viris magis, quam orientalibus patribus (quorum plerique non attigerunt rerum ciuilium adminiſtrationem) ſuggerere etiam ciuitati ac reipublicae, aulaeque admiſtis atque adgregatis ad ſalutem animae profutura, diuinitus ſimul & prudenter explicat ad rem pertinentia, ac interdum opportuna videtur vti diſpenſatione; ſed principalis ei ſcopus eſt propoſitus, perfectam informare vitam, tum etiam ad clerum ſuum dirigens ſermonem, incutit quodammodo pauorem iis, qui negotiis inuoluti ſunt, nec adhuc poſſunt renuntiare mundo: montes enim excelſi ceruis, petra perfugium leporibus; cap. I. p. 5.*

Iam ad ſcholaſticos quod attinet; eos, qui moralia tractarunt, in *moraliſtas*, ſpeciatim ſic dictos, & *caſuiſtas* diſpeſci, ſupra obſeruatum eſt. Illi, licet itidem in doctrina virtutum ſaepiſſime de illis, quae iuris diuini ſunt, diſputent; cum tamen de iis ſupra iam dictum ſit, de his, caſuum conſcientiae ſcriptoribus, vt aliquid commemoremus, ſupereſt. Conſcientiae namque vnica, certe praecipua, regula ac norma eſt lex diuina; de cuius vero adeo ac genuino ſenſu vel maxime ſollicitos eſſe decet, qui illam rite erudire cupiunt; quamquam hoc a caſuiſtis illis, quos vocant, factum non ſit, quibus nihil ſollemnius, quam diuina humanaque iura confundere, aut illis neglectis, hiſce tantum, canones conſtitutionesque eccleſiaſticas conſulendo, inſiſtere. Occaſionem autem theologiae caſuiſticae dederunt *libri poenitentiales*, in quibus, quid poenitentiam acturis faciendum eſſet, definiebatur, vt IO. MABILLONIVS obſeruat, de *ſtudiis monaſticis, part. II. cap. VII. p. 296.* Dicebantur quoque *codicilli*, itemque *canones poenitentiales*. Idem etiam, inter primos, qui eiusmodi quid compoſuerint, poſt GREGORIVM thaumaturgum, BASILIVM magnum fuiſſe, putat, vt ex *tribus* eius *epiſtolis canonicis ad Amphilochium* pateat, quae *tomo III.* operum eius, *p. m. 19. ſeqq.* exſtant. Deinceps vero plures tum in graeca, tum maxime latina, exſtiterunt eccleſia, qui eiusmodi libros poenitentiales conſcriberent. Et apud Graecos quidem IOANNES Cappadox notus eſt, patriarcha ille Conſtantinopolitanus, qui & *Ioannis* νηστευτοῦ ſiue *ieiunatoris* nomine

mine venit, & ſaeculo ſexto floruit. Huius namque exſtat liber poenitentialis, ſiue vt a LEONE ALLATIO inſcribitur: ἀκολουθία καὶ τάξις ἐπὶ ἐξομολογουμένων· *ſeries & ordo ſeruandus in confeſſione peragenda*; ex quo & idem ALLATIVS plurima recitat, *de eccleſ. occidental. & oriental. conſenſione lib. III. cap. XVII. §. X. p. 1313. ſeqq.* Graece pariter ac latine exhibetur a IO. MORINO, ad calcem operis *de poenitentia.* Immo & alia eiusdem generis idem IOANNES ſcripſit, de quibus IO. ALB. FABRICIVS, *bibliothec. graec. lib. V. cap. XLI. vol. X. p. 164.* In latina eccleſia ſaeculo ſeptimo vixit THEODORVS, Cantuarienſis archiepiſcopus, cuius *poenitentiale* GVIL. CAVE *opus ſatis amplum, & omnibus pene poenitentiae caſibus adcommodatum*, adpellitat; in *hiſtor. litterar. ſcriptor. eccleſiaſt. ſaec. VII. p. 327.* Illud omnium toto occidente antiquiſſimum eſſe, aliis obſeruatum eſt; editumque eſt a IAC. PETITO, Pariſiis 1679. 4. non integrum quidem, ſed quale ex codicibus, quibus vſus eſt, manuſcriptis, illud exhibere potuit, praecipua ſolum eius capita complectens. Alia eiusmodi ex priſcis libris poenitentialibus & canonibus idem PETITVS adiunxit, ſimulque THEODORVM notis ac diſſertationibus illuſtrauit. *Capitula* quaedam *ſelecta* THEODORI huius exhibentur in *ſpicilegio* IO. LVC. DACHERY, & ſtudio quidem EDMVNDI MARTENE integra, numeroque 168, in noua *ſpicilegii* iſtius editione, quam Pariſiis 1723 LVD. FRANC. IOSEPHVS DE LA BARRE dedit, *tom. I. p. 486. ſeqq.* Ad reliqua *poenitentialia* quod attinet; fuerunt viri docti, qui eorumdem collectiones euulgarent, vt ANT. AVGVSTINVS, in *canonum poenitentialium collectione*, Tarracone anno 1582. 4. IO. MORINVS, ad calcem operis *de diſciplina in adminiſtratione ſacramenti poenitentiae*, quod Pariſiis primum anno 1651. fol. editum, deinde Bruxellis 1685, & Venetiis 1702 recuſum eſt; & denique IAC. PETITVS, ad calcem *poenitentialis* THEODORI Cantuarienſis, vti antea iam obſeruauimus. Diligenter & adcurate more ſuo haſce collectiones recenſet, & alias adhuc addit IO. ALB. FABRICIVS, *bibl. graec. lib. VI. cap. I. volum. XI. p. 73. ſeqq.* Dignum vero cumprimis adhuc eſt, quod commemoretur, *poenitentiale Romanum*, quod HALITGARIO, epiſcopo Cameracenſi, qui ſaeculo nono floruit, debemus. Hic enim, cum *de vitiis & virtutibus, remediis peccatorum & ordine atque iudiciis poenitentiae libros ſex* ſcripſiſſet, in vltimo, ſiue ſexto, *poenitentiale* aliquod exhibet, quod ex ſcriniis eccleſiae Romanae ſe deſcripſiſſe, teſtatur; hinc & ab HVG. MENARDO, ſub nomine *poenitentialis Romani*, editum eſt, in eius *notis ad librum ſacramentorum* GREGORII magni; qui *liber ſacramentorum* cum *notis* HVG. MENARDI ſeorſim primum editus Pariſiis an. 1642. 4. deinde operibus GREGORII magni, Pariſiis an. 1705 iunctim excuſis, & quidem *tomo tertio* inſertus eſt; vbi *poenitentiale* hocce *Romanum*, *p. 162. ſeqq.* legitur. Exſtat quoque HALITGARII illud opus, cum *poenitentiali Romano*, & aliis *poenitentialibus*, in HENR. CANISII *lectionibus antiquis tom. II. part. II. p. 87. ſeqq.* ex editione IAC. BASNAGII, qui & in *obſeruatione* praemiſſa, *p. 85.* quaedam obſeruat, quae huius loci ſunt. Ceterum, cum IO. MABILLONIVS de veterum poenitentialium auctoribus itidem quaedam monuiſſet; de peſſimo illorum inſtituto conqueritur, qui, a ſimplicitate veterum diſcedentes, ad inanes ſubtilitates & ſophiſticas ſpeculationes prolapſi ſunt; non defuiſſe tamen, addit, viros ingenuos, qui & medio aeuo abuſui huic magis magisque inualeſcenti obuiam ire conati ſint; id quod praecipue ſub initium ſaeculi noni, in concilio Turonenſi, & Cabilonenſi factum ſit; *l. c. p. 296.*

Ad rem ipſam vt accedamus; quoniam in libris iſtis poenitentialibus de peccatis, eorumdemque indole, itemque grauitate & leuitate, vt & poenis eccleſiaſticis, ſimilibusque agebatur; non poterat non aliis hinc occaſio ſuppeditari, varios conſcientiae caſus proponendi, deque iis diſceptandi. Inter primos, qui eiusmodi quid ſuſceperunt, RAYMVNDVS DE PENNAFORTI fuit, qui ſaeculo decimo tertio floruit, & *ſummam de caſibus poenitentialibus, libris IV.* comprehenſam, reliquit. Prodiit eadem emendata ab HONORATO VINC. LAGET, Lugduni, 1719. fol. Primus is etiam fuit, qui ſecundum ordinem litterarum hanc doctrinam tractaret; quod deinceps plures imitati ſunt inſtitutum. Quas enim magno numero dederunt, *ſummae*, maximam partem hac ratione, locorum communium inſtar, diſpoſitae, cum vocum explicatione res ipſas exhibebant. Sic & HENRICVS Hoſtienſis, qui eodem ſaeculo vixit, itidem *ſummam* edidit, *celebrem & multa eruditione canonica plenam*, vt ROB. BELLARMINVS loquitur, *de ſcriptorib. eccleſiaſt. p. 201.* Idem ASTESANVS, ſiue ASTENSIS, ex Aſta ſubalpinorum vrbe oriundus, fecit; cuius *ſumma caſuum conſcientiae*, octo libris conſtans, vulgo *Aſteſana* vocari ſolet; ex qua & *canones poenitentiales* excerpſit, & notis illuſtratos cum aliis edidit ANT. AVGVSTINVS, in *canonum poenitentialium collectione*, de qua antea dictum. *Summae Piſanae*, quae & *Piſanella* dicta, auctor eſt BARTHOL. A S. CONCORDIA, Piſanus, ordinis dominicani monachus; quemadmodum *ſumma* RAYNERII, Piſani, *pantheologiae* nomine venit, in qua tamen vniuerſam ſimul theologiam, ordine litterarum diſpoſitam, exhibet; *pacificae* autem ea, quam PACIFICVS Nouarienſis concinnauit. Neue, hiſce hominibus ingenium defuiſſe, exiſtimes, in inſcriptionibus librorum ſuorum ſatis lepidi interdum fuerunt; vt cum IO. BAPTISTA DE SALIS *ſummae* ſuae *roſellae* nomen dedit; & ANGELVS DE CLAVASIO omnino *angelicam ſummam* orbi litterato obtulit. Quam quidem cum *Silueſtrina* nonnulli reliquis omnibus praeferunt, illisque commendant, qui hiſce deliciis delectantur. Namque & SILVESTER PRIERIAS, infelix ille magni LVTHERI noſtri antagoniſta, *ſummam caſuum conſcientiae* ſcripſit. De hiſce autem, ceterisque caſuiſtis, quem antea iam laudauimus, IO. MABILLONIVS porro obſeruat, principia equidem, quibus inſtiterint, ex parte ſecunda *ſummae theologiae* THOMAE DE AQVINO initio deſumta fuiſſe; deinceps vero, cum quisque ſecundum ſuum genium de peccatis hominum ratiocinari inciperet, neglectis regulis eccleſiaſticis, (multo magis verbi diuini) tantam ſententiarum opinionumque inde ortam libertatem, aut, ſi mauis, licentiam, vt nullum fere crimen ſit, quod non in caſuiſtarum ſcriptis pallietur quodammodo, aut excuſetur; *de ſtudiis monaſt. part. II. cap. VII. p. 296.* Plura de hiſce, de quibus hucusque diximus, quiue ante eccleſiae emendationem, aut circa eius initium vixerunt, dabunt GEBHARD. THEOD. MEIERVS, in *introd. in vniuerſum theolog. mor. ſtudium, cap. XVII. §. V.* & IO. MICH. LANGIVS, in *diſſertat. de origine & progreſſu theolog. moral. ſyſtem. §. IX.*

Poſtquam per eccleſiae emendationem, a beato MART. LVTHERO ſuſceptam, orbis chriſtianus in varias partes diuiſus fuit; plurimi vbique exſtiterunt, qui & hancce theologiae moralis doctrinam, quae de officiis, deque legibus, praecipit, illuſtrare adgrederentur; licet non omnes eadem id fecerint ratione. Et in romana quidem eccleſia ingens illorum deprehenditur numerus, qui, aut generatim theologiam moralem tractando, aut ſpeciatim de iuſtitia & iure, vel de quatuor virtutibus

bus cardinalibus, itemque de caſibus conſcientiae praecipiendo, ea, quae iurisprudentia diuina ſibi vindicat, attigerunt. Omnes illos ac ſingulos qui enarrare vellet, tempore ac otio ſuo valde abuteretur. Operae tamen pretium fuerit, quosdam ex praecipuis, maximeque celebribus, commemorare. Inter eos autem primum nobis occurrit FRANC. VICTORIA ſeu DE VICTORIA, ordinis praedicatorum, qui anno 1546 obiit, teſte ROB. BELLARMINO, de *ſcriptorib. eccleſiaſticis, p. 254.* Fuit ex illorum numero, qui minus deſipiunt. Poſt obitum eius prodierunt *relectiones theologicae duodecim*, Lugduni 1657 duobus tomis in 8. in quibus *de poteſtate eccleſiae; de poteſtate ciuili; de matrimonio; de augmentis charitatis; de eo, ad quod tenetur perueniens ad vſum rationis &c.* differit. Licet autem, more ſcholaſticorum, diuinas cum humanis, naturales cum poſitiuis legibus confundat; ea tamen ſimul adfert, quae illis, qui iuris naturalis ſtudium deinceps reſuſcitarunt, vſum praebuerunt minime contemnendum. Eodem circiter tempore vixit DOMINICVS SOTO, patria Segobienſis, ordinis itidem praedicatorum, *vir doctiſſimus & pius valde*, ſi ROB. BELLARMINO credimus, de *ſcriptorib. eccleſiaſt. p. 254.* Hic, cum concilio Tridentino intereſſet, duos libros de *natura & gratia* ſcripſit, patribusque concilii iſtius obtulit. Sed huius loci ſunt eiusdem de *iuſtitia & iure libri VII*, Salmanticae 1556, & deinceps alibi ſaepius editi; quibus poſtea additus fuit liber octauus de *iuramento & adiuratione*. IO. HENR. BOECLERVS de eo ita pronuntiat: *Dominicus Sotus, ad omnium, qui ante ipſum ſcripſerunt, in hoc genere doctrinas, dux & index eſſe poteſt;* ad *Hug. Grot. de iure belli & pac. praefat. p. 23.* MARTINVS AB AZPILCVETA, Nauarrus vulgo dictus, quod gente talis eſſet, inter ſaeculi decimi ſexti iureconſultos magnam conſequutus eſt celebritatem. Salmanticae namque & Conimbricae ius pontificium docuit, annoque aetatis octogeſimo Romam ſe contulit, vt BARTH. CARANZAE innocentiam contra maleuolos obtrectatores, & iudicium inquiſitionis iniquum, vindicaret ac tueretur. Legendi de eo GVIDO PANCIROLLVS, de *claris legum interpretibus, p. 483.* IANVS NICIVS ERYTHRAEVS, *pinacoth. I. imagin. illuſtr. p. 1. ſqq.* NIC. ANTONIVS, *biblioth. ſcript. hiſp. nou. tom. II. p. 74. ſqq.* Opera eius ſex tomis comprehenſa proſtant, in quibus multa eccleſiaſtici pariter ac diuini iuris argumenta tractat; vt in tomo primo: *de vſuris; de Simonia mentali; de furto notabili; de neceſſitate defendendi proximum; de homicidio caſuali;* reliqua. Sed inter omnia eius ſcripta eminet *manuale, ſiue enchiridion confeſſariorum & poenitentium; in quem librum*, inquit NIC. ANTONIVS, *quidquid ſciuit, aut alibi ſcripſit, ſe conieciſſe Nauarrus ipſe Iulio Roſcio Hortino, qui vitam eius ſcripſit, adfirmauit.* Obſeruat idem ANTONIVS, lingua hiſpanica primum huncce librum conſcriptum, deinde ab ipſo auctore in latinam translatum, eſſe; *l. c. p. 77.* vbi & praecipuas eius editiones indicat. Dum autem in eo omnium dubiorum, quae in peccatorum confeſſionibus, & ab iis abſolutionibus, occurrunt, ſolutionem ſuſcipit; non poteſt non ampliſſimus illi, per omnem iurisprudentiam diuinam ſe diffundendi, aperiri campus. Inter Ieſuitarum ſocietati addictos magna ſaeculo hocce decimo ſexto exiſtimatio fuit LVD. MOLINAE, qui hoc loco nobis commemorandus eſt ob opus *de iuſtitia & iure*, ſex tomis in fol. conſtans; partim Moguntiae, partim Antwerpiae excuſis. Elogium, quo PHIL. ALEGAMBE hocce opus ornauit, iam recitaui in *inſtit. theolog. mor. part. II. prolegom.* ad *§. XVIII.* Longe tamen notior idem MOLINA eſt, ob opus *de liberi arbitrii cum gratiae donis concordia;* quod pomum quoddam eridos fuit, inter Domini-

Digitized by Google

minicanos & Ieſuitas, de gratia & libero arbitrio inter ſe contendentes; qua de re alibi. Diſtinguendus eſt hicce MOLINA ab altero LVD. MOLINA, iureconſulto, cuius exſtat *de Hiſpanorum primogeniis* opus; de quo NIC. ANTONIVS, *bibliothec. ſcriptor. hiſp. nou. tom. II. p. 43.* Ex Ieſuitarum quoque ſocietate IO. AZORIVS fuit, qui haud vltimum inter huius generis ſcriptores tenet locum, ob *inſtitutionum moralium*, quos reliquit, *tomos III.* quorum primum ipſemet adhuc edidit Romae an. 1600, duo autem reliqui poſt eius obitum prodierunt; ſaepiusque hoc opus recuſum eſt Romae, Venetiis, Lugduni, alibique. Legendus de eo PHIL. ALEGAMBE, *biblioth. ſcriptor. ſoc. Ieſu, p. 222.* Iudicia quaedam noſtrorum theologorum de eo exhibet IO. FRID. MAYERVS, *biblioth. ſcriptor. theolog. mor. pontific. p. 55. 56.* Laudat quoque AZORIVM IO. HENR. HOTTINGERVS, eumque inter *caſuiſtas*, quos vocant, *loco multorum eſſe poſſe*, pronuntiat, *ſiue molem ſpectes, ſiue curam & ſtudium; bibliothecar. quadrip. lib. III. cap. VI.* Quod eius iudicium repetit NIC. ANTONIVS, *biblioth. ſcript. hiſp. nou. tom. I. p. 487.* Nec praetermittendus eſt THOM. SANCHEZ, Cordubenſis, ſocietati Ieſu itidem adſcriptus, de cuius virtutibus non minus, quam eruditione, magnifice admodum ſentit PHIL. ALEGAMBE; qui &, CLEMENTEM VIII pontificem de eo pronuntiaſſe, refert, *nullum vmquam ſcriptorem exſtitiſſe, qui dubias de matrimonio controuerſias vberius & adcuratius enodaſſet; biblioth. ſcriptor. ſoc. Ieſu p. 437.* Nimirum edidit SANCHEZIVS *de ſacramento matrimonii libros III;* quo opere magnam apud plurimos ſuorum promeruit laudem; vnde & a quibusdam in compendium contractum, tum ſecundum litterarum ſeriem, tum ordine auctoris ſeruato. Aliis tamen maximopere diſplicuit, eo, quod in eo omnes impuritates, omniaque libidinis & laſciuiae genera, docere videatur; quod & non ſemel a noſtrae & reformatae eccleſiae doctoribus exprobratum eſt romanenſibus. Iudicia aliorum de illo refert, & ſub examen reuocat PETR. BAELIVS, *dictionar. hiſtor. crit. voc. Sanchez, tom. III. p. m. 2659. ſeqq.* vbi & recte adſerit, infirma & leuia eſſe, quae pro eius defenſione dicuntur. Idque vel exemplo eorum patet, quae operoſe pro SANCHEZIO diſputat THEOPH. RAYNAVDVS, in *erotem. de malis & bonis libris, part. I. erotem. VII. p. 53.* Poſt SANCHEZII obitum prodierunt etiam eiusdem *operis moralis in praecepta decalogi volumina duo*; totidemque *conſiliorum, ſeu opuſculorum moralium*; quorum ſummam exhibet PHIL. ALEGAMBE, *l. c.* Conferre etiam iuuabit NIC. ANTONIVM, *biblioth. ſcriptor. hiſp. nou. tom. II. p. 252.* Iungamus hiſce FRANC. TOLETVM, diſcipulum DOMINICI A SOTO, patria itidem Cordubenſem, ſocietatique Ieſuitarum adſcriptum; cuius magna eo tempore, quo vixit, quoue Ariſtotelico-ſcholaſtica adhuc regnabat philoſophia, tum in theologorum, tum philoſophorum ſcholis fuit auctoritas. Miſſis autem, quae huius loci non ſunt, ſcriptis eius, hic ſolum commemoramus *ſummam caſuum conſcientiae, ſiue inſtructorium ſacerdotum, in libros VIII diſtinctum,* quod poſt auctoris obitum Romae anno 1702, & cum annotationibus & additionibus ANDR. VICTORELLI, itemque MART. FORNARII *tractatu de ordine*, Lugduni 1630. 8. prodiit. Plura de eo dabit IO. FRID. MAYERVS, *biblioth. ſcript. theol. mor. pontif. p. 107.* Miſſus TOLETVS hicce a pontifice Louanium fuit, ad MICH. BAIVM, de gratia & libero arbitrio non recte, vt nonnulli putabant, docentem, conuincendum, & ad obſequium pontificis adducendum; vnde Dominicanos in eam ingreſſos ſententiam, Ieſuitarum opera in BAIVM concitatum

tum

Digitized by Google

tum pontificem, magnamque animo contra hos concepiſſe iram, auctor eſt THEOD. ELEVTHERIVS, vel, qui ſub hocce nomine latitat, LIVINVS DE MEIER, in *hiſtoria controuerſiar. de gratiae diuinae auxiliis, lib. I. cap. XVI. p. 50.* Legendus quoque de TOLETO, IANVS NICIVS ERYTHRAEVS *pinacoth. I. p. m. 136. ſeqq.* Non minus notus apud philoſophos pariter ac theologos eſt FRANC. SVAREZIVS, qui patria Granatenſis fuit, Ieſuitarumque ſocietati ſe adiunxerat. Nomen eius olim in metaphyſicorum ſcholis ſaepe audiebatur, ob *diſputationes metaphyſicas*, quae multis in pretio erant. Sed ad theologiam moralem opus eius *de legibus ac Deo legislatore* ſpectat, conſtans *libris X.* editumque Antwerpiae an. 1613. Varia in eo attulit in medium, quae deinceps ab iis, qui iuris naturalis tractationem ex inſtituto ſuſceperunt, adcuratius fuere diſcuſſa. Exſtat praeterea opus eius *de triplici virtute theologica, fide, ſpe, & caritate;* itemque *de virtute & ſtatu religionis*, & alia. In celebri iſta de auxiliis gratiae controuerſia, quae Ieſuitis cum Dominicanis intercesſit, SVAREZIVS ordinis ſui partes ſtrenue tutatus eſt; *opuſque tripartitum de diuina gratia* ſcripſit, cuius *pars prima & vltima* typis exſcripta exſtat, at *media*, in qua de *gratia actuali & auxiliis* tractat, conſenſum pontificis adhuc exſpectat, a quo, ne libri de auxiliis gratiae imprimerentur, prohibitum eſt. Docet hoc THEOD. ELEVTHERIVS, ſiue LIVIN. DE MEIER, in *hiſtoria controuerſ. de grat. diu. auxiliis. lib. VI. cap. XXX. p. 728.* Eodem in certamine innotuit LEONH. LESSIVS, qui inter moralis theologiae ſcriptores locum ſibi vindicat, ob *libros IV de iuſtitia & iure, ceterisque virtutibus cardinalibus*, Louanii, Antwerpiae, alibique excuſos. In quinta & ſequentibus editionibus acceſſit *diſſertatio de montibus pietatis;* Lugdunenſi autem, quae an. 1630 prodiit, addita eſt THEOPH. RAYNAVDI *appendix pro Leonhardo Leſſio, de licito vſu aequiuocationum, & mentalium reſtrictionum aduerſus criminationes Ioan. Barneſii.* In hiſtoria certaminum de auxiliis gratiae ideo frequens LESSII fit mentio, quod quaedam eius theſes, acri cenſura ab academia Louanienſi notatae, magnis in Belgio inter Ieſuitas & Dominicanos controuerſiis occaſionem praebuerunt; laudatus ideo ac defenſus ab illis, quorum quippe ſocietati & ipſe adſcriptus erat, ab his culpatus ac reprehenſus. Legendus hac de re AVGVSTINVS LE BLANC, ſeu IAC. HYACINTHVS SERRIVS, in *hiſtoria congregation. de auxiliis gratiae diuinae, lib. I. cap. III. p. 12.* & ex altera parte THEOD. ELEVTHERIVS, ſiue LIVINVS DE MEIER, in *hiſtor. controuerſiar. de gratiae diuin. auxil. lib. I. cap. VI. p. 13.* vbi varia LESSII elogia profert. Obiit LESSIVS an. 1623, cum anno praecedenti vitam cum morte commutaſſet VINCENT. FILLIVCIVS, natione Italus, patria Senenſis, cuius exſtant *moralium quaeſtionum de chriſtianis officiis, & caſibus conſcientiae tomi duo;* ad formam curſus, qui praelegi ſolet in ſocietatis Ieſu collegio Romano, vt auctor eſt PHILIP. ALEGAMBE, in *biblioth. ſcriptor. ſoc. Ieſu, p. 443.* vbi plura de hocce opere. Circa initium quoque ſaeculi decimi ſeptimi floruit, mortuus quippe an. 1633, FERD. DE CASTRO PALAO, Legionenſis, Ieſuita notiſſimus ob *opus*, quod reliquit, *morale*, de *virtutibus & vitiis*, in ſeptem tomos ſeu partes diſtributum, quorum primus & vltimus praecipue huius loci eſt; in illo namque *de conſcientia, de peccatis, de legibus &c.* in hoc de *iuſtitia* & *iure*, *prudentia, fortitudine & temperantia*, tractat. Summam operis huius, & editiones, indicat NIC. ANTONIVS, *bibliothec. ſcriptor. hiſp. nou. tom. I. p. 284.* Huic ex germanis ſuccedat PAVLVS LAYMANNVS, Ieſuita, quippe qui *theologiam moralem* edidit, in

libros

Digitized by Google

libros V partitam, Monachii 1625, nouis ſubinde acceſſionibus auctam, ſaepiusque recuſam. Non omnibus placet, eo quod ſententias Ieſuitarum ordini proprias, atroque ab aliis notatas lapillo, defendit. Scripſit & alia, iuri tamen eccleſiaſtico & ciuili potius, quam diuino & theologiae morali inſeruientia. Circa medium ſaeculi decimi ſeptimi floruit, mortuus quippe an. 1660, IO. DE LVGO, Hiſpalenſis patria, natus tamen Madriti, Ieſuita, tandemque cardinalis. Huius ſubinde inter ſcriptores eiusmodi, de quibus hic loquimur, fit mentio, ob *duo de iuſtitia & iure volumina.* Lugduni 1642 & 1652. fol. itemque *reſponſorum moralium libros VI*, ibidem 1660. fol. Scripſit & alia, vt *diſputationes ſcholaſticas & morales, de ſacramentis in genere*; itemque *de venerabili euchariſtiae ſacramento &c.* de quibus NIC. ANTONIVS, in *biblioth. ſcriptor. hiſp. nou. tom. I. pag. 556.* Mitto IO. CARAMVELEM LOBKOWIZIVM, qui praeter alia & *theologiam moralem, fundamentalem, decalogicam, canonicam, ciuilem, praeterintentionalem, ſacramentalem, regularem, militarem*, dedit, Francofurti 1652. 4. ſiquidem in eius ſcriptis pauci ingenium admirantur, iudicium omnes deſiderant. Infelici praeterea conatu illorum ſententiam defendit, qui, probabilis conſcientiae ductum, ceu normam, vitaeque cynoſuram, ſe tuto ſequi poſſe, exiſtimant. Ad IOANNEM potius DE DICASTILLO nos conuertimus, cuius vitam & ſcripta exhibet NIC. ANTONIVS, *biblioth. ſcriptor. hiſp. nou. tom. I. p. 520.* Inter haec eminent *de iuſtitia & iure ceteriſque virtutibus cardinalibus libri duo*, Antwerpiae 1641. fol. itemque *tractatus duo, de iuramento, periurio & adiuratione, nec non & de cenſuris & poenis eccleſiaſticis*, ibidem 1662. fol. Magni prae reliquis aeſtimatur a IO. HENR. BOECLERO; qui in ſua ad HVG. GROTIVM *de iure belli & pacis* commentatione, itemque in *diſſertationibus* ei adiectis, ad neminem ex hoc ſcriptorum genere ſaepius, quam ad DICASTILLVM prouocat. Nec praetermittendus ANTON. DIANA, gente Siculus, patria Panormitanus, cuius vaſtum exſtat opus *reſolutionum moralium*, partibus XII comprehenſum, idemque ſaepiſſime recuſum. CARAMVELIS de eo elogium, quod *plus quam diabolicum* vocat, refert IO. FRID. MAYERVS *biblioth. ſcriptor. theolog. mor. pontif. p. 65.* Librorum mole illi comparandus, ſi non praeferendus THEOPH. RAYNAVDVS, ex Ieſuitarum ordine, cuius quippe opera in XIX tomos digeſta, Lugduni 1665 prodierunt, quibus poſt eius obitum viceſimus acceſſit. Quae morali doctrinae inter ea inſeruiunt, ſunt: *moralis diſciplina, ad praeſtruendam theologiae practicae ac iurisprudentiae viam, plene diligenterque explicata*; item, *de virtutibus, ac vitiis adcurata ac florulenta tractatio.* Ex Germanis his addendus non nullius nominis Ieſuita HERM. BVSENBAVM, ob *medullam theologiae moralis*, Monaſterii an. 1645 editam, & Coloniae, Romae, Venetiis, alibique, recuſam. Ex Hiſpanis vero iterum ANTON. DE ESCOBAR, & MENDOZA, Ieſuitarum ordini addictus; qui *vniuerſae theologiae moralis problemata*, tomis II. fol. edidit Lugduni 1652, quos quinque alii tomi inſequuti ſunt, inſcripti: *vniuerſae theologiae moralis receptiores absque lite ſententiae, nec non controuerſae diſquiſitiones.* Exſtat & eiusdem *liber theologiae moralis, viginti quatuor ſocietatis Ieſu doctoribus reſeratus, & in examen confeſſariorum digeſtus*, idemque tum alias, tum & Venetiis 1618. 8. recuſus. In hiſce omnibus laxiorem ordinis ſui, in formandis moribus, diſciplinam, ſequutus eſt; eoque nomine INNOCENTII XI pontificis cenſuram incurrit. Tandem & THOM. TAMBVRINVS ſeſe nobis offert, gente Siculus, ex eadem Ieſuitarum ſocietate, qui ampliſ-

ſimis

ſimis apud ſuos muneribus functus eſt, mortuusque Panormi an. 1675. Praeter alia enim, *iuris diuini, naturalis & eccleſiaſtici morales explicationes de ſacramentis, contractibus, cenſuris, & irregularitate*, reliquit, Panormi 1661. fol. alibique excuſas; itemque *expeditas decalogi explicationes, libris X digeſtas*, Venetiis 1654. & Lugduni 1669. fol. De NAT. ALEXANDRI *theologia dogmatica & morali*, quae hic itidem commemorari poterat, ſupra iam dictum eſt. Namque theologiam moralem ſyſtematicam raro admodum ita tractari, vt non admiſceantur, quae iurisprudentia diuina ſibi vindicat, non ſemel iam obſeruatum eſt. *Paralipomena* eius *theologiae moralis, ſeu variae de rebus moralibus epiſtolae*, Delphis an. 1701. 8. excuſae, eo comparatae ſunt, vt quaedam theologiae ſuae morali obiecta, diluat; quo ipſo varias quaeſtiones, quae recentiori aetate agitatae ſunt, attingit; & contra probabiliſmum quoque, quem vocant, diſputat.

Iam & diſpiciendum, quid de doctrina morali ipſa iſtorum, quos recenſuimus, auctorum, ſimiliumque, romanae eccleſiae addictorum, cenſendum ſit, & quaenam etiam eius in eadem eccleſia fuerint fata? Quaedam equidem in iis, quae minime contemnenda ſunt, occurrere, neutiquam negauerim; nec, ingenii prorſus & diligentiae laude eos defraudandos eſſe, exiſtimo. Quaenam HVGONIS GROTII de ſcholaſticorum (ex horum enim genere ſunt, de quibus loquimur) in doctrina morali vſu, ſententia ſit, ex *prolegomenis* operis eius *de iure belli & pacis*, §. *LII.* conſtat. Longe autem plurima ſunt, quae in iis iure meritoque deſiderantur. Suntque ea vel communia omnibus, certe pleriſque, vel quibusdam propria. Ad illa, praeter errores, qui ex dogmatibus, in eccleſia romana receptis, non poſſunt non fluere, quorumue nonnulli ita comparati ſunt, vt veram ac genuinam theologiae moralis indolem prorſus euertant, primum ſpectat legum diuinarum humanarumque, praeſertim eccleſiaſticarum, turpiſſima confuſio. Quae enim iuris diuini ſunt, tametſi quodammodo etiam ex ratione conſtent; cumprimis tamen ex lumine reuelationis, ſeu ſcriptura ſacra, haurienda ſunt; quippe in qua Deus, quae ab hominibus fieri voluit, quam luculentiſſime manifeſtauit. A diuinis autem legibus vt plane diuerſae ſunt humanae, ſpeciatim eccleſiaſticae; ita ſeorſim quoque tractandae. Recentiores moraliſtae caſuiſtaeque a veteribus hocce vitium velut hereditario iure accepiſſe videntur; ſiquidem iis iam idem in more poſitum fuit. Deinde, iure nonnulli in hiſce ſcriptoribus iſtam quaeſtionum particularium, ſaepius inanium & ridicularum, multitudinem redarguunt. Quod quidem vitium generatim in ſcholaſticis iam notauit FRANC. BACO DE VERVLAMIO, de *augment. ſcientiar. lib. I. p. 18.* Enimuero, quae ad vitae chriſtianae vſum ſpectant, paucis comprehendi poſſunt; &, ſi principia, quae ſufficiant, rite tradantur; quilibet, vel mediocri iudicio inſtructus, ad quemlibet vitae caſum, ea facile adcommodabit, vt numquam conſilii maneat inops, nec neceſſe ſit, tam immenſorum voluminum perluſtratione tempus perdere. Praeterea, dum moraliſtae iſti atque caſuiſtae omnia mouent, de omnibus diſputant, &, diſſentiendi ac de omnibus diſputandi cauſſa, dubia excogitant; incerta ſaepius reddunt, quae longe ſunt certiſſima. Et ita, quod & ſupra iam, cum de dogmatica ſcholaſticorum theologia verba faceremus, obſeruauimus, ſcepticiſmo feneſtram aperiunt; qui, cum vbique longe ſit periculoſiſſimus, cumprimis tamen valde noxius cenſetur, cum de vita ad leges componenda agitur, vbi vel minimus error aut dubium ad praecipitia ducit. Id inſuper diſputationibus ſuis efficiunt, vt qui, peccata quaedam peccata non eſſe, volunt, facile

facile ſuae impietatis praeſidium aliquod in iſtis caſuiſtarum ac moraliſtarum diſputationibus inueniant. Vnde non ſine ratione nonnemo dixit, moraliſtarum doctrinam eſſe *artem rixandi cum Deo*, vt PETR. BAELIVS refert *diction. hiſt. & crit. voc. Loyola, tom. II. p. m. 1853.* Tota denique iſta moralia tractandi ratio, qua ſcholaſtici vtuntur, ita comparata eſt, vt ſcholae tantum, non vitae inſeruiat. Non enim corrigunt, non emendant mores, ſed tantum de iis diſputare docent. Mirum itaque non eſt, inter ipſos romanenſes eſſe viros doctos, qui eiusmodi ſcriptis nullum prorſus ſtatuunt pretium. Immo tantum abeſt, iudice IO. MABILLONIO, vt a caſuiſtis doctrina moralis chriſtianorum recte addiſcatur, vt nihil periculoſius ſit, quam illorum promiſcue legere libros; cum & intellectus & voluntas per eos facile corrumpatur, niſi praua diſtinguantur a bonis; de *ſtudiis monaſt. part. II. cap. VII. p. 299. 300.* vbi & porro docet, maiorem vtilitatem ex *officiis* CICERONIS, quam ex plurimis caſuiſtarum hauriri. Pari ratione & LVD. ELL. DV PIN de iis pronuntiat: *Caſuiſtarum volumina ad cognoſcendam dogmatum veritatem minorem adhuc vſum praebent. Nam etſi doctrina morum non exiguam doctrinae chriſtianae partem conficiat; attamen illi, qui principia atque regulas ſuas morales ex ſacra ſcriptura & traditione deducere, edocti non ſunt, ſed quoad maximam partem nihil aliud fecerunt, quam vt ſpeciales caſus reſoluerent, per rationes & ad fines nimium ancipites, & plane tales, quae ipſos in errores & intolerabiles conniuentias ab eccleſiis iure meritoque damnatas praecipitarunt; hinc auctoritas illorum nullius eſt pretii, & vnde commodi quidquam trahas, in eorum operibus perpauca offendes;* in *method. ſtud. theolog. c. IV. p. 88.* Iam ad vitia, quae quibusdam propria ſunt, quod attinet; hoc nomine iſta recentiorum moraliſtarum ac caſuiſtarum, Ieſuitarum maxime, commenta innuo, quibus ad peccata quaeuis impune committenda latam viam aperiunt; cuiusmodi ſunt, de probabili conſcientia, quam ſi quis, etiamſi erronea ſit, aut vel vnius doctoris nitatur auctoritate, ſequatur, non peccet; de methodo dirigendi intentionem, ac ſi haec ſola, vt licite aliquid fiat, ſufficiat; de arte mutandi definitiones virtutum ac vitiorum, qua virtutes in vitia, & vitia in virtutes mutentur; de cogitationibus bonis, quarum gratiam ſi Deus non ſuppeditet, hominem in quocumque opere peccare, negant; de aequiuocationibus, itemque reſtrictionibus & reſeruationibus mentalibus; porro de attritione, vt & peccato philoſophico; & quae alia ſunt eiusdem generis, quorum pleraque ſummatim complectitur IO. HENR. HEIDEGGERVS, in *hiſtor. papatus, per. VII. §. CCLXXXIII. p. 447.* Veſtigia atque ſemina iſtorum placitorum iam in antiquioribus quibusdam moraliſtis occurrere, negari nequit, & a me iam obſeruatum in *hiſtoria iuris nat. §. XIII. pag. 19.* idemque confirmat PETRVS BAELIVS, *diction. hiſt. & crit. voc. Loyola, tom. II. p. 1853.* Recentiores tamen, cumprimis Ieſuitae, male hoc nomine audiunt, quod in hiſce placitis inculcandis, defendendis, ac ad vſum transferendis eorum induſtria praecipua quadam ratione enituit. Quod non ita accipi velim, ac ſi aut omnes, aut ſoli Ieſuitae, criminis huius rei ſint. Sunt enim inter illos, quibus laxior diſciplina illa moralis maximopere diſplicet; quae contra quibusdam in eccleſia romana probatur, qui Ieſuitae non ſunt. Quia tamen ſocietati huic addicti potiores in iſtis ſententiis defendendis partes ſuas eſſe voluerunt; aegre ferre non debent, quod ſibi etiam praecipue tribuantur. Conferenda, quae PETR. BAELIVS *l. c.* hac de re monet. Eminent autem inter eos, qui haecce Ieſuitarum, ſeu recentiorum moraliſtarum, placita propaganda ſuſceperunt,

Digitized by Google

HONOR. FABRI, ſub BERN. STUBROCKII nomine latitans, in *apologetico doctrinae moralis ſocietatis Ieſu;* ANT. TERILLUS, in *regula morum contra Elicaldum;* AMAD. GUIMENIUS, ſiue P. MOYA, in *opuſculo aduerſus quorumdam expoſtulationes contra nonnullas Ieſuitarum opiniones morales;* quos iam laudaui in *hiſtoria iuris naturalis*, §. *XIII.* quibus adhuc addi poſſunt P. PIROTUS, in *apologia caſuiſtarum;* GABR. DANIEL, in *reſponſione ad litteras provinciales Lud. Montaltii, ſiue colloquiis Cleandri & Eudoxii*, aliique laudati CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIO, in *notis ad corpus doctrinae moralis a facultate theolog. Pariſienſi &c. editum*, ad §. *III. p.20.* Plurimi contra in eccleſia romana, iique praeſtantiſſimi, exſtiterunt viri, qui haec errorum monſtra confodienda ſibi ſumſerunt, atque profliganda. Primum forte praecipuumque inter eos locum ſibi vindicat ANT. ARNALDUS, Ianſeniſticae factionis ſua aetate facile princeps. Hic enim in erroribus practicis Ieſuitarum inducendis & perſtringendis omne ſtudium collocauit. Tribuitur illi vulgo liber notiſſimus, & octo conſtans tomis in 12. qui inſcribitur : *morale pratique des Ieſuites.* At duorum priorum operis huius tomorum ſe eſſe auctorem, diſerte negat; reliqui quin ab eo profecti ſint, dubium non eſt, in quibus de factis quibusdam, ſpeciatim de controuerſia, quae Ieſuitis de cultu mortuorum & Confucii apud Chinenſes cum Dominicanis intercedit, agitur. Argumenta ſingulorum tomorum, & ordinem temporis, quo prodierunt, indicaui in *diſſertat. de ſuperſtitioſo mortuorum apud Chinenſes cultu*, §. *XII.* in *analectis hiſtor. philoſ. p.274.* Auctor quoque ARNALDUS fertur libri: *la theologie morale des Ieſuites*, inſcripti, editique anno 1643. Sed hoc incertum. Perperam namque ſcripta quaedam illi tributa, docet PETR. BAELIUS, *diction. hiſt. & crit. voc. Arnaldus, tom. I. p.368. ſeqq.* Id certum, alia ſcripta ad redarguendos Ieſuitarum in doctrina morali errores ſpectantia, ab eo profecta, vt: *denuntiationem haereſeos de peccato philoſophico;* item, *haereſin impiam aduerſus praeceptum de Deo amando;* & quae reliqua ſunt eiusdem generis. Non minorem ob detectos, omniumque oculis expoſitos, acriterque profligatos Ieſuitarum in doctrina morali errores, laudem conſequutus eſt BLASIUS PASCALIS, dum ſub LUDOV. MONTALTII nomine latitans, *litteras prouinciales* (ſeu potius *ad prouincialem* hoc eſt, ſi nonnullis credimus, PERIERIUM, adfinem PASCALIS) *de morali & politica Ieſuitarum diſciplina*, edidit; incredibili totius orbis litterati adplauſu exceptas; hinc & in varias linguas, vt italicam, hiſpanicam, anglicanam, translatas. Sunt, qui tres priores epiſtolas ARNALDO vindicant; in reliquis argumenta & excerpta ex libris Ieſuitarum aliunde illi ſuppeditata contendunt, vt adeo ſtilo ſolum formam, vitamque velut operi huic dederit. In eo ſane ſumma vis ingenii praeſtantiſſimi, & ad naeuos aliorum perſtringendos, & ſale mordaci perfricandos, nati, elucet. Facileque crediderim, inter innumera, quae contra Ieſuitas prodierunt ſcripta, non temere vllum eſſe, quod illos acrius pupugerit, aut magis eorum irritauerit animos. In linguam latinam haſce epiſtolas transtulit, notisque theologicis, *quibus tum Ieſuitarum aduerſus Montaltium criminationes repelluntur, tum praecipua theologiae moralis capita a nouorum caſuiſtarum corruptelis vindicantur*, illuſtrauit PETR. NICOLIUS, vir doctiſſimus, & ob varia ingenii monumenta longe celeberrimus, qui ſub WILH. WENDROCKII, *theologi Salisburgenſis*, nomine latitare voluit. Stili gallicani leporem non infeliciter adſequutus eſt, vt modeſtiae eius tribuenda ſit haec excuſatio: *Ingenue profitebor, nullo fere me loco vernaculam elegantiam aequaſſe, in*

multis etiam immenſum ab ea abfuiſſe. Summa errorum, quorum Ieſuitae & recentiores caſuiſtae poſtulantur, capita, idem in *praeloquio primo* indicat. Artes autem, quibus Ieſuitae vſi ſunt, vt Ianſeniſtis inuidiam crearent, egregie deſcribuntur *epiſt. III. p.m.32. In diem*, inquit MONTALTIVS, *viuunt* (Ieſuitae.) *Sic illi adhuc vsque ſteterunt: nunc ſcenico catechiſmo, vbi puerili voce proterunt aduerſarios; tum publica puerorum pompa, in qua ſufficiens gratia efficacem catenatam deducit; mox comoedia, vbi Ianſenium daemones abripiunt; aliquando picto calendario, ſiue vt loquuntur, Almanacho; ac demum hac cenſura.* Quae verba quid ſibi velint, in ſubiuncta nota explicat WENDROCKIVS, docetque inter alia, Ieſuitas *Almanachum*, ſeu *calendarium pictum*, excudi curaſſe, quo in Ianſenium daemonis alas circumferentem, errore, ignorantia, fraude ſtipatum, hinc ſummus pontifex, religione & eccleſiae poteſtate circumdatus, fulmina vibrabat, illinc rex chriſtianiſſimus zelo, pietate, concordia, iuſtitia ſeptus, & ſceptro & iuſtitiae enſe ſaeuiebat; miſeri Ianſeniſtae laruali habitu vndique fugati ad Caluinum ſeſe recipiebant. At rurſus non multo poſt a quodam Ianſenii defenſore libellus editus eſt, aliquot millibus verſuum conſtans, qui tabulam Ieſuiticam illuſtrioribus coloribus ornabat, inſcribebaturque: *les Euluminures du fameux Almanach des peres Ieſuites*. De quo libello WENDROCKIVS: *nihil adhuc in hoc genere elegantius Gallia viderat, nec vsquam Ieſuitae veris magis & natiuis coloribus depicti ſunt. Nec vero haec ſcriptio in iocularium ſatyrarum numero habenda eſt, quae nihil frugi poſſet adferre. Multa in illa feliciſſimo impetu aduerſus caſuiſtarum corruptelas, multa de auctoritate Auguſtini, multa de ipſa gratia, non modo venuſte, ſed etiam ſolide & docte diſputantur.* Haec vero, aliaque, quae in iſtis *ad prouincialem litteris* continentur, cum Ieſuitae non poſſent non quam aegerrime ferre; mirum non eſt, eo rem iſtam illos perduxiſſe, vt in Gallia publica auctoritate damnarentur. Hoc enim omnino factum eſſe, oſtendit PETR. BAELIVS, in *diction. hiſtor. & crit. voc. Paſcal, tom. III. p.m.2309.* Immo & ab ALEXANDRO VII pontifice anno 1656 *litteras* iſtas ad *prouincialem* damnatas conſtat; idque & IOAN. FRID. MAYERVS obſeruat, in *biblioth. ſcriptor. theolog. mor. pontif. p.93.* Variis quoque ſcriptis cauſſam ſuam contra easdem egerunt Ieſuitae. Eminet inter illos, qui hoc fecerunt, HONOR. FABRI, qui ſub BERNARDI STVBROCKII, theologi Vienneníis, nomine, *notas* ſcripſit *ad notas Wilhelmi Wendrockii ad Ludouici Montaltii litteras, & ad disquiſitiones Pauli Irenaei*, quae deinceps, eiusdem *apologetico doctrinae moralis ſocietatis Ieſu*, Lugduni anno 1670 edito, cuius antea quoque mentionem fecimus, inſertae ſunt. *Notae* iſtae STVBROCKII in indicem librorum prohibitorum relatae ſunt; quod de *notis* WENDROCKII dici nequit. Legenda, quae ea de re obſeruat PETR. BAELIVS, in *diction. hiſt. & crit. voc. Nicolle, tom. III. p.2222.* Iam antea FRANC. ANNATVS, in libro: *bona fides Ianſeniſtarum in citandis auctoribus*, inſcripto, editoque Pariſiis anno 1656, litteras MONTALTII refutare inſtituerat; quem deinceps ſequutus eſt STEPH. DES CHAMPS, Ieſuita, & in Claramontano Pariſienſi collegio primarius theologiae profeſſor, in *quaeſtione facti de ſententia theologorum ſocietatis, circa opiniones probabiles*, cui tamen ipſe ſatisfecit WENDROCKIVS, in *adpendice prima* ad *diſſertat. de probabilitate*, quae legitur in editione *litterarum prouincialium*, quae Coloniae 1665. 8. lucem adſpexit, *p.547. ſeqq.* Sed principem inter omnes, qui contra *litteras ad prouincialem* calamum ſtrinxerunt, locum tenet GABR. DANIEL, quippe quem auctorem eſſe, conſtat, libri, in-

inſcripti : *reponſe aux lettres prouinciales de L. de Montalte, ou entretiens de Cleandre & Eudoxe*, editique Bruxellis an. 1697, cuius itidem antea iam mentionem fecimus. Quidquid namque auctor ingenii habuit, quod minime contemnendum ei obtigit, id omne eo contulit, vt cauſſam Ieſuitarum defenderet ac ornaret. Hinc & ſocietati huic addicti omnem mouerunt lapidem, vt in varias transferretur linguas, & in multorum manus perueniret. Neque tamen hac ratione eos obtinere potuiſſe, vt *litterae ad prouincialem* pretium ſuum amitterent, viri docti iudicarunt. Anonymus inſuper quidam *reſponſioni* DANIELIS *apologeticum literarum prouincialium* oppoſuit, Rothomagi 1697. Legenda, quae de hiſce omnibus obſeruat PETRVS BAELIVS, *diction. hiſt. & crit. voc. Paſcal. tom. III. p. 2308.* Inter eos, vt hoc ἐν παρόδῳ moneam, quos MONTALTIVS nominatim acriter perſtringit, haud vltimus eſt STEPH. BAVNIVS, Ieſuita, cuius *theologia moralis* IV tomis comprehenſa anno 1640 ad 47 in fol. Pariſiis prodiit. Exſtat etiam eiusdem *ſumma caſuum conſcientiae*, ſeu *manuale confeſſionum in gratiam eorum, quibus animarum cura incumbit*, Pariſiis 1631. 8. Nec immerito hunc praecipue ſibi exagitandum ſumſit, cum in defendendis vitiis, omnibusque, quibus coërceri vtcumque poterant, repagulis remouendis, nemo temere exſtiterit impudentior. Praeter hactenus commemoratos, alii adhuc fuerunt in eccleſia romana, qui Ieſuitarum recentiorumque caſuiſtarum, corruptelis ſeſe opponerent. Nihil nunc de IVLIO MERCORO, PROSPERO FAGNANO, & IO. SINNICHIO dicam, quos *tria caſuiſtarum flagella* WENDROCKIVS vocat, qui & copioſius de iis diſſerit in *adpendice II* ad *litteras ad prouincial. p. m. 574. ſeqq.* VINC. BARONIVM, STEPH. GRADIVM, ANTON. CELLADEVM, alioſque, qui probabiliſmi commentum profligare, ſuarum duxerunt eſſe partium, iam commemoraui in *hiſtoria iuris nat. §. XIV.* Ibidem etiam *§. XV.* CASSIANI A S. ELIA *theologiam moralem a corruptelis Ieſuitarum repurgatam* laudaui. Iungendus adhuc hiſce HENR. A S. IGNATIO, cuius *theologia ſanctorum, veterum ac nouiſſimorum circa vniuerſam morum doctrinam aduerſus nouiſſimas iuniorum caſuiſtarum impugnationes, ſtrenue propugnata*, Leodii an. 1707 lucem adſpexit. Diuerſum ab hocce aliud eiusdem auctoris opus eſt, inſcriptum: *ethica amoris, ſiue theologia ſanctorum, magni praeſertim Auguſtini & Thomae Aquinatis, circa vniuerſam amoris & morum doctrinam, aduerſus nouitias opiniones ſtrenue propugnata, & in matoriis principaliter hodie controuerſis fundamentaliter diſcuſſa*, Leodii 1709 tomis II. in fol. In quo primum illud maxime laudandum, quod ex amore vniuerſam theologiam moralem deriuat. *Amor* namque *ordinatus*, ſeu, quo Deum ſupra omnia amamus, illi principium eſt omnium virtutum; *amor* autem *inordinatus* principium omnium vitiorum ac peccatorum. Deinde & hocce recte ab auctore factum, quod laxiori doctrinae morali recentiorum caſuiſtarum ſtrenue ſe opponit. Hinc & in prolegomenis de *radicibus laxioris ethices*, deque eiusdem *remediis; de ſublimitate, germanisque fontibus doctrinae moralis chriſtianae; de origine & progreſſu laxioris morum doctrinae; de querelis aduerſus ethicen ſeueriorem &c.* copioſe diligenterque diſſerit. Mitto reliquos, qui in hiſce errorum monſtris conficiendis ſtudium operamque ſuam collocarunt; cum omnes recenſere, longum nimis foret. Nec a ſingulis modo doctoribus, ſed ab integro theologorum Pariſienſium ordine, qui Sorbonnae nomine venit, non ſemel eiusmodi recentiorum caſuiſtarum placita proſcripta ſunt atque damnata. Sic an. 1665 dogma probabilitatis, ſimileſque propoſitiones in

Digitized by Google

AMADEI GVIMENII, quo nomine P. MOYA tegi dicitur, opuſculo, ſupra nobis iam commemorato, *tamquam falſas, temerarias &c. & orthodoxis doctoribus contrarias* ſollemniter damnauit iugulauitque. Conferendus IO. HENR. HEIDEGGERVS, in *hiſtor. pap. per. VII. §. CCLXXXIV. p. 449.* Sed noſtra quoque aetate idem ordo theologicus Pariſienſis *corpus doctrinae* edere coepit, cuius pars prima, doctrinam moralem continens, an. 1716 lucem adſpexit, in qua varia eiusmodi Ieſuitarum recentiorumque caſuiſtarum placita, atro notantur lapillo. Recudi hoc curauit, notisque eruditiſſimis, ex quibus certaminum, de quibus hucusque diximus, hiſtoria augeri atque ſuppleri poteſt, illuſtrauit, vir longe celeberrimus CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, Tubingae 1718. 4. Lectu cumprimis digna, quae *p. 24.* de *probabiliſtis* & *probabilioriſtis*, & *p. 26.* de *peccato philoſophico* diſſerit. Denique nec ipſorum pontificum cenſuras iſta Ieſuitarum placita effugere potuerunt. ALEXANDER namque VII an. 1665 & 66 quadraginta quinque probabiliſtarum propoſitiones ſub excommunicationis poena peculiari bulla proſcripſit; deinceps vero & INNOCENTIVS XI an. 1679 plurima caſuiſtarum dogmata, itidem peculiari bulla, damnauit. Vtramque & ALEXANDRI & INNOCENTII bullam exhibet IO. FRID. MAYERVS, in *bibliotb. ſcriptor. theolog. mor. pontif. p. 45. ſeqq.* item *p. 71. ſeqq.* Dogma de peccato philoſophico ab ALEXANDRO VIII pontifice an. 1690 peculiari decreto iugulatum, obſeruat CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, *l. c. p. 27.*

Exprobratum equidem noſtratibus fuit a romanenſibus, ac ſi de morum doctrina, praeſertim ea parte, in qua, quid licitum ſit, aut non ſit; quaeritur, parum ſint ſolliciti. Sic DIDACVS DE BAEZA, *tomo IV. commentarior. moral. in hiſtor. euangel. ſane*, inquit, *in Anglia & Hollandia, & Germania Lutherani ſunt mercatores ditiſſimi, ſed qui quaerat & diſputet de contractibus licitis, & reſtitutione facienda, nec vllus inuenitur, nec magiſter, nec plebeius. Audiui a ſapientiſſimo patre noſtro in Germania agente, nullum vmquam Lutheranum hominem quaeſiuiſſe de licito alicuius actionis. Nullus eſt apud has peſtes magiſter, qui de moralibus curet doctrinam, nec qui de cauendis illicitis ſit ſollicitus.* Quae verba etiam recitat, & ſupinam hominis iſtius ignorantiam, aut ſummam impudentiam, caſtigat IO. IOACH. ZENTGRAVIVS, in praefatione *ſummae eius iuris diuini &c.* praemiſſa. Enim vero, licet vaſta eiusmodi volumina, qualia romanae eccleſiae moraliſtae & caſuiſtae reliquerunt, & in quibus, ipſo ſaniorum eidem eccleſiae addictorum iudicio, nihil, aut parum, ſani eſt, oſtentare nequeamus; tantum tamen abeſt, vt apud nos defuerint, qui hancce moralis theologiae partem ſcriptis ſuis illuſtrauerint, vt haud exiguum potius eorum proferre queamus numerum. Primos eccleſiae noſtrae doctores in *locis* ſuis *theologicis*, cum dogmatibus ſeu credendis, agenda quoque, ſeu quae ad theologiam moralem ſpectant, coniunxiſſe, ſupra docuimus. Plures deinceps exſtitiſſe, qui ſeorſim theologiam moralem traderent, ita quidem, vt praecipue, quae iuris diuini ſunt, explicarent, itidem ad *§. VII.* iam obſeruauimus. Specialiori quadam ratione id fecit IO. IOACH. ZENTGRAVIVS, in *ſumma iuris diuini, ſiue iſagogica inſtitutione doctrinae de iuſtitia & iure, tam ex naturali, quam ſcripto Dei iure, ad fontes iuſti & recti in actionibus humanis & cauſſae rei proprios, ducente ſecundum diſciplinam theologiae moralis & iurisprudentiae vniuerſalis*, Argentorati 1699. 8. Et longe ſane rectius in hocce campo noſtrates verſati ſunt, quam romanenſes; ſiquidem naeuos illos, aut

aut omnibus communes, aut quibuſdam proprios, ſedulo euitarunt. Quod & eo facilius fuit, quoniam ex genuinis iuris diuini fontibus, recta ratione, & ſcriptura ſacra, ſua hauſerunt; vt tamen ſimul lumen rationis a lumine reuelationis rite diſtinguerent; quod tum maxime factum, cum recentiori aetate, ſignum ad bene ſperandum tollente HVGONE GROTIO, ius naturae ſingulari ſtudio a viris doctis excoli coepit. Eiusque tractationis luculentum, ni fallor, ſpecimen, ipſemet in *parte ſecunda inſtitutionum theologiae moralis* exhibui. Sunt vero & huius loci omnes illi, qui de caſibus conſcientiae praeceperunt; quod haud paucos feciſſe, conſtat, quorum praecipuos indicare, haut abs re fuerit. Inter primos, qui eiusmodi quid tentarunt, fuit FRID. BALDVINVS, theologus Wittebergenſis celeberrimus, qui ab anno 1621 ad 26 *conſcientiae caſus* praelegit, poſt mortem eius an. 1628 editos, & ſaepius deinde prelo repetitos. Conſtant libris quatuor: quorum *primo* egit de conſcientia & eius caſibus in genere; *ſecundo*, de actionibus hominum circa Deum & religionem; *tertio* de actionibus hominum circa ſpiritus caeleſtes; & denique *quarto*, de actionibus hominum circa res humanas. Neceſſitatem eiusmodi operis agnouerunt theologi Wittebergenſes, in *praefatione*, quorum verba recitat IOAN. MICH. LANGIVS, in *diſſertat. de origine & progreſſu theolog. moral. ſyſtemat.* §. XXI. Vltimam auctoris limam hoc opus non expertum, alii agnoſcunt, & idcirco ceteris BALDVINI ſcriptis non reſpondere. BALDVINVM mox ſequutus eſt CASPAR FINCKIVS, Gieſſenſis primum, deinde Coburgenſis theologus, isque ob alia etiam ingenii monumenta minime ignotus. Eo ipſo etiam, quo vitam cum morte commutauit, an. 1631 edidit *ſyllogen quaeſtionum illuſtrium theologicarum, theoreticarum, maximam vero partem practicarum, & quotidianarum, ex aſſidua bibliorum, orthodoxorum patrum, ſinceriorum theologorum, iureconſultorum &c. lectione experientia propria &c. rotunde deciſarum.* Conſtat haecce *ſylloge* tribus ſectionibus, quarum vltima anno 1632 poſt auctoris obitum lucem adſpexit. Dum autem ſcripturae ſacrae, patrum, recentiorumque theologorum, & aliorum, teſtimonia adiecit, quod & alii interdum facere ſolent; illuſtrationis cauſſa hoc fieri, cenſendum eſt, resque ipſa docet; cum genuina & vnica conſcientiae norma regulaque ſit ſcriptura ſacra. Non diu admodum poſtea, an. 1636 LVDOVICVS DVNTE, paſtor Reualienſis, Lubecae in lucem emiſit *deciſiones mille & ſex caſuum conſcientiae, e diuerſis theologorum ſcriptis collectas, contractas, & in breuitatem redactas, ac iuxta ordinem locorum theologicorum poſitas*, quae non ſemel deinceps recuſae ſunt, & ideo placuerunt, quod fuſius ab aliis dicta auctor in compendium miſerit. ANDR. KESLERI, theologi Coburgenſis, non vno nomine praeclare de eccleſia noſtra meriti, *theologiam caſuum conſcientiae, hodierno cumprimis tempori accommodatorum*, lingua germanica ſcriptam, ipſius in officio ſucceſſor IO. CHRISTOPH. SELDIVS publicae luci expoſuit, Wittebergae 1658. Haberque, editoris iudicio, hoc ſibi proprium, quod ſpicilegium a reliquis praetermiſſorum, & quoddam velut ſupplementum, exhibeat. Eodem circiter tempore GEORGIVS quoque KOENIGIVS in hacce palaeſtra ingenii periclitari vires voluit. *Caſus* namque *conſcientiae, qui in ſex capitibus doctrinae catecheticae, vna cum tabula oeconomica, ſubinde ſolent occurrere, erutos & fideliter deciſos*, an. 1654 edidit; qui poſtea notis ex auctoris manuſcripto, & additionibus, a filio eius GEORG. MATTH. KOENIGIO locupletati, iterum an. 1676. 4. lucem adſpexerunt. Eiusdem quoque auctoris extat *heptas caſuum conſcientiae miſcellorum*, poſt

poſt eius obitum an. 1665 euulgata. Legendus de eo GVSTAVVS GEORG. ZELTNERVS, in *vitiis theologorum Altdorphinorum, p. 113. ſeqq.* Nefas eſſet, hic praetermittere ARNOLD. MENGERINGIVM, vtpote qui hoc vel maxime ſibi datum credidit, vt conſcientiae puritati tranquillitatique, variis lingua germanica concinnatis ſcriptis, conſuleret; cuiusmodi ſunt: *informatorium conſcientiae euangelicum; ſcrutinium conſcientiae catecheticum; ſuſcitabulum conſcientiae euangelicum interpolatum.* Maiori eruditionis adparatu, quam quisquam forte alius, in hac doctrinae ſacrae parte verſatus eſt IO. CONR. DANHAVERVS, qui non vno ſcripto ſuum, in dilatandis moralis diſciplinae pomoeriis, ſtudium comprobauit. *Collegium* eius *decalogicum*, quod primum anno 1639 lucem adſpexit publicam, multis acceſſionibus locupletatum ac perpolitum, deinceps dedit BALTH. BEBELIVS, inſcriptum: *deuteronomium Dannhauerianum*, anno 1669. Acceſſerunt eiusdem *libri conſcientiae aperti, ſeu theologiae conſcientiariae* tomi duo; ne quid de *lacte* eius *catechetico*, vberrimo moralis quoque theologiae fonte, dicam. *Theologia* eius *caſualis*, quam e manuſcripto publicae luci adſeruit IO. FRID. MAYERVS, Gryphiswaldiae an. 1706. 8. primas ſolum lineas *theologiae* eius *conſcientiariae* continet. Iam ante DANHAVERVM in eadem Argentoratenſi academia IO. SCHMIDIVS, anno 1634 & 35, *collegium caſuum conſcientiae* publicis diſputationibus ſubiecit; qui & deinde an. 1645 *conciones conſcientiarias* edidit. In tanta rurſus *de caſibus conſcientiae* ſcriptorum copia, ANDR. PRVCKNERVS, theologus Suinfurtenſis, conſultum duxit, ex amplioribus aliorum voluminibus compendium aliquod facere, edito *manuali mille quaeſtionum illuſtrium theologicarum, praecipue practicarum, decem centuriis incluſarum, & ſuccincte quidem, neruoſe tamen, ex praecipuis theologis deciſarum*; quod recuſum eſt Norimbergae an. 1679. 12. & notis illuſtratum a PHIL. MVLLERO, theologo Ienenſi. Aliis contra copia & abundantia placuit; vt fertilis admodum multorum dubiorum & quaeſtionum eſt conſcientiae campus, cum libentius homines de agendis diſputent, quam ea faciant, &, vt ignauiae excuſationem habeant, multa facile dubia ſcrupulosque ſibi fingant. Ampliorem itaque iterum tractandi rationem ſequutus eſt IOAN. ADAMVS OSIANDER, theologus Tubingenſis celeberrimus, in *theologia caſuali, in qua quaeſtiones, dubia, & caſus conſcientiae, circa credenda & agenda enucleantur*; quae partibus ſex abſoluitur, & Tubingae an. 1680 ad 82 lucem adſpexit. Idem iam antea, an. 1678 *theologiam moralem* dederat; in qua itidem, quae iuris diuini ſunt, attigit, quorſum & alia eius ſcripta, vt: *typus legis naturalis; typus legis moralis; tractatus theologicus de magia*; ſunt comparata. Immo & in *obſeruationibus* ſuis ad HVGON. GROTIVM, *de iure belli & pacis*, multa, quae huius ſunt loci, tractat; de quibus tamen alibi dictum. Addendus hiſce SAM. SCHELGVIGIVS, ob *cynoſuram conſcientiae, ſiue perſpicuam, & ſcripturae ſacrae congruam multorum, maximam partem ſingularium, nec e triuio petitorum, item quorumdam nondum ſatis enucleatorum caſuum conſcientiae deciſionem*; quae, germanice ſcripta, Francofurti & Lipſiae 1692 lucem adſpexit. Agmen denique claudat beatus FRIDEM. BECHMANNVS noſter, qui, praeter alia ſcripta quam plurima, *theologiam conſcientiariam*, ſeu *tractatum de caſibus conſcientiae*, reliquit, Ienae 1705. 4. in qua ea praecipue, quae ad doctrinam de miniſterio eccleſiaſtico, ſimulque de ſacramentis, de magiſtratu ciuili, & de coniugio, cum aliis quibusdam, more ſuo, hoc eſt, admodum perſpicue, pertractat.

Prae-

Praeter ſcriptores de caſibus conſcientiae, de quibus hactenus diximus, ad iuriſprudentiam diuinam vel maxime ſpectant, qui decalogum, ſeu ſummam iuris diuini, commentationibus ſuis illuſtrarunt; quorum praecipuos tum ſupra iam indicauimus *cap. I.* huius *partis*, cum de ſcriptoribus catecheticis verba faceremus, tum & in *inſtitutionib. theolog. moral. part. II. prolegom.* ad §. *XVI.* Eminet inter reliquos IO. CONR. DANHAVERVS, in *collegio decalogico*, antea iam commemorato; cui iungendus IO. GEORG. DORSCHEVS, in *theologia morali* ſecundum ordinem decalogi concinnata, operaque & ſtudio IO. FRID. MAYERI recuſa Wittebergae an. 1685. 4. ſed ab auctore ad finem non perducta, quippe qui in ſexto praecepto ſubſtitit. Ad caſuum conſcientiae ſcriptores quodammodo accedunt, qui reſponſa aut conſilia theologica confecerunt; in quibus colligendis, iunctimque in lucem proferendis, nonnulli ſtudium diligentiamque ſuam collocarunt. Enimuero, licet in iis ſubinde &, quae ad theologiam aut dogmaticam, aut polemicam, aut partes alias ſpectant, occurrant; plerumque tamen circa iuris diuini quaeſtiones quaſdam etiam verſantur, certe easdem attingunt. Non vnius equidem, fateor, ſunt generis; nec omnia ita comparata, vt eximia inde ad nos redundare queat vtilitas; quaedam tamen rurſus non contemnenda, certe ita comparata, vt, quo pacto regulae generales caute ac circumſpecte ad caſus ſpeciales adplicandae ſint, inde condiſcere queamus. Commemorandus autem hic cumprimis FEL. BIDEMBACHIVS, theologus Wurtenbergicus, qui, a fratre IO. MAVRITIO adiutus, *decades nouem conſiliorum theologicorum* collegit, quarum octo, ipſo adhuc viuo, an. 1608 prodierunt, poſt mortem vero eius frater ipſius, iam laudatus, decadem nonam edidit, qui & decimam adiunxit, Francofurti 1614. Poſtea theologi Wittenbergenſes ABRAH. CALOVIVS, IO. MEISNERVS, IOAN. ANDREAS QVENSTEDIVS, & IOAN. DEVTSCHMANNVS, *conſilia theologica Wittenbergenſia* colligere, atque redigere in ordinem, conſultum duxerunt, quae & Francofurti ad Moenum, anno 1664 lucem publicam adſpexerunt. Non minori ſtudio & diligentia eiusmodi in ſe laborem ſuſcepit GEORG. DEDEKENNVS, theologus & eccleſiaſtes Hamburgenſis, in *theſauro conſiliorum & deciſionum, tribus* conſtante *voluminibus*, quem locupletiorem dedit IO. ERN. GERHARDVS, theologus Ienenſis; quo tamen, priusquam opus hocce typis exſcriberetur, mortuo, obſtetricias manus adhibuit CHRISTIAN. GRVBELIVS, effecitque, vt adpendice inſuper auctum, in lucem tandem prodiret publicam, Ienae 1671. fol. Legendus de hiſce omnibus IO. FRID. MAYERVS, in *bibliotheca ſcriptor. theolog. mor. Luther. p. 4. 6. 28.* Iungenda vero his omnibus reſponſa & conſilia theologica beati PHIL. IAC. SPENERI; de quibus quid iam olim cenſuerim, in *diſſertatione praeliminari*, *ſupplemento epiſtolarum Lutheri* praemiſſa, aperte prodidi. Nec eius me poenitet iudicii. Non errauerit, qui, in iis theſaurum quemdam rerum variarum, ad theologiam vniuerſam, cumprimis & moralem ſpectantium, deprehendi, adſeruerit. Plurimae certe quaeſtiones, ad vitae chriſtianae praxin ſpectantes, ſumma prudentia, omniumque περιστάσεων habita ratione, explicantur, euoluuntur, ſolidiſſimisque rationibus deciduntur, ne quid de eo dicam, quod iſtius temporis controuerſiis lucem quoque egregiam adfundant. Diuerſa autem iſtorum reſponſorum exſtant volumina. Primum namque *germanicorum quatuor partes* an. 1700 & 1702 Halae, typis orphanotrophei lucem adſpexerunt. Sequuta deinceps ſunt eiusdem *conſilia & iudicia theologica latina*, opus poſthumum &

& in *tres partes* diuiſum, Francofurti ad Moenum 1709. 4. Haec denique exceperunt *reſponſa germanica*, a prioribus diuerſa, cum praefatione CAR. HILDEBRANDI LIB. BARONIS A CANSTEIN, de vita & virtutibus beati auctoris, Halae, ſumtibus orphanotrophei, 1711. 4. De epiſtolis aliorum theologorum, quarum nonnullae, quae in hac doctrinae parte vſum praebere poſſunt, continent, agere, huius loci non eſt. Lectu cumprimis dignae ſunt epiſtolae beati LVTHERI noſtri, de quibus in *diſſertatione praeliminari*, antea memorata, quae obſeruatu digna ſunt, dixi.

De reformatae denique eccleſiae doctoribus idem dicendum, quod de noſtratibus obſeruauimus. Initio ea, quibus vitam recte inſtituere docemur, cum dogmatibus coniungebant. Qui ſeorſim theologiam moralem deinceps tradere adgreſſi ſunt, aut *ethicas chriſtianas* ſcripſerunt, eorum, quae iuris diuini illuſtrationi inſeruiunt, non fuerunt immemores. Quam ſpartam praecipue etiam ornarunt, qui aut de *caſibus conſcientiae* praeceperunt, aut decalogum explicarunt. Ad priorem claſſem referendi: GVIL. AMESIVS, academiae Franecqueranae theologus, cuius *de conſcientia eiusque iure libri V.* Amſtelodami an. 1630. 4. prodierunt, ſaepius deinceps editi, & in linguam quoque germanicam a GEORG. PHIL. HARSDORFFERO tranſlati; IO. HENR. ALSTEDIVS, in *theologia caſuum, ſeu anatome conſcientiae & ſchola tentationum, in quibus vniuerſae quaeſtiones ad conſcientiam recte aut praue factorum pertinentes, breuiter & dilucide tractantur*; Hanouiae 1621; a qua diuerſa eſt: *ſumma caſuum conſcientiae noua methodo elaborata*, cum opuſculorum quorumdam acceſſione Hanouiae 1643 recuſa; GVIL. PERKINSVS, celeberrimi ex Anglorum gente nominis theologus; cuius nota eſt *anatomia ſacra humanae conſcientiae, qua ipſius natura, proprietates, ac differentiae dextre produntur, cum curandi conſeruandique methodo*; in latinam linguam a WOLFG. MAYERO tranſlata; eiusdem quoque *deciſiones caſuum conſcientiae libris III.* comprehenſae, exſtant, ab eodem MAYERO ciuitate Romana donatae; ROB. SANDERSONVS, ex eadem Anglorum gente, cuius de *obligatione conſcientiae praelectiones decem* Londini primum 1674 editae ſunt, poſtquam iam anno 1646 eiusdem *de obligatione iuramenti promiſſorii* liber lucem adſpexerat. Sed de hiſce omnibus, vti & reliquis, qui forte adhuc commemorari poterant, conferendus IO. FRID. MAYERVS, in *biblioth. ſcriptor. theolog. mor. reform. p. 34. 35.* alibique. Illorum, qui decalogum explicarunt, iam ſupra iniecta eſt mentio, cum de ſcriptoribus catecheticis ageremus. Eminet inter reliquos ANDREAS RIVETVS, praeſtantiſſimis reformatae eccleſiae theologis citra controuerſiam adnumerandus. Iure namque meritoque a nonnullis laudantur eiusdem *praelectiones pleniores in caput vigeſimum exodi, in quibus ita explicatur decalogus, vt caſus conſcientiae, quos vocant, ex eo ſuborientes, ac pleraeque controuerſiae magni momenti, quae circa legem moralem ſolent agitari, fuſe & adcurate diſcutiantur*; quae *tom. I. operum* eius exſtant.

§. XI. Idem de *prudentia*, tum *chriſtiana*, tum ſpeciatim *paſtorali*, obſeruetur. Inueniuntur paſſim apud veteres, quae in hacce theologiae practicae parte verſantibus proſint. Sed recentiori demum aetate ſeorſim, & ita quidem tradi coepit, vt ex certis principiis, quae facere, quaeue euitare prudentia iubet, deducerentur, cunctaque apte & concinne inter ſe colligarentur. *

* Practicae philoſophiae peculiarem partem, quae de regulis prudentiae praecipiat, recte conſtitui, exploratum hodie ſatis eſt, omnibusque, harum rerum non imperitis, perſpectum. Idem etiam de theologia morali, voce in latiori ſignificatione accepta, cenſendum; cum earumdem prudentiae regularum, in vita chriſtiana recte inſtituenda, pariter ac eccleſiae adminiſtratione, vſus longe maximus ſit, ampliſſimusque. Quae ratio recta hic ſuppeditat, tam lati ambitus ſunt, vt facili negotio ad vitam chriſtianam, eccleſiaeque conſeruationem adplicari queant; quod & alibi a me ex inſtituto demonſtratur; ipſa tamen quoque ſcriptura ſacra eiusmodi regulas & principia exhibet, adeoque fontem genuinum huius prudentiae hoc pacto nobis aperit. Apud veteris eccleſiae ſcriptores, quos patres vocamus, magno itidem numero inueniuntur, quae hic vſui nobis eſſe poſſunt; licet quae iuris, quaeue prudentiae ſint, non ſatis diſtinguant, multo minus ſyſtematica quadam ratione hancce theologiae moralis partem exhibeant. Immo & inter recentiores vix quisquam, qui ea, qua decet, ratione hoc praeſtiterit, mihi occurrit; etiamſi quo pacto hoc fieri poſſit, a me demonſtratum ſit in *tertia inſtitutionum theologiae moralis parte*; quemadmodum & pauci omnino exſtant, qui ex inſtituto de prudentia chriſtiana egerunt, quiue digni ſunt, quorum habeatur ratio. Hos inter tamen ANDR. KESLERVS mihi nominandus venit, cuius de *prudentia chriſtiana* libellus, germanice ſcriptus, Coburgi 1628 lucem adſpexit, quo docet, quo pacto chriſtianus inter tot pericula, quae tum eccleſiae imminebant, fidem integram ac ſinceram, vitaeque ſanctitatem illibatam ſeruare debeat; idque non ſcripturae ſolum dictis, ſed cumprimis beati LVTHERI teſtimoniis comprobat. Alium equidem ſcopum ſibi conſtitutum habet VIT. LVD. SECKENDORFIVS, in notiſſimo *de ſtatu chriſtianorum (Chriſten-Staat)* libro, anno 1706 Lipſiae 8. recuſo; dum tamen de omnium ordinum emendatione, ſecundum indolem diſciplinae chriſtianae inſtituenda, praecipit; non poteſt non plurima interſerere, quae prudentiam chriſtianam inſtruunt.

A prudentia *chriſtiana*, quam nonnulli & *ſpiritualem* vocant, diuerſa eſt, tum *eccleſiaſtica*, tum *paſtoralis* ſeu *theologica*. Illa ſeu *eccleſiaſtica* ad conſeruationem ac amplificationem ipſius eccleſiae, aut vniuerſae, aut particularis cuiusdam, comparata eſt; & a quibusdam ſub *politicae eccleſiaſticae* nomine tractatur. Hi ipſi vero, dum ſimul *politicam*, quam vocant, *architectonicam*, eamque *ſacram*, ſiue doctrinam de ſtructura & indole eccleſiae hac voce complectuntur; quae etiam, ſiue de prudentia, ſiue de iure eccleſiaſtico tractatio inſtituatur, fundamenti loco ponenda; inter ſcriptores etiam iurisprudentiae eccleſiaſticae locum ſuum occupant. Immo qui ſeorſim prudentiam eccleſiaſticam, prout a paſtorali ſeu theologica diſtinguitur, ita tractauerit, vt eorum, quae illi propria ſunt, tantum habuerit rationem, mihi nunc non occurrit; niſi NIC. VEDELIVM huc referre velis, cuius de *prudentia veteris eccleſiae libri tres* Amſtelodami prodierunt, an. 1633. 12. in quibus quid CHRIST. THOMASIVS deſideret, ex eiusdem *hiſtoria contentionum inter imperium & ſacerdotium*, & quidem *adpend. cap. I. §. LXII. ſeqq. p. 464. ſeqq.* intelligere licet. IO. FABRICII, theologi Helmſtadienſis celeberrimi, diſſertatio de *prudentia eccleſiaſtica*, quae in *amoenitatibus* eius *theologicis* legitur, *num. III. p. 114. ſeqq.* ad prudentiam potius theologicam, ſeu paſtoralem, referenda, quae docet, quo pacto eccleſiae doctor munere ſibi demandato ad ſuam, & fidei ſuae concreditorum, ſalutem, rite & circumſpecte fungi queat. Quae

quidem prudentia theologica, licet in quibusdam cum eccleſiaſtica conueniat; prorſus tamen eadem non eſt, cum eccleſiaſtica prudentia latius, quam paſtoralis, ſeu theologica, pateat, & apud eos quoque eſſe queat, immo debeat, qui eccleſiae doctores non ſunt; quemadmodum hiſce quaedam rurſus ex lege prudentiae agenda ſunt, quae vt ab aliis obſeruentur, neceſſe non eſt. Paſtoralem quoque prudentiam praecipue, aut potius eius ſolum partem, quae circa errantes aut haereticos verſatur, inſtruit CONR. TIBVRT. RANGO, in *prudentia eccleſiaſtico-politica circa errores & haereſes*, germanice ſcripta, editaque Sedini 1694. 12. de qua iterum qui CHRIST. THOMASII ſententiam ſcire velit, eiusdem *hiſtoriam contentionis inter imperium & ſacerdotium* adeat & quidem *adpend. cap. I. §. LXII. ſeqq. p. 464. ſeqq.* IO. HENR. REITZII Παῦλος πᾶσιν ἀρέσκων, *ſiue prudentia eccleſiaſtica illuſtrata ex Matth. X. 16. vbi docetur, quod cum doctores ac paſtores, tum chriſtianorum ſingulos, pia candidaque mente eſſe, at eamdemque caute & prudenter moderari, ac quaſi ſale & gratia condire oporteat;* Heidelbergae 1692. 8. ad chriſtianam pariter ac paſtoralem prudentiam ſpectat; multa interim, quae prodeſſe poſſunt, tradit, mereturque inter melioris notae in hocce genere libros referri. DOROTHEVS SICVRVS, hoc eſt, THOM. CRENIVS, in *prudentia theologica explicatione commendata*, Amſtelodami 1684. 8. edita, de vitiis in ſcholis & academiis, pariter ac eccleſiis noſtris, emendandis, quaedam recte, & non ſine ratione, monet: at argumentum hocce nec exhaurit, nec ordine tractat. Referri vero huc etiam poſſunt omnes illi, tum veteres, tum recentiores, qui de epiſcoporum, paſtorumque eccleſiae officiis commentati ſunt, regulasque aut monita ab iis obſeruanda dederunt. Tametſi enim id praecipue agant, vt ad leges diuinas, interdum & eccleſiaſticas, actiones paſtorum aut epiſcoporum exigant; ſubinde tamen &, quid prudentiae regulae poſtulent, tradunt; licet nec in reliquis, quod antea iam monuimus, nec in hocce capite, quae iuris, quaeue prudentiae, adcurate diſcernant. Quo nomine cum perinde tandem ſit, quonam in loco recenſeantur; nobis nemo vitio vertet, ſi hic illorum habeamus rationem; quemadmodum & iam alibi hanc eis ſedem adſignauimus.

Atque veteres quidem, cum intelligerent, quanti momenti ſit, vt eccleſia paſtores doctoresque habeat, qui ſuo rite fungi munere poſſent; varia, quae huc comparata ſunt, nobis reliquerunt, ſcripta. CYPRIANVS namque, dum *epiſt. IV. quinam antiſtites eccleſiae eligendi, & qua cura?* & *epiſt. V. qualis eſſe debeat vita ſacerdotum?* exponit, quae huic inſtituto inſeruiant, praecipit; quod & in libro *de ſingularitate clericorum*, alibique, paſſim facit. EPHRAEM Syrus, praeter alia, ad mores hominum formandos facientia, etiam *de ſacerdotio* librum reliquit, qui *operum* eius *tomo I.* legitur. AMBROSIVM in ſuis *de officiis* libris, ſacri ordinis viros, ſeu verbi diuini miniſtros, inſtruere voluiſſe, ſupra iam docuimus. Ad librum autem *de dignitate ſacerdotali*, qui inter opera AMBROSII exſtat, quod attinet, inter viros doctos diſputari, num ANSELMO potius, an GERBERTO tribuendus ſit? iam a me obſeruatum *inſtitut. theolog. mor. part. III. prolegom.* ad *§. XI.* Cumprimis vero IO. CHRYSOSTOMVS hic commemorandus eſt, quippe qui *libris VI de ſacerdotio* perfectam velut epiſcopi imaginem exhibere voluit. Exſtant *tom VI.* operum, editionis Sauilianae, & ſeorſim quoque excuſi ſunt, cum *diſſertationibus quibusdam prooemialibus, de dignitate ſacerdotali*, auctore IO. HVGHES, Cantabrigiae 1710. 8. Multa hic equidem de dignitate & difficultate muneris epiſcopalis, itemque de virtutibus, ſpe-

ſpeciatim & de eloquentia, quibus epiſcopum inſtructum eſſe oportet CHRYSOSTOMVS differit; nec tamen praetermittit, quae ex prudentiae lege obſeruanda, vt cum *lib. V. cap. VI. p. 212. ſeqq.* oſtendit, *iudicium multitudinis imperitae neque penitus contemnendum, neque omni ex parte curandum eſſe*; itemque *lib. VI. cap. IX. p. 251. ſeqq. non eſſe contemnendas vulgi ſuſpiciones, quamuis manifeſte falſas*; & quae alia ſunt eiusdem generis. In dignitate ſacerdotali autem euehenda modum excedere videtur CHRYSOSTOMVS, dum eam ſupra regium principatum extollit, rationibus, quas refert CONR. RITTERSHVSIVS; qui &, ISIDORVM Peluſiotam, tum in aliis, tum hac in re, Conſtantinopolitanum huncce praeſulem in exemplum, quod imitaretur, ſibi propoſuiſſe, docet; *ſacrar. lection. lib. IV. c. XIX. p 326.* Certe, quin hodie plurimi hancce eius ſententiam vehementer improbaturi ſint, non eſt, quod dubitemus. HIERONYMI *epiſtola de vita clericorum ad Nepotianum*, ſupra equidem nobis laudata, non ſine ratione ad ſcripta quoque paſtoralia refertur. Prudentia non minus, quam officii ratio poſtulat, vt ſacri ordinis homines vitae honeſtatem ſummo ſtudio conſectentur. Exſtat ea *operum* eius *tomo IV. part. II. p. 257. ſeqq.* edit. IO. MARTIANAEI. Sed alibi quoque HIERONYMVS ſubinde inculcat, quae ſui paſtores admonere officii poſſunt; licet ipſemet, irae ſuae plus, quam decet, indulgens, neutiquam prudentiae exemplum poſteris reliquerit. De GREGORII magni *libro paſtoralis curae, ad Ioannem, Rauennae epiſcopum*, qui magnae olim auctoritatis celebritatisque fuit, abunde dixi in *inſtitut. theolog. mor. part. III. prolegom.* ad §. *XI.* vbi & ISIDORI Hiſpalenſis *epiſtolam ad Ludifredum, epiſcopum Cordubenſem, de ſacerdotum in eccleſia officio*, iam commemoraui. A medii aeui ſcriptoribus non eſt, vt eximii quid ſperemus.

Ad recentiores itaque ſi progredimur, & quidem noſtrates, ipſe beatus MARTIN. LVTHERVS nobis laudandus eſt; quippe in cuius ſcriptis plurima occurrunt, quae eccleſiae doctorem egregie prorſus, ad munus ſacrum rite adminiſtrandum, inſtruere poſſunt. Fecitque omnino operae pretium CONR. PORTA, dum, congerendo ex ſcriptis LVTHERI, quae huc pertinent, *paſtorale Lutheri* concinnauit, tum alias, tum & Lipſiae 1604. 4. editum. In eo cum velut nucleum rerum optimarum ex LVTHERI ſcriptis exhibeat; rebus ſuis praeclare conſulent, qui id diligenter non euoluerint modo, ſed conſiliis quoque, quae ibi ſuppeditantur, ſaluberrimis, morem geſſerint. Fuerunt deinceps alii ex noſtratibus, qui ſuis ipſimet monitis atque conſiliis paſtorem eccleſiae inſtruere adgreſſi ſunt, vt IO. ANDR. QVENSTEDIVS, in *ethica paſtorali & inſtructione cathedrali*, Wittebergae 1678. 8. CHR. KORTHOLTVS, in libello mole exiguo, ſed ob rerum ſelectum commendando, inſcriptoque: *paſtor fidelis*, Hamburgi 1698. 12. IO. MICH. LANGIVS, in *inſtitutionibus paſtoralibus ad inſtitutionum medicarum methodum adornatis*, aliique. Sed omnium diligentiam hic ſuperauit IO. LVD. HARTMANNVS, in *paſtorali euangelico, ſeu inſtructione pleniori miniſtrorum verbi, libris quatuor paſtoris perſonam, vitam, ſpartam, & fortunam ſiſtente &c.* Prodiit primum an. 1678, deinde 1697, tandem 1722, Norimbergae, 4. cura ſtudioque beati IO. DANIEL. HERRENSCHMIDII, qui & praeter alia notas quasdam adiecit, atque ex recentiorum auctorum SPENERI, SECKENDORFII, BRVNNEMANNI, STRYKII, BOEHMERI ſcriptis lucem hinc inde adfudit. Amplum equidem etiam opus reliquit IO. FRID MAYERVS, inſcriptum: *muſeum miniſtri eccleſiae, hoc eſt, inſtructio omnimoda & abſolutiſſima ſymmiſtae euangelici, quoad omnia & ſingula*

ſacri miniſterii munia, pro conſcientia dextre obeunda &c. cuius tertia editio Lipſiae 1703. 4. lucem adſpexit. Sed oratoriae ſacrae, artique, conciones ad populum habendi, praecipue hoc opus deſtinatum eſt; etſi hinc inde quaedam inſerantur, quae ad noſtrum quodammodo inſtitutum accedant. Plura ſuppeditat GOTTFR. OLEARIVS, in *der Anleitung zur geiſtlichen Seelen-Cur &c.* Lipſiae 1718. 4. Id enim in hocce opere docet, quo pacto errantes, ſpeciatim athei, indifferentiſtae, itemque Iudaei, pontificii, aliique, ad veritatis agnitionem perducendi; quo pacto corrigendi emendandique, qui in variis peccatorum generibus vitam tranſigunt; qua denique ratione, qui in tentationibus, calamitatibusque conſtituti ſunt, erigendi atque ſolatio recreandi ſint; quae omnia a nemine recte adminiſtrari poſſe, niſi non minori prudentia, quam eruditione, munitus ſit, quiuis facile intelligit. Quid ex prudentiae lege illis, qui verba ad populum facere cupiunt, obſeruandum ſit; luculenter exponit ADAMVS RECHENBERGIVS, in *ſchediaſmate de prudentia & decoro eccleſiaſten in ſuggeſtu decente*, Lipſiae 1715. 8. AVG. HERM. FRANCKII *monita paſtoralia theologica*, quae ex lingua germanica in latinam translata, cum eiusdem *idea ſtudioſi theologiae*, Halae 1723 prodierunt, ſupra inter ſcripta de methodo ſtudii theologici iam commemorauimus: nec tamen nos piget, eorum iterum mentionem facere, cum & paſtores eccleſiae plurima inde, quae ſibi vſui ſint, capere queant. Nec defuerunt ex reformatae eccleſiae doctoribus, qui hancce doctrinae ſacrae partem ſcriptis ſuis ornandam illuſtrandamque ſibi ſumſerunt; vt FRANC. IVNIVS, in *eccleſiaſtico*, ſiue *de natura & adminiſtrationibus eccleſiae Dei libris III. operum* eius *tom. I. pag. 1535.* & cumprimis IO. HENR. REITZIVS, in *prudentia eccleſiaſtica;* antea nobis iam commendata, aliique. IO. WILKINS, epiſcopi Ceſtrienſis, *eccleſiaſtes*, quem in linguam germanicam ex anglicana translatum, adnotationibus illuſtratum, inſcriptumque: *candidatus miniſterii litteratus &c.* HENR. ITTERSHAGENIVS, Lipſiae 1718. 8. edidit, eruditioni potius comparandae, & eloquentiae ſacrae, quam muneri eccleſiaſtico prudenter & recte adminiſtrando, inſeruit. Romanenſium ſcripta paſtoralia, eccleſiae quippe illorum placitis & ritibus vnice accommodata, cuiusmodi eſt TOB. LOHNERI *inſtructio practica, ad tironum ſacerdotum vtilitatem, ex variis auctoribus collecta, & pluribus partibus comprehenſa;* & alia eiusdem generis, cum nullam, aut exiguam nobis adferant vtilitatem, iis recenſendis non immorabimur. Quae autem ab epiſcopis Galliae ſubinde promulgantur, *inſtructiones paſtorales*, plerumque ad controuerſias illorum domeſticas ſpectant; & multa quidem haud raro obſeruatu digna continent, ſed huius loci non ſunt.

§. XII. Quo magis omnium intereſt, vt vitam bene inſtituant, hinc & de faciendis pariter ac omittendis recte ſentiant; eo ſtudioſius euitandi ſunt errores, quibus aut ipſa doctrinae moralis fundamenta labefactantur, aut homines a genuino virtutis ac vitae ſanctae tramite abducuntur, agunturque in transuorſum. *

* Ampliſſimus hic equidem, de corruptoribus doctrinae moralis dicendi, ſeſe nobis aperiret campus; ſed, inſtituti noſtri memores, per ſumma tantum rerum ibimus capita. Multa, quae huc faciunt, iam in medium attulit IO. MICH. GEISSENVS in *denen Anmerckungen über die Sitten-Lehre derer Chriſten*, *cap. II.* ad *VIII.*

Nec

Nec tamen haec obſtant, quo minus paullo diſtinctius, ſed breuiter, quaedam de iis moneamus. In duplici autem poſiti ſunt diſcrimine; dum alii etiam ipſa rationis in doctrina morali principia euertunt; alii, quae reuelatio diuina nos condocet, peruertunt, aut non recte intelligunt. In priori claſſe praecipuam ſedem athei occupant; a quibus qui ſani quid hic proficiſci poſſe ſibi perſuadeat, eum, quid atheiſmus ſit, neſcire oportet. Dum enim Dei exſiſtentiam, prouidentiamque, dum animae immortalitatem, praemiaque & poenas, negant, legesque diuinas tollunt; prima omnis doctrinae moralis fundamenta deſtruunt atque euertunt. Idque aperte, & ſine ambagibus, profeſſus eſt auctor *meditationum philoſophicarum, de Deo, mundo & homine*, quae an. 1727 infauſto omine lucem adſpexerunt, dignae, quae aeternis tenebris conſepeliantur. In eo interim laudandus, quod ingenue & ſincere mentem ſuam prodiderit; quam reliqui athei, qui cautiores videri volunt, etſi eo meliores non ſint, fruſtra tegere ac diſſimulare cupiunt. Sublatis enim legibus diuinis, ſublato hinc honeſti, turpisque diſcrimine; non poſſunt non iſta conſequi, quae iſte impudenti calamo effudit, homicidia, periuria, adulteria, neutiquam eſſe illicita. Alii nihiloſecius ex eadem cohorte, virtutes & vitia, iuſtique & iniuſti diſcrimen, & alia, quae ad morum diſciplinam pertinent, admittere videri volunt; immo *ethicas*, vt BENED. DE SPINOZA, ſcribunt, vt incautis fucum faciant. Sed, ſi cuncta adcuratius expendas, tota illorum doctrina moralis eo tandem redit: adfectus eſſe moderandos, ne magna in hac vita ſibi attrahant incommoda, idque virtutis ſtudium vocant; pacta ſeruanda, legibusque ciuilibus obediendum, vt magiſtratus iram ac indignationem euitent; quod iuſtitiam eſſe putant; cuncta patienti animo eſſe ferenda, quoniam ineluctabili fato omnia obnoxia ſint; eaque ratione animi tranquillitatem parari poſſe, putant. Atque haec eſt illa moralis doctrinae vana ſpecies, qua ſe miſeri iſti decipiunt, aliosque decipere volunt. Prudentiae enim vtcumque obtinebit laudem, qui ita, vt iſti volunt, ſeſe geſſerit; verae virtutis ſtudioſum eſſe, nemini, qui, quid virtus ſit, nouit, perſuadebit. Adfectus ſcilicet coercebit, ne incommoda quaedam huius vitae ſibi attrahat; hacc autem ſi ceſſet ratio, aut non ſatis efficax ſit ad naturae impetum cohibendum; adfectibus cupiditatibusque, quantumuis turpiſſimis foediſſimisque, indulgebit, ſine fine, ſine modo. Neque ad virtutem ſufficit, euitare vtcumque, quae nobis noxia eſſe poſſunt; ſed omnia ea, quae bona, quae honeſta, quae voluntati Numinis conuenientia ſunt, ſtrenue, magnoque animo conſectari decet; quoniam Deus, ſupremus iſte omnium rerum moderator, hoc iuſſit, praemiaque voluntati ſuae morem geſturis promiſit, poenas in eos, qui hoc intermiſſuri eſſent, conſtituit. Quae, cum in atheum non cadant; nihil aliud, quam inanis quaedam virtutis ſpecies, aut vmbra, in iis relinquitur; magnoque conatu PETR. BAELIVS, aliique atheorum panegyriſtae, nihil agunt, dum de eiusmodi hominum virtutibus multa nobis narrant, nihilque periculi ab iis reipublicae imminere, nobis perſuadere adnituntur. Qui naturae ſuae ductum, aut prudentiae regulas, ſequens, ea agit, quae virtutis ſpeciem habent, nondum virtutem conſectatur ipſam; a qua & athei non poſſunt non quam longiſſime abeſſe. Iuſtitiam, charitatem, ſimilesque virtutes, dum in ore habent; non alias tandem intelligunt, quam, quae pactis, conuentionibus, auctoritateque imperii ciuilis nituntur. Hoc aperte BENED. DE SPINOZA docuit, in *tractat. theolog. polit. cap. XIX. p. 215.* cuius verba iam recitaui in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtit. cap. IV.* ad §. *IV. p. 336.*

p. 336. Quod qui recte expenderit, cuncta iterum ad fucum aliis faciendum comparata eſſe, deprehendet. Praeterquam enim quod vera iuſtitia, vera charitas, diuinis regi debet legibus; dum athei has non admittunt, ipſa ſummi imperii labefactant fundamenta, legesque humanas pariter, ac pacta & conuentiones, omni vi & efficacia obligandi ſpoliant. Cur imperantibus parendum? cur illorum obediendum legibus? cur pacta & conuentiones ſeruandae? Non puto aliam ob cauſſam, quam quia Deus hoc praecepit, ipſumque adeo ius naturae hoc docet. Tolle Deum, tolle ius naturae; obligatio ad obediendum imperantibus, ad leges eorum cuſtodiendas, ad ſeruanda pacta, corruit. Haec omnis iuſtitiae, omnis ſecuritatis publicae fulcra cum impoſtores illi euertant; iuſtitiae nihiloſecius, charitatis, omnisque virtutis, cultores videri volunt. Eos autem, vt nullas diuinas, ita nec naturales admittere leges, & res ipſa docet, & diſerte ipſemet profitetur BENED. DE SPINOZA, cuius & hac de re iam recitaui verba in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtit. cap. IV.* ad *§. IV. p. 337.* Ad animi denique tranquillitatem quod attinet, quam ſibi pollicentur, ſi, fati ineluctabilis legibus ſeſe ſubmittendo, cuncta patienti ferant animo; non deſunt, fateor, illis ſplendida verba, quibus caliginem offundant imperitioribus, harumque rerum ignaris. Immo dum nonnulli hiſce principiis inſiſtendo, ἀπάθειαν quamdam, & ſummam in omni fortuna animi ἀδιαφορίαν commendarunt; ſublimiſſimam quamdam philoſophiam moralem, & quae cum ipſa chriſtianorum diſciplina dubia contenderet palma, profiteri viſi ſunt. ARNOLDI GEVLINGII exemplo hoc conſtat; qui plurimos in ſui admirationem rapuit, donec tandem, ſub praeceptis eius & effatis, quae ad ſummum virtutis gradum ducere videbantur, ipſum latitare Spinoziſmum, viri docti deprehenderent; certe id demonſtrare voluit RVARDVS ANDALA, in *examine ethices Geulingii;* Franequerae an. 1716. 4. vti ſuo loco ſupra iam obſeruauimus. Alterum exemplum FRIDER. VAN LEENHOF praebet, qui artem nos condocere voluit, ſemper gaudendi, ſeu ſumma fruendi animi tranquillitate, in libro, belgica lingua ſcripto, ſed in germanicam translato, inſcriptoque: *caelum in terra, ſeu deſcriptio verae laetitiae;* quam tamen itidem ex SPINOZAE hauſiſſe fontibus, deprehenſus fuit. Dictum de eo in *theſib. de atheiſmo & ſuperſtit. cap. I.* ad *§. XXVI. p. 178.* Sed iſta, quam miſeri iſti iactitant, animi tranquillitas, non poteſt non prorſus imaginaria eſſe, & tandem in ſomnium aliquod abire. Facilius eſt, conſtantiam in aduerſis magnifice praedicare, quam eamdem exercere; ſimulare quietem & tranquillitatem animi, quam eam obtinere. Vana iſta de fato ac ineluctabili neceſſitate perſuaſio ad hoc non ſufficit; quae ad deſperationem, animique anxietatem producendam aptior eſt, quam eiusdem tranquillitatem. Deinde, eſto, ferant praeſentia aequo animo; futurorum, ſtatusque poſt mortem, aut ipſius mortis, nullam vmquam animum eorum ſubire curam, quis credat? Hic ſiue mortalem animam credant, ſiue immortalem, vtrumque, ſi mentis cogitationes ſuas ad ſe ipſos conuertant, non poteſt illis longe triſtiſſimum videri. Sed mitto reliqua. Plura qui de atheorum doctrina morali deſiderat, adeat GOTTL. SAM. TREVERI *oeconomiam ſyſtematis moralis atheorum*, Helmſtadii 1718. 4.

Atque hinc etiam intelligitur, ſententiam *de fato*, ſeu *abſoluta neceſſitate*, inter iſtas itidem hypotheſes referendam, quae ipſa moralis doctrinae fundamenta concutiunt & labefactant. Si enim vel maxime aliquis, Deum eſſe, credat, ſimul tamen eiusmodi fatum ſtatuat; vt religionem omnem tollit, ita nec virtuti vlli, aut recte laudabiliterque factis, locum concedit.

dit. Iniurium eſt iſtud fatum in Deum, hominesque, & tum illum, tum hos omni libertate priuat. Quorſum itaque cum leges? quorſum praemia? quorſum poenae? Immo his ſine ſumma iniquitate nemo adfici poſſet, ſiquidem in eius poteſtate poſitum non fuit, aliter ſe gerere, quam ſe geſſit. Sed abunde hoc demonſtratum, tum ab aliis, tum a me ipſo *de errorib. Stoicor. in philoſophia morali, diſſert. III. §. VII.* in *analectis hiſtor. phil. p. 178.* Non minus vero inter ea, quibus ipſa doctrinae moralis fundamenta conuelluntur, locum inuenit *indifferentiſmus moralis.* Fuerunt namque iam pridem inter Graecorum philoſophos, qui, moralitatem omnem a lege humana deriuantes, naturaliter nihil turpe, nihil honeſtum eſſe, adſererent. Primus, qui aperte id docuit, ARCHELAVS fuiſſe videtur, ex ſchola Ionica philoſophus, idemque Socratis magiſter. Inter huius enim dogmata DIOGENES LAERTIVS, & hoc refert: καὶ τὸ δίκαιον εἶναι, καὶ τὸ αἰσχρὸν οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ· *iuſtumque & turpe, non natura conſtare, ſed lege; lib. II. ſect. XVI. p. m. 89.* In eamdem deinceps & alii conceſſerunt ſententiam, vti a me obſeruatum in *inſtitut. theolog. dogm. lib. III. cap. II.* ad *§. III. p. 752.* Nec aliter ſentire poſſunt, qui recentiori aetate cum THOMA HOBBESIO ius omne naturae tollunt, nullasque leges diuinas proprie ſic dictas admittunt. SAMVEL autem PVFENDORFIVS, & qui cum eo actus per ſe aut turpes aut honeſtos reiiciunt, cum de moralitate, in ſtrictiori ſenſu accepta, loquantur, & hanc non a lege humana, ſed diuina deriuent; in eadem cum philoſophis antea memoratis claſſe collocari nequeunt; quod itidem a me iam euictum *l. c. p. 754.* Pyrrhonios contra, ſeu ſcepticos, cum illis, qui omnium actionum ἀδιαφορίαν ſtatuebant, conſenſiſſe, mirum non eſt; ſiquidem iſta opinio cum illorum inſtituto, quo omnia in dubium vocabant, egregie conueniebat. Legenda, quae hac de re diſputat SEXTVS EMPIRICVS, *Pyrrhon. hypotypoſ. lib. III. cap. XXIV. p. m. 173. ſeqq.* Quemadmodum autem iſti homines, in theoreticis dubitando, de quibus nulla dubitandi adeſt ratio, ſtultitiam ſuam prodebant; ita, dum in rebus ad vitam recte inſtituendam idem faciebant, cum ſtultitia coniungebant improbitatem. De illis, qui ſententias, ad ſcepticiſmum proxime accedentes, certitudinemque rerum moralium labefactantes, & hoc nomine valde noxias, fouent, ex inſtituto a me dictum in *diſſertat. de ſcepticiſmo morali*, quae in *analectis hiſtoriae philoſophicae* exſtat, *p. 207. ſeqq.*

Reuelationem diuinam, quam ſacrae litterae exhibent, longe plenius, in quibusdam etiam rectius, quam lumen rationis, de rebus ad mores vitamque ſpectantibus nos erudire; nemo, niſi cui in luce clariſſima caecutire volupe fuerit, dubitare poterit. Vti autem ex dictis patet, haud exiguum eſſe illorum numerum, qui, ipſa rationis in rebus moralibus principia negare, aut in dubium vocare, audent; ita mirum non eſt, eſſe etiam, qui in lumine reuelationis obſcurando, aut ſcripturae ſacrae euidentiſſimis effatis, ad hocce doctrinae caput ſpectantibus, peruertendis, ſtudium omne atque laborem collocent; hinc & a recto aberrent tramite. Nimirum, cum ſcriptura ſacra de intima naturae humanae corruptione nos erudiat; ſimulque adeo condoceat, in hominis ſibi relicti viribus poſitum non eſſe, ea agere, quae Deo placere queant, quin potius diuini Numinis opus eſſe gratia, qua quis primum conuertatur, & illuminetur, & ita facultate recte aliquid faciendi inſtruatur, deinde vero adiuuetur, dirigaturque ad quaeuis bona perficienda, vitamque ſecundum Numinis voluntatem, legisque praeſcriptum, inſtituendam; non vna ratione hinc, quibus quaeuis alia magis, quam ſcripturae effata ſimpliciſſima, probantur, diſcedunt. Nonnulli

nulli namque naturae, quantumuis corruptae, viribus tantum tribuunt, vt iis ſolis omnia ſe peragere poſſe, putent, nec diuini Numinis ſibi opus eſſe gratia; vnde *Pelagianiſmus* & *naturaliſmus moralis*. His vero dum alii ſe opponunt, in alterum extremum prolabuntur, & aut ad *praedeſtinatianiſmum* aut ad *enthuſiaſmum moralem* praecipites feruntur. A *praedeſtinatianiſmo* vt incipiamus, cum is ex fato Stoico originem trahat, omnique reuera hominem priuet libertate; quantum hinc in doctrina morali oriatur incommodum, ſeu potius, quam difficulter prima moralis doctrinae cum eo conciliari queant principia, nemo non intelligit. Non ſemel hoc etiam reformatae eccleſiae theologis (quamuis & Dominicanos pariter ac Ianſeniſtas hoc telum feriat) exprobratum fuit; quorum hac in re cauſſam PETR. IVRIEVM in *iuſtificatione doctrinae moralis reformatorum contra accuſationes Antonii Arnaldi*, egiſſe, ſupra iam obſeruauimus; vbi & noſtram, de ſcriptis eorumdem moralibus, copioſius expoſuimus ſententiam. Qui pro gratiae diuinae operationibus ea habent, quae aliunde originem trahunt, in *enthuſiaſmum* prolabuntur. Qui, cum inter grauiſſimos mentis morbos merito referatur; tum tamen noxius maxime cenſetur, quando in vitae chriſtianae praxi a verbi diuini regula diſcedentes, ſuas imaginationes, motus, inſtinctus, quos per errorem pro diuinis habent, ſequuntur. Quantis enim hoc ipſo ſe exponant periculis, quilibet perſpicit. Myſticorum quosdam, ſi incaute tractentur, huc ducere, negari nequit; praeſertim ſi inuſitata & extraordinaria adfectent; vtpote in quibus, per naturae, ſub ſpecie gratiae nos decipientis, illuſionem, quam facillime enthuſiaſmo via aperitur. Lucem dabunt, quae ex inſtituto de enthuſiaſmo, variisque eius generibus, diſſerui *inſtitut. theolog. moral. part. I. cap. I. ſect. V. §. XVIII. ſeqq.* Superest *Pelagianiſmus*, qui dum, naturae vires euehendo, gratiae diuinae operationes ex morali chriſtianorum doctrina proſcribit: ipſum ſimul eius principium praecipuumque fundamentum euertit. Quo magis etiam idem innatae mortalium ambitioni blanditur; eo plurium occupare, & a recto abducere tramite facile poteſt animos. In Socinianorum, eorumque omnium, qui cum iis faciunt, theologia morali, aperto incedit capite; vti vel ex IOAN. CRELLII *ethica chriſtiana virtutum & vitiorum*, quae cum eiusdem *ethica Ariſtotelica, ad ſacrarum literarum normam emendata*, prodiit, patet. Non minus tamen & in eccleſiae romanae, Ieſuitarum cumprimis, vtpote genuinorum eius filiorum, theologia morali, Pelagianiſmus longe lateque regnat. Idque mirum non eſt; ſiquidem cum erroribus, eidem eccleſiae propriis, idem egregie prorſus conuenit. Idem vero etiam fons & ſcaturigo eſt errorum iſtorum, quibus moraliſtae iſti, atque caſuiſtae recentiores, de quibus in antecedentibus dictum, theologiam moralem, ipſo cordatiorum in eadem eccleſia iudicio, mirum in modum corruperunt. Nimirum cum inter praecipua romanae eccleſiae dogmata ſit, bonis noſtris operibus nos aliquid, immo ipſam iuſtificationem, tum primam, tum ſecundam, etſi non eadem ratione, promereri poſſe; neceſſe erat, corruptionem hominis naturalem extenuare, naturae contra vires in ſpiritualibus euehere, in quo caput, praecipuumque Pelagianiſmi conſiſtit momentum. Ex eodem fonte opinio fluit de perfectione, quae omnino illis tribuenda erat, qui, plus, quam ab homine exigitur, praeſtando, aliis quoque aliquid promereri debebant. Iſta autem vt ſibi eo facilius conſtaret perfectio; in eam porro ingrediebantur ſententiam, motus concupiſcentiae prauae, praeſertim inuoluntarios, non eſſe peccata, quaedam etiam peccata tam leuia eſſe, vt per ſe, & ſua natura, venialia dici que-

queant. Quae omnia, vti recepta ſunt in eccleſia romana dogmata; ita non tantum ex Pelagianiſmo originem trahunt, ſed & cum verae & genuinae theologiae moralis principiis e diametro pugnant. Falſa namque iſta, de merito operum, opinio, efficit, vt nulla recte exerceatur virtus, nullum rite praeſtetur officium. Quantum enim ſibi ipſi tribuit homo, tantum gratiae, ſimulque gloriae, quae in gratia maxime ſe manifeſtat, diuinae detrahit. Imperfectionis noſtrae, infirmitatumque viris ſanctiſſimis adhaerentium ſincera agnitio, vtramque merito in vitae chriſtianae praxi facit paginam; quae apud eos, qui ſibi iam perfecti eſſe videntur, eſſe nequit. Legis autem ideo corrumpere ſenſum, vt perfecti videri queamus, & pro peccatis ea non reputare, quae peccata ſunt, vel quaedam peccata extenuare, quod & Phariſaeis olim ſolemne erat, *Matth. V. 21. ſeqq.* id enimuero eſt, pro vera doctrina morali vaniſſima ingenii commenta aliis obtrudere, ſimulque ad laxiorem illam diſciplinam, quae tantopere cupiditatibus noſtris blanditur, viam munire. Neque tamen recentiorum moraliſtarum & caſuiſtarum hic ſubſtitit impudentia. Vt enim viam inuenirent, qua quis chriſtianus videri, ſimulque grauiora peccata committere poſſet; modo methodum dirigendi intentionem, modo artem, mutandi definitiones virtutum & vitiorum, modo aequiuocationes & reſtrictiones mentales, modo aliud quid excogitarunt; vt ita latiſſimam omnibus, quibus a peccatis deſiſtere numquam animus eſt, ad ſalutem panderent viam. Qua ratione cum nemo gratia diuina indigeat, eaque plane ſuperflua videri queat; Pelagianiſmum hic aperte deprehendere licet; ex quo etiam, ceu ex primo fonte, haec omnia fluere, ex hactenus dictis conſtat.

LIBRI POSTERIORIS
CAPVT QVINTVM
DE
IVRISPRVDENTIA ECCLESIASTICA.

Σύνοψις.

Iuriſprudentiae eccleſiaſticae nomine quid nobis veniat? an, & quouſque theologiae cultoribus ſit neceſſaria? §. I.

Adminicula & ſubſidia iuriſprudentiae eccleſiaſticae; §. II.

Origo & ſtatus eccleſiae ſub Chriſto & apoſtolis: diſciplinae & ordinis eccleſiaſtici ſaeculo ſecundo & tertio, ratio; concilia, eorumque canones, horumque collectiones, indeque deriuata iuris canonici origo, eiusque in eccleſia orientali fata; §. III.

Fata eius in eccleſia occidentali ab initio ſaeculi quinti vsque ad ſaeculum nonum; §. IV.

Cum poteſtate romanorum pontificum ius quoque canonicum incrementa ſumſit; quaenam ſeculo vndecimo ac duodecimo, vsque ad Gratianum, fata eius fuerint? §. V.

Decretalium collectiones ſequenti tempore factae; ſaeculo decimo quarto & decimo quinto poteſtas pontificum nutare coepit; §. VI.

Reſtituta euangelii luce plurimi iugum papale excuſſerunt; vſus tamen iuris canonici

nici in ſcholis & foris proteſtantium remanſit; immo & in eorumdem iurisprudentiam eccleſiaſticam quaedam eius principia recepta; §. *VII.*
Fontes & principia iuris eccleſiaſtici ex mente romanenſium; §. *VIII.*
ex mente proteſtantium, §. *IX.*
Ex hiſce etiam limites ſacerdotii & imperii, ſiue poteſtatis eccleſiaſticae & ciuilis diiudicandi ſunt, de quibus ſaepe acriter diſputatum fuit; §. *X.*
itemque quaenam hierarchiae eccleſiaſticae ſit ratio? §. *XI.*
Arcana dominationis pontificiae, in iure canonico latentia, recte deteguntur; §. *XII.*
Iurisprudentiae eccleſiaſticae, ex mente proteſtantium ſpectatae, itemque iuris canonici vſus? §. *XIII.*

§. I.

PEr *iurisprudentiam eccleſiaſticam* intelligimus ſcientiam practicam, leges eccleſiaſticas recte interpretandi, & prudenter ad quaeuis facta adplicandi, idque ad eccleſiae pariter ac reipublicae ſalutem. * Cumque ad iure conſultos praecipua quadam ratione ſpectet; theologiae tamen etiam cultores eius non plane rudes eſſe, oportet. **

* Alii equidem paullo aliter iurisprudentiam eccleſiaſticam definiunt, vt vel ex IOAN. SCHILTERI *inſtitutionib. iuris canonici lib. I. tit. I.* §. *IX.* patet; qui tamen in eo, quod caput cauſſae eſt, nobiſcum conſentit. Noſtra definitio cum plana ſatis atque perſpicua ſit; vt eam operoſe explicemus, neceſſe non eſt. Id ſolum monemus, per *leges eccleſiaſticas* nos hic tum eas, quae ex mente proteſtantium, tum, quae ex romanenſium ſententia tales ſunt, intelligere. Hi namque, praeter canones conciliorum, & dicta patrum, etiam decreta pontificum romanorum recipiunt, iisque vim legum tribuunt; quae apud nos nullius ſunt auctoritatis. Immo &, ad canones conciliorum quod attinet, etſi eos non prorſus reſpuamus; pro legibus tamen proprie ſic dictis, niſi auctoritas ſummi imperantis acceſſerit, non habemus. Ex mente contra proteſtantium, adeoque & noſtra, conſtitutiones ſummorum imperantium circa res eccleſiaſticas tantum *legum eccleſiaſticarum* proprie ſic dictarum nomen promerentur. Vnde, quando etiam eas, quae romanenſes pro legibus admittunt, hac voce comprehendimus; eam in latiori ambitu a nobis ſumi, manifeſtum eſt. Idemque de ipſa *iurisprudentiae eccleſiaſticae* voce obſeruandum, eam interdum latius ſumi, vt ea, quae ex mente romanenſium eo ſpectant, complectatur, ius ſcilicet canonicum; vel ſtrictius, vt, quae ex mente proteſtantium in ea locum inueniunt, leges videlicet eccleſiaſticas proprie ſic dictas, tantum ſibi vindicet, rationemque, eas & interpretandi, & adplicandi, doceat. Definitionem adlatam de iurisprudentia eccleſiaſtica in latiori ſenſu accepta loqui, & ita accipiendam eſſe, res ipſa oſtendit. Leges diuinae fontem praecipuum nobis aperiunt, ex quo iurisprudentia eccleſiaſtica haurienda; vt ſuo loco docebimus; immo ſimul regulam atque normam conſtituunt, ad quam omnes leges eccleſiaſticae exigendae; cum ipſis tamen legibus eccleſiaſticis non ſunt confundendae. Parum itaque adcurate mihi loqui videntur, qui *iurisprudentiam eccleſiaſticam* in *vniuerſalem* & *particularem* diſpeſcunt; ſiquidem *vniuerſalis*, partem *iurisprudentiae diuinae* conſtituit. Eccleſia quoque, generatim ſpectata, ſaltem ex mente proteſtantium, non alias leges vniuerſales, quam diuinas habet, quae partim ex rectae rationis dictamine, partim ex ſcriptura ſacra nobis innoteſcunt.

** Qui

** Qui iuriſprudentiam eccleſiaſticam pro parte quadam theologiae vendiṫant; a qua ſententia non alienus videtur CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, dum eam ad *ſcientiam ſanctiorem* refert, de *originib. iuris eccleſiaſtici cap. I. artic. I. p. 5.* non poſſunt non eam theologis praecipua quadam ratione vindicare. Verum, cum leges eccleſiaſticae, humanae ſint, & a ciuilibus tantum intuitu obiecti, non vero cauſſae efficientis, ſeu legislatoris, differant; humanarum autem legum interpretatio iure conſultis conueniat; nullus dubito, quin & hic potiores ſint eorum partes. Nec tamen inde ſequitur, theologum de legibus eccleſiaſticis, earumque interpretatione ac ſenſu, plane non debere eſſe ſollicitum. Immo, cum in iure iſto eccleſiaſtico, miniſtrorum verbi diuini, eorumque, qui docentium munere in eccleſia funguntur, cauſſa vel maxime agatur; turpe pariter ac noxium valde illis foret, ſi iſta, quae tam prope eos attingunt, ignorarent. Nec negandum, multa in iure canonico & eccleſiaſtico occurrere, quae ſine adcuratiori ſcripturae interpretatione, ac exquiſita antiquitatis notitia, diiudicari recte nequeunt. Haec autem vt ab iis, qui theologiae ſtudio ſe conſecrarunt, praecipue exſpectantur, iisque adeo ad iuriſprudentiam eccleſiaſticam eo rectius intelligendam viam muniunt; ita rurſus ex iure conſultorum ordine eos demum, qui theologiae, hiſtoriaeque eccleſiaſticae notitia haud perfunctorie imbuti ſunt, ſuo hic recte ſatisfacere muneri, euincunt.

§. II. Vt rite in ea proficiamus, tum eos, qui notitiam ſcriptorum iuris eccleſiaſtici ſuppeditant, tum & eos, qui originem, progreſſum, fata eius deſcribunt, conſulere iuuabit. Ipſa enim iuris eccleſiaſtici hiſtoria inſignem illi lucem adfundit; adeoque neutiquam eſt negligenda.*

* Ad ſubſidia & adminicula iuriſprudentiae eccleſiaſticae, praeter iuriſprudentiam naturalem atque ciuilem, ipſamque theologiam, cumprimis hiſtoria referri ſolet eccleſiaſtica. Nec ſine ratione; cum ea veteris eccleſiae diſciplinam, variorumque inſtitutorum eccleſiaſticorum originem, progreſſum, fata, canonum in conciliis conditorum cauſſas, rationesque, ſimiliaque tradat, quae ſi iuris canonici interpres ignorat, in meris eum verſari neceſſe eſt tenebris. Idque luculenter demonſtrauit IVST. HENNINGVS BOEHMERVS, in *diſſertat. praeliminari de neceſſitate & vtilitate ſtudii hiſtoriae eccleſiaſticae, in iuris eccleſiaſtici prudentia*, eiusdem *ſelectis obſeruationibus* in PETRI DE MARCA *de concordia ſacerdot. & imperii diſſertationes* praemiſſa, Lipſiae anno 1708. fol. Cum vero de hiſtoria eccleſiaſtica, eiusque ſcriptoribus, deinceps nobis ex inſtituto dicendum ſit; ſupereſt, vt primum illos, qui notitiam ſcriptorum iuris eccleſiaſtici ſuppeditant, tum & eos, qui eiusdem iuris hiſtoriam exhibent, paucis recenſeamus. Via enim hac ratione omnibus aperietur, quibus in hancce eruditionis ſe dare partem eſt animus.

Ad priorem itaque claſſem illi omnes referendi, qui, dum generatim ſcriptores, iuriſprudentiae inſeruientes, commemorarunt, eorum quoque qui ſpeciatim ad iuriſprudentiam eccleſiaſticam faciunt, rationem habere ſolent, vt: NIC. CHRIST. LYNCKERVS, in *inſtructorio forenſi, lib. I. cap. I. §. XI.* & *lib. II. ſect. II. part. I. cap. I. §. VIII.* BVRC. GOTTH. STRVVIVS, in *bibliotheca iuris ſelecta, cap. X.* vbi *bibliothecam iuris canonici* exhibet; GEORG. BEYERVS, in *ſchediaſmate de vtili & neceſſaria auctorum iuridicorum & iuris arti inſeruientium notitia, p. 41.* Seorſim vero, & ex inſtituto, hoc egit IVST. HEN. BOEHMERVS, in *ſchediaſmate de origine &*

& adparatu iuris canonici, Halae Magdeburgicae, ſine anni mentione 8. edito; & IO. ERNEST. FLOERCKIVS in *praenotionibus iurisprudentiae eccleſiaſticae*, Ienae 1724. 8. & quidem *§. XXX. p. 73. ſeqq.* Iungendi hiſce adhuc, qui de methodo ſtudii theologici tractant, praeſertim ex romanenſibus, quorum ex ſententia iuris canonici notitia theologus prorſus carere nequit; vt IO. MABILLONIVS, de *ſtudiis monaſticis* & LVD. ELL. DV PIN, in *methodo ſtudii theologici.* Ex noſtratibus GEBH. THEOD. MEIERVS, in *introduct. ad vniuerſum theologiae moralis ſtudium*, iuris quoque canonici ita rationem habet, vt praecipuos eius interpretes per ſingula ſaecula enumeret.

Ad poſteriorem claſſem, ſeu eorum qui hiſtoriam iuris eccleſiaſtici tradunt, referri equidem poſſent omnes illi, qui de canonum & decretorum eccleſiaſticorum collectoribus egerunt; quos & diligenter recenſet IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. XI.* ſiue *lib. VI. cap. II. p. 2. ſeqq.* ſed cum in ſequentibus de iis verba facturi ſimus; nunc illos ſolum paucis indicabimus, qui vniuerſi iuris eccleſiaſtici hiſtoriam litteris conſignarunt, vel eidem lucem adſuderunt. Huc ergo cumprimis CASP. ZIEGLERI, iure conſulti quondam Wittebergenſis clariſſimi, comparata eſt diſſertatio, *de origine & incrementis iuris canonici*, quae cum eiusdem *commentario* ad IO. PAVLI LANCELLOTTI *inſtitutiones iuris canonici* Wittebergae primum lucem adſpexit an. 1669. 4. recuſa deinceps Halae Magdeburgicae, vna cum CHR. THOMASII in easdem LANCELLOTTI *inſtitutiones* adnotationibus an. 1715. 4. Non minori cum laude in hocce argumento verſatus eſt GERH. VAN MASTRICHT, in *hiſtoria iuris eccleſiaſtici*, Duisburgi primum edita, an. 1676. 8. & non ſemel deinceps recuſa, etiam cum praefatione CHRIST. THOMASII, Halae 1705. & 1719. IOANNES equidem HIMMELIVS, theologus Ienenſis, iam anno 1633 *tractatum de canonicatu, iure canonico, & theologia ſcholaſtica* ediderat; ſed non magni is eſt momenti. Lectu contra digna, quae de praecipuis hiſtoriae iuris canonici capitibus diſſerit IO. STRAVCHIVS, iure conſultus Ienenſis, in *amoenitatibus iuris canonici*, Ienae 1675 recuſis; *ecloga I. cap. I. ſeqq.* Ex romanae eccleſiae addictis cumprimis hic commemorandus FRANC. FLORENS, Aurelianenſis primum, deinde Pariſienſis anteceſſor, in *diſſertat. de origine, arte & auctoritate iuris canonici*, quae inter reliqua eius opera canonica & iuridica, lucem publicam adſpexit, editore IO. DOVIATIO Pariſiis 1679. 4. recuſa deinde Halae Magdeburgicae 1716. 8. in *noua rariorum ſcriptorum conlectione, faſcic. I. p. 200. ſeqq.* Ipſe etiam IO. DOVIATIVS *hiſtoriam iuris canonici* gallica lingua edidit, Pariſiis 1676. 12. Ad noſtrates vt reuertamur, neutiquam alienae ab hoc loco cenſendae ſunt CHRISTIANI THOMASII *cautelae circa praecognita iurisprudentiae eccleſiaſticae*, Halae Magdeburgicae 1712. 4. Cum enim, quae in ipſa hiſtoria eccleſiaſtica, tum veteris tum noui teſtamenti, a primo initio ad noſtra vsque tempora, ad ipſius ſcopum illi facere videbantur, ſummatim indicaſſet, *cap. IV.* vsque ad *XVIII;* de origine, progreſſu, & auctoritate iuris eccleſiaſtici deinde verba facit, *cap. XVIII. ſeqq.* Iureconſulto huic iungimus theologum CHRIST. MATTH. PFAFFIVM, cuius *de originibus iuris eccleſiaſtici, veraque eiusdem indole liber ſingularis*, multa variaque eruditione refertus, Tubingae an. 1719. 4. publicae luci eſt expoſitus. Id nimirum vir doctiſſimus agit, vt inſtituta & diſciplinam veteris eccleſiae, per tria priora ſaecula, tamquam fontem iuris eccleſiaſtici, ediſſerat. Quatuor itaque opus hocce abſoluitur capitibus, quorum *primum* de iure eccleſiaſtico, a Chriſto condito, eccleſiaeque tradito; *alterum* de iure eccleſiaſtico ab

ab apoſtolis ſiue condito, ſiue obſeruato; *tertium* de iure eccleſiaſtico, quod ſaeculis ſecundo & tertio obtinuit, praecipit; *quartum* denique veram iuris proteſtantium eccleſiaſtici indolem exponit. Qui generatim iuris vniuerſi hiſtoriam tradunt, canonicum quoque atque eccleſiaſticum non praetermittere ſolent. Quo nomine BVRC. GOTTH. STRVVII noſtri *hiſtoria iuris Romani, Iuſtinianaei, graeci, germanici, canonici, feudalis, criminalis & publici*, Ienae an. 1718. 4. edita, hic ſibi locum poſtulat; ſiquidem *cap. VII. p. 561. ſeqq. iuris canonici hiſtoriam* exhibet. Immo &, qui de ipſo iure canonico praecipiunt, haud raro, eius quoque hiſtoriam exponere, ſuarum ducunt eſſe partium; quod adeo & IVSTVS HENNING. BOEHMERVS fecit, in *iure eccleſiaſtico proteſtantium vſum modernum iuris canonici iuxta ſeriem decretalium oſtendente, lib. I. tit. II. de conſtitutionibus, p. 83. ſeqq.*

§. III. Ad primam iuris canonici originem eo rectius intelligendam conſiderare iuuabit, quaenam eccleſiae, a Chriſto inſtitutae, ſub ipſo ſeruatore & apoſtolis fuerit indoles; * tum porro quaenam ſaeculo ſecundo tertioue diſciplinae eccleſiaſticae, ordiniſque in eccleſia conſtituti, fuerit ratio. ** Concilia hinc, eorumque canones, & horum collectiones in cenſum veniunt; quas inter ea, quae *codicem canonum eccleſiae vniuerſae* exhibet, eminet, quam aliae deinceps in eccleſia orientali ſubſequutae ſunt. ***

* Exiſtimare quis forte poterat, primam iuris eccleſiaſtici originem ab eccleſia iſraelitica, eiusque ſub veteri teſtamento ſtatu, repetendam eſſe. Id vero fieri nec poſſe, nec debere, facile intelliget, qui maximum, quod inter eccleſiam veteris ac noui teſtamenti intercedit, diſcrimen probe perpenderit. Ad eccleſiaſticas veteris teſtamenti leges ſpectabant caerimoniales illae, quas poſt Chriſti ſeruatoris aduentum non amplius locum inuenire, ſed prorſus abrogatas eſſe, non ſemel ſcriptura teſtatur. Deinde, cum forma reipublicae Iſraëliticae eſſet theocratica; non poterat non eccleſiae, qua externa, longe alia eſſe gubernatio, quam deinceps eſſe debebat, cum non tantum theocratia iſta ceſſaret, ſed gentiles etiam ad eccleſiae ſocietatem admittendi eſſent. Semper autem theocratia iſta in gente Iſraëlitica, & deinceps iudaica permanſit; etſi tempore Saulis regia dignitas in ea introduceretur; cum etiam ſub regibus luculentiſſima theocratici regiminis adpareant veſtigia, & ſacerdotii quae fuit ratio, abunde hoc teſtetur. Quod ſi vel maxime, ſub regibus theocratiam imminutam fuiſſe, aliquis contendere velit; quae eſt ſententia IO. SPENCERI, *de legib. Ebraeor. ritualib. lib. I. diſſertat. de theocratia iudaica, cap. IV. ſect. II. p. 324.* hoc tamen certum, ſemper theocratici aliquid remanſiſſe; quod etiam poſt captiuitatem babylonicam ex ſumma illa pontificum, ſeu ſummorum ſacerdotum poteſtate, adparuit. Conferendus HERM. WITSIVS, *orat. de theocratia Iſraëlitarum*, THOMAE GOODWINI *Moſi & Aaroni* praemiſſa, §. *XXIV*. Addenda, quae & ipſe hac de re dixi in *hiſtor. eccleſiaſt. vet. teſtam. tom. II. per. II. ſect. III.* ad §. *XXV. p. 167. 168.* Monendum hocce fuit, vt intelligeretur, de eccleſia noui teſtamenti ex ſtatu eccleſiae Iſraëliticae iudicium ferri non poſſe, nec poteſtatem miniſtrorum verbi diuini in nouo teſtamento ex poteſtate ſacerdotum veteris teſtamenti eſſe aeſtimandam. Patet ſimul, quam inepte romanenſes, quae de ſummo ſacerdote in gente Iſraëlitica dicuntur, ad romanum trahant pontificem.

Cum Ieſus Chriſtus, hominum redemtor, tandem, ad eorum expianda peccata,

cata, veniſſet; regnum equidem aliquod, ſed mere ſpirituale, neutiquam autem temporale erigere, aut rempublicam quamdam conſtituere, illi animus fuit. Hoc enim diſerte profitetur ipſemet, quando, *regnum ſuum non eſſe de hoc mundo*, dixit *Ioan. XVIII. 36.* Auctor equidem conditorque eccleſiae noui teſtamenti exſtitit, doctrinamque, quam amplecti omnes debeant, qui eum ſequi, & ſaluti ſuae hac ratione conſulere vellent, praeſcripſit, ſacramenta quoque, quibus fides aut progigni, aut confirmari poſſit, inſtituit. Idque pro ea, qua vt verus Deus, verusque homo pollebat, poteſtate, auctoritateque diuina, facere poterat; ſine vlla tamen ciuilis cuiusdam, aut humani imperii vel poteſtatis ſpecie. Erant enim haec eiusmodi, vt regnum eius mere ſpirituale arguerent; adeoque & ab iis, circa quae principum ſummorumque imperantium cura verſari ſolet, quam remotiſſima. Hinc & quamdiu inter mortales verſatus eſt ſeruator, doctoris, non principis aut imperantis, functus eſt munere. Immo & qui eius diſciplinam ſequebantur, etſi peculiarem coetum conſtituebant, non prorſus tamen ab eccleſia, multo minus republica iudaica, ſe ſeparabant. Nec in eo, quod Chriſtus duodecim apoſtolos, mortis ac reſurrectionis ſuae teſtes futuros, hinc & LXX diſcipulos, qui vna cum apoſtolis doctrinam euangelii longe lateque propagare debebant, elegit, quidquam, quod imperii humani ſpeciem referat, conſpicere licet. Namque & apoſtoli iſti atque diſcipuli non alio, quam doctorum, fungi debebant munere. Sic &, quod dixit, eum, qui fratrem laeſiſſet, nec aliter emendari, aut ad peccati agnitionem perduci poſſet, non amplius pro membro eccleſiae habendum, *Matth. XVIII. 17.* nullum itidem imperium, nullamque indicat poteſtatem ciuilem. Si enim vel maxime de excommunicatione hoc intelligatur; quod cur fieri nequeat, non tandem video, quid obſtet; non tamen inde ſequitur, eccleſiam gaudere facultate, minus morigeros puniendi. Declaratio namque iſta, indignum aliquem eſſe, qui pro eccleſiae membro habeatur, toto adhuc, quod aiunt, caelo, a poena ciuili differt. Denique & ex poteſtate, remittendi & retinendi peccata, quam Chriſtus apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, conceſſit, ſi recte intelligatur, nihil minus, quam poteſtas quaedam ciuilis, colligi poteſt; cum ea ſolum in efficaci adplicatione promiſſionum ac comminationum diuinarum conſiſtat. Nec adeo neceſſe erat, eam verbi diuini miniſtris denegare, ne quid illis imperii relinqui videretur. Legenda, quae docui in *inſtitut. theolog. dogm. lib. V. cap. IV.* ad §. *XVI. p. 1725. ſeqq.* Hactenus dictis lucem adfundent, quae CHRIST. MATTH. PFAFFIVS diſſerit, licet in quibusdam a nobis diſſentiat, in *originibus iuris eccleſiaſt. cap. I. art. II. p. 7. ſeqq.*

Nec alia eccleſiae ſub apoſtolis, quam ſub ipſo Chriſto, fuit, aut eſſe potuit, indoles; licet pomoeria eius, praeſertim per multorum gentilium acceſſionem, latius extenderentur. PHILIPPVS equidem IACOBVS HARTMANNVS, apoſtolos vt principes, legiſlatores, rerumque dominos, nobis deſcribit; quemadmodum & eccleſiam apoſtolicam ſub reipublicae cuiusdam imagine depingit; in *commentar. de rebus geſtis chriſtianorum ſub apoſtolis*, praeſertim *cap. II. & III.* Sed longe aliter de ſe ipſimet ſentiebant apoſtoli; quippe qui ſolum pro *miniſtris Chriſti, & diſpenſatoribus myſteriorum diuinorum*, haberi volebant, *I. Cor. IV. 1.* Munerum rurſus aeque ac donorum varietatem quamdam in eccleſia apoſtolica fuiſſe, ex *Ephef. IV. 11.* & *I. Cor. XII. 28. ſeqq.* condiſcimus; quippe quae & ad eccleſiae iſtius temporis conſeruationem ac propagationem erat neceſſaria. At ſumma ſimul

intuitu

intuitu dignitatis omnium erat aequalitas; multo minus vni imperium aliquod aut poteſtas in alium tribuebatur. Epiſcopos enim ea aetate a presbyteris diſtinctos, aut iis ſuperiores fuiſſe, quod nonnulli ſibi perſuadent, ſine vllo fundamento adſeritur. Non repetam, quae iam ex inſtituto hac de re diſputaui in *diſſertat. de origine & poteſtate epiſcoporum contra Henr. Dodwellum*, praeſertim §. *X. ſeqq.* Ordine autem quodam opus fuiſſe, ac directione, praeſertim quoties chriſtiani ſacrorum cauſſa conueniebant; hinc & ritus quosdam ac caerimonias eo tempore introductas; nemo, niſi qui harum rerum plane expers eſt, negauerit. Neque dubitandum, quin apoſtolorum, & pro re nata presbyterorum, in his omnibus partes potiores fuerint. Interim haec omnia ſine imperio, ſineque poteſtate legislatoria, conſtitui poterant. Creſcente etiam chriſtianorum numero, ſubinde contingebat, vt nonnulli non ſemper officii ſui obſeruarent rationem; quos admonitionibus, increpationibus, in rectum reducere tramitem, apoſtoli presbyterique ſuarum duxerunt eſſe partium. Quarum non tantum in epiſtolis Pauli exempla quampluríma occurrunt, ſed ipſemet Timotheo pariter ac Tito ſuo, idem vt facerent, praecepit, *I. Tim. V. 20. II. Tim. II. 25. Tit. I. 9. 13.* Ea vero iterum ratione, ſe non tam principes, quam doctores, immo patres eſſe, demonſtrabant. Maius quid erat, quod apoſtoli poteſtate miraculoſa, poenas minus morigeris infligendi, pollebant, qua &, licet raro, vſi ſunt; *actor. V 5. 10. XIII. 11. I. Cor. V. 3. ſeqq. I. Tim. I. 20.* Quae cum ideo neceſſaria eſſet, quoniam imperio humano, facultateque adeo, puniendi grauiora peccata committentes, indefluente, deſtituebantur; confirmari inde potius noſtra ſententia poteſt, tantum abeſt, vt labefactetur. Excommunicationem in apoſtolica eccleſia in vſu fuiſſe, ex *I. Cor. V. 13.* certo colligitur; fruſtra renitente IO. SELDENO, de *ſynedr. veter. Ebraeor. lib. I. cap. VIII.* At eam pro poena ciuili habendam non eſſe, iam antea monuimus. Sic & in reliquis omnibus res comparata eſt. Si omnia quam diligentiſſime ponderaueris, nihil in apoſtolica eccleſia deprehendes, quod imperii cuiusdam ciuilis ſpeciem praebere queat. Generatim ſpectati chriſtiani, membra erant vnius *corporis myſtici*, cuius caput erat Chriſtus, *Eph. I. 22. 23. V. 32.* adeoque non alio, quam vnius fidei & charitatis vinculo, inter ſe vniebantur, *Epheſ. IV. 3. 4.* Quae autem hinc inde in certis locis erant eccleſiae, vt ſocietates particulares conſiderandae erant, in iis, quae ad religionem non ſpectabant, magiſtratui ciuili ſubiectae, in iis vero, quae eo comparata erant, presbyterorum, & apoſtolorum monitis, conſiliis, adhortationibus, locum relinquentes. Quae cum ita ſint, maximopere falluntur, qui, eccleſiam apoſtolicam ad reipublicae cuiusdam formam compoſitam fuiſſe, contendunt. Romanenſibus eiusmodi quid in mentem venire, mirum non eſt; quippe, quorum vehementer intereſt, eccleſiam pro re publica quadam haberi, in qua ſuprema penes pontificem ſit poteſtas; quem alii iam profligarunt errorem; quamquam & copioſe de eo dictum ſit in *inſtit. theol. dogm. lib. V. cap. III.* ad §. *XVII. p. 1664.* Alii rurſus, aut ad templi Hieroſolymitani, aut ſynedrii, aut ſynagogae iudaicae exemplar, eccleſiam chriſtianam compoſitam fuiſſe, ſibi perſuadent; quas virorum doctorum ſententias diligenter refert CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *originib. iuris eccleſiaſt. cap. II. artic. III. p. 88. ſeqq.* Quae omnia non tantum ſine certo fundamento dici, ſed & ab indole & ſimplicitate chriſtiana, quae eo tempore fuit, aliena eſſe, probari facile poſſet, ſi hiſce immorari fas eſſet. Magnam equidem illorum prae

prae ſe fert ſententia ſpeciem, qui eccleſiam apoſtolicam cum ſynagoga iudaica conferunt; quam poſt HVG. GROTIVM, IO. SELDENVM, IO. LIGHTFOOTVM, aliosque magni nominis viros, ornandam defendendamque ſibi ſumſit CAMPEGIVS VITRINGA, in *tribus de ſynagoga veteri libris*, Franecquerae 1696. editis. Nec abnuo, rituum iudaicorum veſtigia quaedam in eccleſia chriſtiana deprehendi; quod & a me ipſo in *duabus de ritibus eccleſiae latinae iudaicis*, *diſſertationibus* demonſtratum, quae in *parergis hiſtorico-theologicis* exſtant; non tamen vltra quam par eſt, iſta comparatio extendenda; praeſertim cum veroſimile non ſit, veteres chriſtianos ſynagogam iudaicam poſtliminio reuocare voluiſſe, qui potius de doctrinae euangelicae conſeruatione ac propagatione, fideque per charitatem efficaci, ſolliciti, ſi quid in externis conſtituendum eſſet, id ſolum ſpectabant, vt eccleſiae commodis conſulerent, *actor. VI. 2. 3.* vtque cuncta εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν fierent, *I. Cor. XIV. 40.*

Inſtituta atque ritus eccleſiae apoſtolicae ſequenti aetate in leges abiiſſe, aut legibus eccleſiaſticis occaſionem dediſſe, longe eſt manifeſtiſſimum. Ea tamen aetate, qua illi introducti fuerunt, legibus eccleſiaſticis, proprie ſic dictis, non magis, quam imperio, aut poteſtati legiſlatoriae locus erat. Sunt enim haec inter ſe coniuncta. Dubium equidem aliquod ob concilium Hieroſolymitanum, decretumque in eo conditum, moueri poterat; quod eo minus hic praetermittendum, quo ſollemnius eſt, vt conciliorum hinc deriuetur origo, ex quorum canonibus ius deinceps canonicum conflatum eſt, vt in ſequentibus dicemus. Sunt equidem viri docti, qui conciliorum originem ab Hieroſolymitano hocce deriuandam non eſſe, contendunt; immo, conuentum huncce apoſtolorum cum presbyteris, & reliquis eccleſiae Hieroſolymitanae membris, concilium fuiſſe, negant; ſiquidem illi, inter quos Antiochiae controuerſia iſta exorta erat, in ſententiam eccleſiae Hieroſolymitanae compromiſerint, adeoque ex *compromiſſo* in illa eccleſia de hac quaeſtione actum, decretumque cum aliis eccleſiis non per modum imperii, ſed doctrinae communicatum fuerit. Ita quidem vir illuſtris IVST. HENNING. BOEHMERVS, in *diſſertat. iuris eccleſiaſt. antiqui, diſſertat. III. p. 218. ſeqq.* item in *emendationib. & additamentis ad Ioan. Schilteri inſtitut. iuris canon. lib. I. tit. IV. p. 19.* vt & in *originib. praecipuarum materiar. iuris eccleſiaſt. cap. IV. p. 303. ſeqq.* Ego equidem lubens fateor, inter Hieroſolymitanum concilium, & reliqua, quae deinceps congregata fuerunt, maximum intercedere diſcrimen; dum haec ab illius norma, quam longiſſime ſaepe fuerunt remota. Nec tamen adlatae rationes me inducere poſſunt, quo minus credam, conuentum iſtum Hieroſolymitanum pro concilio haberi poſſe. Partes Antiochiae diſceptantes in eccleſiae Hieroſolymitanae ſententiam compromiſiſſe, ex *act. XV. 2.* non colligas. Veroſimilius, illos, qui Antiochiae a ſe inuicem diſſentiebant, & lites illas componi volebant, intellexiſſe, quod & ratio dictitat, ſi viri probitate, ſinceritate, & rerum cognitione conſpicui, collatis ſententiis aliquid examinent, & cuncta rite ponderent, veritatis lucem ita emerſuram, vt nemo reniti amplius, aut reluctari queat. Qua de re eo minus dubitare poterant, quod ipſimet Hieroſolymae aderant apoſtoli, quibus Chriſtus ſpiritum ſanctum, ceu *ſpiritum veritatis*, promiſerat, qui eos omnem edocturus eſſet veritatem, *Ioan. XIV. 17. 26.* Hinc & cuncta in conuentu iſto Hieroſolymitano ita geſta ſunt, prout in concilio legitimo geri debebant. Quod ſi etiam decretum concilii iſtius non per modum *imperii*, ſed per modum *doctrinae*, cum aliis eccleſiis communicatum eſſet; id tamen non obſtaret, quo minus conuentus iſte verum

fuiſſet

Digitized by Google

fuiſſet concilium. Mea namque omnino haec eſt ſententia, concilia tantum per modum doctrinae, neutiquam autem per modum imperii, agere poſſe. Vt decretis enim conciliorum nos ſubmittamus, tum demum obſtricti ſumus, ſi conuicti fuerimus, ea cum ſcriptura ſacra exacte conuenire. At concilii Hieroſolymitani longe aliam rationem eſſe, exiſtimo, eo, quod apoſtoli cuncta ex inſtinctu ſpiritus ſancti egerint; ideoque & non tam ſuo, quam ſpiritus ſancti nomine ſententiam ferunt: *viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis; v. 28.* Quae concilii iſtius deciſio, cum immediate θεόπνευστος eſſet; nemini vtique fas erat, eidem repugnare; quin potius omnes, vt voci ſpiritus ſancti, imperioque non humano, quod apoſtoli nulla ratione ſibi vindicabant, ſed diuino, eidem ſe ſubmittere tenebantur. Addenda, quae iam de hocce conſilio monui in *inſtitut. theolog. dogm. lib. V. cap. III.* ad *§. XVII. p. 1667. ſeqq.* Dum autem in eodem praeter apoſtolos & presbyteros eccleſiae Hieroſolymitanae, reliqui etiam fratres, quos ſequior aetas laicos adpellitauit, interfuerunt; non tantum intelligere inde iterum licet, quam nihil omnino apoſtoli aut presbyteri, quod imperii ſpeciem habeat, ſibi vindicauerint, ſed exemplum ſimul ſtatutum fuit, quo pacto in conciliis cuncta geri ac adminiſtrari debeant. Quod cum in aliis eiusdem generis inſequentibus conciliis non fuerit obſeruatum; ea a norma iſta veri atque legitimi concilii in hiſce procul abfuiſſe, recte inde colligitur. Romanenſes equidem perſuadere nobis conantur, *apoſtolos interfuiſſe (huic concilio) tanquam iudices ad definiendum, presbyteros ad conſultandum, plebem autem non vocatam, ſed tamen adfuiſſe & conſenſiſſe; non quidem definiendo aut diſputando, ſed tantum audiendo & non reclamando.* Ita quidem ROB. BELLARMINVS, *lib. I. de conciliis, cap. XVI.* SEV. BINIVS, *tom. I. concil p. 2.* aliique. Sed omni fundamento hanc deſtitui ſententiam, oſtendit SAM. SCHELGVIGIVS, in *exercitat. theologica de concilio Hieroſolymitano, cap. X. §. II. ſeqq.*

Sunt nonnulli, qui, in concilio hocce Hieroſolymitano, *canones* illos, qui ſub *apoſtolorum* nomine circumferuntur, & primum velut ſpecimen iuris canonici exhibent, conditos, exiſtimant. Ita namque FRANC. TVRRIANVS cenſet, *libro contra centuriat. Magdeburgenſes*, in quo id operoſe & ex inſtituto agit, vt canones hoſce apoſtolis vindicet. Fundamentum ſententiae ſuae in eo ſibi inueniſſe videtur, quod *lib. VI. conſtitut. apoſtolic. c. XII.* apoſtoli dicant, ſe poſt decretum de abſtinentia ab idolothytis, ſanguine ſuffocato, & fornicatione, pluribus diebus congregatos permanſiſſe, conquirentes collatis conſiliis, quae ad publicum eccleſiae commodum ſpectarent. Cum vero *conſtitutiones* illae *apoſtolicae* non maioris auctoritatis ſint, quam *canones*; non poteſt non lubricum cenſeri, quidquid earum teſtimonio ſuperſtruitur. Nimirum, ad *canones* iſtos quod attinet, nec de numero, nec de auctore, adeoque nec de auctoritate illorum, ipſimet inter ſe conueniunt romanenſes. De numero enim ſi quaeſtio inſtituatur; primum hic diſcrimen aliquod inter Latinos & Graecos intercedit. Quinquaginta tantum canones in ſuis collectionibus exhibent DIONYSIVS exiguus, ISIDORVS mercator, CRESCONIVS, aliique ex Latinis. At IOANNES ſcholaſticus, PHOTIVS, aliique ex Graecis, LXXXV canones apoſtolicos numerant, a quibus non differre editiones, in quibus quidam canones contrahuntur, vt tantum LXXXIV, LXXXII, LXXXI vel LXXVII aut LXXV exhibeant, viris doctis obſeruatum eſt. Romanenſium porro nonnulli canones iſtos LXXXV omnino adprobant; alii, vt SEV. BINIVS, *tom. I. concil. p. 14.* duos tantum, alii quinque eximunt, eosque perperam apoſtolis tribui, cenſent; reliquos pro genuinis habent. Alii rurſus, reiectis XXXV illis, qui

in Graecorum collectionibus additi ſunt, quinquaginta priores tantum pro legitimis & genuinis venditant, vt ROB. BELLARMINVS, de *ſcriptoribus eccleſiaſtic. p.54.* cui CONSTANTINVM A CASTROVILLARE, in *diſſertat. de canonib. apoſtolorum* Romae 1697 edita, iungit THOMAS ITTIGIVS, in *ſelect. capitib. hiſtor. eccleſiaſt. ſaec. I. cap. I. §. XXII. p. 47.* Atque hi quidem, vt, quosdam aut plerosque ex hiſce canonibus ab ipſis apoſtolis profectos, contendunt; ita ſunt iterum alii, qui, aut omnes, aut nullos ex iis apoſtolos agnoſcere auctores, adſerunt. Prius cumprimis FRANC. TVRRIANVS, *lib. I. pro canonib. apoſtolor. contra centuriat. Magdeburg.* adfirmat, quem & in ea verſari opinione, in ipſo concilio Hieroſolymitano hoſce ab apoſtolis conditos canones, antea iam obſeruauimus. Ab apoſtolis rurſus equidem ſancitos eos, at a CLEMENTE collectos, aliorum eſt ſententia; inter cuius opera etiam a quibusdam referri ſolent. Omnes in vniuerſum adulterinos, perperamque apoſtolis tribui, doctiſſimi quique romanenſium hodie fatentur, vt PETRVS DE MARCA, de *concordia ſacerdot. & imperii, lib. III. cap. II.* 10. CABASSVTIVS, in *not. eccleſ. hiſtoriar. concil. &c. p. 7.* GABR. ALBASPINAEVS, *lib. I. obſeruat. cap. XIII.* SEB. NAN. TILLEMONTIVS, in *comment. hiſtor. eccleſ. inſeruient. tom. II. p. 178.* LVD. ELL. DV PIN, *biblioth. ſcriptor. eccleſiaſt. tom. I. p. 21.* NAT. ALEXANDER, *hiſtor. eccleſiaſt. ſaec. I. diſſert. XVIII.* Nec male rebus ſuis hac ratione conſulunt. Licet enim quaedam in hiſce canonibus occurrant, quae romanae eccleſiae inſtitutis fauere videntur; alia tamen rurſus in illis deprehenduntur, quae iisdem repugnant; vt, cum *can. III.* matrimonium epiſcoporum, presbyterorum & diaconorum adprobatur. Vnde &, pauciſſimos ex hiſce canonibus in eadem eccleſia obſeruari, nonnulli fatentur. Ex *octoginta quatuor canonibus apoſtolorum*, inquit MICH. MEDINA, *quos Clemens Romanus pontifex, & eorumdem diſcipulus, in vnum coëgit, vix ſex aut octo latina eccleſia nunc obſeruat;* de *ſac. hom. contin. lib. V. cap. CV.* Addendus ROB. COCVS, in *cenſura quorumdam ſcriptor. veter. p. 11. 12.* De tempore autem, quando iſta canonum collectio facta ſit, iidem viri docti inter ſe non conſentiunt. Poſt annum 258 id contigiſſe, PETRVS DE MARCA *l. c.* exiſtimat; GABR. ALBASPINAEVS, *l. c.* quosdam a viris apoſtolicis conſtitutos; quibus reliqui ſucceſſu temporis fuerint additi. NAT. ALEXANDER diſtincte tribus adſertionibus mentem ſuam explicat: I) *Canones apoſtolici octoginta quinque, ab orientalibus eccleſiis recepti ſunt, ſexto ineunte ſaeculo; ante quinti ſaeculi ſuprema in oriente non probati;* II) *Initio ſexti ſaeculi, quinquaginta canones apoſtolorum in eccleſiae latinae codicem relati ſunt; non tamen inter eccleſiaſticas regulas ab omnibus eccleſiis ſtatim admiſſi. Attamen obtinent auctoritatem quinquaginta illi canones per occidentalem eccleſiam vniuerſam, triginta quinque poſterioribus reiectis;* III) *Canones apoſtolis inſcripti, nedum triginta quinque poſteriores; verum & priores quinquaginta, ſunt apoſtolis ſuppoſiti & pſeudepigraphi; l. c. p. 195. ſeqq.* Ex noſtratibus pariter ac reformatae eccleſiae doctoribus nemo eſt, qui, ab apoſtolis canones iſtos profectos, credat, quin potius eos ſuppoſititios & adulterinos eſſe, omnes vno ore fatentur. GVIL. WHISTONVS enim hiſce non amplius adnumerandus eſt, poſtquam ad Arianorum caſtra tranſiit. Eum vero id omni niſu egiſſe, vt cum *conſtitutionibus* etiam *canones apoſtolicos*, apoſtolis ipſis vindicaret, immo, eodem cum ſcriptura ſacra loco eosdem habendos, aliis perſuaderet, eo, quod veſtigia Arianiſmi in iis deprehenderet, notum eſt. Spectat huc praeter alia *tentamen* eius *de conſtitutionibus apoſtolicis*, Londini 1711. 8. editum,

tum, praeſertim *p. 83. ſeqq.* Sed hiſce eius conatibus alii ſe fortiter oppoſuerunt, eiusque profligarunt commenta. Conferenda, quae diximus in *inſtitut. theolog. dogm. lib. II. cap. I.* ad §. *LIV. p. 424.* Ad tempus quod attinet, quo collectio iſtorum canonum facta ſit; IOAN. quidem DALLAEVS, tum quinquaginta priores, tum triginta quinque poſteriores ante ſaeculum quintum innotuiſſe, negat; de *pſeudepigraphis apoſtolicis, lib. III. cap. II. p. 422. ſeqq.* DAVID contra BLONDELLVS, canones hoſce longe antiquiores facit, dum, eos circa annum 280 conditos, adfirmat; in *apolog. pro ſentent. Hieronymi de epiſcopis & presbyteris ſect. III. p. 317.* immo in *prolegomenis ad pſeudo-Iſidorum cap. XII.* eosdem anno 200 ſancitos contendit. Pari ratione & GVIL. BEVEREGIVS, ſaeculo ſecundo exeunte, & tertio ineunte, hoſce canones confectos, arbitratur, ſimulque, CLEMENTEM Alexandrinum eorumdem fuiſſe collectorem, coniicit; in *adnotat. ad canones apoſtol.* & quidem in *praefat. tom. II. ſynodici ſiue pandectar. canonum &c. p. 1. ſeqq.* vbi & IO. DALLAEI ſententiam ex inſtituto ſibi refutandam ſumſit. Cum vero MATTH. LARROQVANVS, in *obſeruationibus* ſuis *ad Beueregii adnotationes in canones apoſtolicos,* an. 1674 editis, IO. DALLAEI defenſionem in ſe ſuſcepiſſet; BEVEREGIO inde occaſio data fuit, *codicem canonum eccleſiae primitiuae vindicatum & illuſtratum,* Londini an. 1678. in lucem proferendi, in quo pro antiquitate canonum apoſtolicorum acriter pugnat; quae autem de CLEMENTE Alexandrino, ac ſi ab eo canones iſti congeſti eſſent, dixerat, vt coniecturam tantum probabilem nemini obtrudere cupit. Et ſane ad vltimum hocce caput quod attinet, etſi EVSEBIO, *lib. VI. hiſtor. eccleſiaſt. cap. XIII* HIERONYMO, de *ſcriptorib. eccleſiaſt. cap. XXV.* atque PHOTIO, *myriobib. cod. CXI.* CLEMENTIS Alexandrini κανὼν ἐκκλησιαστικὸς, *canon eccleſiaſticus* commemoretur; cum tamen in eo tantum ritum & tempus celebrandi paſchatos in eccleſia probatum contra Iudaeos vindicauerit; de canonum apoſtolicorum collectione hoc intelligi non poſſe, manifeſtum eſt, quod & recte obſeruat IOAN. ALBERT. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. XI.* ſiue *lib. VI. cap. I. p. 7.* Multa equidem pro antiquitate canonum iſtorum ex patribus atque conciliis profert BEVEREGIVS; ad quae tamen quid reſponderi queat, fuſe & erudite oſtendit THOMAS ITTIGIVS, in *diſſertat. de pſeudepigraphis Chriſti, Mariae, & apoſtolor.* quae prima eſt in *heptade*, *diſſertationi* eius *de haereſiarchis aeui apoſt.* ſubnexa, §. *XVIII. ſeqq. p. 174. ſeqq.* Obſeruat ibi §. *XXI.* inter alia, nomine *canonis apoſtolici*, vel *eccleſiaſtici*, aut *antiqui*, apud ſcriptores veteres, & in ipſis conciliorum decretis, nonnumquam publicos eccleſiae mores venire, qui longa conſuetudine vim legis obtinuerint, & apoſtolicae diſciplinae reſpondere, crediti fuerint; quod & ipſemet agnoſcit BEVEREGIVS, *p. 94. 95.* Praeterea & illud recte monet, cum in conciliorum decretis, aliisque veterum monumentis, antiqui canones allegantur, quibuscum apoſtolici conueniunt; probari inde non poſſe, quod in illis conciliis, aliisque monumentis canones apoſtolici allegati fuerint; cum potius canonum apoſtolicorum conſarcinator ex illis conciliis, aliisque veterum monumentis eiusmodi canones condendi occaſionem ſumſerit. Impoſtorem enim fuiſſe, qui canones apoſtolicos collegit, ex eo manifeſtum eſſe, ait, quod nonnullos ex iſtis canonibus ita formauerit, quaſi ab ipſis apoſtolis compoſiti fuiſſent; §. *XXII. p. 177. 178.* IOANNIS itaque DALLAEI de tempore, quo canones iſti apoſtolici in lucem emerſerint, ſententia, quam & NAT. ALEXANDRO placuiſſe, antea iam obſeruauimus, calculum

prae reliquis promerebitur. Ad minimum, dubium eſt, num canones iſti antiqui ante quartum ſaeculum in certam aliquam ſyllogen compacti fuerint, & poſtea ab impoſtore quodam interpolati, an iſta ſylloge quinto demum ſaeculo compoſita, & apoſtolis ſimul adſcripta ſit; licet negari nequeat, multa in ea contineri, quae ſecundo, tertio & quarto ſaeculo in variis conciliis definita ſunt, iudice THOM. ITTIGIO, *l. c. §. XXIV.* Quidquid autem tandem de tempore ſit; in eo viri doctiſſimi hodie conueniunt, ab ipſis apoſtolis hoſce canones conditos non eſſe. Qui paullo adcuratius eos ponderauerit, nihil grauitate & genio apoſtolico dignum in illis deprehendet; multa contra, a tempore apoſtolorum prorſus aliena, & poſt illorum demum aetatem introducta; vti illud, quod de oblatione ſuper altare, de diſtinctis gradibus & ordinibus epiſcoporum, & presbyterorum, de paſchate ante aequinoctium vernum celebrando, de vaſis aureis & argenteis ſanctificatis, de epiſcopis παροικίαν relinquentibus, ſimilibusque, dicitur; quae ſummatim indicat ANDR. RIVETVS, *crit. ſacr. lib. I. c. I. p. 105. 106.* Accedit, quod ex ſcriptis patrum, qui ante ſextum ſaeculum vixerunt, genuinis, aliisque monumentis fide dignis, nihil proferri queat, quo probetur, ab apoſtolis hoſce canones conditos. IOANNES equidem DAMASCENVS eos non tantum apoſtolis tribuit, ſed omnino libris noui teſtamenti adnumerat; de *orthodoxa fide, lib. IV. c. XVIII.* Sed eius, vtpote qui ſaeculo demum octauo vixit, vt hic in cenſum non venit auctoritas; ita turpiter illum hallucinatum, manifeſtum eſt. GELASIVS contra pontifex, in decreto iſto notiſſimo, quo libros, adprobatione dignos, ab aliis, qui reiiciendi ſint, diſcernit, canones iſtos apoſtolicos omnes ſine diſcrimine inter libros apocryphos refert; *diſt. V. can. ſancta romana.* Quae FRANC. TVRRIANVS, ROB. BELLARMINVS, CAESAR BARONIVS, aliique hic excipiunt, adcurate refellit IO. DALLAEVS, de *pſeudepigraphis apoſtolic. lib. III. cap. III. p. 436. ſeqq.* Plura non addo, cum reliqua, quae adhuc dici potuiſſent, abunde ſuppeditent ANDR. RIVETVS, *crit. ſacr. lib. I. c. I. p. 96. ſeqq.* ROB. COCVS, in *cenſura ſcriptor. quorumd. veter. p. 4. ſeqq.* THOM. ITTIGIVS, in *diſſert. de pſeudepigraphis Chriſti, Mariae & apoſtolor. cap. XI. p. 161. ſeqq.* item in *ſelectis capitib. hiſtor. eccleſiaſt. ſaec. I. cap. I. §. XXII. pag. 46. ſeqq.* IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. XI.* ſiue *lib. VI. cap. I. §. III. p. 4. ſeqq.* aliique ex antea laudatis; quibus iungendus CASPAR ZIEGLERVS, de *orig. & increment. iuris can. §. VIII. ſeqq.* itemque IOAN. GVILIANVS, in *diſſertat. de antiquit. canon. apoſtolicorum*, Wittebergae, 1706. 4. Exſtant vero canones iſti in GVIL. BEVEREGII *ſynodico, ſiue pandectis canon. eccleſiae graecae &c. tom. I. p. 1. ſeqq.* itemque in *ſcriptis patrum apoſtolicor.* IO. BAPT. COTELERII, *tom. I. pag. 437.* alibique. De canonibus commentitiis, quos in ſynodo Antiochena conditos fuiſſe, in actis concilii Nicaeni II traditur, quosue itidem pro genuinis venditat FRANC. TVRRIANVS, conferendi IO. DALLAEVS, de *pſeudepigraphis apoſtolicis, lib. III. c. XXII. ſeqq.* THOM. ITTIGIVS, de *pſeudepigraphis Chriſti, Mariae & apoſtolorum, cap. XI. §. XXXV. p. 189.* cumprimis autem IO. ALB. FABRICIVS, *l. c. §. VI. p. 8. 9.* vbi iſtos canones exhibet.

Sub apoſtolorum nomine porro circumferuntur *conſtitutionum libri octo*, qui itidem a CLEMENTE Romano digeſti perhibentur, immo tamquam ab eo concinnati *canone LXXXV apoſtolico* commendantur. In hiſce, ſi PHIL. LABBEO credimus, *vberiorem vniuerſi fere apud Graecos iuris canonici fontem, & diſciplinae eccleſiaſticae theſaurum in plerisque locupletiſſi-*

tiſſimum, inuenire licet; etiamſi non diffiteatur, plurimis eos laborare naeuis, paſſimque corruptos eſſe; *tom. I. concil. p. 192.* Quae eius verba etiam recitat IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. XI.* ſiue *lib. VI. cap. I. §. VII. p. 10.* Ipſis apoſtolis haſce conſtitutiones tribuendas, romanenſium quidam ſerio contendunt; quorum nonnulli *eas librum ſpiritu apoſtolico pleniſſimum*; alii *indubitatum Clementis opus eſſe*, alii rurſus, *ſummo Dei beneficio contigiſſe, vt in lucem tandem prodierint*, adfirmant; apud ROB. COCVM in *cenſura ſcriptorum quorumdam veterum, pag. 29.* Cumprimis autem haſce conſtitutiones, ceu genuinas & vere apoſtolicas, ſibi defendendas ſumſit IO. CAROL. BOVIVS, qui primum eas integras, latineque a ſe redditas, cum ampla praefatione & ſcholiis Venetiis an. 1563 edidit. Idem & non minori ſtudio fecit FRANC. TVRRIANVS, in *praefationibus, ſcholiis & explanationibus apologeticis*, quibus *conſtitutiones* haſce, graece primum Venetiis an. 1563. deinde Antwerpiae 1578. a ſe editas, exornauit. Plerique tamen, iique eruditiſſimi ex romanenſibus viri, vt PETR. HALLOIXIVS, in *notis ad vitam Polycarpi cap. VI.* & *ad vitam Ignatii, cap. II.* DIONYS. PETAVIVS, *lib. II. de doctrina temporum, cap. LVII.* CHRISTIAN. LVPVS, in *ſcholiis ad canones conciliorum, part. II. p. 868.* NAT. ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. ſaec. I. diſſert. XVIII.* eas vt ſpurias ac adulterinas reiiciunt. Immo ipſe ROB. BELLARMINVS, cardinalis, de iis pronuntiat, quod *in eccleſia latina nullum fere habeant nomen*; deinceps vero, quod *non pauca, quae abhorrere videantur a veritate, in iisdem habeantur*, probat; de *ſcriptoribus eccleſiaſt. p. 30.* Et idem nihiloſecius BELLARMINVS haud raro ad errores eccleſiae romanae defendendos ad haſce conſtitutiones prouocat; quod exemplis oſtendit ROB. COCVS, *l. c. p. 29.* Ex reformatae eccleſiae doctoribus RICHARD. MONTACVTIVS, ſe conſtitutionum harum γνησιότητα demonſtraturum, promiſit in *adparatu ad origines eccleſiaſt. p. 394.* Id vero eum non praeſtitiſſe, viris doctis obſeruatum eſt. Cumprimis hic commemorandus eſt GVIL. WHISTONVS, quem omni conatu id egiſſe, vt *conſtitutiones* iſtas *apoſtolicas*, vna cum *canonibus*, & apoſtolis ipſis vindicaret, & eamdem cum noui teſtamenti libris auctoritatem iis adſereret, iam antea monuimus. At aduerſarios hac in re grauiſſimos expertus eſt ROB. TVRNERVM, RICH. SMALBROKIVM, IO. ERNEST. GRABIVM, quorum huc ſpectantia ſcripta laudat IO. ALB. FABRICIVS, *l. c. §. VII. p. 11.* Et ſane, magnopere omnes iſtos falli, qui haſce conſtitutiones ab apoſtolis profectas, & a CLEMENTE Romano collectas, ſibi perſuadent, vel inde conſtat, quod plurima in iis occurrant, quae apoſtolis ipſis tribuere nefas foret atque piaculum. Librum huncce *plenum eſſe ineptiarum ac mendaciorum*, adſerit non tantum, ſed & exemplis probat ROB. COCVS, in *cenſura ſcriptor. quorumdam veter. p. 30. & 31.* Omni praeterea deſtituuntur antiquitatis ſuffragio; quod fuſe & erudite oſtendit THOMAS ITTIGIVS, qui & ad teſtimonia, DIONYSII areopagitae, IGNATII, POLYCARPI, IRENAEI, aliorumque, quae pro iis adferri ſolent, reſpondet, in *diſſertat. de pſeudepigraphis Chriſti, Mariae & apoſtolor. cap. XII. §. XIV. ſeqq. p. 199. ſeqq.* Addenda, quae IO. DALLAEVS de *pſeudepigraphis apoſtolicis* per integrum *librum primum* & *ſecundum* contra *conſtitutiones* haſce diſputat; cui & iungendus ANDR. RIVETVS, in *critico ſacro, cap. II. p. 107. ſeqq.* Qui in eo conueniunt, *conſtitutiones* haſce perperam apoſtolis aut CLEMENTI Romano tribui, de tempore iterum, quando in lucem emerſerint, inter ſe diſſentiunt. Ad finem namque ſaeculi ſecundi eas refert HVGO GROTIVS, *lib. I. de iure belli & pac.*

& pac. cap. II. not. ad §. *IX.* ad ſaeculum tertium DAV. BLONDELLVS, in *prolegom. ad pſeudo Iſidor. cap. XII. pag. 57.* & PETR. DE MARCA, de *concord. ſacerdot. & imp. lib. III. c. II.* ad quintum HERM. CONRINGIVS, *animadu. de purgator. n. XXXII.* IOANNES autem BONA, cardinalis, apud omnes exploratum eſſe, putat, *conſtitutiones* iſtas ſaltem concilio Nicaeno antiquiores eſſe, & diſciplinam continere eccleſiaſticam, qua eccleſia orientalis ſub ethnicis imperatoribus ante Conſtantinum magnum fuerit gubernata; *rerum liturg. lib. I. cap. VIII.* Praeferenda mihi reliquis videtur ſententia THOMAE ITTIGII, quarto omnino ſaeculo *conſtitutiones* quaſdam *apoſtolicas* innotuiſſe, quae poſtea circa ſextum ſaeculum ab homine quodam Ariano corruptae fuerint & interpolatae; quam pluribus confirmat *diſſert. de pſeudepigraphis Chriſti &c. c. XII.* §. *XLIV. XLV. p. 219. ſeqq.* & in *ſelect. capit. hiſtor. eccleſ. ſaec. I. cap. I.* §. *XXII. p. 53.* Huc & ſententia IAC. VSSERII redit, in *prolegom. ad epiſtolas Ignatii, cap. VI. ſeqq.* vbi & plura de hiſce conſtitutionibus ſuppeditabit; quod & praeter alios hactenus laudatos CASP. ZIEGLERVS facit, de *origine & incremento iuris canon.* §. *XIV.* Exſtant *conſtitutiones* iſtae *apoſtolicae* in *ſcriptis patrum apoſtolicorum* IO. BAPT. COTELERII.

** Saeculo ſecundo tertioue ſenſim mutari facies eccleſiae coepit, ſaltem fundamenta magnae iſtius, quae deinceps ſe exſeruit, mutationis, quodammodo poſita; hinc & ad veram iuris canonici originem via magis munita fuit. Statim enim poſt apoſtolorum tempora mos inualuit, vt epiſcopi a presbyteris diſtinguerentur, quorum deinceps maiora in dies incrementa auctoritas ſumſit, donec ad iſtud faſtigium, in occidentali praeſertim eccleſia, peruenirent, quo principibus, rerumque dominis aequabantur. Non dubito, quin rationes quaſdam nonnulli habuerint, cur, e re eccleſiae eſſe, putarent, vt primus in collegio presbyterorum ἐξοχὴν quamdam prae reliquis obtineret; rurſus tamen & id certum eſt, non omnibus illud inſtitutum placuiſſe. Quemadmodum igitur nonnulli pro epiſcopatu acriter pugnarunt, vt IGNATIVS, CLEMENS Alexandrinus, ORIGENES, TERTVLLIANVS; ita aequalitati contra epiſcoporum & presbyterorum patrocinati ſunt CLEMENS Romanus, IRENAEVS, THEODORETVS, HIERONYMVS. Nolo repetere, quae iam ex inſtituto hac de re dixi, in *diſſertat. de origine & poteſtate epiſcopor.* §. *VIII. IX. & XVI.* Id vero praetermittere nequeo, HIERONYMVM, dum pro aequalitate epiſcoporum & presbyterorum in *epiſtola ad Euangelum*, ſeu *Cl. tom. IV. oper. part. II. p. 801. 803.* edit. IO. MARTIANAEI, acriter diſputat, originem introducti epiſcopatus hiſce indicare verbis; ***Quod autem poſtea vnus electus eſt, qui ceteris praeponeretur, in ſchiſmatis remedium factum eſt.*** Probabile nimirum eſt, initio ſucceſſionis ordinem fuiſſe obſeruatum, vt, mortuo illo, qui primum inter presbyteros locum obtinuerat, & cuius prae reliquis ἐξοχὴν quamdam fuiſſe, ipſa ordinis, in collegio aliquo obſeruandi, ratio ſuadet, ſuccederet, qui proximus illi fuiſſet. Cum vero auctoritas illorum, qui primum locum tenebant, incrementum cepiſſet; nec, qui proximi erant primo presbytero, ſtatim idonei iudicarentur, qui omnibus praeeſſent; electio tandem, cuius quippe HIERONYMVS mentionem facit, introducta fuit. Et tum demum primo iſti presbytero ſpeciatim epiſcopi nomen datum; idque ſaeculo ſecundo contigiſſe, nonnulli contendunt. Nec dubium, quin, vt HIERONYMVS ait, in *ſchiſmatis* id factum ſit *remedium*; quamquam & aliae cauſſae, vt iam antea innuimus, concurrere potuerint. Praeter epiſcopos, presbyteros & dia-

diaconos, accedebant deinde ſubdiaconi, acoluthi, lectores, exorciſtae, oſtiarii; de quorum ordinum origine etſi viri docti non prorſus inter ſe conſentiant; hoc tamen negari nequit, iam ſaeculo quarto eosdem receptos fuiſſe. Conſtat hoc ex concilii Laodiceni *canon. XXI. & XXIV.* quippe in quibus praeter presbyteros, & diaconos, ſubdiaconi memorantur, lectores, pſalmiſtae, exorciſtae & oſtiarii. Tametſi autem de anno, quo concilium iſtud Laodicenum celebratum ſit, viri docti inter ſe diſſentiant; in eo tamen conueniunt, ad ſaeculum quartum hoc referendum eſſe. Recte id obſeruat CASP. ZIEGLERVS, qui & addit, de auctoritate huius concilii dubitari non poſſe, quia eius canones non tantum in graeca collectione, a Chalcedonenſi concilio adprobata, ſed etiam in latina verſione DIONYSII exigui recenſeantur; *de diaconis & diaconiſſis cap. I. §. VI. p. 5.* Iungenda, quae de hiſce ordinibus obſeruat CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *originib. iuris eccleſiaſt. cap. II. artic. III. p. 111.* Praeterea vt poſt apoſtolorum aetatem epiſcopi ſuper presbyteros eminere incipiebant; ita mox archiepiſcopi, & tandem patriarchae accedebant, vt adeo quaedam ſacrorum officiorum oriretur ſubordinatio. De cuius hierarchiae introductione legenda, quae IAC. BASNAGIVS differit, in *hiſtoria eccleſiae, lib. I. cap. I. ſeqq.* Iam ergo eccleſia magni cuiusdam imperii faciem referebat, ex plurimis vrbibus ac prouinciis compoſiti. Ipſorum autem epiſcoporum inde augebatur poteſtas, auctoritasque, quod, ethnicis imperatoribus ſummam rerum tenentibus, quaelibet eccleſia, quantum poterat, ſibi ipſa proſpiciebat, eaque adeo agebat, quae ceteroquin imperantium ſunt, ſiquidem hi iure ſuo circa ſacra vti velint; in quibus omnibus epiſcoporum, presbyterorumque praecipuae partes erant. Accedebat *audientia epiſcopalis*, tribunalibus epiſcoporum occaſionem praebens, indeque orta, quod veteres chriſtiani ſecundum monitum apoſtoli *I. Cor. VI. 1.* gentilium tribunalia adire nollent; quod pluribus ediſſerit SAM. BASN. FLOTTEMANVILLAEVS, in *annalib. politico-eccleſiaſt. tom. II. diſſertat. IV. p. 491. ſeqq.* Nec praetermittenda hic eſt *excommunicatio*, ſeuriorque veteris eccleſiae, circa lapſorum receptionem & poenitentiam publicam, diſciplina; quae admodum equidem neceſſaria erat, vt gentilium calumniis eo rectius obuiam iretur; ad eccleſiae tamen, ſimulque eorum, qui illi praeerant, auctoritatem confirmandam, metumque illis, qui ſe eccleſiaſticis inſtitutis ſubiicere nolebant, incutiendum, comparata. Conſulere hic iuuabit, qui de poenitentia eccleſiaſtica ex inſtituto commentati ſunt, IOAN. MORINVM, de *ſacramento poenitentiae*, IAC. SIRMONDVM, in *hiſtoria poenitentiae*, GABR. ALBASPINAEVM, in *obſeruationum de veteribus eccleſiae ritibus, libris duobus.* De excommunicatione autem prae reliquis legendus SAM. BASN. FLOTTEMANVILLAEVS, in *annalib. politico-eccleſiaſt. tom. II. diſſertat. III. pag. 480. ſeqq.* Sunt & alia veteris eccleſiae ſecundi & tertii ſaeculi inſtituta, ritusque, in quibus veſtigia & rudimenta iuris canonici deprehendere licet; de quibus praeter antiquitatum, hiſtoriaeque eccleſiaſticae ſcriptores, erudite differit CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *originib. iuris eccleſiaſt. c. III. p. 103. ſeqq.* Sed nobis ea ſolum attingere viſum, ex quibus intelligitur, qua ratione ſenſim eccleſia chriſtiana eousque perducta ſit, vt facultatem νομοθετικὴν, ſeu legiſlatoriam, haud vltimam ſupremi imperii partem, in iure canonico maxime conſpicuam, ſibi vindicaret. Enimuero, cum ea, quae indicauimus, aliaque, quae eccleſiam in rempublicam mutare poterant, ſucceſſu temporis, conſilioque non malo introducta eſſent; Conſtantini ma-

gni, ceterorumque primorum ex chriſtianis imperatorum officium fuiſſet, ita haec dirigere, ne eccleſia a natura & indole ſua degeneraret. Id vero tantum abeſt, vt fecerint, vt potius illorum indulgentia ac liberalitate aucta ſit epiſcoporum & auctoritas, & poteſtas, ipſisque tandem imperantibus formidanda euaderet. Iam & conciliorum canonibus atque decretis noua vis nouumque robur addebatur, per ipſorum imperatorum, ſi ea probarent, potentiam; quorum adeo animaduerſionem, poenasque grauiſſimas effugere non poterant, qui iis ſe opponere audebant.

*** Nimirum, vt paullo propius ad id, quod caput cauſſae eſt, accedamus; de canonibus conciliorum primum generatim quaedam monebimus, de primis eorum collectoribus deinceps verba facturi. Initio quidem veteris eccleſiae chriſtianos non aliam fidei vitaeque habuiſſe regulam, quam ſcripturam ſacram, non eſt, quod dubitemus. Cum vero deinde dubia quaedam, aut de doctrina, aut de diſciplina eccleſiaſtica, occurrerent; factum eſt, vt ad ea tollenda eccleſiae doctores in conciliis inter ſe vniti, decreta conderent, quibus obſcuriora illuſtrarent, aut quae in ſcriptura ſacra generatim dicta erant, ad certos caſus adplicarent, aut quae diſerte in ſcriptura ſacra non continebantur, & e re tamen eccleſiae eſſe videbantur, definirent. Non itaque *leges* vocabantur iſta decreta, ſed *canones*, quod inſtar regulae cuiusdam ac normae eſſent, ſed ſcriptura ſacra longe inferioris; quippe quae ſola, ſi adcurate loqui velimus, pro fidei atque vitae regula habenda. Concilii enim etiam ſanctiſſimi definitionem nequaquam eſſe praetoriam, ſed tantum declarationem & indicium eius, quod Deus iudicat, & iubet credere & facere, rectiſſime CASP. ZIEGLERVS pronuntiat; de *orig. & incremento iuris canon.* §. *V.* De voce *canonis*, variisque eius ſignificationibus, adcurate & copioſe diſſerit GERH. VAN MASTRICHT, in *hiſt. iur. eccleſiaſt. num. IV. ſeqq. p. 5. ſeqq.* vbi & *p. 10.* recte monet: *placuit id nomen antiquis magis, quam illud iuris nomen, aut iuris eccleſiaſtici, aut iuris canonici, quod ſerius, forte faſtu & aemulatione romani pontificis, introductum eſt.* Idem obſeruat, eos conciliorum canones, quibus fidei capita determinabantur, δόγματα, latinis *decreta*, qui vero ad mores, & diſciplinam eccleſiaſticam ſpectabant, *canones* adpellatos; eiusque rei documentum ex IVSTINIANI imperatoris nouella CXXXI profert; ſed fatetur tamen, hanc differentiam non ſemper obſeruari, *p. 13.*

Iam ad collectiones canonum iſtorum quod attinet, cum hinc inde concilia quaedam particularia habita eſſent, inque iis canones quidam conditi, his autem tandem Nicaenum, ſeu oecumenicum primum acceſſiſſet; fuerunt, qui, operae pretium eſſe, ducerent, hosce canones in corpus aliquod colligere, ne aliquando perirent, aut eorum memoria oblitteraretur. Certe ante concilium Chalcedonenſe, anno 451 congregatum, canonum quamdam exſtitiſſe collectionem, viri docti ex eo colligunt, quod in iſto concilio recitati ſint quatuor canones concilii Antiocheni, vltra centum annos antiquioris, ſuppreſſo tamen nomine concilii, & longe alio ordine, quam in iſto concilio conſpiciuntur. Atque hinc porro in eam ingrediuntur ſententiam, poſt concilium Conſtantinopolitanum, an. 381 celebratum, exſtitiſſe epiſcopum quemdam, quem STEPHANVM Epheſinum fuiſſe, nonnulli coniiciunt, qui non tantum conciliorum vniuerſalium, ſed & particularium quorumdam in oriente celebratorum canones colligeret; quod num propria, an concilii cuiusdam auctoritate fecerit, incertum eſſe. Ita poſt CAES. BARONIVM, *annal. tom. III.* ad *an. CCCXLI. num. XXXIV.* FRANC. FLORENS, de *orig.*

Digitized by Google

orig. arte & auctoritate iuris canon part. II. §. II. pag. 243. HENR. IVSTELLVS, in *praefat. biblioth. iuris can. vet.* aliique. At alia mens ſedet GERH. VAN MASTRICHT. Codicem enim huncce canonum eccleſiae vniuerſae, de quo nobis ſermo eſt, ſtatim poſt concilium Nicaenum initium habuiſſe, exiſtimat, cuius quippe quisque epiſcopus exemplar ad eccleſiam ſuam, & ibidem in diptycha eccleſiaſtica retulerit. Idque non de ſolis canonibus Nicaenis, ſed & quibusdam, in praecedentibus ſynodis, conditis, ſed a patribus Nicaenis adoptatis & confirmatis, intelligendum eſſe. Atque primam iſtam collectionem materiam ſequentibus vel collectionibus, vel additionibus dediſſe; quemadmodum nec certum auctorem habuerit, aut collectorem, cuius nobis nomen conſtet; poſtea autem, cum illa collectio creſceret, ab illis, qui ſequentia addiderunt, interdum nomen accepiſſe; id quod STEPHANI, epiſcopi Epheſini, cuius antea a nobis facta eſt mentio, exemplo comprobat; in *hiſtor. iuris eccleſiaſt. num. XXXIV. p. 19. ſeqq.* & *num. LX. p. 34. ſeqq.* Sintne rationes, quibus vir ille doctiſſimus innititur, ſatis ſolidae, aliis diiudicandum relinquo. Id potius obſeruamus, in codice iſto canonum, quem STEPHANVS Epheſinus collegiſſe creditur, quiue adhuc hodie *codicis canonum eccleſiae vniuerſae* nomine venit, contineri canones XX concilii Nicaeni, XXV concilii Ancyrani, XIV concilii Neocaeſarienſis, XX concilii Gangrenſis, XXV concilii Antiocheni, LXI concilii Laodiceni, & VII concilii Conſtantinopolitani, ſeu oecumenici ſecundi. Cumque adeo olim canones concilii Conſtantinopolitani vltimum in hac collectione locum tenuerint; colligunt inde viri docti, primam hancce canonum collectionem poſt concilium iſtud Conſtantinopolitanum, circa tempora Theodoſii magni, factam eſſe. Ita FRANC. FLORENS, de *orig. arte & auctoritate iuris can. part. II. §. II. p. m. 243.* & HENR. IVSTELLVS, in *praefat. bibliothec. iuris canon. vet.* Deinceps enim VIII canones concilii Epheſini, ſeu oecumenici tertii acceſſerunt, itemque XXIX concilii Chalcedonenſis, ſeu oecumenici quarti; adeo vt hodie numerus canonum in hocce codice comprehenſorum vsque ad CCVII exſurgat. GERHARDO autem VAN MASTRICHT veroſimile videtur, primum codicem canonum tantum habuiſſe canones CXXXVIII, viginti nempe Nicaenos, viginti quinque Ancyranos, quatuordecim Neocaeſarienſes, quinquaginta nouem Laodicenos, & viginti Gangrenſes; poſtea autem numerum canonum ad CCVII creuiſſe, accedentibus viginti quinque Antiochenis, ſeptem Conſtantinopolitanis, octo Epheſinis, & viginti nouem Chalcedonenſibus; in *hiſtor. iuris eccleſiaſt. num. XXXVI. p. 20.* Quidquid eius ſit, magnam huncce codicem canonum obtinuiſſe auctoritatem, notum eſt, poſtquam non tantum in concilio Chalcedonenſi probatus, ſed omnino a Iuſtiniano imperatore *nouella conſtitutione CXXXI* confirmatus eſt; quo ipſo & vim legum accepit. Legenda, quae hac de re monet GERH. THEOD. MEIERVS, in *relatione hiſtorica de canonum collectionibus*, editioni huius codicis ab eo curatae, praemiſſa, §. *XII. XIV.* Loca veterum, in quibus codicis huius mentio iniicitur, indicauit CHRISTOPH. IVSTELLVS, in *praefat.* eidem codici praefixa, *p. m. 5. 6.* Maximam eius ſemper in iudiciis eccleſiaſticis fuiſſe auctoritatem, ex inſtituto oſtendit FRANC. FLORENS, de *orig. arte & auctoritate iur. canon. part. II. §. II. p. 246.* Praeterea, cum codex hicce canonum non tantum ab orientali, ſed & deinceps ab occidentali eccleſia fuerit receptus; recte *codex canonum eccleſiae vniuerſae* vocatur. Diſplicet equidem hoc magnopere FRANC. FLORENTI, qui *l. c. p. 253.* hoc nomine perſtringit CHRISTOPH. IVSTELLVM, qui iſtum codicem hac ratione

ne inſcriptum ediderat. Sed defenſionem patris ſui in ſe ſuſcepit HENR. IVSTELLVS, in *praefat. biblioth. iuris canon. vet.* vbi rationes FLORENTIS *tam leues eſſe*, ait, *vt per ſe facile diſſoluantur. Non enim neceſſe eſt*, ita pergit, *vt illa collectio codicis vniuerſae eccleſiae titulo gaudeat, vt omnes conciliorum canones a ſingulis eccleſiis receptos & editos complectatur; ſed ſufficere videtur, quod primis eccleſiae temporibus, quibus editus fuit hic codex, illo ſolo, nec alio vteretur eccleſia vniuerſalis in diſceptandis de diſciplina controuerſiis, quemadmodum a concilio Chalcedonenſi factum, legimus.* Memoriam codicis huius primum inſtaurauit, & ex antiquitate eccleſiaſtica eruit IAC. LESCHASSERIVS, iure conſultus, in *conſultatione de controuerſia inter Paulum V & rempublicam Venetam*, quam MELCH. GOLDASTVS exhibet, in *monarchia ſancti Romani imperii, tom. III. p. 439.* Ipſum deinde codicem graece ac latine, notisque illuſtratum, edidit CHRISTOPH. IVSTELLVS, Pariſiis an. 1610. 8. & vna cum concilio Sardicenſi 1618. 8. Recuſus poſtea eſt in *bibliotheca iuris canonici veteris*, quae ſtudio GVIL. VOELLI & HENRICI IVSTELLI, CHRISTOPHORI filii, Pariſiis 1661, & iterum 1700 duobus tomis in fol. lucem adſpexit publicam. Tandem eumdem codicem iterum ſeorſim cum notis IVSTELLI prodire iuſſit GEBHARD. THEOD. MEIERVS, praemiſſa de *collectionibus canonum hiſtorica relatione*, Helmſtadii 1663. 4. De ſingulis, quorum in hocce codice exhibentur canones, conciliis, vt aliquid dicamus, inſtituti noſtri nec patitur, nec requirit ratio. Id tamen praetermittere non licet, primo in *codice* hocce *canonum eccleſiae vniuerſae* loco comparere canones Nicaenos, non intuitu temporis, ſeu ac ſi Nicaenum concilium inter ea, quorum canones referuntur, primum eſſet, ſed quia hocce concilium oecumenicum fuit. Haec namque in ipſo codice poſt canones Nicaenos, ſeu potius circa initium canonum Ancyranorum *p. m. 51.* ordinis iſtius redditur ratio. Praeterea cum viginti ſolum canones Nicaeni hic adferantur; recte inde concluditur, eos ſolos pro genuinis habendos. Octoginta equidem canones Nicaenos ex arabica lingua in latinam conuerſos, publicae luci expoſuerunt ALPHONS. PISANVS & FRANC. TVRRIANVS, quibus quatuor in ſua verſione addidit ABRAH. ECCHELLENSIS. Verum canones iſtos, ex arabico ſermone in latinum translatos, ſuppoſititios eſſe, demonſtrat EDM. RICHERIVS, *hiſt. concil. general. lib. I. c. II. theſ. XXII.* & EMMAN. SCHELSTRATENVS, *antiquit. illuſtrat. p. 283.* Non plures quam viginti canones in concilio Nicaeno conditos fuiſſe, teſtantur THEODORETVS, *lib. I. hiſtor. eccleſ. cap. VIII.* & GELASIVS Cyzicenus, in *actis concilii Nicaeni, lib. II. cap. XXXI.* & quamuis RVFFINVS *lib. I. cap. VI.* viginti duos canones recenſeat, diuerſitatem tamen inde ortam viri docti obſeruant, quod & ſextum & octauum canonem in duos diuiſerit. Legenda, quae de concilii huius canonibus erudite diſſerit THOM. ITTIGIVS, in *hiſtoria concilii Nic. obſeruationib. &c. illuſtrata §. LXI. ſeqq. p. 63. ſeqq.* vbi & ſpeciatim de praecipuis canonibus multa lectu digna in medium adfert. De concilio Antiocheno, cuius canones itidem in hocce codice conſpiciuntur, dubium mouet FRANC. FLORENS, quod ab epiſcopis haereticis, ſeu ſemi-Arianis, certe in Athanaſium parum aequis, fuerint compoſiti; recteque reſpondet, fidei formulam, in iſto concilio concinnatam, ab orthodoxis improbatam, canones vero, vtpote ad diſciplinam eccleſiaſticam ſpectantes, receptos fuiſſe; *de orig. arte & auctoritate iur. canon. part. II. §. II. p. 255.* Concilium hocce Antiochenum ampliſſimis *commentariis*, variisque *diſſertationibus* illuſtratum EMMANVEL

SCHEL-

SCHELSTRATENVS edidit Antwerpiae 1681. 4. De Gangrenſi denique concilio, eiusque canonibus in hocce codice exhibitis, legenda SAMVEL. SCHELGVIGII *exercitatio hiſtorico-theologica de concilio Gangrenſi*, recuſa Gedani 1721. 4.

A *codice* hocce *canonum eccleſiae vniuerſae* ſedulo diſtinguendus eſt *codex eccleſiae orientalis*. Nimirum, cum Iuſtinianus imperator *codicem* iſtum *canonum eccleſiae vniuerſae* confirmaſſet; Graeci deinde alia quaedam eidem addiderunt, quae in concilio Conſtantinopolitano tertio, ſeu oecumenico ſexto, an. 680 congregato, *can. II.* indicantur; canones ſcilicet apoſtolorum LXXXV, de quibus ſupra dictum, Sardicenſis concilii canones XXI, (qui cur in *codicem eccleſiae vniuerſae* relati non ſint, CHRIST. IVSTELLVS exponit, in *praefatione biblioth. iur. can. vet.* praemiſſa) Africae porro concilia, itemque canones, ſeu canonicas epiſtolas ſanctorum quorumdam patrum, Theophili, Dionyſii, Petri, Athanaſii, Timothei, Alexandrinorum epiſcoporum, Gregorii Neocaeſarienſis, Baſilii Caeſareae Cappadociae, Gregorii Nyſſeni, Gregorii theologi, Amphilochii Iconii, & Gennadii patriarchae Conſtantinopolitani. Atque huncce codicem ita auctum, & a concilio oecumenico ſexto probatum, concilium deinde Nicaenum ſecundum, ſeu oecumenicum ſeptimum, an. 787 confirmauit. Eidem etiam tandem ALEX. ARISTENVS, IO. ZONARAS, & THEOD. BALSAMON, verbis conciliorum & canonicarum epiſtolarum relatis, interpretationes ſuas addiderunt. Recte haec obſeruat CHRISTOPH. IVSTELLVS, in *praefatione codici canon. eccleſ. vniuerſae* praemiſſa, *pag. 9. & 10.* editionis Helmſtadienſis. Editum iſtum *codicem canonum eccleſiae orientalis* a IO. TILIO conſtat, Pariſiis anno 1540. 4. quod & HENR. IVSTELLVS docet, in *praefat. biblioth. iuris canon. vet.* quem adcurate deſcribit, eiusque contenta refert IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. XI.* ſiue *lib. VI. cap. I. §. XII. pag. 37. ſeqq.* Praeter huncce & aliae exſtant, ſed priuatae, graecorum canonum collectiones; de quibus vt eo rectius dicamus, obſeruandum, diuerſas eſſe methodos, modosque, colligendi atque digerendi canones conciliorum. Et GERHARDVS quidem VAN MASTRICHT quinque eiusmodi canones diſponendi obſeruat genera, in *hiſtor. iur. eccleſiaſt. num. CXXXVII. ſeqq. p. 154. ſeqq.* Primum & ſimpliciſſimum genus eſt, enumerare tantum & recenſere canones eo ordine, quo in conciliis ſunt conditi, idque vel vnius tantum concilii, vel diuerſorum, habita ratione temporis, ſed vna ſerie diſpoſitorum; prout in *codice canonum eccleſiae vniuerſae* conſpicere licet. Eiusmodi collectio *corpus*, vel *codex canonum* vocata fuit. Alter collectionis & digeſtionis modus eſt eorum, qui acta conciliorum cum canonibus colligunt & recitant; quem quidem hiſtoriae rerum geſtarum inſeruire, ipſisque canonibus lucem prorſus egregiam adfundere, negari nequit. Huius loci SABINVS ille eſt, Heracleae in Thracia Macedonianorum epiſcopus, qui vt SOCRATES *lib. I. hiſt. eccleſ. cap. VIII.* auctor eſt, συναγωγὴν ὧν διάφοροι ἐπισκόπων σύνοδοι ἐγγράφως ἐξέδωκαν compoſuit, hoc eſt, vt EPIPHANIVS ſcholaſticus in *hiſtor. trip. lib. II. c. VIII.* vocat, *congeſtionem eorum, quae per diuerſa concilia ſacerdotum ex ſcripto prolata ſunt.* Legenda, quae de SABINO hocce erudite obſeruat IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. XI.* ſiue *lib. VI. c. I. §. IX. p. 25.* Spectant huc omnes illi, qui integra conciliorum, generalium aut prouincialium acta ediderunt, de quibus in ſequentibus dicendi locus erit. Tertius modus eſt, quando canones conciliorum, qui de iisdem rebus agunt, aut eiusdem ſunt argumenti, ad certa reuocantur capita, ſeu ſub certis titulis, quos vocant,

Digitized by Google

exhibentur. Idque duplici iterum fieri poteſt ratione, primum quidem ita, vt canones tantum ſub eiusmodi capitibus ſeu titulis citentur; tum vero, vt ipſa verba canonum recitentur. Prius ſi fiat, *breuiatio canonum*, poſterius, *concordia canonum* adpellitatur. Inter eos, qui *breuiationes canonum* ſcripſerunt, eminet IOANNES ſcholaſticus, ex presbytero Antiocheno patriarcha Conſtantinopolitanus, cui ſedi ab an. 565 ad 577 praefuit. Huius namque exſtat eiusmodi *collectio canonum*, in quinquaginta tributa titulos, & cum eiusdem *nomocanone* edita a GVIL. VOELLO, & HENR. IVSTELLO, in *biblioth. iuris canon. vet. tom. II. p. 499. ſeqq.* *Collectionem* equidem illam *canonum* a THEODORETO, cui quippe codex bibliothecae regiae Pariſienſis eam tribuat; collationem vero legum, & praecipue nouellarum Iuſtiniani, a IOANNE hocce Antiocheno profectam, PETR. DE MARCA exiſtimat; de *concord. ſacerdot. & imp. lib. II. cap. XI. §. IV.* & *lib. III. cap. III. §. VIII.* Verum & *collectionem* iſtam *canonum* recte IOANNI Antiocheno tribui, inde euincunt viri docti, quod non tantum alii, iique praeſtantiſſimi codices, in eo conſentiant, ſed &, quod nullo idoneo teſte probari queat, a THEODORETO canonum συναγωγὴν adornatam eſſe. Conſulendus IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. XI.* ſeu *lib. VI. cap. I. §. XI. p. 35. 36.* Reliqui compendiorum concinnatores ſunt: ALEX. ARISTENVS, cuius σύνοψις *canonum* in VOELLI & IVSTELLI *biblioth. iuris canon. vet. tom. II. p. 673. ſeqq.* exſtat, quamuis alii eam antiquioris cuiusdam ſcriptoris eſſe exiſtiment; SIMEON magiſter & logotheta in ἐπιτομῇ κανόνων, ibidem, *p. 710. ſeqq.* ARSENIVS monachus in ſancto monte Atho monaſterii Philothei, in *ſynopſi canonum*, ibidem *p. 749. ſeqq.* in qua canones, adpoſitis vnicuique capiti canonum parallelorum numeris, vbi eiusdem argumenti alii reperiuntur, non vt in aliis ſynopſibus factum erat, ordine conciliorum, ſed per titulos CXLI digeſti ſunt. His alios adhuc, ſed non aeque celebres, adiungit IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. XI.* ſeu *lib. VI. cap. I. §. XV. pag. 43. ſeqq.* Qui vero canones parallelos colligunt, adeoque *concordiam canonum* ſuppeditant, vel ea id faciunt ratione, vt ſolos canones ſiſtant, vel vt ſimul leges imperatorum, canonibus reſpondentes, illis iungant. Eorum, qui poſterius faciunt, collectiones, *nomo-canones* adpellari ſolent; atque hic quartus eſt canones colligendi modus. Primus qui eiusmodi quid ſuſcepit, fuit IOANNES ſcholaſticus, ſeu Antiochenus, antea nobis iam laudatus, quippe qui, praeter *collectionem canonum*, etiam *nomo-canonem* reliquit, qui itidem in GVIL. VOELLI & HENR. IVSTELLI *biblioth. iur. can. veter.* exſtat, *tom. II. pag. 603. ſeqq.* LEONI equidem ALLATIO hocce inſtitutum, leges imperatorum cum canonibus conciliorum conferendi, valde diſplicet, eo, quod imperatores nulla de rebus eccleſiaſticis leges ferendi gaudeant poteſtate, eamque adeo perperam ſibi vindicent. Graecorum itaque in imperatores hoc tribuit adſentationi, quod nomo-canones concinnare adgreſſi ſint, adeoque hoc ipſo legum ciuilium in rebus eccleſiaſticis vim ac auctoritatem agnouerint; quam ipſe nullam prorſus eſſe contendit, praeſertim ſi canonibus eccleſiaſticis repugnarent; de *eccleſiae oriental. & occidental. perpetua conſenſione, lib. I. cap. XV. p. 221. 227.* Sed hominem, qui id vnice agebat, vt romano pontifici placeret, limitesque imperii eius extenderet, talia proferre, mirum non eſt. Hodie non temere quis, eiusmodi quid ſibi perſuaderi, patietur, poſtquam ſummorum imperantium in iis, quae ad externam eccleſiae directionem ſpectant, poteſtas eruditiſſimorum virorum opera adſerta ſatis atque ſtabilita fuit. Sed vt ad nomo-

mocanonum ſcriptores redeam, plura eius generis ſcripta, quibus canones & leges inter ſe conferebantur, exſtitiſſe, teſtatur THEOD. BALSAMON ad *canonem ſecundum Trullanum,* cuius verba recitat IOAN. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. IX.* ſiue *lib. V. cap. XXXVIII.* §. *XII. p. 559.* & *volum. XI.* ſiue *lib. VI. cap. I.* §. *XVII. p. 49.* cui iungendus GVIL. BEVEREGIVS, in *adnotationib.* ad *ſynodicon,* & quidem ad *can. II. concilii Trullani, p. 128.* Idem BALSAMON reliquis omnibus praefert *nomocanonem* PHOTII, patriarchae Conſtantinopolitani, in quo legum imperialium corporis Iuſtinianaei, & canonum eccleſiaſticorum harmonia, per quatuordecim titulos digeſta, exhibetur. Nimirum, praemiſerat PHOTIVS *nomocanonem* huncce συντάγματι κανόνων, e decem ſynodis concinnato, quod ineditum adhuc exſtat in bibliotheca caeſarea, teſte PET. LAMBECIO, *bibl. Vindob. lib. VI. p. 51.* & *lib. VIII. p. 431.* vnde & προκανὼν dictus eſt. Exegeſin, ſiue commentarium in iſtum PHOTII nomocanonem, ſcripſit THEOD. BALSAMON, qui cum ipſo *nomocanone* tum alias, tum & in GVIL. VOELLI atque HENR. IVSTELLI *biblioth. iur. canon. vet.* editus eſt, *tom. II. p. 788. ſeqq.* Plura de hocce *nomocanone* PHOTII, itemque compendio, in quod illum verſibus politicis reduxit MICH. PSELLVS, dabit IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. IX.* ſiue *lib. V. cap. XXXVIII.* §. *XII. p. 558. ſeqq.* & *vol. XI.* ſiue *lib. VI. cap. I.* §. *XVII. p. 49. ſeqq.* vbi & reliquos *nomocanonum* ſcriptores, anonymum quemdam, MAN. MALAXVM, MATTH. BLASTAREM, MAX. PLANVDEM recenſet. Recte idem etiam ex GVIL. BEVEREGII *prolegom. ad ſynodicon,* §. *XXIX.* & *codice canon. illuſtrato, lib. I. cap. XV.* obſeruat, *nomocanonis* nomine interdum collectiones & ſynopſes canonum nudas, in quibus nulla legum ciuilium mentio fiat, deſignari, quod & illi legum inſtar eſſe debeant. Eiusmodi eſt *nomocanon* ille, qui in *eccleſiae graecae monumentis,* a IO. BAPT. COTELERIO editis, exſtat, *tom. I. p. 68. ſeqq.* quemue ipſemet COTELERIVS *imperfectam, inconditam, inſulſam recentioris Graeciae farraginem magis quam ſyllogen,* adpellitat; in *notis, p. 723.* Quintus denique & vltimus, canones colligendi, modus eſt, cum iis leges imperatorum, decretales epiſtolae pontificum, ſententiae patrum, adiunguntur, & cuncta per certa capita diſponuntur; quem nonnulli in occidentali eccleſia, praeſertim GRATIANVS, ſequuti ſunt, de quibus deinceps dicemus. Ad orientalis autem eccleſiae collectiones, de quibus hactenus diſſeruimus, quod attinet, addendum adhuc, fuiſſe etiam, qui canones in eadem receptos, ſcholiis, & commentariis ſuis explicarent, illuſtrarentque. Eminent inter eos IOAN. ZONARAS, ALEX. ARISTENVS & THEODOR. BALSAMON; qui, licet non eodem tempore, eodem tamen omnes ſaeculo, ſcilicet duodecimo, floruerunt. Et BALSAMONEM quidem poſt ZONARAM vixiſſe, vel inde liquet, quod hic illius interdum mentionem faciat, errorisque adeo merito arguitur NAT. ALEXANDER, dum, ZONARAM ſua ex BALSAMONE hauſiſſe, autumat; *hiſt. eccleſ. ſaec. XI.* & *XII. p. 517.* Primum autem omnium, qui ſcholia & expoſitionem in canones ſcripſerit THEOD. PRODROMVM fuiſſe, docet IO. ALB. FABRICIVS; qui & celebrioribus iſtis, iam laudatis, quosdam minus notos, ANT. CVBOCLESIVM, CHRIST. CAMPANAM, aliosque addit; *biblioth. graec. vol. XI.* ſiue *lib. VI. cap. I.* §. *XVI. p. 45. ſeqq.* Ceterum praecipuas collectiones eccleſiae graecae exhibet GVIL. VOELLI & HENR. IVSTELLI *bibliotheca iuris canonici veteris,* non ſemel nobis iam laudata. In duos enim opus hocce praeſtantiſſimum diſtributum eſt tomos; quorum prior

prior *canonum eccleſiaſticorum codices antiquos tum graecos, tum latinos* complectitur, ſubiunctis *vetuſtiſſimis eorumdem canonum collectoribus latinis*; alter vero *inſigniores iuris canonici veteris collectores graecos* exhibet. Prodiit Pariſiis 1661 & iterum 1700. fol. Cumprimis autem de iure canonico eccleſiae graecae praeclare meritus eſt GVIL. BEVEREGIVS, dum συνοδικὸν *ſiue pandectas canonum ſanctorum apoſtolorum & conciliorum ab eccleſia graeca receptorum nec non canonicarum ſanctorum patrum epiſtolarum, vna cum ſcholiis antiquorum ſingulis eorum adnexis, & ſcriptis aliis huc ſpectantibus, &c.* duobus tomis in fol. publicae luci expoſuit, Oxonii 1672. Quod quidem opus prorſus eximium, vt eruditis magno in pretio eſt, cum ſumma diligentia ab auctore ſit concinnatum; ita, quae in eo continentur, indicare, neceſſe non erit, quoniam paſſim adhuc obuium eſt. Idem BEVEREGIVS non tantum *prolegomena* praemiſit, in quibus hiſtoriam iuris canonici eccleſiae graecae in compendio tradit; ſed *adnotationes* quoque eruditiſſimas ſubiunxit, in quibus plurimis antiquitatis eccleſiaſticae capitibus lucem egregiam adfundit.

§. IV. In occidentali eccleſia poſt Innocentii I romani epiſcopi, qui ſaeculo quinto ineunte ſedi huic praefuit, tempora, itidem ſtudium, colligendi eccleſiae canones, inualuit. Eaque in re maxime enituit diligentia DIONYSII exigui, abbatis Romani. Saeculo vero tandem nono impoſtor quidam exſtitit, qui, ſub ISIDORI nomine latitans, nouam collectionem figmentis plenam, & ad romanorum pontificum auctoritatem ſtabiliendam vnice comparatam, orbi obtrudere auſus eſt. *

* Eccleſiam occidentalem, ſpeciatim romanam, nullos ante concilium Nicaenum habuiſſe canones, poſtea vero ſolos concilii huius canones, vsque ad Innocentii I, qui ſaeculo quinto ineunte vixit, tempora, admiſiſſe, conſtat. Manifeſtum hoc eſt ex ipſa *Innocentii* huius ad *clerum Conſtantinopolitanum epiſtola* apud SOZOMENVM *hiſt. eccl. lib. VIII. c. 26.* ὅτι, inquit ibi pontifex, καὶ περὶ τῆς τῶν κανόνων παραφυλακῆς, τούτοις δεῖν ἕπεσθαι γράφομεν, οἵτινες ἐν Νικαίᾳ εἰσὶν ὡρισμένοι, οἷς μόνοις ὀφείλει ἐξακολουθεῖν ἡ καθολικὴ ἐκκλησία καὶ τούτους γνωρίζειν· εἰ δὲ ἕτεροι ὑπό τινων προσφέρονται, οἵτινες ἀπὸ τῶν κανόνων τῶν ἐν Νικαίᾳ διαφωνοῦσι, καὶ ὑπὸ αἱρετικῶν ἐλέγχονται συντετάχθαι, οὗτοι παρὰ τῶν καθολικῶν ἐπισκόπων ἀποβάλλονται, κ. τ. λ. *Nos enim, quantum ad canonum obſeruantiam attinet, illis obſequendum eſſe ſcribimus, qui Nicaeae determinati ſunt, quibus ſolis obtemperare, & ſuum ſuffragium addere eccleſia catholica debet. Si qui vero & alii a quibuſdam proferuntur, qui a canonibus Nicaenis diſcrepant, & ab haereticis compoſiti deprehenduntur, hi vero ab epiſcopis catholicis reiiciuntur.* Vbi tamen canonum concilii Nicaeni nomine etiam particularium conciliorum canones, in concilio Nicaeno receptos, & in codicem canonum eccleſiae vniuerſae relatos, comprehendi, exiſtimat GERHARDVS VAN MASTRICHT, in *hiſtoria iuris eccleſiaſtici, num. LVIII. p. 32. 33.* Quidquid eius ſit, iam ante DIONYSII exigui verſionem canonum eccleſiae orientalis, nouamque collectionem, quae ſaeculo ſexto prodiit, & de qua deinceps dicemus, codicem quemdam canonum in eccleſia romana receptum fuiſſe, poſitum hodie apud viros eruditiſſimos eſt extra controuerſiam. Immo *codicem* huncce antiquum *eccleſiae romanae* ex tenebris tandem erutum in lucem protraxit, & cum LEONIS magni *operibus* edidit PASCHAS. QVESNELLVS; cuius & peculiaris de *codice*

dice canonum eccleſiae romanae omnium, qui hucusque prodierunt antiquiſſimo, nunc primum in lucem edito, exſtat diſſertatio, quae inter reliquas, iisdem LEONIS operibus ſubiunctas, eſt duodecima. De origine autem ac incrementis codicis iſtius dum verba facit, obſeruat, romanum huncce codicem a Nicaenae Sardicenſisque ſynodorum temporibus ad vsque Innocentii Zoſimique aetatem, nullos alios canones regulasque eccleſiaſticas complexum eſſe, praeter Nicaeni Sardicenſisque concilii canones; neque Sardicenſes in illo locum habuiſſe, niſi quia pro Nicaenis habiti ſint, eorumque nomine veſtiti, ac eis ſine vlla diſtinctione ſubiuncti. Atque non alios quam Nicaenos canones, vel qui pro Nicaenis habiti ſint, in eccleſia romana receptos fuiſſe, ipſius Innocentii tum aliis tum eo, quod ex SOZOMENO *hiſtor. eccleſ. lib. VIII. cap. XXVI.* antea attulimus, teſtimonio, comprobat. Idem vero Innocentius, cum ſubinde Sardicenſes canones adducat; concludit inde, eosdem ab illo pro Nicaenis habitos. Atque haec prima eſt codicis iſtius aetas, cui & ſeptem alias ſubnectit, in quibus per varias acceſſiones incrementa ſumſit, donec ea illius facies inde oriretur, ſub qua eum QVESNELLVS edidit; *diſſert. cit. cap. II. p.336. ſeqq.* Exſtat equidem & in GVIL. VOELLI ac HENR. IVSTELLI *bibliotheca iuris can. vet. tom. I. p.277. ſeqq. priſca canonum editio latina complectens canones conciliorum Ancyrani, Neo-Caeſarienſis, Nicaeni, Sardicenſis, Gangrenſis, Antiocheni, Laodicenſis, Conſtantinopolitani primi, & Chalcedonenſis*, quam pro antiquo iſto eccleſiae romanae codice, doctiſſimi *bibliothecae* iſtius editores venditant. Sed refragatur iis PASCHASIVS QVESNELLVS, variisque rationibus probat, iſtam collectionem pro codice eccleſiae romanae haberi non poſſe. Vrget cumprimis, quod canon vigeſimus octauus Chalcedonenſis, qui epiſcoporum romanorum primatui tantopere aduerſatur, in hac collectione conſpiciatur. *Canonis*, inquit, *vigeſimi octaui Chalcedonenſis admixtio romanum procul dubio codicem non ſapit, multoque minus codicem Leonis primi tempore vſurpatum, aut cura auctum his canonibus.* Tandem, aliis adhuc argumentis prolatis, concludit: *Denique vix alia probatione indigemus, vt codex huiusmodi romanae eccleſiae abiudicetur, quam quae ex ipſa eius inſpectione ſponte exſurgit, & quae cuique lectori paullo attentiori facto, facile perſuadebit, hoc graeculi alicuius ad latinam adſpirantis, ſuumque in ea profectum periclitantis tentamentum, prorſus eccleſia romana indignum eſſe; diſſert. cit. cap. I. p.335.*

In locum vero antiqui iſtius codicis tandem ſucceſſit, qui DIONYSIVM exiguum, abbatem Romanum, auctorem habuit. Is natione Scytha fuit, ſaeculoque ſexto, ſub Theodorico Gothorum rege, vixit, magnamque pro iſtorum temporum ratione, doctrinae & ingenii conſequutus eſt laudem. Cycli paſchalis, & aerae chriſtianorum, eum eſſe auctorem, alibi dicitur. Hic itaque circa annum 527 hortatu Stephani, Salonitani epiſcopi, *priſcae translationis confuſione offenſus*, vt ipſemet in praefatione loquitur, nouam canonum codicis eccleſiae vniuerſae verſionem latinam conficere inſtituit. *Fuit*, inquit CASSIODORVS, *noſtris temporibus Dionyſius monachus, Scytha natione, ſed moribus omnino romanus, in vtraque lingua valde doctiſſimus, qui petitus a Stephano, epiſcopo Salonitano, ex graecis exemplaribus canones eccleſiaſticos compoſuit, quos hodie vſu celeberrimos, eccleſia romana complectitur; de diuin. lection. cap. XXIII.* Huic ſuae interpretationi DIONYSIVS praemiſit *canones*, qui dicuntur *apoſtolorum*, numero quinquaginta, de quibus tamen ipſemet itidem in *praefatione* profitetur: *canones qui dicuntur apoſtolorum, de grae-*

co ti.anitul mus, de quibus, quia plurimi conſenſum non praebuere facilem, hoc ipſum veſtram noluimus ignorare ſanctitatem. Canones itaque hoſce apoſtolicos excipiunt, canones concilii Nicaeni, Ancyrani, NeoCaeſarienſis, Gangrenſis, Antiocheni, Laodiceni, & Conſtantinopolitani primi; qui vna ſerie, conciliorum tamen obſeruato diſcrimine, diſpoſiti vsque ad 165 canones exſurgunt. Vbi obſeruandum, quod duos Ancyranos & duos Laodicenos canones contrahat, adeoque ex quatuor duos faciat; ex Conſtantinopolitanis autem, quorum in *codice canonum eccleſiae vniuerſae* ſeptem exſtant, tres tantum ſubnectat. Sequuntur porro, & ſeorſim quidem, canones Chalcedonenſes 27, & Sardicenſes 21, quibus ſub noua numerorum ſerie canones 138 africani ſubiunguntur. Mirifice haecce collectio DIONYSII a nonnullis laudatur. Et CAESAR quidem BARONIVS, *ſi fidelitas*, inquit, *atque peritia in transferendo, & ſinceritas in edendo quam maxima requiratur; nulla exquiri poteſt editio exactior atque fidelior, quam quae elaborata eſt a magno illo, ſed cognomento exiguo, Dionyſio, cuius eximiam in vtraque lingua peritiam & morum egregiam probitatem Caſſiodorus dignis laudibus mirifice depraedicat;* in *annal. b.* ad *annum 325. §. CXXIII.* Sed non omnes tam honorifice de DIONYSIO ſentiunt. A quibusdam enim criminis falſi poſtulatur, quod poſterius capitulum canonis vltimi Laodiceni, id eſt 163, in *codice canonum eccleſiae vniuerſae* detruncarit. Cum namque poſtremus iſte concilii Laodiceni canon decreuiſſet, non alios, quam canonicos, libros in eccleſia eſſe legendos, eosdemque ordine ſubiunxiſſet; DIONYSIVS, ne romanum pontificem, qui iamdudum laxiorem catalogum ex cathedra propoſuerat, offenderet; poſterius hocce canonis membrum, adeoque ipſam librorum canonicorum enumerationem, prorſus omiſit. Sic &, quod non omnes concilii Conſtantinopolitani canones, vt antea iam obſeruauimus, collectioni ſuae inſeruit, procul dubio ideo factum, quod penultimus canon vniuerſali & abſoluto pontificis imperio maxime obſtaret. Id quod & de penultimo canone concilii Chalcedonenſis ſentiendum; quippe quem itidem praetermiſit. Epheſinos vero cur idem neglexerit canones, eius rei certam vix inueniri poſſe rationem, viris doctis obſeruatum eſt. Plura hunc in modum de hacce DIONYSII collectione monet GEBH. THEODOR. MEIERVS, in *hiſtorica relat. de collectionib. canonum, codici canonum eccleſiae vniuerſae* praemiſſa, *§. XXII. ſeqq.* conf. & FRANC. FLORENS, de *orig. arte & auctorit. iuris canon. part. III. §. III. p. 272. ſeqq.* Patet ex hactenus dictis, id maxime egiſſe DIONYSIVM, vt auctoritati & poteſtati, quam romani pontifices iam tum ſibi vindicare incipiebant, quauis ratione conſuleret; vnde & mirum non eſt, aulae & eccleſiae romanae defenſoribus hocce eius tantopere probari ſtudium. Luculentiori autem adhuc documento hocce conſilium ſuum demonſtrauit DIONYSIVS, quando decreta romanorum pontificum colligere coepit. Primum enim eum fuiſſe, qui eiusmodi quid ſuſcepit, conſtat. Exſtant autem in iſta eius collectione decreta Siricii, Innocentii, Zoſimi, Bonifacii, Caeleſtini, Leonis I, Gelaſii & Anaſtaſii I. Videturque adeo duas veluti iuris canonici partes conſtituere voluiſſe, quarum vna canones conciliorum, altera decreta, ſiue decretales epiſtolae romanorum pontificum, continerentur. Quoniam autem haecce decretalium collectio a Siricio incipit; indicium id eſt, DIONYSIVM antiquiores non reperiſſe. Meritoque inde viri docti colligunt, decretales illas antiquiorum pontificum, quas ISIDORVS peccator, ſiue mercator orbi obtruſit, fictas eſſe, ac ſuppoſititias. Qua de re deinceps. Exhibet collectionem hancce canonum

Digitized by Google

nonum & decretorum, a DIONYSIO congeſtam, GVIL. VOELLVS atque HENR. IVSTELLVS, quamuis ex codice, vt nonnullis videtur, interpolato; in *biblioth. iur. canon. vet. tom. I. p. 97. ſeqq.* Maximo autem cum adplauſu in eccleſiis occidentalibus, praeſertim ab eccleſia romana, receptam fuiſſe, vel ex verbis CASSIODORI antea adlatis conſtat. Eamdem ideo & κατ' ἐξοχὴν quandoque *corpus canonum* vocari, quibusdam obſeruatum eſt. Codicem huncce DIONYSII ſtatim, ac editus fuit, in Gallia quoque receptum, contendit PETRVS DE MARCA, de *concordia ſacerdot. & imp. lib. III. cap. IV.* a quo diſſentiunt CHRIST. IVSTELLVS, IAC. SIRMONDVS, & FRANC. FLORENS, quorum partibus accedit PASCH. QVESNELLVS, in *diſſertat. de primo vſu codicis canonum Dionyſii exigui in gallicanis regionibus, vbi quod ante Adriani papae I. & Caroli magni imperatoris tempora receptus non fuerit, oſtenditur &c.* quae *decima ſexta* eſt inter eas, quas LEONIS magni *operibus* ſubiecit; *p. 396. ſeqq.* Hancce porro DIONYSII, de qua hucusque loquuti ſumus, collectionem ab Hadriano papa, circa annum Chriſti 787 Carolo magno miſſam, paſſim viri docti tradunt. At alii de alia quadam eaque recentiori canonum, atque decretorum, a romanis pontificibus conditorum, collectione, quae tamen in plerisque cum Dyonyſiana conſentiat., hoc intelligunt; quae primum Moguntiae 1525 cum praefatione IOAN. WENDELSTINI prodiit, hunc in modum inſcripta: *canones apoſtolorum, veterum conciliorum conſtitutiones; decreta pontificum, antiquiora*, quibus tractatus de *primatu eccleſiae romanae* praemiſſus eſt. Eadem cum deinceps anno 1609 Pariſiis, cura & ſtudio FRANC. PITHOEI, qui tamen nomen ſuum non adpoſuit, recuderetur, inſcripta fuit: *codex canonum vetus eccleſiae romanae.* Tandem vero & CLAVDIVS PELETERIVS eamdem collectionem cum FRANC. PITHOEI *notis* & PETRI PITHOEI *miſcellaneis eccleſiaſticis*, aliisque acceſſionibus in lucem prodire iuſſit Pariſiis 1687. fol. conf. THOM. ITTIGIVS, in *ſchediaſmate de ſcriptis ad notitiam conciliorum & canonum ſpectantibus*, in *opuſculis* eius *variis*, *p. 425.* itemque IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. XI.* ſiue *lib. VI. cap. I. p. 62.*

Ad reliquas priusquam progrediamur collectiones, obſeruare iuuabit, non tantum romanam, ſed & alias occidentis eccleſias, ſuos habuiſſe codices canonum, priusquam Dionyſiana illa paſſim introduceretur. Sic gallicana eccleſia, ſic hiſpanica, ſic britannica, ſuos habuere canonum codices; de quibus legenda, quae in compendio tradit GERHARDVS VAN MASTRICHT, in *hiſtor. iur. eccleſiaſt. num. LXXX. ſeqq. p. 57. ſeqq.* Germani quonam codice vſi ſint, priusquam Dionyſiana collectio apud eos reciperetur, incertum; licet admodum probabile, eodem modo apud eos, ac apud Gallos, ſe rem habuiſſe. Conferenda, quae de iure eccleſiaſtico per Germaniam ante GRATIANI decretum docet IVST. HENNING. BOEHMERVS, in *iure eccleſiaſtico proteſtantium &c. lib. I. tit. II. §. VIII. p. 87. ſeqq.* Cumprimis autem de codice canonum eccleſiae africanae adhuc aliquid dicendum; quippe qui tum ob antiquitatem, tum ob magnam, quam olim obtinuit, auctoritatem, valde eſt memorabilis. Compoſitus eſt hicce codex ex vnius Hipponenſis, vnius Mileuitani, & quindecim Carthaginienſium, adeoque ſeptendecim africanorum conciliorum canonibus; praemiſſum autem eſt concilium Carthaginienſe poſt conſulatum Honorii XII & Theodoſii VIII, V kal. Iunii anno 419 celebratum, cum eiusdem canonibus 33, quo in concilio codex hicce praelectus confirmatusque, publicam obtinuit auctoritatem. Neque

intra ſuae dioeceſeos, in qua natus eſt hic codex, limites ſubſtitit; ſed proceſſu temporis ad eccleſias, trans mare conſtitutas, immo in orientem vsque, penetrauit, ac pedem protulit. Inſertus etiam eſt codici eccleſiae orientalis, vt ex concilii Conſtantinopolitani, VI oecumenici, an. 691 habiti, canone II patet, itemque ex ipſo eccleſiae orientalis codice, quem a IOAN. TILIO editum, ſupra commemorauimus. Quo ipſo & intelligitur, eumdem africanae eccleſiae codicem in linguam graecam conuerſum eſſe; quae & hodie adhuc verſio exſtat. Graeco enim ſermone qui eum primum conſcriptum putant, maximopere falluntur. Receptus etiam eſt in codicem eccleſiae romanae a DIONYSIO exiguo, qui inſigni hacce & prorſus egregia acceſſione ſuam augere voluit collectionem. Praeclare admodum de codice hocce canonum eccleſiae africanae ſentit GEBH. THEOD. MEIERVS. Cum enim obſeruaſſet, inter omnium dioeceſeon conciliorum ſanctiones primas ſemper fama fuiſſe africanas, addit: *Et ſuo merito quidem. Decreta conciliorum*, ita pergit, *non quidem ſunt leges, imitantur tamen leges, quarum bonitas duplex a philoſopho adſcritur. Altera eſt, qua leges bene ſcribantur; altera vero, qua legibus ſcriptis pareatur. Vtraque gaudent noſtri codicis decreta. Et bene ſcripta ſunt, & ſtrictius obſeruata. Habet namque eccleſia africana hoc nomen in hiſtoria, quod diuinorum inſtitutorum & traditionum apoſtolicarum puritatem in omnibus incorruptam diutius conſeruauit, & regulas ſtrictius & rigidius obſeruauit, quam quaelibet alia*; in *hiſtorica relat. de collectionib. canon. codici canon. eccleſ. vniuerſ.* praemiſſa, §. *IX*. Edidit codicem huncce eccleſiae africanae primum graece & latine CHRIST. IVSTELLVS, Pariſiis 1615. 8. deinceps vero recuſus eſt in GVIL. VOELLI AC HENRICI IVSTELLI *biblioth. iur. canon. vet. tom. I. p. 307. ſeqq.*

Eodem ſaeculo ſexto, quo DIONYSIVS exiguus vixit, FVLGENTIVS quoque FERRANDVS, eccleſiae Carthaginienſis diaconus, floruit, *breuiationemque*, quam vocat, *canonum*, dedit, in qua capitulis 232 contrahuntur, quae fuſius in variis conciliis poſita erant. Haec, ſi non praeceſſit collectionem DIONYSII, certe eamdem mox ſequuta eſt; ante eam memoratur a FRANC. FLORENTE, de *orig. arte, & auctorit. iuris can. part. III. §. II. p. 270.* Variis breuiarium hoc ſcatere naeuis, idem FLORENS pronuntiat, quod & calculo ſuo comprobat PASCH. QVESNELLVS, in *diſſert. de ſuppoſititio concilio Telenſi*, quae inter LEONIS magni *operibus* ſubiectas *decima quinta* eſt, *cap. II. p. 389.* Prodiit tum alias, tum & in GVIL. VOELLI AC HENR. IVSTELLI *biblioth. iur. canon. vet. tom. I. p. 448. ſeqq.* Subiunctum ibidem ei eſt CRISCONII *breuiarium canonicum*. Vixit autem CRISCONIVS iſte epiſcopus africanus ſaeculo ſeptimo, circa annum 690 & *concordiam canonum*, ſiue *breuiarium canonicum*, ad Liberinum epiſcopum per titulos 300 aut 303 diſpoſitum reliquit. In omnibus canonum collectionibus primum CRISCONIVM, praeſulum romanorum decreta, ſeu reſcripta, pro canonibus habere, GEBH. THEOD. MEIERVS obſeruat, qui & addit: *Quemadmodum Auguſti principes de dubiis in foro iuxta emergi ſolitis rogabantur, vt definitam ſcripto ferrent ſententiam, ita in eccleſia tam orientali quam occidentali de rebus canonicis grauioribus & difficilioribus patriarchae conſulti reſponderunt. Solius patriarchae Romani reſponſa, caſu an arte nunc non dicimus, perennarunt, & tempore poſt ſequuto in canones non modo, ſed & in leges abierunt*; in *hiſtorica relat. de collectionib. canon.* §. *XXVII.* Antiquior CRISCONIO fuit MARTINVS natione Pannonicus, ex Dumienſi abbate Bracarenſis in Gallicia Hiſpaniae epiſcopus, locum-

cumque hic inuenit ob *capitula LXXXIV.* quae ex orientalibus ſynodis collecta an. 572 ad concilium Lucenſe miſit, quaeue & eodem an. 572 in concilio Bracarenſi ſecundo probata fuerunt. Exſtat haecce collectio tum in quibusdam conciliorum tomis, tum & in GVIL. VOELLI ac HENR. IVSTELLI *biblioth. iur. canon. vet.* & quidem in *adpendice tomi I. p. 7. ſeqq.* De ISIDORI Hiſpalenſis collectione, nondum edita, legendus STEPH. BALVZIVS, in *praefat. ad Reginonem Prumienſem*; de *epitome* autem ſiue *compendioſa traditione canonum*, quam Hadrianus pontifex Carolo magno Romae anno 774 obtuliſſe, traditur, quamue HENR. CANISIVS primum edidit, IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. XI.* ſiue *lib. VI. cap. I. §. XX. p. 63.* qui & de hactenus indicatis collectionibus plura dabit; de quibus & conferendi FRANC. FLORENS, de *orig. art. & auctorit. iuris can. part. III. §. II. ſeqq. p. 270. ſeqq.* GEBH. THEOD. MEIERVS, in *hiſtorica relat. de collectionib. canon. §. XVII ſeqq.* GERH. VAN MASTRICHT, in *hiſtoria iuris eccleſiaſt. num. CLV. ſeqq. p. 163. ſeqq.*

Sed ad ISIDORVM tandem iſtum mercatorem, ſiue peccatorem, vel quicumque ſub hocce nomine latitat, accedimus, qui ſaeculo nono nouam collectionem orbi obtruſit, figmentis repletam, eoque vnice comparatam, vt romanorum pontificum ſuper omnia eueheret auctoritatem. Praeter epiſtolas decretales pontificum, magnam partem commentitias, canones apoſtolicos, variaque conciliorum graecorum latinorumque decreta continet. FRANC. FLORENS, tria in hacce collectione obſeruanda, docet: I) eius auctorem antiquiſſimam interpretationem canonum orientalium nobis conſeruauiſſe; quae in pluribus locis difficilibus vſui eſſe queat; II) concilia quaedam Galliae & Hiſpaniae, quae in reliquis collectionibus non habebantur, inſeruiſſe; III) eumdem primum in occidentem inuexiſſe veterum pontificum romanorum epiſtolas quasdam ignotas antea, & fidei ſuſpectae, a Clemente nempe I vsque ad Siricium, ſub Theodoſio magno; de *orig. arte & auctorit. iur. can. part. III. §. VI. p. 279. 280.* Quam acriter epiſtolis iſtis decretalibus, a pſeudo-ISIDORO hocce primum in lucem protractis, aut confictis potius, ſe oppoſuerit HINCMARVS, Rhemenſis archiepiſcopus, quoties aduerſus antiquam eccleſiae diſciplinam, vel epiſcoporum, aut metropolitanorum auctoritatem ab illis adlegabantur, qui eccleſiae romanae immenſam & infinitam poteſtatem primum in Gallia adſtruere moliebantur, idem FRANC. FLORENS *l. c.* copioſe oſtendit. Nicolaus equidem I pontifex romanus, qui, vt RHEGINO abbas Prumienſis ait, *regibus ac tyrannis imperauit, eisque ac ſi dominus orbis terrarum eſſet, auctoritate praefuit*, vt nullam occaſionem augendi poteſtatem ſuam praetermiſit; ita & fictitias haſce epiſtolas decretales ambabus, quod aiunt, manibus arripuit, & adprobauit, & aliis etiam, praeſertim in Gallia, obtrudere voluit. Sed ibidem inuenit, qui reluctarentur; quos inter HINCMARVS ille Rhemenſis, cuius iam mentionem fecimus, haud vltimum locum tenet. Atque hi quidem, cum exciperent, ideo decretales iſtas dubiae eſſe fidei, quod in codicem canonum numquam antehac fuiſſent relatae, adeoque nec recipiendas eſſe; operoſe ad hoc reſpondet ipſe pontifex, apud GRATIANVM, *part. I. diſt. 19.* ſed ita, vt cauſſae ſuae prodat vanitatem. Inualeſcente autem poſtea romanorum pontificum potentia, inualuit quoque decretalium iſtarum auctoritas, vt ad ſaeculum decimum quintum vix duo inueniantur, qui ſe commentis iſtis pſeudo-ISIDORI non paſſi fuerint abripi, MARSILIVS ſcilicet Patauinus, in *defenſore pacis de re* impe-

imperatoria & pontificia, & GOBELINVS, in *coſmodromio*; obſeruante GERHARDO VAN MASTRICHT, in *hiſtor. iuris eccleſiaſt. num. CCXXIX. p. 257.* Poſtea & alii exſtiterunt, quibus γνησιότης epiſtolarum iſtarum decretalium ſuſpecta fieri coepit; quos inter eminet ſaeculi decimi quinti monachus HENR. KALTEISENIVS, in *tractatu, an imperium ſit vmquam a Romanis ad Graecos translatum*, quem hoc nomine laudant centuriatores Magdeburgenſes, *centur. II. cap. VII.* Et hi ipſi quidem centuriatores vel maxime hoc nomine commendandi ſunt, quod rationibus ſolidiſſimis demonſtrarunt, haſce veterum pontificum romanorum epiſtolas ſpurias eſſe, & ſuppoſititias, immo peſſimo conſilio a pſeudo-ISIDORO iſto confictas; *l. c.* Magno equidem conatu iis ſeſe oppoſuit FRANC. TVRRIANVS, in opere ex inſtituto aduerſus illos ſcripto, ſiue *libris quinque, aduerſus Magdeburgenſes pro canonibus apoſtolorum & epiſtolis decretalibus pontificum apoſtolicorum*, vbi per quatuor integros libros id agit, vt epiſtolas iſtas decretales defendat. Sed poenas ſuae temeritatis iuſtiſſimas is dedit DAVIDI BLONDELLO, in *pſeudo-Iſidoro & Turriano vapulantibus, ſeu editione & cenſura noua epiſtolarum omnium, quas piiſſimis vrbis Romae praeſulibus, a beato Clemente ad Siricium &c. nefando auſu, infelici euentu, Iſidorus cognomento Mercator ſuppoſuit, Franciſcus Turrianus Ieſuita aduerſus Magdeburgenſium ἐλέγχους, aculeato ſtylo defendere conatus eſt &c.* Genuae 1628. 4. Non tantum autem in prolegomenis, argumentis ſolidiſſimis, epiſtolas haſce a pſeudo-ISIDORO confictas eſſe, demonſtrauit, & TVRRIANI varias exceptiones diſſipauit; ſed & ſingulas deinceps epiſtolas exhibuit, easque ſub examen reuocauit, & incredibili diligentia auctores, e quorum centonibus conſutae ſunt, inueſtigauit, indicauitque. Et ad argumenta quidem quod attinet, quibus generatim probari poteſt, epiſtolas illas ſpurias ac ſuppoſititias eſſe, quibus & Magdeburgenſes vtuntur, quaeue contra TVRRIANI inſultus in tuto collocat BLONDELLVS; primum illorum deſumtum eſt ab ipſa *epiſtolarum* iſtarum *materia*, quae ſaeculo, quo vixerunt, qui illas ſcripſiſſe finguntur, non conuenit; ſiquidem de rebus, & ſtatu eorum temporum, ne vnicum quidem verbum habeant. Alterum argumentum praebet mendax ad finem epiſtolarum conſulatuum deſignatio; tertium, vulgatae ſcripturarum verſionis vſus frequentiſſimus; vnde euincitur, poſt HIERONYMI aetatem epiſtolas illas confictas eſſe; quartum, eadem ſtili quae in omnibus iſtis epiſtolis conſpicitur, ratio, cum tamen diuerſorum epiſcoporum eſſe, perhibeantur; quintum, latini ſermonis impuritas, & barbaries, quae a genio ſaeculi iſtius, quo primi iſti epiſcopi romani vixerunt, prorſus abhorret. Atque per haecce, aliaque eiusmodi generis argumenta, res ita in aprico poſita eſt, vt iam plurimi, iique eruditiſſimi, in eccleſia romana viri fateantur, ſpurias eſſe iſtas epiſtolas, minusque genuinas. Nonnullos, qui veritati victas dederunt manus, iam laudauit beatus IOAN. GERHARDVS noſter, in *confeſſione catholica, tom. I. p. 430. ſqq.* quibus PHIL. LABBEVM, PETRVM DE MARCA, NAT. ALEXANDRVM, LVD. ELL. DV PIN, NIC. ANTONIVM, IO. LAVNOIVM, ANT. PAGI, CHRIST. LVPVM, aliosque, addit THOM. ITTIGIVS, in *ſelect. capitib. hiſtor. eccleſ. ſaec. I. cap. I. p. 61. 62.* Idem obſeruat, harum epiſtolarum compilatorem *impudentiſſimum nebulonem* adpellari a STEPH. BALVZIO, in *praef.* ad ANT. AVGVSTINI *dialogos de emendatione Gratiani.* Ego vnicum hiſce adhuc ſubiungo FRANC. PAGI, qui, *quod attinet*, inquit, *ad alias romanorum pontificum decretales epiſtolas vsque ad Siricium, quas ex Iſidori mercatoris collectione*

lectione conciliorum editores in ſuas editiones tranſtulerunt, licet eae magna conſenſione receptae fuerint, etiam ante medium ſaeculum vndecimum, quo publice in ſcholis coeperunt recitari; a quo tempore non ſolum poſteriorum romanorum pontificum epiſtolae illarum teſtimoniis abundarunt, ſed etiam omnium doctorum ſcripta vbique perſonarunt; eas tamen non genuinas, ſed ſuppoſititias eſſe, omnes fere eruditi ingenue fatentur; inter quos Petrus de Marca, lib. III. de concordia ſacerdot. & imp. & Schelſtratius, in part. II. antiquitatis illuſtrat. diſſert. III. Rationes hinc cum ſummatim indicaſſet, quibus probari ſolet, haſce decretales genuinas non eſſe; hanc porro *ἐπίκρισιν* ſubiicit: *Licet enim ſuppoſititiae ſint, & laudandum ſit Blondelli criterium, quo illas priſcis pontificibus abiudicauit, immerito tamen ab eo, aliisque haereticis, atrocioribus verbis dilacerantur, cum e ſententiis & verbis legum, canonum antiquorum, & ſanctorum patrum, qui quarto ſaeculo floruerunt, ſi pauca demas, concinnatae ſint, vt inquit Marca laudatus;* in *breuiario hiſtorico chronologico-critico, illuſtriora romanorum pontificum geſta &c. complectente, tom. I. ſaec. I. p. 15. & 17.* Vltimum nimirum illud ideo adiiciendum erat, vt honori & auctoritati iſtarum epiſtolarum aliqua ſaltem ratione conſuleretur. BONAVENTVRA equidem MALVASIA, Franciſcani ordinis theologus, apologeticum pro iſtis epiſtolis edidit, inſcriptum: *Nuntius veritatis Dauidi Blondello miſſus*, Romae 1635. 8. ſed nihil eximii ab iſto auctore exſpectandum eſſe, docet THOM. ITTIGIVS, in *diſſertat. de patribus apoſtolic.* §. *XXXV. p. 109. ſeqq.* Recentiori aetate IOSEPH. SAENZ D'AGVIRRE itidem earumdem epiſtolarum in ſe ſuſcepit patrocinium, in *adparatu ad concil. Hiſpan. tom. I. diſſertat. IV. p. 69. ſeqq.* verum infelici ſucceſſu, vt idem THOM. ITTIGIVS oſtendit, *l. c.* §. *XXXVI. p. 111. ſeqq.* Ex noſtrae pariter ac reformatae eccleſiae theologis ac iure conſultis, nemo eſt, quin ambabus, quod aiunt, manibus largiatur, fictas eſſe epiſtolas iſtas, ſuppoſititiasque; quod & certatim demonſtrarunt. Magdeburgenſes centuriatores, & beatum IO. GERHARDVM, itemque THOM. ITTIGIVM iam laudauimus; quibus adhuc addendus CASP. ZIEGLERVS, iure conſultus, de *orig. & increment. iur. canon.* §. *XXV. ſeqq.* & IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. XI.* ſiue *lib. VI. cap. I.* §. *VIII. p. 14. ſeqq.* & §. *XX. p. 66. ſeqq.* ex reformatis ANDR. RIVETVS, in *critico ſacro, lib. II. c. VIII. p. 142. ſeqq.* ROB. COCVS, in *cenſura quorumdam ſcriptorum veterum, p. 39. ſeqq.* IO. DALLAEVS, in *pſeudepigraphis apoſtol. lib. III. cap. II. p. 427.* alibique.

Sunt & aliae quaedam collectiones, ſed minus celebres, quae ad ſaeculum octauum & nonum adhuc referri poſſunt, quorſum & IARLANDI Chryſopolitani, qui ante annum 800 vixiſſe dicitur, *candela*, ſiue *opus libris XXII diſtinctum, & e pontificum decretis & patrum ſcriptis conſarcinatum*, idemque nondum editum, ſpectat; ſed cum hiſce immorari noſtri non ferat inſtituti ratio, conſulere de iis iuuabit IO. ALB. FABRICIVM, *biblioth. graec. vol. XI.* ſiue *lib. VI. cap. I.* §. *XX. p. 54. ſeqq.* Idem vir doctiſſimus etiam de *libris poenitentialibus* quam diligentiſſime diſſerit, *l. c. p. 73.* & *ſeqq.* quorum hic omnino habenda ratio, quoniam ſequentes canonum & decretorum collectores ex hiſce quoque fontibus ſua irrigare arua, conſultum duxerunt. Iidem vero libri poenitentiales, cum *theologiae* quoque *caſuiſticae* occaſionem dederint, ad *cap. praecedentis* §. *X. p. 702. ſeqq.* iam de iis verba fecimus, eoque minus, vt hic aliquid addamus, neceſſe erit.

§. V.

§. V. Quo magis deinde aucta eſt romanorum pontificum poteſtas, auctoritasque, eo maiora quoque incrementa ius canonicum ſumſit. Maxima autem ad ea facta eſt acceſſio, cum ſaeculo vndecimo Gregorius VII pontificum romanorum poteſtatem ad ſummum fere faſtigium perduceret.* Quo ipſo vndecimo & duodecimo ſaeculo, cum certatim iterum viri docti in iuris eccleſiaſtici ſtudium incumberent, nouasque darent canonum collectiones; maximam tamen inter omnes auctoritatem celebritatemque obtinuit, quam GRATIANVS compilauit.**

* Paucis itaque nobis oſtendendum, qua ratione ad tantum rerum humanarum faſtigium, quo excelſius cogitari nequit, romani praeſules peruenerint; vt ſimul intelligamus, qua demum ratione factum, vt illorum decreta cum canonibus eccleſiaſticis in leges proprie ſic dictas, ex illorum ſaltem ſententia, abierint. Repetendum itaque, quod ſupra ad *§. III.* docuimus, iam ante Conſtantini magni tempora contigiſſe, vt eccleſia chriſtiana faciem quamdam imperii aut reipublicae acciperet; hinc vero & poteſtas auctoritasque epiſcoporum mirum in modum augeretur; contigiſſe etiam, vt inter ipſos epiſcopos ſubordinatio quaedam introduceretur, conſtitutis tandem quinque patriarchis, Romano, Conſtantinopolitano, Antiocheno, Alexandrino & Hieroſolymitano, quos penes vniuerſi velut orbis chriſtiani imperium eſſet. Inter hosce autem patriarchas Romanus iterum caput ita extulit, vt non tantum reliquis ſe praeferret, ſed tandem imperium aliquod in eos ſibi tribueret; variis quidem, vt eiusmodi quid auderet, conſpirantibus cauſſis. Has inter ipſa vrbis magnitudo ac potentia haud vltimum tenebat locum; in qua inſuper, translata Conſtantinopolin imperii ſede, per imperatorum abſentiam, maximam adquirere auctoritatem, tandemque ſummam rerum ad ſe trahere epiſcopis facile erat. Accedebat, quod per eccleſiam romanam chriſtiana doctrina longe lateque per vniuerſum fere occidentem propagata eſſet, vt adeo illa intuitu aliarum eccleſiarum veluti matris loco eſſet; vnde & erga eos, qui romanae eccleſiae praeerant, non poterat non ſingularis exſiſtere veneratio. Qua animorum diſpoſitione, vti & reliquis cauſſis, ad auctoritatem potentiamque romanorum epiſcoporum augendam conſpirantibus, cum hi callide vti didiciſſent; per occidentalis tandem imperii ruinam, orientalis imbecillitatem, adflictum Italiae ſtatum, francici imperii incrementum, omnia obſtacula ita remouebantur, vt ſine magno labore votorum ſuorum conſequi ſummam, illis pronum eſſet. Quantum auctae per Caroli magni largitionem, eorumdem epiſcoporum romanorum opes, quantum caecum ſucceſſorum Caroli erga eosdem obſequium huc contulerit, cum neminem fugiat, vt copioſe commemoremus, neceſſe non eſt. Quid autem romani epiſcopi animo voluerint, iam ſaeculo ſeptimo luculenter adparebat, cum Bonifacius III ex conceſſione Phocae imperatoris Conſtantinopolitani, *epiſcopi oecumenici* nomen dignitatemque ſibi adſereret. Cumque ſaeculum octauum, quo francici reges, praeſertim Carolus magnus, ad ea, quae pontificibus grata erant, agenda, ſtatuendaque, ſe admodum promtos oſtendebant, ad promouenda eiusmodi conſilia peropportunum fuiſſet; nouo demum documento, quorſum omnes iſtae machinationes ſpectauerint, palam factum. Paſchalis I pontifex inſcio imperatore eligitur, etſi paullo ante Stephanus IV contrarium ſanciuerat. Valentinus I oſculum pedum

pedum a ſenatu romano primus admiſit; Nicolaus autem I eo vsque impudentiae progreſſus eſt, vt, papam a ſaeculari poteſtate nec ſolui, nec ligari, nec iudicari poſſe, adſereret, Lotharium Galliae regem anathemate feriret; quod ante ipſum aduerſus Galliae reges nemo auſus eſt; Rauennatenſem eccleſiam ſibi ſubiiceret, ſimiliaque deſignaret. Atque hic ipſe pontifex confictas iſtas pſeudo-ISIDORI decretales, non tantum ſummopere adprobauit, ſed, vt aliis etiam eas, ceu genuinas, obtruderet, omnem mouit lapidem; vt antea obſeruauimus. Perquam enim opportuno tempore haſce in lucem protraxit impoſtor; quippe quo pontifices quidam id omni ſtudio agebant, vt ad ſummum auctoritatem ſuam perducerent faſtigium. Hiſce non tantum gratiſſimum eſſe poterat, quod in epiſtolis iſtis inuenirentur, quae ſupremae illi, quam romani epiſcopi ſibi tribuebant, poteſtati, praeſidium aliquod adferre videbantur; ſed & exemplum praeberent, quod in ſuis ipſimet decretalibus imitarentur. Ex eo nimirum tempore, ſuorum decretorum non minorem vim eſſe, voluerunt, quam ipſarum legum. Stephani certe VI, qui Hadriani III ſucceſſor fuit, eiuſmodi decretum, GRATIANVS *diſt. XIX. c. enimuero*, refert, quo ſanxit: *Quidquid eccleſia romana ſtatuit, quidquid ordinat, perpetuo quidem & irrefragabiliter obſeruandum eſt.* Conferenda quae de hiſce, ſimilibusque romanorum pontificum auſibus ſummatim obſeruauit IO. HENR. HEIDEGGERVS, in *hiſtoria papatus, per. III.* §. *LXI. p. 62. ſeqq.* & alibi. Qui ſaeculo decimo romanae ſedi praeerant impuriſſimi flagitioſiſſimique mortalium, vt omnium odio atque contemtui ſe exponebant; ita efficere potuiſſent, vt myſterium iſtud iniquitatis, in dominatu romanorum pontificum latitans, iam tum manifeſtaretur, niſi ſuperſtitio, cum ſumma ignorantia ac barbarie pari paſſu ambulans, caliginem quamdam omnium oculis obfudiſſet. Tantumque abeſt, vt ipſimet romanenſes foedam, quae eo tempore ob ſpurciſſimos pontificum mores fuit, eccleſiae faciem diſſimulent, vt ROBERTVS potius BELLARMINVS atque CAES. BARONIVS, cardinales, vltro fateantur, ille de *pontif. rom. lib. IV. cap. XII.* hic in *annalib.* ad *annum Chriſti DCCCC n. 1.* Nec melior ſaeculi vndecimi fuit conditio, quod ſimul ſatis aptum erat, vt tyrannis atque ambitio romanorum pontificum ſummum faſtigium conſequeretur. Adſeruiſſe tum nonnullos, adeſſe tempus, quo reuelandus ſit ille *homo peccati, filius perditionis*, ſiue *antichriſtus*, ipſemet docet BARONIVS, ad *annum Chriſti MI.* Confirmat idem AVENTINVS, *annal. Boioar. lib. V. p. 59.* Idque ſatis patuit, cum GREGORIVS VII ſedi romanae praeficeretur, quem omnem mouiſſe lapidem, omniaque turbaſſe, vt monarchiam iſtam, quam animo conceperat, abſolutumque romanorum pontificum imperium firmaret, eiusque limites quam latiſſime proferret, regesque ac imperatores ſibi ſubiiceret, nemini temere, niſi qui hoſpitem plane ex hiſtoricorum monumentis retulit animum, ignotum eſſe poteſt. Copioſe cuncta exponere, aut auctores, qui vitam, resque geſtas huius pontificis deſcripſerunt, recenſere, noſtri non fert inſtituti ratio. Breuiter atque ſummatim cuncta exhibet beatus ADAM. RECHENBERGIVS, in *diſſertat. de totatu Hildebrandino, ſeu de Gregorii ſeptimi pontificis romani abſoluto dominatu*, quae inter *diſſertationes* eius *hiſtorico-politicas* iunctim editas, exſtat, *part. II. num. XVI. p. 432. ſeqq.* Luculentiſſime autem ambitionem ſuam, ſuper omnia ſe extollentem, demonſtrauit, in *propoſitionibus* illis *XXXVII*, quae in *regiſtro* eius poſt *epiſtolam LV* leguntur, & *dictatuum* nomine venire ſolent, quasue ad ſynodum romanam ſeptimam, ab eo celebratam, CAES. BARONIVS cardinalis refert.

fert. In hiſce inter alia dicitur: *quod ſolus pontifex dicatur iure vniuerſalis; quod ille ſolus poſſit deponere epiſcopos & reconciliare; quod ſolus poſſit vti imperialibus inſigniis; quod ſolius papae pedes omnes principes deoſculentur; quod illi liceat imperatorem deponere; quod ſententia illius a nullo debeat retractari, & ipſe omnium ſolus retractare poſſit; quod a nemine ipſe iudicari debeat;* & quae alia ſunt eiusdem generis. Hoſce dictatus cum etiam EDM. RICHERIVS recitaſſet, addit: *Verum, nolo iam in explicanda analyſi horum dictatuum Gregorii VII immorari; tantum dicam, ex eorumdem cum decem ſuperioribus articulis comparatione, promtum cuique eſſe, videre, quantum eccleſiae regimen, quod & adſectauit, & introduxit Gregorius VII, ab euangelica & apoſtolica moderatione diſcrepet. Siquidem, cum ex triplici poteſtate, quam dominus noſter Ieſus Chriſtus habuit, auctoritatis nimirum, excellentiae, & puri miniſterii ſpiritualis, hanc vltimam duntaxat eccleſiae contulerit; contra Gregorius VII effecit, vt eccleſia, vel vt verius dicamus, romana curia abſoluto atque pure monarchico dominatu cogeret, quaecumque chriſtianis praeciperet; adeo vt ab illo tempore omnes eccleſiae iugum horum dictatuum ſubire coactae fuerint; propterea, quod eiusmodi dictatus dehinc fuerunt inſtar inſtructionis & commentariorum, ad quos curia romana iugiter noctes atque dies pro adſerenda infallibili papae monarchia, collimaret; in eumque finem legati atque nuntii ſaepiſſime ad chriſtianos principes miſſi;* in *hiſtoria concilior. general. tom. I. cap. XIII. pag. 758. ſeqq.* Nonnullos equidem romanenſium iſtorum dictatuum valde pudet; vnde in eam ingreſſi ſunt ſententiam, ſpurios eos eſſe, atque confictos, perperamque Gregorio VII pontifici tribui. Ita IOAN. LAVNOIVS, in *epiſtola ad Antonium Faurum, Pariſienſem theologum, p. 542. ſeqq.* qui, dictatus hoſce Gregorii VII non eſſe, putat, non quod in iis multi non ſint, qui illius ingenio conueniant, ſed quod ſint plurimi, qui ab eo vehementer diſſentiant. LAVNOIVM ſequitur NAT. ALEXANDER, *hiſtor. eccleſiaſt. tom. VI. ſaec. XI. & XII. diſſert. III. p. 719. ſeqq.* vbi contra CHRIST. LVPVM, ſecus ſentientem, diſputat. Eidem ſententiae ſubſcribit FRANC. PAGI, in *breuiario geſtor. pontif. roman. tom. II. ſaec. XI. p. 473.* itemque LVD. ELL. DV PIN, in *noua biblioth. ſcriptor. eccleſiaſt. tom. VIII. ſaec. XI. pag. 69.* vbi exiſtimat, hoſce dictatus aut a quodam Gregorii VII inimico, qui illum hac ratione inuiſum reddere voluerit, aut ab homine principiis curiae romanae imbuto, qui putauerit, ex epiſtolis Gregorii talia colligi poſſe, confictos fuiſſe. At CAES. BARONIVS, aliique romanenſium, dictatus hoſce pro genuinis agnoſcunt; certumque eſt, a genio Gregorii VII eos neutiquam abhorrere. Ipſe LVD. ELL. DV PIN, cum primum laudes, quibus amici pontificis huius eum euehunt, deinde &, quae ab inimicis eius in alteram partem de illo dicuntur, retuliſſet; ipſemet tandem, velut media quadam via inceſſurus, fatetur, eum, nimio pro magnitudine romanae ſedis zelo inductum, talia ſuſcepiſſe, quae & a ratione aliena, & ſupra vires eius poſita fuerint; ingentium turbarum in eccleſia & imperio eum exſtitiſſe auctorem; in reges horumque ditiones eam ſibi vindicaſſe poteſtatem, quae illi non conueniebat; iuſtos denique potentiae eccleſiaſticae tranſiliiſſe limites; *l. c. p. 68.* A tali pontifice hoſce profectos dictatus, quis miretur? Quod ſi etiam profecti non eſſent; tota tamen vitae ſuae ratione, omnibusque factis, teſtatus eſt, eiusmodi menti ſuae ſediſſe principia. Atque ex hiſce fundamentis non poterat non ea exſurgere iuris canonici, quae deinceps adparuit, facies. Ex hocce enim tempore, canones non tantum circa dogmata & perſonas, ritusque eccleſiaſticos, occupati;

ſed

Digitized by Google

ſed & de litibus & diſceptationibus forenſibus ordinandis, & dirigendis, ſolliciti erant. In antiquis canonum collectionibus nihil de litis conteſtatione, aliisque ad proceſſum ſpectantibus, legitur; at ex hocce tempore de officio & poteſtate iudicis ordinarii, & delegati, de treuga & pace, de pactis, de transactionibus, de procuratoribus, de ſyndico, ſimilibusque ad ius ciuile ſpectantibus, quibus hodie magna pars iuris canonici abſoluitur, agi coepit; vt adeo canones tunc in *ius*, proprie ſic dictum, mutati, immo, cum ipſo papatu ius canonicum ſummum faſtigium conſequutum, recte cenſeatur; quod & praeclare obſeruarunt GERH. VAN MASTRICHT, in *hiſtoria iuris eccleſiaſt. num. CCLVI. p. 292. ſeqq.* & CASP. ZIEGLERVS, de *iuris canon. orig. & incremento*, §. *XXXI. ſeqq.*

** *Qui poſt nonum ſaeculum*, inquit STEPH. BALVZIVS, *ſtudio ſe rei canonicae applicuerunt, cum diſcere & docere vellent, collectiones canonicas & ipſi ediderunt, in quibus tamen ſynodos, & romanorum pontificum epiſtolas non ediderunt integras, & ſeruato temporum ordine, vt factum erat ab antiquis; ſed in titulos quosdam & capita diſtribuentes has ſynodos & epiſtolas, praeterea addiderunt permulta ex conciliis habitis in Gallia, Germania & Hiſpania, tum etiam aliunde, dicta quoque ſanctorum patrum adferentes, ita haud dubie exiſtimantes, plurimum dignitatis conlaturam collectionibus illis ſanctiſſimorum ac doctiſſimorum hominum auctoritatem.* Refellit deinde FRANC. FLORENTEM, qui, BVRCHARDVM Wormatienſem epiſcopum, & IVONEM Carnutenſem, primos fuiſſe, putat, qui hac methodo vſi ſint; eum tamen ita ſenſiſſe, mirum non eſſe, ait, quoniam ipſius aetate ex eiusmodi canonum ac decretorum collectoribus, duobus iſtis epiſcopis, antiquior in lucem emiſſus non eſſet. RHEGINONEM namque, abbatem Prumienſem, exemplum dediſſe, ex quo pleraque acceperint BVRCH. atque IVO; ſed praecipue BVRCHARDVS, qui capita circiter 670 ex collectione RHEGINONIS in ſuam transtuliſſe videatur; in *praefat. Rheginonis libris duobus de eccleſiaſticis diſciplinis* praemiſſa §. *VI.* Inter canonum itaque ac decretorum collectores referendus etiam eſt RHEGINO, abbas Prumienſis, qui circa initium ſaeculi decimi eiusmodi collectionem *libris duobus*, *de eccleſiaſticis diſciplinis & religione chriſtiana*, complexus eſt, quos primum IOACH. HILDEBRANDVS, inſcriptos: *de diſciplina eccleſiaſtica veterum praeſertim Germanorum libri duo*; Helmſtadii an. 1659 in lucem protraxit; adcuratius autem deinceps edidit STEPH. BALVZIVS, Pariſiis 1671. 8. qui & RHABANI MAGNENTII MAVRI *epiſtolam ad Heribaldum epiſcopum Antiſſiodorenſem*, ex qua RHEGINO varia hauſit, addidit. Suſcepiſſe RHEGINONEM hancce collectionem iuſſu RATHBODI, archiepiſcopi Treuirenſis, ad vſum eiusdem archiepiſcopi, totiusque dioeceſeos Treuirenſis, idem BALVZIVS obſeruat, in *praefat.* §. *VII.* qui & §. *VIII.* haud vulgari artificio RHEGINONEM in condenda lucubratione iſta vſum, contendit. Diuiſiſſe enim illam in duos libros, ad exemplum, vt auctori videtur, MARTINI Bracarenſis; in quorum primo tractet de rebus & perſonis eccleſiaſticis, in ſecundo de vita & conuerſatione laicorum. In fronte libri primi, vt idem obſeruat, quamquam & ipſa hoc doceat inſpectio, ponitur inquiſitio, ſecundum quam epiſcopi interrogare debeant de vita clericorum; in initio autem ſecundi, inquiſitio, ab epiſcopo facienda circa laicos. Prioris ſpecimen eſſe poteſt: *Inprimis inquirendum eſt in cuius ſancti honore conſecrata ſit baſilica, vel a quo fuerit conſecrata. Poſt haec ipſa eccleſia circumſpiciatur, ſi bene ſit cooperta atque camerata, & ne ibi columbae vel aliae aues nidificent propter immunditiem ſtercoris, ſiue importuni-*

tatis inquietudinem; quo metallo ſint ſigna ipſius eccleſiae; ſi foenum, annona, aut tale aliquid in eccleſia mittantur; & quae alia ſunt eiusdem generis. Generalibus hiſce inquiſitionibus ſubiicitur auctoritas canonica, id eſt, canonum ac decretorum ſanctiones, quibus probari poſſunt capita, quae in vtraque inquiſitione continentur. Primus autem in occidente fuit RHEGINO, qui canonibus conciliorum & decretis pontificum adiunxit ſententias patrum, & leges codicis Theodoſiani, ſeu potius verba ANIANI interpretis; quemadmodum & ſubinde auctoritate capitularium regum Francorum, Caroli magni, Ludouici pii, & Caroli calui, vtitur; vnde collectio eius nonnullis inſtar *nomocanonis* eſſe videtur. Ad decreta pontificum quod attinet, ea, quae vera & genuina ſunt, frequenter laudat, ſuppoſititia iſta, & a pſeudo-ISIDORO conficta, raro, *tantum fortaſſis,* inquit BALVZIVS, *ne contemnere videretur, l. c.* §. *VIII.* Ex RHEGINONE plurima accepit BVRCHARDVS, ſiue BROCARDVS, a quo *Brocardica iuris* nomen habent, cuiusue paſſim celebratur collectio. Patria Haſſus fuit, & primum Lobii monachus diſcipulusque Alberti, monachi Lobienſis, & poſtea abbatis Gemblacenſis. Ex Lobienſi monacho dioeceſis Leodienſis, BVRCHARDVS factus eſt epiſcopus Wormatienſis, anno 996, cui ſedi ad annum 1025 vel 26 praefuit. Praeceptorem eum fuiſſe Conradi II ſiue ſalici, imperatoris, ex auctore *vitae* eius obſeruat IO. SCHILTERVS, de *libertate eccleſiar. german. lib. III. cap. X.* §. *I. p. 417.* Hic, ab OLBERTO praeceptore ſuo adiutus, vt proſtratam diſciplinam eccleſiaſticam vtcumque erigeret ac reſtitueret, ex ſacris litteris, ex conciliis, ex epiſtolis decretalibus pontificum, etiam ſpuriis iſtis pſeudo-ISIDORI, itemque ex libris quibusdam poenitentialibus, ſcriptisque GREGORII, HIERONYMI, AVGVSTINI, aliorumque patrum, *duodecim tomos decretorum* collegit, & ſub certis titulis diſpoſuit. Integrum hocce opus lucem non vidiſſe, ſed tantum excerpta ex illo, diuiſa in *libros XX.* monet IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. XI.* ſiue *lib. VI. cap. I.* §. *XX. p. 80.* Summam viginti iſtorum librorum refert GERH. VAN MASTRICHT, in *hiſtoria iuris eccleſiaſt. num. CCLI. pag. 282.* Non multum huic collectioni tribuendum eſſe, eo, quod BVRCHARDVS fontes non conſuluerit, ſed ex praecedentibus collectionibus ſua hauſerit, ſaepiſſime etiam ſpurias epiſtolas decretales pſeudo-ISIDORI ſequutus ſit, omnes vno ore fatentur. Plurima BVRCHARDVM ex RHAB. MAGN. MAVRI *epiſtola ad Heribaldum,* itemque RHEGINONIS *libris duobus de diſciplinis eccleſiaſticis,* deſumſiſſe, ſed perperam retuliſſe, immo quaedam peſſima fide corrupiſſe; ex inſtituto docet STEPH. BALVZIVS, in *praefat. ad Rhabani Mauri epiſtolam ad Heribaldum,* §. *VI. ſeqq. p. 453. ſeqq.* Immo, cum quaedam eius rei exempla attuliſſet, *grauiſſima,* inquit, *ſunt iſta peccata. Sed haec adeo ſueta & familiaria ſunt Wormatienſi epiſcopo, vt ſi cuncta illius ſphalmata, ſingulos errores exagitare velim, dies me tempusque deficiat.* Et quibusdam interiectis: *Satis fuerit excuſſiſſe locos ab illo relatos ex iſta epiſtola, & viam monſtraſſe ad inueniendos fontes, ex quibus deriuati ſunt tot ſpurii canones, & falſae capitum inſcriptiones apud Gratianum, in quibus emendandis & ad originem ſuam reuocandis fruſtra hactenus deſudauit doctiſſimorum hominum diligentia; l. c.* §. *XII. p. 457.* De ANSELMO Mantuano, epiſcopo Lucenſi, qui itidem ſaeculo vndecimo nouam collectionem confecit, vid. GERH. VAN MASTRICHT, in *hiſtoria iuris eccleſiaſt. num. CCLX. p. 301. ſeqq.* itemque IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. XI.* ſiue *lib. VI. cap. I.* §. *XX. p. 87.* Cauſſam Gregorii VII pontificis contra HENRICVM IV im-

imperatorem cum ANSELMVS hicce ſtrenue defenderit, hinc & illi gratiſſimus fuerit; facile intelligitur, quid de eius collectione cenſendum ſit. ANSELMVM eodem adhuc ſaeculo vndecimo ſequutus eſt IVO, natione Gallus, & Carnutenſis ab an. 1092 vsque ad 1115, quo obiit, epiſcopus; cuius ea aetate ob doctrinam, zelum, prudentiam, magna fuit auctoritas celebritasque. De vita eius praeter alios legi poteſt IO. FRONTO, in *opuſculis*, quae IO. ALB. FABRICIVS Hamburgi an. 1720. 8. recudi curauit. Duae autem illi tribuuntur collectiones, quarum altera *decretum*, altera *pannormia* vocatur. In priori opere, quod extra controuerſiam IVONIS eſt, BVRCARDVM fere ſequitur, ab eoque, ſiue verba, ſiue ordinem ſpectes, parum diſcedit; addidit tamen, quae eius collectioni deeſſe putauit, leges ſcilicet ciuiles romanas, ad exemplum nomocanonum in eccleſia orientali receptorum; quamquam &, in occidentali RHEGINONEM iam ſimile quid adgreſſum, antea obſeruatum ſit. Nonnulla etiam, ad haereſin Berengerianam ſpectantia, adiecit. *Decretum* hocce IVONIS, in partes XVII digeſtum, curante IO. MOLINAEO, an. 1561 Louanii in fol. editum eſt, recuſum deinceps, cum aliis IVONIS ſcriptis, Pariſiis anno 1647. fol. Ad *pannormiam* autem, ſiue vt alii eam vocare malunt, *pannomiam* (quamquam in veteribus codicibus conſtanter *pannormia* legatur) quod attinet; eam IVONIS eſſe, ROB. BELLARMINVS negat, de *ſcriptorib. eccleſiaſt.* in *Gratiano*, *p. 187*. Vt vero, cur id fecerit, intelligatur, ipſum hac de re audire iuuabit: *Duo*, inquit, *diſt. 63. canon. Adrianus, & can. in ſynodo, ponuntur canones ex hiſtoria eccleſiaſtica Sigeberti, quibus adfirmantur inueſtiturae epiſcoporum conceſſae imperatoribus ab Hadriano primo & Leone octauo ſummis pontificibus: quos canones confictos fuiſſe a Sigeberto, ſchiſmatico hiſtorico, probat multis argumentis cardinalis Baronius &c. Neque obſtat, quod iidem canones habentur etiam apud Iuonem in pannomia lib. 8. cap. 135. & 136. cum tamen Iuo Sigebertum aetate praeceſſerit; hoc, inquam, non obſtat, quoniam pannomia non dicitur Iuonis, quia ſit ab Iuone compoſita, ſed quia ſit ex decreto Iuonis maxima ex parte decerpta. Quod autem auctor Pannomiae ſit recentior Iuone, perſpicuum eſt ex libro octauo, vbi multa ſunt decreta Innocentii ſecundi pontificis, qui fuit Iuone poſterior.* BELLARMINO hic ſuffragatur GERH. VAN MASTRICHT, in *hiſtoria iur. eccleſ. num. CCLXVII. p. 306.* qui & deinde GVID. PANCIROLLVM laudat, de *claris legum interpretibus lib. III. c. I.* adferentem, auctorem *pannormiae* eſſe HVGONEM Catalaunum, qui ex maiori opere IVONIS eam contraxerit. Verum, rationes a BELLARMINO adlatas, nondum eiusmodi eſſe, vt euincant, pannormiam iſtam perperam IVONI tribui, recte iudicat CASP. ZIEGLERVS, de *orig. & increment. iuris canon. §. XXXV.* Et ſane, decreta iſta Innocentii II, quae in fine pannormiae leguntur, quaeue BELLARMINO aliisque praecipuum argumentum ſuppeditant, in antiquiſſimis codicibus non exſtare, ſed a recentiori manu addita eſſe, viris doctiſſimis obſeruatum eſt. Quod cum & vir ſummus IO. ALB. FABRICIVS monuiſſet; non ſine ratione STEPH. BALVZIO ſuffragatur, HVGONIS epitomen intercidiſſe, ipſum vero IVONEM primum compoſuiſſe pannormiam, deinde cum probari eam legentibus videret, ad maius opus concinnandum etiam animum adpuliſſe; *biblioth. graec. volum. XI.* ſiue *lib. VI. cap. I. §. XX. pag. 82.* vbi & editiones pannormiae indicat, & eius ſummam exhibet. Referri etiam ad canonum collectores ſaeculi vndecimi ſolent DEVSDEDIT, romanae eccleſiae presbyter cardinalis, itemque GREGORIVS presbyter, quem tamen nonnulli ſaeculo ſequenti duo-

Digitized by Google

duodecimo vixiſſe, contendunt, qui collectioni ſuae nomen *polycarpi* dedit; ſed quoniam nulla illorum eſt auctoritas, celebritasque, nos non morabuntur.

Ad GRATIANVM itaque progredimur, patria Etruſcum, monachum Benedictinum, qui, cum animaduertiſſet, non tantum ſuperflua, ſed & contraria in collectionibus huc vsque editis ſubinde inueniri; vt incommodis hiſce conſuleret, melioremque iure canonico formam daret, nouum compilauit volumen, quod *concordiam diſcordantium canonum* inſcripſit; quoniam diſſidentes inter ſe conciliare canones praecipue illi conſtitutum fuit. Sunt, qui putant, IVONEM huic inſtituto anſam praebuiſſe, dum in praefatione ſua regulas quasdam praeſcripſit, ſecundum quas canones diſcordantes inter ſe conciliari poſſint. Scripſiſſe GRATIANVM hocce opus Bononiae in monaſterio ſancti Felicis, docet ROB. BELLARMINVS; dumque TRITHEMIVS, an. 1127, alii autem, an. 1151 eum hoc feciſſe, adſerunt, hoſce ita inter ſe conciliare poſſe, idem cardinalis arbitratur, vt de initio eius TRITHEMIVS, reliqui de fine loqui cenſeantur; de *ſcriptorib. eccleſiaſt.* in *Gratiano, p.m. 187.* Qua ratione viginti quatuor circiter annorum ſpatio illud abſoluit. Quod nonnulli tradunt, GRATIANVM huncce ſpurium fuiſſe, & PETRI LOMBARDI, qui *magiſter ſententiarum* vocatur, ac PETRI COMESTORIS, *hiſtoriae ſcholaſticae* ſcriptoris, fratrem germanum, tresque hos vno puerperio ex adulterio aut ſcortatione eſſe profatos, & quae reliqua ſunt eiusdem generis, ceu fabula & inane commentum hodie a plerisque exploditur; conf. GVIDO PANCIROLLVS, de *claris legum interpret. lib. III. cap. II.* CASP. ZIEGLERVS, de *orig. & increm. iuris canon.* §. *XXXVII.* Magnam autem haec GRATIANI collectio mox obtinuit auctoritatem, adeo, vt inter reliquos canonum collectores ſolus in gymnaſiis praelegeretur, & multorum commentariis illuſtraretur, teſte ROB. BELLARMINO, de *ſcriptorib. eccleſiaſt.* in *Gratiano*, *p. 187.* Addunt nonnulli, Eugenium III pontificem hoc opus adprobaſſe, & legendum publicis gymnaſiis conceſſiſſe; quod tamen alii in dubium vocant. Immo non deſunt, qui contendunt, a nullo vmquam pontifice expreſſe hoc opus confirmatum eſſe. Etſi enim GRATIANVS nihil eorum omiſerit, quae ad euehendam & ſtabiliendam ſupremam iſtam, quam romani pontifices ſibi vindicabant, poteſtatem, pertinere videbantur; plurima tamen etiam ſiue ex ignorantia, ſiue ex negligentia admiſcuit, quae ſupremae iſtius poteſtatis defenſoribus parum grata ſunt, quaeue antiquam iſtam diſciplinam eccleſiaſticam, a pontificibus euerſam, redolent; plurima quoque, quae nobis hodie egregia veritatis teſtimonia contra ipſam eccleſiam romanam ſuppeditant; vt in ſequentibus oſtendemus. Etſi itaque romani pontifices collectionem hancce GRATIANI non adeo aegre ferrent; poſtquam etiam magnam auctoritatem adepta eſſet, eam reiicere aut abrogare nollent; nonnulli potius, vt corrigeretur emendareturue, omnem adhiberent diligentiam; vt tamen eam diſerte adprobarent, induci non potuerunt, bene perſpicientes, ſe hac ratione in *fauorabilibus* hacce collectione vti, in *odioſis* contra exceptionem *deficientis adprobationis* opponere poſſe; vt recte obſeruat IVST. HENNING. BOEHMERVS, in *iure eccleſiaſtico proteſtantium &c. lib. I. tit. II.* §. *XVIII. p. 94.* Dubitari hinc etiam poſſet, num haec collectio GRATIANI vim legis habeat? qua de re non omnes idem ſentiunt. Sunt, qui hoc adfirmant, ſunt, qui negant; ſunt denique, qui media quadam via incedunt, & pro diuerſitate fontium, ex quibus ſua depromſit GRATIANVS, diuerſam quoque iis tribuunt auctoritatem. Ad fontes autem iſtos, praeter

verba

verba GRATIANI, referuntur dicta patrum, canones conciliorum, decretales pontificum, & leges ciuiles, quibus denique paleas nonnulli addunt, de quibus mox dicemus. Hiſce omnibus, ſingulatim ſpectatis, quanta ſit vis obligandi, in ſequentibus diſputabimus; nunc illud obſeruaſſe ſufficiat, ipſam hancce collectionem, in ſe ſpectatam, authentica neutiquam deſtitui auctoritate; quippe quam vſu & obſeruantia forenſi adepta eſt; quod rationibus luculentiſſimis demonſtrat IVST. HENNING. BOEHMERVS, in *iure eccleſiaſt. proteſtantium lib. I. tit. II.* §. *XIX. ſeqq. p. 94. ſeqq.* Ad *paleas* quod attinet, ſunt, qui, hoc nomine ſignificari, putant, quod caſſum eſt & irritum; alii τὸ παλαιὸν ſiue quod antiquum eſt; alii aliter. Sed, cum COTTA PALEA diſcipulus fuerit GRATIANI, qui collectioni eius capitula quaedam addidit; quae in antiquioribus manuſcriptis non leguntur; hocce nomine, quaenam ab eo profecta ſint, indicatur. Diuerſa de collectione hacce GRATIANI iudicia refert GERHARDVS VAN MASTRICHT, in *hiſtor. iur. eccleſ. num. CCCXVIII. p. 347. ſeqq.* In eo omnes fere conſentiunt, grauiſſimis erroribus hancce collectionem ſcatere; idque cumprimis ANTON. AVGVSTINVS demonſtrauit, in ſuis de *emendatione Gratiani libris.* Atque eam ob cauſſam iuſſu pontificum romanorum emendatio eius ſuſcepta eſt; quamquam ANT. AVGVSTINVS, ſatius fore, arbitretur, ſi, reiecta hac compilatione, noua & concinnior ederetur; varias tamen ſimul, quae obſtent, adfert rationes; *lib. I. dial. I.* Saepe erraſſe GRATIANVM, fatentur etiam ROB. BELLARMINVS, de *ſcriptorib. eccleſ.* in *Gratiano, p. 187.* MARC. ANTONIVS DE DOMINIS, de *republ. eccleſ. lib. VI. cap. V. num. LXXX.* aliique romanenſium. Summa illorum, quae in GRATIANO reprehendi ſolent, huc redit: quod apocryphis & ſuppoſititiis ſcriptis ſaepe vſus ſit, tamquam genuinis; quod & ſpeciatim de decretalibus pſeudo - ISIDORI intelligendum; quod non ex fontibus ſua hauſerit, ſed ex aliorum collectionibus, adeoque vbi BVRCHARDVS, vel alius collector, errauit, eumdem & ipſe retinuerit errorem; quod prauas graecorum ſcriptorum verſiones ſequutus ſit, ipſemet linguae graecae prorſus ignarus; quod in gratiam pontificis verba & ſententias auctorum corruperit; quod in inſcriptionibus textuum nunc nomina commutauerit, nunc ſubſtituerit alia; quod canones ſine ratione cumulauerit, & quae alia ſunt eiusdem generis. Non tamen ideo inutile prorſus hocce GRATIANI opus, aut lectu indignum, cenſendum; quin potius multa & eximia, quae nobis viui eſſe queant, ex eo depromi poſſe, in ſequentibus ex inſtituto demonſtrabimus. Diuiditur in partes tres, quarum prima continet *diſtinctiones* centum & vnam; ſecunda habet *cauſſas* triginta ſex, & quaelibet cauſſa ſuas iterum quaeſtiones; poſt cauſſae trigeſimae tertiae quaeſtionem tertiam conſpicitur tractatus de *poenitentia*, qui abſoluitur ſeptem diſtinctionibus; tertia denique pars eſt de *conſecratione*, quae conſtat quinque diſtinctionibus; quamquam non deſint, qui dubitant, an duo illi tractatus de *poenitentia* & de *conſecratione* recte GRATIANO tribuantur. Quantum hocce opus ad ſtabiliendam monarchiam papalem contulerit, exponit CASP. ZIEGLERVS, de *orig. & increm. iuris canon.* §. *XLVIII.* Nec ſine obſeruatione praetermittendum, cum eodem, quo GRATIANVS, tempore vixerit PETR. LOMBARDVS; manifeſtum inde eſſe, eodem quoque tempore theologiam ſcholaſticam, & ius canonicum, duo illa papatus fulcra, emerſiſſe. Varias GRATIANI editiones recenſet IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. XI.* ſiue *lib. VI. cap. I.* §. *XX. p. 90. ſeqq.* Interpretes autem

autem ſiue gloſſatores, vt vocari ſolent, decreti a GRATIANO conditi, refert atque deſcribit GVIDO PANCIROLLVS, *de claris legum interpretib. lib. III. cap. IV. ſeqq.* & GERHARDVS VAN MASTRICHT, in *hiſtor. iuris eccleſiaſt. num. CCCXXXIV. p. 362. ſeqq.*

§. VI. Quemadmodum autem ex eo tempore ius canonicum magis magiſque ad formam iuris ciuilis per decretales romanorum pontificum adcommodari coepit; ita eodem, vti & ſequentibus, decimo tertio, & decimo quarto ſaeculo, exſtiterunt, qui varias decretalium collectiones darent.* Saeculo decimo quarto ſub Ludouico bauaro imperatore collabaſcere primum ſumma iſta, quam ſibi pontifices arrogauerant, poteſtas, & impugnari coepit; quod & vlterius ſaeculo decimo quinto per concilium Conſtantienſe & Baſileenſe contigit; hinc in periculum equidem adducta, non tamen valde imminuta eſt iuris canonici auctoritas.**

* Tantos nimirum GRATIANI decretum mox fecit progreſſus, vt iam ſub Friderico I imperatore doctores quidam *decretiſtae* vocarentur; a quibus *legiſtae*, ſeu iuris ciuilis doctores diſcernebantur. Eodem enim hocce ſaeculo ius quoque ciuile, ſeu Iuſtinianaeum, in vſum iterum reuocatum, aliunde conſtat; vnde & mos, *vtriusque iuris doctores* creandi, fluxit. Quod diximus, iam ſub Friderico I imperatore doctores quosdam *decretiſtas* adpellatos, diſerte confirmat ARNOLDVS Lubecenſis, in *chronico Slauor. lib. III. cap. X.* vbi refert, imperatorem huncce *decretiſtas* pariter ac *legiſtas* in comitatu ſuo habuiſſe. Vt vero decreti, a GRATIANO conditi, tam longe lateque, cumprimis & per Germaniam, propagaretur auctoritas, plurimum contulit fama academiae Bononienſis, & Pariſienſis. Vtriusque enim iam ſaeculo duodecimo magna erat celebritas, adeo, vt cateruatim cumprimis ex Germania iuuenes ad eas confluerent; in vtraque & ius canonicum, cumprimis & decretum GRATIANI, non ſine eius commendatione docebatur. Legenda, quae hac de re obſeruat IVST. HENN. BOEHMERVS, in *iure eccleſiaſtic. proteſtant. lib. I. tit. II. §. XXVII. ſeqq. p. 99. ſeqq.* Nec deerant ſibi romani pontifices, quin potius omni ſtudio id agebant, vt ius canonicum magis magisque ad indolem iuris ciuilis componeretur; hinc de proceſſu & ordine iudiciorum, ſimilibusque, varia, ex iure ciuili maximam partem depromta, adiiciebant. Cumprimis hoc ſaeculo id ſibi datum credidit Alexander III pontifex, iuris ciuilis peritiſſimus, quippe qui, antequam pontifex fieret, in academia Bononienſi docuerat; cuius veſtigiis inſiſtebant Innocentius III, Honorius III, Gregorius IX, Bonifacius VIII, Clemens V, aliique. Auctis hinc & multiplicatis decretalibus, variae earum inſtituebantur collectiones, quarum, poſt GRATIANI collectionem, vsque ad Gregorii IX tempora, quinque numerari ſolent. Prima auctorem habet BERNH. CIRCAM, Papienſem praepoſitum, mox epiſcopum Fauentinum, qui ad Coeleſtini III aetatem epiſtolas pontificum collegit. Secunda, quae a IOANNE Gallenſi ſeu Vallenſi confecta eſt, Coeleſtini III conſtitutiones addidit. Vtraque haecce priuata auctoritate prodiit. Tertia ſolas Innocentii III conſtitutiones continet, & ipſius Innocentii auctoritate per PETRVM Beneuentanum conſcripta eſt; poſtquam BERNHARDVS Compoſtellanus iam ſimile quid, ſed absque pontificis iuſſu, ſuſceperat. Quar-

Quartae collectioni cauſſam praebuit concilium Lateranenſe, in quo idem pontifex capita LXXI edidit; qui & poſt tertiam collectionem alias conſtitutiones promulgauerat, quae itidem in quarta hacce continentur. Quinta denique collectio Honorii III conſtitutiones exhibet, a TANCREDO Bononienſi archidiacono collectas. Conferenda, quae ex CAR. LABBEO, qui veteres decretalium collectiones, poſt GRATIANVM concinnatas, Pariſiis an. 1610. fol. recudi curauit, refert IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. XI.* ſiue *lib. VI. cap. I. §. VIII. p. 20.* add. CASP. ZIEGLERVS, de *orig. & increm. iur. canon. §. L. LI.* Quinque vero illae collectiones, cum & prolixitate conſtitutionum, & numero quoque ſuo, ad vſum parum aptae viderentur; pleraeque etiam priuata auctoritate congeſtae eſſent; Gregorius IX pontifex ſextam, quae reliquarum compendium eſſet, adornare, ſecum conſtituit; idque per RAYMVNDVM DE PENNA FORTI, natione Catalaunum, patria Barcinonenſem, capellanum & poenitentiarium ſuum, cuius & alias haud ignotum nomen eſt, perfecit. Hic enim, cum reliquas collectiones decretalium in vnum volumen redegiſſet, nouasque ipſius Gregorii conſtitutiones addidiſſet; pontifex anno 1234 hocce volumen auctoritate ſua confirmauit, iſtudque vt in ſcholis pariter ac iudiciis ſolum valeret, voluit. Conferendus FRANC. PAGI, in *breuiario geſtorum pontificum romanorum, tom. III. ſaec. XIII. p. 274.* Quid in hacce collectione deſiderandum ſit, oſtendit CASP. ZIEGLERVS, de *orig. & increment. iur. canon. §. LII.* Non defuerunt etiam, qui tum reliquas decretalium, poſt GRATIANVM editas, collectiones, tum maxime illam, quam Gregorius IX confirmauit, commentariis ſuis ſiue gloſſis, vt eo tempore vocabant, illuſtrarent; quos GVIDO PANCIROLLVS recenſet, de *claris legum interpretib. lib. III. cap. VIII.* & ex eo GERHARDVS VAN MASTRICHT, in *hiſtor. iuris eccleſiaſt. num. CCCLVI. p. 391. ſeqq.*

Nouae ſuae collectionis ſollemni adprobatione Gregorius IX pontifex inter alia hoc quoque ſpectauit, vt illorum conatus, qui priuato ſtudio collectiones eiusmodi dabant, reprimeret ac coërceret; hinc & confuſioni, quae inde oriri poterat, decretaliumue corruptioni, obuiam iret. Vnde nulla deinceps decretalium facta eſt collectio, donec Bonifacius VIII, anno 1294 ad epiſcopatus romani dignitatem eueheretur. Tertio hic pontificatus ſui anno, nouam ex Innocentii IV, Gregorii X, Nicolai III, & ſuis conſtitutionibus, per tres cardinales iuſſu ſuo compilatam collectionem, dedit quinque libris conſtantem; quam quia totidem Gregorii libris addidit, *ſextum decretalium librum* vocari voluit. Erat pontifex ille turbulenti admodum ingenii, quem ob faſtum ac auaritiam recte ab hiſtoricis reprehendi, ipſemet non diſſimulat FRANC. PAGI, in *breuiar. geſtor. pontif. roman. tom. III. ſaec. XIII. p. 503.* Cum ergo acerrimae lites cum Philippo pulchro, Galliae rege, illi intercederent; rexque pontifici, quam ſibi vindicabat, poteſtatem in temporalibus concedere nollet, hincque ab illo rurſus excommunicaretur; factum inde, vt *liber* hicce *ſextus decretalium* nullum in Gallia inueniret locum. Legendus hac de re PETR. DE MARCA, de *concordia ſacerdotii & imperii, lib. IV. cap. XVI.* Sub initium ſaeculi decimi quarti Clemens V pontifex vixit, qui ſedem pontificiam Auenionem in Galliam tranſtulit, vbi & pontifices per annos 72 commoratos, conſtat. Hic itidem ſuas & concilii Viennenſis conſtitutiones libris quinque complexus eſt, ſed morte praepeditus eas euulgare non potuit, immo moriens vetuit; quoniam, ſi AVENTINO, *annal. Boior. lib. VIII.* credendum, ipſe-

ipſemet agnoſcebat, multa, quae *ſimplicitati chriſtianae, & libertati religionis imponerent, ibi contineri.* Succeſſor autem eius Ioannes XXII nihiloſecius hancce collectionem publici iuris fecit; eam vero non librum ſeptimum decretalium, vt facere potuiſſet, ſed *Clementinas* inſcripſit, miſitque cum praefatione ſua ad academiam Bononienſem, anno pontificatus ſui ſecundo, ſiue Chriſti 1317. Exſtant etiam ſub eiusdem Ioannis XXII nomine in corpore iuris canonici *extrauagantes XX*, ita dictae, quod vagarentur extra corpus collectionum canonicarum, incertae adhuc, num recipiendae eſſent. Nam neque ab ipſo Ioanne, nec ab alio quodam pontifice, editae aut probatae, ſed priuata auctoritate, anno, vt nonnulli putant, 1340 collectae ſunt. Diſcernendae autem ſunt ab *extrauagantibus communibus*, de quibus deinceps dicemus. Copioſius, quae hactenus commemorauimus, ediſſerunt CASP. ZIEGLERVS, de *orig. & incremento iuris canon.* §. *LIV. ſeqq.* & GERHARDVS VAN MASTRICHT, in *hiſtoria iuris eccleſ. num. CCCCLXVII. ſeqq. p. 396. ſeqq.*

Decreti a GRATIANO conditi, eo ipſo, quo editum eſt, ſaeculo duodecimo, auctoritatem in Germania quoque inualuiſſe, antea docuimus. Qua de re licet adhuc quodammodo dubitet HERM. CONRINGIVS; poſtquam tamen Gregorius nonus decretales pontificum, ſuis auſpiciis collectas, & publica auctoritate a ſe munitas, vbiuis obſeruari, mandauerat; ſtatim in Germania quoque iuris pontificii vſum coepiſſe, poſitum extra controuerſiam, putat; de *orig. iuris german. cap. XXVI. p. 155.* Confirmat id exemplo IO. SEMECAE, cathedralis eccleſiae Halberſtadienſis praepoſiti, qui omnium primus *gloſſas* in *decretum* confecerit, quiue anno ſaeculi iſtius decimi tertii quadrageſimo quinto mortuus ſit. Et quis hac de re dubitet, cum imperatorum Friderici II & Rudolphi I conſtitutiones, conſenſu ordinum imperii latae, hoc diſerte confirment. Et Friderici quidem II conſtitutio, anno 1236 promulgata, apud MELCH. GOLDASTVM exſtat, *part. II. der Reichs-Satzungen, cap. XV.* Rudolphi autem apud CHRIST. LEHMANNVM, in *chron. Spirenſi, lib. V. cap. CVIII.* Ex vtraque verba huc ſpectantia refert HERM. CONRINGIVS, *l. c. p. 157.* Iniquis equidem auſibus pontificum fortiter ſe oppoſuit Fridericus II imperator; quod cum ſequenti ſaeculo decimo quarto feliciori adhuc ſucceſſu faceret Ludouicus bauarus; imminui inde coepit auctoritas papalis. Exſtiterunt enim tempore Ludouici bauari viri cordati, qui magna libertate pontificum tyrannidem & imperium, quod ſibi vindicabant in omnes, impugnabant. In his MARSILIVS ille Patauinus fuit, qui in libro, *defenſor pacis* inſcripto, multa de canonibus ſuſpectis, de decretalium iniquitate, de ipſius pontificis potentia, diſputat. Fuit & GVIL. OCCAM, cuius haud ignobile inter ſcholaſticos nomen eſt, quique de *extrauagantibus* Ioannis XXII adſerit, eas a multis reprehendi, tamquam haereticas, & omnino falſas. De hiſce vero, vt & aliis eiusdem generis ſcriptis, quibus auctoritas ſumma pontificum impugnata fuit, in ſequentibus ex inſtituto verba faciemus. Si tamen dicendum, quod res eſt, nondum eo tempore imminuta eſt magnopere iuris canonici auctoritas; ſiquidem, qui pro imperatore ſtabant, ex iure canonico non minus, quam ciuili, argumenta petebant, quibus cauſſam ſuam defenderent; quod & IVSTO HENNING. BOEHMERO obſeruatum, in *iure eccleſiaſtico proteſtantium &c. lib. I. tit. II. §. XXXV. p. 105.* qui &, quo vsque, & in quibus cauſſis, ius pontificium in Germania obtinuerit, diſtincte explicat §. *XLIX. ſeqq. p. 116. ſeqq.* Confirmari, quod diximus, & inde poteſt, quod ſaeculo decimo quinto

Digitized by Google

to magnus vtriusque iuris peritorum & doctorum exſtitit numerus; qui, cum ſubtilitatibus ſuis otioſis omnia turbarent; factum, vt de iis eiiciendis, & ab omni conſilio & iudicio ſemouendis, conſultatio inſtitueretur. Patet hoc ex conſtitutione illa, quam MELCH. GOLDASTVS exhibet, *part. I. der Reichs-Satzungen, p. 166.* quae inſcribitur: *Kaiſer Friderichs des dritten Reformation im heiligen Roemiſchen Reich teutſcher Nation fürgenommen, vnd proponiret auff dem Reichstag zu Meinz anno domini 1441.* Verba huc ſpectantia ex *artic. V.* vna cum rationibus, ex ſubiecta declaratione petitis, refert HERM. CONRINGIVS, de *origine iuris germanici, cap. XXXII. p. 200. ſeqq.* Idem cum, iſtam ſententiam periniquam & longe duriſſimam eſſe, pronuntiaſſet, addit: *Enimuero in atrocem adeo ſententiam itum eſt procul dubio non alia de cauſſa, quam quod illi ordini doctorum permiſti quidam rabulae peſſimis fori pontificii moribus tranquillitatem Germaniae tum perturbaſſent. Illi ſcilicet curiae debetur, quidquid eſt rabularii negotii. Nulli ſane alii etiam Galliam omne hoc malum debere, prudenter monet Franciſcus Hotomannus &c.* Recitatis hinc HOTOMANNI verbis, ita pergit: *Et vero primorum apud nos iuris doctorum plerique in Italia educati ſunt: vt mirum non ſit, ſcabiem aulae pontificiae illorum multis affrictam. Quin ex Italis ipſis nonnulli in Germaniam tum transſiere &c.* Ex eadem interim Friderici III conſtitutione, ſeu *articuli* eius *V.* declaratione colligere licet, ante quinquaginta annos, ſeu circa finem ſaeculi decimi quarti, vtriusque iuris, tum ciuilis, tum canonici, doctrinam, inſignem accepiſſe auctoritatem, in cauſſis ſcilicet & foris ſaecularibus; quod ſpeciatim de iure canonico intelligendum. Copioſius hoc ediſſerit IVST. HENNING. BOEHMERVS, in *iure eccleſiaſtico proteſtant. &c. lib. I. tit. II. §. LV. p. 119.* Atque recte idem obſeruat, reformationem Friderici III effectu caruiſſe, eo, quod nulla in academiis reformatio ſuſcepta fuerit, ſine qua iudiciorum & fori emendatio ſperanda non ſit; ius inſuper canonicum iuri ciuili ita commixtum fuerit, vt ab eo ſeparari amplius haud potuerit; adeoque retento iure ciuili in certis capitibus, iuris canonici quoque vſum exſpirare non potuiſſe. Saeculo equidem decimo quinto auctoritas papalis in magnum iterum adducta eſt diſcrimen, tum per Conſtantienſe, tum per Baſileenſe concilium. Verum nec hac ratione auctoritati iuris canonici multum detractum eſt. Immo cum a principibus & vrbibus germanicis multa iam olim condita eſſent ſtatuta, iuri illi pontificio repugnantia; Martinus V pontifex in ipſo Conſtantienſi concilio anno 1417 bullam edidit, in qua grauiter de iſtis ordinum Germaniae ſtatutis conqueſtus eſt; licet nihil effecerit; obſeruante HERM. CONRINGIO, de *orig. iuris german. cap. XXVI. p. 157.* Plurimi etiam, tum decimo quarto, tum decimo quinto vixerunt ſaeculo, iuris pontificii interpretes, quorum eo tempore magna fuit celebritas; de quibus conferendus GVIDO PANCIROLLVS, de *claris legum interpretibus lib. III. cap. XVI. ſeqq.* & HERM. CONRINGIVS, de *ſcriptoribus ſedecim poſt Chriſtum natum ſaeculorum, ſaec. XIV. cap. III. & ſaec. XV. cap. III.* Denique & circa finem ſaeculi decimi quinti alia collectio *extrauagantium* prodiit, quae *communes* vocantur; quia non ſunt vnius pontificis. Priuata etiam facta eſt induſtria, nec ab vllo pontifice, quantum conſtat, adprobata. Sunt in ea decretales quaedam Eugenii IV, Calixti III, Pauli II, Sixti IV, qui anno 1471 ad pontificatum venit, eumque ad annum 1484 tenuit; vnde, hocce tempore factam vulgatamque collectionem hancce, nonnulli colligunt. Nullius initio fuit auctoritatis; at, poſtquam in corpus iuris canonici recepta eſt, non exigui apud

iuris pontificii interpretes eſt ponderis. Et ex hactenus quidem dictis ſtructura corporis iuris canonici intelligitur; de qua nonnulli obſeruant, quod rationem iuris ciuilis imitetur. Pluribus hoc oſtendunt CASP. ZIEGLERVS, de *orig. & increm. iuris canon.* §. *LIX.* & GERHARDVS VAN MASTRICHT, in *hiſtoria iuris eccleſiaſt.* §. *CCCLXXXIII. ſeqq. p. 400.*

§. VII. Reſtituta ſaeculo decimo ſexto euangelii luce, plurimi, qui eam admittebant, romani pontificis excutiebant iugum; qui & ius canonicum, praeeunte exemplum ipſo beato MARTINO LVTHERO, abrogare prorſus potuiſſent, niſi quibusdam in ſcholis pariter ac foris hoc retinere viſum fuiſſet. Hinc & in iurisprudentia eccleſiaſtica proteſtantium principia quaedam iuris canonici parum ſana remanſerunt, a quibus eam repurgare noſtra aetate viri docti adgreſſi ſunt. In romana ius canonicum itidem permanſit eccleſia, probatumque non modo, ſed in quibusdam emendatum, cumprimis autem variis virorum doctorum commentationibus illuſtratum eſt. Magnus praeterea cum ex romanenſibus pariter ac proteſtantibus illorum ſit numerus, qui ſyſtemata aut compendia iuris canonici dederunt; praecipuos ex iis noſſe, operae pretium fuerit. *

* Vti ſaeculo decimo ſexto per reformationem eccleſiae, a beato MARTINO LVTHERO felicibus auſpiciis ſuſceptam, magna multarum rerum orta eſt mutatio; ita & ius canonicum eius expers eſſe non potuit. LVTHERVS namque, cum animaduerteret, puriori, quam profitebatur, doctrinae, & neceſſariae eccleſiae emendationi, inter alia etiam ius hocce canonicum obſtare; adcuratius eius examen inſtituit, &, quae eius eſſet origo, quodnam fundamentum, quae cauſſa, diligenter expendit; iisque omnibus probe conſideratis, ſentinam quamdam haereſeon atque errorum in eo deprehendi, pronuntiauit, nullamque eius habendam eſſe rationem, ſed totum & integrum abolendum. In *libello ad caeſarem & nobilitatem imperii*, qui *tomo I. Altenburg. fol. 480.* exſtat, inter alia ius pontificium reiicit; emendandum vero & contrahendum ius caeſareum, idque reſtitutis legibus patriis tantum in ſubſidium vocandum, ſuadet; conf. VIT. LVDOV. SECKENDORFIVS, in *hiſtoria Lutheraniſmi. lib. I. cap. LXXII. num. 3.* Immo, cum ſcripta eius iuſſu pontificis a Colonienſibus & Louanienſibus combuſta fuiſſent; ipſe, vt par pari referret, conuocata Wittebergae omni ſcholaſtica iuuentute, magna doctorum hominum comitante caterua, extra orientalem vrbis portam, quam Elyſtrae vocant, prope ptochodochium in aperto campo a dextris verſus Albim, exſtructo rogo, & ſuccenſo a magiſtro quodam primicerio, totum ius pontificium, & vna bullam Leonis X, nec non libros ECKII & EMSERI, die X Decembris, an. 1520 publice combuſſit; decretales ſua manu in ignem coniectas hiſce adfatus verbis; *Quia tu impie liber conturbaſti ſanctum domini, ideo te conturbet ignis aeternus. Sicut fecerunt mihi, ſic feci eis, inquit Samſon.* Addidit porro: *Videant incendiarii papiſtae, non eſſe magnarum virium libros exurere, quos confutare non poſſunt.* Hoc peracto, eximio tum doctorum, tum magiſtrorum, aliorumque comitatu ſtipatus, in vrbem rediit; & poſtridie eius diei auditores e publica cathedra monuit, vt a papiſticis ſtatutis ſibi cauerent. Quae pro facti ſui defenſione attulit LVTHERVS, legi poſſunt *tom.*

tom. II. lat. Ienenſi fol. 334. vbi triginta ex iuris pontificii libris ſententias produxit, ob quas comburi meruiſſent. Recudi haec *acta combuſtionis iuris canonici* curauit IO. FRID. MAYERVS, in ſuis ad NIC. SELNECCERI *vitam Lutheri commentationionibus p. 117. ſeqq.* Inter quinque iſtas rationes, quibus factum hocce ſuum defendit, vltima ita ſe habet: *poſtquam ergo eiusmodi eorum*, (pontificiorum) *combuſtione librorum, veritati magna imminere iactura, & apud imperitam plebem ſuſpicio inde ad multarum animarum perniciem naſci poſſet, ego viciſſim inſtinctu, vt ſpero, ſpiritus, ad confirmandam & conſeruandam veritatem chriſtianam & vulgus, libros aduerſariorum combuſſi, inſpecta eorum inſperabili emendatione & correctione.* Inter triginta iſtos errores, ob quos libros iuris canonici & pontificii comburendos & vitandos cenſuit, primus eſt: *Papa & ſui non tenentur praeceptis Dei ſubiecti & obedientes eſſe*, quod ſubiecto ex iure canonico teſtimonio, comprobat; ſecundus: *Non eſt praeceptum, ſed conſilium ſancti Petri, quando docuit, vt omnes homines regibus eſſent ſubiecti;* tertius: *ſole ſignificari papalem, luna imperialem, ſiue ſaecularem poteſtatem in chriſtiana republica;* quartus: *papam & eius ſedem non teneri ſubiectos eſſe conciliis & decretis &c.* Summam tandem totius iuris canonici hanc eſſe dicit: *Papa eſt Deus in terris, ſuperior omnibus caeleſtibus, terrenis, ſpiritualibus & ſaecularibus. Et omnia papae ſunt propria, cui nemo audeat dicere: quid facis?* Addit porro: *Haec eſt illa abominatio, ille foetor, de quo Chriſtus Matth. 24. dixit: cum videritis abominationem deſolationis, quae dicta eſt a Daniele propheta, ſtantem in loco ſancto, qui legit, intelligat &c. Et diuus Paulus, ita vt in templo ſedeat, hoc eſt, in chriſtiana eccleſia oſtendens ſe, tanquam ſit Deus.* Non equidem negat, in decreto aliquid boni eſſe; ſed, hoc ita comparatum eſſe, putat, vt ſub papatu magis noceat, quam proſit. *Quod ſi*, inquit, *in illis etiam aliquid boni ineſſet, vt de decretis fateri cogor, totum tamen eo detortum eſt, vt noceat, & papam in ſua antichriſtiana & impia tyrannide confirmet. Omitto, quod nihil eorum prae nimia diligentia obſeruatur, niſi quod malum & noxium eſt, ſi ruaſſe.* Sed praeter NIC. SELNECCERVM & IO. FRID. MAYERVM, *l. c. p. 101.* & *117. ſeqq.* legendi hac de re IO. SLEIDANVS, *commentar. de ſtatu relig. & reipubl. lib. II. p. m. 50.* CASP. ZIEGLERVS, de *orig. & increm. iuris canon. §. LXIII. ſeqq.* VIT. LVDOV. SECKENDORFIVS, *hiſtor. Lutheraniſmi, lib. I. ſect. XXXI. §. LXXIX. p. 121.* GOTTFR. ARNOLDVS, in *der Kirchen-vnd Ketzer-Hiſtorie, part. II. lib. XVI. cap. V. §. XIII.* Interim iſtud LVTHERI factum, quod mireris, ne Wittebergae quidem ab omnibus aequo animo acceptum fuit. Praecipue autem duo iure conſulti Wittebergenſes HENNINGVS A GOEDEN & HIER. SCHVRFFIVS illud aegerrime tulerunt, obtendentes, ſuam hic rem agi, ſuasque exagitari profeſſiones; poſſe LVTHERVM ea, quae ſacris litteris aduerſa ſint, eliminare; ea vero, quae ad proceſſum faciant iudiciarium, quibusque maxima pars decretalium abſoluatur, proſcribere, illi conceſſum non eſſe, proceſſum iſtum ex decretalibus addiſci, eoque vniuerſa hactenus vſa fuiſſe tribunalia, de quo iudicium ferre, iure conſultorum ſit, non theologorum; & quae alia erant eiusdem generis. Haec autem, quemadmodum ita comparata ſunt, vt facili negotio ad ea reſponderi queat; ita LVTHERVM a ſua neutiquam dimouebant ſententia; qui & praeter alios propugnatorem nactus eſt VLR. HVTTENVM, equitem iſtum Francum, longe celeberrimum, qui haud inepte conſtitutiones pontificum cum nummis comparans, tanto deteriorem vnamquamque eſſe, aiebat, quanto eſt

 recentior,

recentior, ſicuti & nummi recentiores de bonitate ſemper aliquid remittant; conferendus CASP. ZIEGLERVS, *l. c.* §. *LXV.* Euentus vero docuit, parum iſto zelo ſuo profeciſſe LVTHERVM; ſiquidem iure conſulti a ſe impetrare non potuerunt, vt iuri canonico nuntium mitterent; qua de re & GOTTFR. ARNOLDVS conqueritur, in der *Kirchen vnd Ketzer-Hiſtorie*, *part. II. lib. XVI. cap. XII. §. XXXV.* Immo IVSTVS IONAS, vtpote canonum licentiatus, ius canonicum adhuc anno 1521 interpretatus eſt, eo, quod ideo ſalarium acciperet; quod & SFORTIAS PALLAVICINVS praetermittere noluit, in *hiſtor. concil. Trident. lib. I. cap. XXII.* At LVTHERVS ſemper repugnauit, cui nec dum an. 1545 cum iure conſultis bene ob ius pontificium conueniſſe, docet VIT. LVD. SECKENDORFIVS, in *hiſtoria Lutheraniſmi lib. III.* §. *CXXVI. p. 581.* Iure conſulti namque ſummo ſtudio & feruore, ne commodis ſuis ac auctoritati quidquam decederet, ius canonicum conſeruarunt ac propagarunt. Exemplum namque HENNINGI A GOEDEN, & HIERON. SCHVRFFII, qui principem inter propugnatores iuris canonici tenent locum, ſequuti MELCH. KLINGIVS, IOAN. SCHNEIDEWINVS, MATTH. WESEMBECIVS, IOACH. DE BEVST, EBERH. A WEIHE, aliique; qui & auctoritate ſua Ienenſes, Roſtochienſes, Lipſienſes, aliosque iure conſultos in eamdem pertraxere ſententiam. Diligenter & copioſe haec omnia ediſſerit IVST. HENNING. BOEHMERVS, in *iure eccleſiaſt. proteſtantium*, *lib. I. tit. II.* §. *LXIII. p. 125. ſeqq.* qui & §. *LXX. p. 135.* in quibus capitibus ex mente quorumdam iure conſultorum ius canonicum vſum in foris proteſtantium habeat, exponit. Idem & §. *LXI. p. 124.* recte obſeruauerat, etſi circa initium reformationis a IO. BVGENHAGIO, aliisque, iuſſu & voluntate eorum, quos penes ſumma rerum poteſtas erat, hinc inde in eccleſiis proteſtantium ordinationes eccleſiaſticae concinnatae, & introductae fuerint; eas tamen ad caerimonias tantum, & ritus externos ſpectaſſe, doctrinamque catecheticam, nec grauioris argumenti momenta, attigiſſe; quae adeo ex iure pontificio haurienda eſſe, iure conſulti exiſtimauerint. Videtur equidem, iure conſultis vitio verti non poſſe, quod iuri pontificio inhaeſerint, quamdiu publica auctoritate poteſtas, quam ſibi in hiſce pontifices vindicabant, nondum fuit abrogata. Factum vero id eſt, cum bellum Smalcaldicum per transactionem Paſſauienſem, & hinc porro per pacem religioſam, finiretur; quippe qua effectum, vt ordines proteſtantes ſupremum ius circa ſacra poſtliminio recuperarent, papaliſque prorſus corrueret iuriſdictio. Conferenda beati SAM. STRYKII *diſſertatio*, *de iure papali principum euangelicorum*, *cap. I.* §. *IX. ſeqq.* Maxime opportuna vtique fuiſſet haec occaſio, ius canonicum in terris proteſtantium abrogandi; cui etiam ante reformationem LVTHERI repugnantia hinc inde quidam imperii ordines conſtituerant, vt ſupra iam obſeruatum, & pluribus HVLDER. EYBENIVS docet, de *origine, progreſſu, vſu & auctoritate iuris canonici in terris proteſtantium &c.* §. *XVII.* Sed commodi cuiusdam ratio apud plurimos plus valuit, quam ſalus aut reipublicae, aut eccleſiae. Hinc, abrogata licet papae auctoritate, ius tamen papale retinuerunt, obtendentes, non ex auctoritate romani pontificis, ſed *ex conſuetudine & vſu recipientium*, hoc vim quamdam obtinere, adeoque minime reiiciendum eſſe. Ita ergo non tantum ius canonicum, ſeu pontificium, in terris proteſtantium manſit; ſed & ſententiae exinde plurimae erroneae & pernicioſae in iuriſprudentiam eccleſiaſticam & praxin quotidianam receptae ſunt, quae

labem

Digitized by Google

labem quamdam eccleſiae noſtrae adſperſerunt. Fuerunt equidem, qui in quibusdam ſaniora tradere inciperent, ſaltem multa monita ſaluberrima tractationi iuris eccleſiaſtici adſpergerent; vt IOAN. BRVNNEMANNVS, iure conſultus eruditionis & pietatis laude inclitus, cuius *ius eccleſiaſticum notis & ſupplementis* SAM. STRYKII auctum ac locupletatum Francofurti & Lipſiae 1686. 4. prodiit, non ſemel deinceps recuſum. Sed CASP. ZIEGLERVS quoque, magni nominis iure conſultus, quem in iure canonico me audiuiſſe, grata mente recordor, ex hiſtoria & antiquitate eccleſiaſtica lucem egregiam ſubinde iuri canonico adfudit; ſuntque omnia eius ſcripta, vt de *epiſcopis, eorumque iuribus & priuilegiis, & viuendi ratione; de diaconis & diaconiſſis; epiſcopus miles veteri eccleſiae inuiſus; ſuperintendens ad normam conſtitutionum eccleſiaſticarum deſcriptus*, & reliqua, digniſſima, quae ab omnibus iuris pariter ac theologiae cultoribus legantur. Quo pacto vero ipſa iuris eccleſiaſtici principia emendanda ſint, primus, ni fallor, viam monſtrauit SAM. PVFENDORFIVS, in libello elegantiſſimo de *habitu chriſtianae religionis ad vitam ciuilem*; cuius editio ſecunda, ab auctore reuiſa & emendata, Bremae 1692. 12. lucem adſpexit. In eo namque ſolide demonſtrauit, eccleſiam non inſtar reipublicae, ſeu ſtatus independentis, ſed potius inſtar collegii cuiusdam, eſſe concipiendam. Ex quo conſequitur, ſolos imperantes ſummos in omnibus imperiis ac rebus publicis ſupremo circa ſacra iure gaudere; idque illis, non prout epiſcopi, ſed prout imperantes ſunt, tribuendum eſſe; hinc & eos ſolos, in iis, quae ad externum eccleſiae regimen ſpectant, leges praeſcribere, eaque, quae ad eccleſiae conſeruationem pariter ac reipublicae tranquillitatem faciunt, conſtituere poſſe. Sequutus deinde eſt CHRIST. THOMASIVS, omni ſtudio id agens, vt reliquias papatus ex iurisprudentia eccleſiaſtica proteſtantium eliminet & proſcribat, in variis diſſertationibus & ſcriptis (de quorum nonnullis alibi erit dicendi locus) maxime autem in *notis* ad IOAN. PAVLI LANCELOTTI *inſtitutiones iuris canonici*, Halae Magdeburgicae, 1715 duobus tomis 4. editas. Exemplo viri huius celeberrimi excitati, eamdem viam ingreſſi ſunt GOTTL. GERH. TITIVS, in libro inſcripto: *Eine Probe des deutſchen geiſtlichen Rechts, wie ſelbiges ohne paebſtiſche vnd papenzende Verfaelſchung, auch andere vnfoermliche Verwirrung aus den Grund-Saetzen goettl. Rechte zum Gebrauch proteſtirender Staaten, in richtiger Ordnung etwa koente fürgeſtellet werden*, Francofurti 1701. 8. IO. SAM. STRYKIVS, in variis diſſertationibus; IVST. HENNING. BOEHMERVS, itidem in ſcriptis diſſertationibusque variis, cumprimis autem in *iure eccleſiaſtico proteſtantium, vſum modernum iuris canonici iuxta ſeriem decretalium oſtendente*, opere amplo & erudito, nobisque non ſemel laudato, aliique. Quorum quidem ſtudium vt omni laude digniſſimum; ita hoc ſolum optandum foret, ne interdum inter reliquias papatus ea referrentur, quae ex altiori origine, immo non modo ex primitiua, eaque nondum corrupta eccleſia, ſed omnino ex ſcriptura ſacra deriuari poſſunt. Caute nimirum hic incedendum, exiſtimo, ne, quae ſub papatu exſtiterunt, ſtatim ex ipſo papatu, aut principiis doctrinae papalis, orta, nobis perſuadeamus; deinde, vt perpendamus, quaedam grauiſſimo equidem abuſui in eccleſia romana eſſe obnoxia, quae in ſe ſpectata, remotaque omni ſuperſtitione, aut ἀδιάφορα, aut omnino bona ac ſalutaria ſunt, hinc & retineri poſſunt.

Iam ſi & de fatis iuris canonici apud romanenſes poſt reformationem eccleſiae aliquid dicendum ſit; initio quidem conſtat,

ſtat, omnem eos mouiſſe lapidem, omniaque eo contuliſſe conſilia, vt nutantem, vacillantemque romani pontificis poteſtatem vtcumque confirmarent, ac ſtabilirent. Quibus artibus id effectum, quantumue hic theologis ſocietatis Ieſu debeatur, nemini temere ignotum eſt, & alibi exponitur ex inſtituto. Interim in ipſa eccleſia romana non amplius id ſibi ſumunt pontifices, quod olim ſumſerunt; & licet meliores facti non ſint, facti tamen ſunt cautiores. Poſtquam etiam in eadem eccleſia litterarum ſtudia paullo diligentius excoli coeperunt; exſtiterunt in illa viri doctiſſimi, iidemque antiquitatis eccleſiaſticae ac artis criticae praeſidio inſtructi, qui in iure canonico multa corrigerent ac emendarent, fabulas & commenta exploderent, rebusque obſcuris lucem minime contemnendam accenderent. Ad rem ipſam vero atque caput cauſſae quod attinet, plerique errores, iam dudum receptos, & quorum ſumma ad ſupremam pontificis poteſtatem, eiusdemque auctoritatem falli neſciam, redit, retinuerunt. In Gallia tamen viri quidam docti & cordati exſtiterunt, qui maiori libertate vſi, arctioribus paullisper limitibus pontificis poteſtatem circumſcripſerunt; qua de re alibi plura. Ad acceſſiones autem, quae ad ius canonicum factae ſunt, quod attinet, IO. PAVL. LANCELOTTVS *inſtitutiones iuris canonici* concinnauit, a pontifice quidem tandem adprobatas, at eius nomine neutiquam euulgandas. Suo itaque nomine auctor eas edidit anno 1563. Paulus IV tamen pontifex conceſſit, vt hae inſtitutiones corpori iuris canonici adderentur; ſed ſine vlla confirmatione. Haud exiguam interim iſtarum *inſtitutionum* eſſe auctoritatem, inde colligitur. Eodem tempore MARCVS ANTON. CVCHVS, iure conſultus Ticinenſis, ad eamdem cum LANCELOTTO laudem adſpirans, *inſtitutiones* conſcripſit; quas & ipſe priuato nomine edere coactus eſt, an. 1564. Prodierunt deinceps cum notis SAMVEL. MARESII, Groeningae an. 1660. 4. Pius porro IV pontifex, promulgatione concilii Tridentini celebris, Romae etiam cardinales ac doctos aliquot viros elegit, ad emendandum GRATIANVM, quibus Pius V, eius ſucceſſor, alios adiunxit; opus autem hocce ad finem demum perductum eſt ſub Gregorio XIII & ab eo publici iuris factum anno 1582. In eo vero non tantum decretum GRATIANI, ſed decretales etiam, emendatae & reſtitutae ſunt, tum ex praecedentibus collectionibus, tum ex *regeſtis*, quae vocant, pontificum. Correctionem hanc & emendationem circa hiſtorica & critica, ſimiliaque occupatam, ad dogmata ipſa non pertigiſſe, vel me non monente, quilibet intelligit. Eodem ſaeculo decimo ſexto ad finem vergente, PETR. MATTHAEI, iure conſultus Lugdunenſis, *ſeptimum decretalium librum*, in quem eodem librorum numero, & titulorum ſerie, vt in Gregoriana collectione, conſtitutiones pontificum poſt ſextum librum, Clementinas ac extrauagantes coniecit; quae tamen ſylloge a pontificibus adprobata non eſt, licet quibusdam editionibus corporis iuris canonici adiecta ſit. Legendus de hiſce GERH. VAN MASTRICHT, in *hiſt. iuris eccleſiaſtici*, *§. CCCLXXXVIII. ſeqq. p. 420. ſeqq.*

Inter interpretes iuris canonici, qui ſaeculo decimo ſexto floruerunt, maximam prae reliquis celebritatem conſequuti ſunt DIDACVS COVARRVVIAS, & MARTINVS AZPILCVETA, a patria Nauarrus dictus. Iſte varia, quae huc ſpectant, reliquit ſcripta, vt *reſolutionum variarum ex iure pontificio, regio & caeſareo libros IV*, & alia, quae recenſent NIC. ANTONIVS, *biblioth. hiſt. nou. tom. I. p. 214.* & GVIDO PANCIROLLVS, de *claris legum interpretib. lib. III. cap. LVI.* Hic autem, ſiue MART. AZPILCVETA, itidem *commenta-*

tarium in ius canonicum ſcripſit, itemque *conſultorum libros quinque*, & alia, de quibus GVIDO PANCIROLLVS, de *claris legum interpretib. lib. III. cap. LV.* Cumprimis vero hic commemorandus eſt ANTONIVS AVGVSTINVS, archiepiſcopus Tarraconenſis, vir de humanioribus litteris, deque iure ciuili, cumprimis autem de iure canonico, praeclare meritus. Huc namque comparatae ſunt eiusdem *antiquae collectiones decretalium* cum *notis*, Ilerdae 1576. in fol. & Romae 1583. 4. *canones poenitentiales* cum *notis*, Tarracone 1581. alibique; *dialogorum de emendatione Gratiani libri duo*, Tarracone 1586. 4. qui tum alias, tum & cura GERH. VAN MASTRICHT, cum notis STEPH. BALVZII, Duisburgi anno 1677 recuſi ſunt, quibus & editor *hiſtoriam* ſuam *iuris eccleſiaſtici*, nobis non ſemel laudatam, praemiſit; *epitome iuris pontificii veteris, in tres partes diuiſa, de perſonis, de rebus & de iudiciis;* quarum *pars I.* Tarracone an. 1586. fol. edita eſt; integra autem haecce epitome Pariſiis 1641 lucem adſpexit. Sed de hiſce, aliisque eius huc ſpectantibus ſcriptis, legendus NIC. ANTONIVS, in *biblioth. hiſp. noua, tom. I. p. 80. ſeqq.* Nec praetermittendus eſt AVG. BARBOSA, qui tamen ſaeculum ſequens, ſeu decimum ſeptimum eruditione ſua illuſtrauit, & ob inſigne de *iure eccleſiaſtico* opus, celebritatem conſequutus eſt, Lugduni an. 1654 fol. editum. Iſtud vero alieno labore partum, cum caſu quodam in manus eius incidiſſet, illum in ſe transtuliſſe, auctor eſt IANVS NICIVS ERYTHRAEVS, *pinacoth. II. imaginum illuſtrium, num. XVIII. p. 60. ſeqq.* Notum etiam eiusdem BARBOSAE eſt de *officio & poteſtate epiſcopi* opus, Lugduni 1644. 4. De quo idem IANVS NICIVS ERYTHRAEVS, cum ſtudiorum rationem, quam BARBOSA tenuit, ediſſeruiſſet: *Hinc illa ſunt orta volumina, quibus editis immortalem ſui nominis memoriam reddidit. Ac primum prodiit in lucem opus illud egregium, de officio epiſcopi, duobus voluminibus comprehenſum, quod tantum habuit commendationis, vt multorum beneficentiam, ad illius inopiam ſubleuandam, illexerit; l. c. p. 62.* His adhuc iungendus EMAN. GONZALEZ TELLEZ, ob *commentaria perpetua in ſingulos textus quinque librorum decretalium Gregorii IX,* Francofurti 1690 quinque tomis in fol. edita. Eum GEORG. BEYERVS *elegantiſſimum & doctiſſimum inter pontificios decretalium commentatores* vocat; *poſt quem,* ita pergit, *non credo ſupererit quidquam, quod ab eis exſpectare poſſis;* in *notit. auctorum iuridicor. & iuris arti inſeruientium, ſpecim. II. p. 144.* Summam operis ibidem indicat, & de auctore ipſo haec obſeruat: *Et fauet quidem hypotheſi religionis ſuae (quidni enim faueret, qui non virgini Deiparae ipſi, ſed alicui eius ſtatuae vel imagini, quam numen ſuum horrenda idololatria ſubinde adpellat, opus ſuum dicauit) ſed id non adeo ex animo, quam officii, vel aliis politicis rationibus inductus feciſſe, videtur, certe, quo minus videatur, facit multa eius eruditio, quae non poteſt non ſpiſſiſſimam eiusmodi caliginem diſpellere.* Agmen denique claudat IAC. PIGNATELLVS, quem nonnulli ob *conſultationes canonicas*, Romae 1675 tomis III in fol. editas, variaque eruditione refertas, celebrant. Sed mitto reliquos, cum omnes, qui in hocce genere famam quamdam ac celebritatem conſequuti ſunt, recenſere, inſtituti noſtri nec requirat, nec permittat ratio; de quibusdam etiam ſupra, cum de theologia morali praeciperemus, dictum ſit; ſiquidem plurimis in eccleſia romana in more poſitum eſt, doctrinam moralem ita tractare, vt ius canonicum illius ſubſidium vocetur, ſi modo non omnia ex eodem deriuentur.

Ceterum, cum haud exiguus illorum ſit numerus, qui tum ex romanenſibus, tum no-

noſtratibus, ſyſtemata aut compendia iuris canonici aut eccleſiaſtici ſcripſerunt; haud abs re fuerit, praecipuos quoſdam indicare, qui theologiae cultoribus vſui eſſe queant. Et ad romanenſes quidem quod attinet, IO. PAVLI LANCELOTTI *inſtitutiones iuris canonici* primum ſibi hic merito vindicant locum; praeſertim ſi cum *adnotationibus* CASP. ZIEGLERI, & CHRIST. THOMASII legantur, ex editione, quam Halae 1715 prodiiſſe, ſupra iam obſeruauimus. Haud exiguam enim cum *inſtitutiones* iſtae in eccleſia romana obtineant auctoritatem, & ſatis perſpicue etiam conſcriptae ſint; veram & genuinam eccleſiae iſtius mentem ex iis condiſcere licebit: quo pacto autem errores in iis occurrentes detegi, refelli, ac euitari queant, ſubiectae adnotationes nos condocebunt. Ex recentioribus iuris canonici ſyſtematibus LVD. ENGELII *collegium iuris canonici*, Saliſburgi an. 1700. 4. editum, maxime celebratur. Id quod & adſerendum de ZEGERI BERNH. VAN ESPEN, iure conſulti Louanienſis, *iure eccleſiaſtico vniuerſo hodiernae diſciplinae, praeſertim Belgii, Galliae, Germaniae & vicinarum prouinciarum accommodato*, quod cum aliis eiuſdem operibus lucem adſpexit Coloniae 1715. fol. Inter compendia nota ſatis ſunt VALER. ANDR. DESSELII *erotemata iuris canonici*, Coloniae 1660. 12. edita, notiſque illuſtrata a beato GEO. ADAMO STRVVIO, Ienae 1693. 8. *Analecta* quoque in eadem edidit NIC. CHRISTOPH. LYNCKERVS, Ienae 1691. 4. Neſcio, an hic IO. ARN. CORVINO A BELDERN locum tribuere debeam, quippe qui, cum reformatae antea eccleſiae ſacris addictus eſſet, poſtea ad romanenſium caſtra tranſiit. *Ius vero canonicum*, priuſquam reformatam eccleſiam deſereret, ſcripſit an. 1648, per *aphoriſmos* diſpoſitum, & ſecundum methodum inſtitutionum Iuſtiniani; quod curante SAM. STRYKIO cum eius praefatione recuſum eſt Halae 1704. 8. & poſtea cum *notis* IVSTI HENN. BOEHMERI ibidem 1717. 8. Nec vltimo loco reponendae ſunt *inſtitutiones iuris canonici* FRANC. DE ROYE, anteceſſoris Andegauenſis, Pariſiis primum an. 1681. 12. editae, deinde non ſemel recuſae. Laudandae autem ſunt vel hoc nomine, quod auctor plurima, ex antiquitate eccleſiaſtica, minime contemnenda, adſpergat. Hinc & ad earum ductum beatus CASP. ZIEGLERVS recitationes iuris canonici, quibus & ipſemet interfui, inſtituit, & adnotationes quaſdam, auctorem huncce partim emendantes, partim illuſtrantes, ad calamum dictitauit, quae poſt eius obitum typis exſcriptae, hiſce inſtitutionibus ſubiunctae ſunt, Lipſiae an. 1699. 8. CLAVDII FLEVRY, presbyteri, prioris Argenteliae, & regis chriſtianiſſimi a confeſſionibus, *inſtitutiones iuris canonici* gallice ſcriptas, & primum Pariſiis an. 1677, & rurſus an. 1688 editas, deinde Bruxellis 1722. 8. recuſas, latinas reddidit, & cum *animaduerſionibus* IVSTI HENN. BOEHMERI in lucem prodire iuſſit IO. DAN. GRVBER, Francofurti & Lipſiae 1724. 8. Et interpres quidem hicce atque editor doctiſſimus de *inſtitutionibus* iſtis in *praefatione* ita pronuntiat: *Commendat autem hunc foetum omnium maxime parens, longa iuris eccleſiaſtici tritura & experientia ſubactiſſimus, qui ſingulorum argumentorum origines, naturam, progreſſum, fata, & faciem praeſentem mira perſpicuitate & concinnitate proponit, neruumque rerum, quas in pluribus voluminibus diſiectas deprehendes, ſic congeſſit ſub titulum, vt ſingulorum titulorum vſum ad ſanctionem Francorum pragmaticam, ad concordatum, & ad conſtitutiones nouiſſimas attemperaret. Quae quidem res facit, vt Francis, quam exteris, libellus videatur vtilior. Interim nec ſpernendus nobis, qui ex concordatis nationis germanicae recentiorum temporum hiatum facile obſtruimus.* Inter noſtrates primo ſe nobis

bis loco offert BENED. CARPZOVIVS, iure conſultus Lipſienſis, qui cum an. 1645 quaeſtiones conſiſtoriales ſiue eccleſiaſticas in publicis recitationibus explicare incepiſſet, poſtea anno 1655 *definitiones conſiſtoriales, ſiue iurisprudentiam eccleſiaſticam*, edidit, non ſemel deinceps recuſam. Licet autem ad ſtatum eccleſiarum ſaxonicarum praecipue hoc opus fuerit adcommodatum; alibi tamen etiam haud exiguam obtinuit auctoritatem; immo vbique fere inter proteſtantes vſu receptum ac adprobatum fuit. Illis cumprimis placuit, qui ad iurisprudentiam eccleſiaſticam ſufficere arbitrantur, ſi ſciant, quo pacto plerumque, qui quotidie occurrunt, caſus, in ſacris tribunalibus definiri ſoleant; num recte hoc fiat, aut, num ſolidis rationibus, quae vulgo adferuntur, innitantur, parum ſolliciti. Naeuos erroresque in opere hocce, minime ceteroquin contemnendo, haud raro occurrere, viris doctis obſeruatum eſt; in quibus emendandis & corrigendis forte haud inutilis labor collocaretur. Iudicium CHRIST. THOMASII de eo qui ſcire auet, adeat eius *hiſtoriam contentionis inter imperium & ſacerdotium, adpend. cap. II. p. 644.* ANDREAS BEYERVS, iure conſultus Dresdenſis, *additiones* ad CARPZOVII *iurisprudentiam eccleſiaſticam* in lucem emiſit, Dresdae an. 1718. fol. in quibus tamen id ſolum egit, vt recentiores deciſiones conſiſtoriales colligeret; vt eidem CHRIST. THOMASIO obſeruatum, *l. c. p. 670.* Nonnulla tamen in CARPZOVII *iurisprudentia eccleſiaſtica* partim emendauit, partim ſuppleuit, IVL. BERNH. VON ROHR, in *dem vollſtaendigen Ober-Saechſiſchen Kirchen-Recht*, Lipſiae 1723. 4. Quo in opere auctor ex iuris diuini & ordinationum eccleſiaſticarum ſaxonicarum principiis, ea, quae in tribunalibus ſacris ſaxonicis vſui eſſe poſſunt, complexus eſt. Saepe etiam a CARPZOVIO iam diſſentit IO. BRVNNEMANNVS, cuius *ius eccleſiaſticum*, egregiis acceſſionibus a beato SAM. STRYKIO locupletatum, ſupra iam commendauimus. Quod ſi qui adhuc in eo deprehenduntur naeui, id temporis, quo vixit, conditioni imputandum; quamquam & inſigni recte & praeclare monitorum copia abunde compenſentur. Praeclare autem de hocce BRVNNEMANNI opere meritus eſt IAC. GABR. WOLFIVS, dum *inſtitutiones iurisprudentiae eccleſiaſticae, in vſum tractatus Brunnemanni de iure eccleſiaſtico adornatas*, edidit Lipſiae 1713. 8. In his quippe non tantum fuſius a BRVNNEMANNO dicta in compendio exhibet, ſed lucem quoque eidem paſſim adfundit, in inſtitutionum eccleſiaſticarum originem inquirit, vſum ab abuſu diſcernit, aliaque lectu haud indigna adfert. Hodie omnibus dubiam fere palmam reddit IVSTI HENN. BOEHMERI *ius eccleſiaſticum proteſtantium, vſum modernum iuris canonici iuxta ſeriem decretalium oſtendens*, quod itidem ſupra iam laudauimus. Recte autem faciet, qui operi huic iunxerit eiusdem auctoris *ius parochiale;* in quo hancce iurisprudentiae eccleſiaſticae partem diligenter pertractat. Tertia eius editio Halae 1721 lucem adſpexit. Inter compendia iuris canonici reliquis fere omnibus praeferendae ſunt IO. SCHILTERI, qui noſtram olim condecorauit academiam, *inſtitutiones iuris canonici ad eccleſiae veteris & hodiernae ſtatum accommodatae;* quarum editio ſexta, quae prioribus correctior & magna parte auctior perhibetur, cum praefatione I. H. BOEHMERI, Francof. & Lipſ. prodiit 1718. 8. Laudandus auctor vel hocce nomine, quod cuncta ex genuinis iuris canonici & antiquitatis eccleſiaſticae fontibus explicauit, vſumque deinde in foris proteſtantium luculenter oſtendit. Cum tamen genuina, ad quae cuncta exigi debent, ei nondum ſatis perſpecta fuerint principia; quaedam eum admiſiſſe, quae emendari queant, mi-

Digitized by Google

rum non eſt; in quibus adeo operam, ſtudiumque ſuum collocauit IVST. HENN. BOEHMERVS, in *Schiltero illuſtrato & continuato*, Halae 1712. 8. Sed CASP. quoque HENR. HORNII, iure conſulti Wittebergenſis, exſtant *additamenta ad Ioannis Schilteri inſtitutiones iuris canonici in vſum ſcholae & fori*, cum eiusdem *compendioſa expoſitione doctrinae de computatione & prohibitione graduum, intuitu rei matrimonialis*, Wittebergae 1718. 8. IOACH. STEPHANI, iure conſulti Gryphiswaldenſis, *inſtitutiones iuris canonici* nullo in pretio eſſent, niſi CASP. ZIEGLERVS *notis* ſuis, in quibus auctorem ſaepe caſtigauit, eas illuſtraſſet, quibuscum recuſae ſunt Lipſiae 1698. 8. GOTTL. GERH. TITII *Probe des deutſchen geiſtlichen Rechts &c.* ſupra iam commemorauimus; vbi & obſeruatum, inter eos, qui de emendando iure eccleſiaſtico, reliquiisque, quas vocant, papatus ex eo proſcribendis, noſtra aetate ſolliciti fuerunt, haud vltimum illum tenere locum. Nec praetermittendus hic eſt IO. LAVR. FLEISCHER, qui lingua germanica ſcripſit *Einleitung zum geiſtlichen Rechte, wie ſelbiges aus dem Recht der Natur, Grund-Saetzen der heiligen Schrifft, Kirchen-Hiſtorie, iure canonico, inſtrumento pacis, vnd proteſtirender Staaten Kirchen-Ordnungen kan fürgeſtellet werden*, Halae 1724. 8. Rectam auctor ingreditur viam, dum ex hiſtoriarum & antiquitatis eccleſiaſticae monumentis cuncta illuſtrare adgreditur. Ex iis, qui reformatae eccleſiae ſacris addicti ſunt, iure conſultum adhuc quemdam atque theologum commemorare iuuabit. Iure conſultus eſt ANTON. MATTHAEI, cuius *manuductio ad ius canonicum*, Lugduni Batauorum 1696 edita, itidem vel hoc nomine commendari ſolet, quod ex antiquitate eccleſiaſtica rebus quam plurimis lucem conciliet. Theologus autem eſt GISB. VOETIVS, cuius vt alias haud ignotum nomen eſt, ita hic locum ſibi vindicat ob *politicam eccleſiaſticam*, quae *tribus partibus*, at *quatuor voluminibus* abſoluitur, & Amſtaelodami 1663 *ſeqq.* lucem adſpexit. Quo in opere cum ea tradat, quae huius loci ſunt, eiusmodi vſus eſt principiis, quae ſacri ordinis poteſtatem, vltra quam decet, euehere, in magiſtratum autem, ſeu ſummos imperantes, iniquiora eſſe videbantur. Hinc acriter in eum inſurrexit LVDOV. MOLINAEVS, & ſub nomine LVDIOMAEI COLVINI librum edidit, inſcriptum: *papa Vltraiectinus, ſeu myſterium iniquitatis reductum a clariſſimo viro Giſberto Voëtio, in opere politicae eccleſiaſticae*, Londini 1668. 4. Cui cum mox reſponſio quaedam opponeretur; acris inde exorta eſt contentio, variaque edita ſcripta, quae diligenter recenſet, qui & hiſtoriam huius controuerſiae exhibet, CHRIST. THOMASIVS, in *hiſtoria contentionis inter imperium & ſacerdotium, adpend. cap. I. §. XLVII. ſeqq. p. 423. ſeqq.* & *cap. II. p. 632. ſeqq.* vbi & ſummam *politicae eccleſiaſticae* VOETII exhibet. Atque hoſce quidem, quos hactenus enumeraui, ſcriptores, praecipuos eſſe, exiſtimo, quiue theologiae cultori, vt, quae ſibi vſui ſint, inde hauriat. ſufficere queant. Plures qui deſiderat, BVRC. GOTTH. STRVVII adeat *bibliothecam iuris ſelectam*, variis acceſſionibus CHRIST. GOTTL. BVDERI locupletatam, *cap. XIII.*

§. VIII. Cum ius canonicum ex canonibus conciliorum, decretis pontificum, & dictis patrum conflatum ſit; quinam apud romanenſes, fontes, quaeue principia ſint iuris eccleſiaſtici, inde manifeſtum eſt Atque hoſce paullo diſtinctius conſiderare fontes iuuabit; tum, vt cuncta eo rectius intelligi queant, tum, vt, quanta iuris iſtius ſit auctoritas, pateat. *

* Iuris

* Iuris canonici, prout in eccleſia romana receptum eſt, hoſce, quos indicauimus, praecipuos eſſe fontes, vel ipſa GRATIANI collectio nos docet; quippe quam ex decretis pontificum, canonibus conciliorum, & dictis patrum praecipue eum compilaſſe, notum eſt; licet iam alios hac in re ſibi habuerit praeeuntes. Equidem & alii a quibusdam iuris canonici fontes, ſeu alia principia, adduci ſolent; ſed de iis deinceps dicemus. Sunt etiam, qui diſcrimen faciunt inter *ius canonicum*, & *ius pontificium*, ab vtroque rurſus *ius eccleſiaſticum* ex mente proteſtantium diſtinguentes. Atque poſterius quidem recte fieri, dubio caret; ad prius autem quod attinet, licet diſtincte canones & decreta pontificum conſiderari queant; hodie tamen vſu receptum, vt quod ex canonibus conciliorum, decretis pontificum, & ſententiis patrum conflatum eſt, *iuris canonici* nomine veniat. Solentque de hiſce fontibus ſeu principiis iuris canonici agere, qui prima eius elementa tradunt; quod & FRANC. DE ROYE facit, in *inſtitutionib. iuris canon. lib. I. tit. II. ſeqq.*

A patrum vt incipiamus ſententiis; iam olim in *codice eccleſiae orientalis*, canonibus conciliorum epiſtolas quasdam canonicas patrum, Theophili, Dionyſii, Petri, Athanaſii, Timothei, Alexandrinorum epiſcoporum, Gregorii Neocaeſarienſis, Baſilii, aliorumque, additas fuiſſe, ſupra iam ad *§. III.* obſeruauimus. In occidentali eccleſia RHEGINONEM, abbatem Prumienſem, primum fuiſſe, qui canonibus conciliorum, & decretis pontificum, ſententias patrum adiungeret, quem alii deinceps ſequuti ſint, itidem ad §. *V.* monuimus. Hinc itaque factum, vt cum iam ceteroquin nimia multorum erga patres eſſet veneratio, illorum effatis atque ſententiis omnino auctoritas quaedam canonica tribueretur. Ita diſerte FRANC. DE ROYE: *Quantum ad νομοθεσίαν cum veteribus iuris conſultis comparari poſſunt. Nam & eorum ſententiae, quamuis non habeant vim & auctoritatem ſcripturae, attamen pro canonibus haberi coeperunt, cum diuturno vſu & longo tempore ab eccleſia receptae & velut conſecratae fuerunt.* Laudat hinc PHOTIVM, qui in *praefatione nomocanonis* dicat, *eas* (ſententias patrum) *quodammodo canonis formam praeſtare poſſe; inſtitut. iuris canon. lib. I. tit. IV.* Verum recte beatus CASP. ZIEGLERVS ad *h. l.* oſtendit, perperam patres veteris eccleſiae cum iure conſultis comparari. Deinde, quod ad PHOTII illud effatum attinet, *periculoſa*, inquit, *eſt haec adſertio, cum dicta patrum non aliter recipi debeant, niſi quatenus cum ſcriptura conſentiunt. Canonis igitur auctoritas manet penes ſcripturam.* Et ſane, non ſine examine patrum dicta admittenda eſſe, vel inde liquet, quod & ipſi homines fuerint, qui non tantum errare potuerint, ſed ſaepe errauerint, & quidem grauiter turpiterque. Deinde, cum patres doctores ſolum fuerint, docendi, non autem imperandi, aut leges ferendi, poteſtate praediti; dicta quoque illorum non aliter, quam aliorum doctorum effata, conſideranda ſunt. Eccleſia denique cum nec reſpublica ſit, nec imperium aliquod habeat; dictis quoque patrum vim legalem aut canonicam largiri non potuit. Sed plura addere nolo; cum de patribus, eorumque auctoritate, ſupra iam ex inſtituto actum ſit, *cap. III.* cum de theologia patriſtica verba faceremus.

Alterum iuris canonici fontem conſtituunt *canones conciliorum*; qui &, ſi adcurate loqui velimus, iuri canonico occaſionem dederunt. Canones vero hoſce, in ſe ſpectatos, vim legum non habere, vel inde conſtat, quod non maior eorum, quam ipſorum conciliorum, poſſit eſſe auctoritas. Iam vero, vti, qui in concilio quodam congregati ſunt, ſiue ſigillatim, ſiue iunctim ſpectentur, nullo imperio, nul-

nullaue iubendi poteſtate gaudent; ita eos nec leges condere poſſe, manifeſtum eſt. Recte beatus CASP. ZIEGLERVS: *Leges a canonibus omnino diſtinguendae ſunt; illae enim tantum ab eo, qui poteſtatem habet legislatoriam, introduci, proponique poſſunt; hi vero non ſunt leges proprie dictae, quia eccleſia poteſtatem legislatoriam non habet, quae ſoli magiſtratui ſummo ciuili competit;* ad *Franc. de Roye inſtitut. iuris canon.* & quidem ad *prooem. p. 4.* Aliter autem cenſendum, ſi princeps, ſiue ſummus imperans, canones conciliorum pro legibus ciuilibus obſeruari velit; quemadmodum, Iuſtinianum imperatorem *codicem canonum eccleſiae vniuerſae* confirmaſſe, conſtat. Tum enim canones vim legum, qua antea deſtituebantur, ex voluntate ſummorum imperantium accipiunt. Interim, ſi canones eiusmodi quid contineant, quod verbo diuino eſt conueniens, obſequium illis debetur; ſed ideo, quia nouimus, idem verbum diuinum a nobis exigere. In rebus indifferentibus ex pacto atque mutuo conſenſu vim obligandi adipiſci poſſunt. Quamquam & ipſa charitas poſtulet, ne temere ab iis, quae communi conſenſu in eccleſia conſtituta ſunt, diſcedamus, & ita publicam eccleſiae turbemus tranquillitatem. Iſtae autem cauſſae cum intuitu veterum conciliorum hodie apud nos ceſſent; euidens eſt, quod illorum quoque canonibus non obligemur; quamquam, ſi qui ex iis pro noſtrae eccleſiae ſtatu ſeruari queant, recte ſeruentur, ne ſine ratione a veteri eccleſia diſſentire videamur. Speciatim vero ad dogmata fidei quod attinet, quae in ſynodis oecumenicis olim ſtatuta fuerunt; ſancte illa cuſtodimus, eo quod, ea ſcripturae ſacrae conſentientia eſſe, nouimus. Non aliter autem conciliorum decretis obſequium deberi, quam ſi cum ſcriptura ſacra conſentiant, inde quoque euincitur, quod concilia infallibilitatis non gaudeant priuilegio; & quemadmodum errare poſſunt, ita etiam ea interdum erraſſe, hiſtoriarum monumenta nos condocent. Concilia, etiam a papa confirmata, erraſſe, immo haud raro decreta ſibi inuicem contraria edidiſſe, exemplis demonſtrat IO. LVDOV. HARTMANNVS, in *diſſertat praeliminari conciliis illuſtratis* praemiſſa, *§. XXX. ſeqq.* Atque hinc quidem patet, quo loco nobis ſint canones conciliorum; de quorum collectionibus variis cum fuſe ſupra dictum ſit, nunc de ipſis conciliis, ſcriptisque eo ſpectantibus, quaedam adhuc addenda ſunt; cum hiſtoria conciliorum & ipſis canonibus recte intelligendis inſeruiat, & ad res quoque alias pulcherrimas, ſcituque digniſſimas, viam nobis muniat.

Et generatim quidem de conciliis, eorumque auctoritate, de qua nec inter ipſos romanenſes bene conuenit, aliis concilia ſupra Papam, aliis Papam ſupra concilia euehentibus, plurimi commentati ſunt; quorum haud exiguum numerum exhibet IO. ANDR. SCHMIDIVS, in *Sagittarianae introduct. ad hiſtoriam eccleſiaſticam tom. II. ſupplem. ſect. II. cap. III. p. 768. ſeqq.* & IO. ALB. FABRICIVS, *bibliothec. graec. volum. XI.* ſiue *lib. VI. cap. II. num. III. p. 105 ſeqq.* Lectu inprimis digna PETRI ALLIXII *diſſertatio, de conciliorum quorumdam definitionibus ad examen reuocandis*, quae cum eiusdem *diſſertat. de ſanguine domini noſtri Ieſu Chriſti ad epiſt. 146. Auguſtini*, itemque *de Tertulliani vita & ſcriptis*, Pariſiis, an. 1680. 8. prodiit; nec in minimis ponendae MOSIS AMYRALDI *diſſertationes tres, de conciliorum origine & neceſſitate, de ratione conciliorum conuocandorum, de illorum auctoritate*; quae exſtant inter diſputationes eius Salmutii 1641. 8. editas, & in *diſputationibus Salmurienſibus*, Salmurii 1665. 4. euulgatis, *p. 505. ſeqq.* Ex romanenſibus ROB. BELLARMINVS ex inſtituto hoc argumentum pertractauit, *tomo I. controuerſiarum, controuerſia generali quarta, de conciliis & eccle-*

cleſia militante, quatuor libris comprehenſa; quorum primus *de conciliis & eccleſia*, ſecundus *de conciliorum auctoritate* praecipit. Id vero BELLARMINVS in poſteriori praeſertim libro omni niſu agit, vt, pontificem ſupra omnia eſſe concilia, euincat. Non tantum autem SAL. GESNERVS in *libris quatuor de conciliis, quorum primus generalem tractationem, ſecundus hiſtoricam narrationem conciliorum, vsque ad annum 1600. tertius & quartus refutationem librorum duorum Rob. Bellarmini de conciliis, continent*, Wittebergae 1607. 8. HENR. HOEPFNERVS, in *diſſertat. de conciliis contra Rob. Bellarminum*, Lipſiae 1620. 4. aliique, tum noſtratium, tum reformatae eccleſiae doctorum, BELLARMINVM refutarunt; ſed & ex eidem Romanae eccleſiae addictis idem erudite fecit IO. LAVNOIVS, in variis diſſertationibus, quae in *epiſtolis* eius *part. II. III. IV. V. VI.* leguntur. Sed mitto reliquos.

Ad noſtrum inſtitutum illi praecipue ſpectant, qui acta conciliorum collegerunt, quorum notitiam ſuppeditant IOAN. LVDOV. HARTMANNVS, in *diſſertat. praeliminari, conciliis illuſtratis* praemiſſa; IO. ANDR. BOSIVS, in *introduct. in notitiam ſcriptor. eccleſiaſt. c. VI. §. X. p. 197. ſeqq.* THOM. ITTIGIVS, in *ſchediaſmate de ſcriptis ad notitiam conciliorum & canonum ſpectantibus*, in *opuſculis* eius *variis a* CHRIST. LVDOVICI, Lipſiae an. 1714. 8. editis; quod *ſchediaſma* integrum *introductioni* ſuae *in hiſtoriam theologiae litterariam* inſeruit CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, *p. 187. ſeqq.* IO. ANDREAS SCHMIDIVS, in *Sagittarianae introduct. in hiſtoriam eccleſiaſticam tom. II. ſupplem. ſect. II. p. 707. ſeqq.* & qui diligentia omnes ſuperat IO. ALB. FABRICIVS, *bibliothec. graec. vol. XI.* ſiue *lib. VI. cap. II. num. V. p. 113. ſeqq.* vbi & beati THOM. ITTIGII *notitiam collectionum conciliorum*, quam in *actis eruditorum Lipſienſibus* dedit an. 1684. *p. 348.* obſeruationibus erudititiſſimis ac ſupplementis auctam ac locupletatam, exhibet. Si quid autem a viris hiſce doctiſſimis praetermiſſum, id ſupplebit SALMONIVS, cuius *traité de l'etude des conciles & de leurs collections, diuiſé en trois parties, avec vn catalogue, des principaux auteurs, qui en ont traité, & des eclairciſſemens ſur les ouvrages, qui concernent cette matiere, & ſur le choix de leurs editions*, lucem adſpexit Pariſiis an. 1724. 4. Summa eius exhibetur *dans le iournal des ſçavans, menſe Iulio 1725. p. 3. ſeqq.* Nos, inſtituti noſtri memores, eos tantum, qui generatim omnium conciliorum collectiones dederunt, paucis indicabimus. A veteribus quidem amplas eiusmodi collectiones, quales recentior aetas vidit, non eſt, vt exſpectes. Fuerunt tamen inter eos, qui ſynopſes conciliorum, ſiue breues de ſynodis vniuerſalibus commemorationes, nobis reliquerunt. Primum forte inter eos locum tenet SABINVS ille, Heracleae in Thracia Macedonianorum epiſcopus, qui teſte SOCRATE, *lib. I. hiſt. eccleſ. c. VIII.* συναγωγὴν ὧν διάφοροι ἐπίσκοποι σύνοδοι ἐγγράφως ἐξέδωκαν compoſuit; de quo tamen ſupra iam ad *§. III.* dictum. Sequitur GERMANI, qui ſaeculo octauo patriarcha Conſtantinopolitanus fuit, de *ſex ſynodis oecumenicis* tractatus, ſiue περὶ τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, πόσαι εἰσὶ, καὶ πότε, καὶ διὰ τί συνηθροίσθησαν de *ſynodis occumenicis, quot; quando & quare fuerint congregatae?* Initio ſine auctoris nomine libellus hicce editus eſt, & ita quoque exſtat graece atque latine in GVIL. VOELLI & HENR. IVSTELLI *bibliotheca iuris canon. vet. tom. II. p. 1161. ſeqq.* Sed deinceps GERMANO patriarchae Conſtantinopolitano eum vindicauit STEPH. LE MOYNE, qui eum *variis* ſuis *ſacris* inſeruit, *tomo I. p. 68. ſeqq.* GERMANVM excipit NICEPHORVS, qui circa initium ſaeculi noni, an. 806 ad ſedem patriarchalem Conſtantinopolitanam euectus

ctus eſt. Huius in *epiſtola ſynodica ad Leonem III* pontificem deſcriptio quaedam exſtat ſeptem ſynodorum, quam alias quoque editam, exhibet IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. vol. XI.* ſiue *lib. VI. cap. III. num. III. p. 166. ſeqq.* Diuerſa ab ea eſt alia ſex ſynodorum eiusdem NICEPHORI deſcriptio, quam ex illius ἀντιῤῥητικῶν *aduerſus iconomachos libro II* lectorum oculis ſubiicit FRANC. COMBEFISIVS, *auctar. noui tom. II. p. 603. ſeqq.* PHOTII patriarchae itidem Conſtantinopolitani libellus de *ſeptem ſynodis oecumenicis* eſt pars prima epiſtolae eius, quam ad Michaelem, Bulgariae principem, de *officio principis* ſcripſit, quae inter varias eius epiſtolas a RICH. MONTACVTIO editas, primum tenet locum. Exſtat quoque hicce PHOTII de *ſeptem ſynodis oecumenicis* libellus in GVIL. VOELLI & HENR. IVSTELLI *bibliotheca iuris canon. vet. tom. II. p. 1141. ſeqq.* Anonymi σύνοψιν τῶν ἁγίων καὶ οἰκουμενικῶν συνόδων, ποῦ καὶ πότε, καὶ κατὰ τίνων ἑκάστη αὐτῶν συνήχθη, *compendiariam narrationem de ſeptem vniuerſalibus ſynodis, vbi, quando & contra quos quaelibet earum fuerit congregata*, DAV. HOESCHELIVS primum graece edidit, Auguſtae Vindelicorum an. 1595. 4. Non ſemel deinceps cum verſione latina ABR. SCVLTETI recuſa eſt; quamuis & CONR. RITTERSHVSIVS eam in linguam latinam transtulerit, & ita *libro ſecundo lectionum ſacrarum* inſeruerit, *c. XI. p. 120. ſeqq.* Idem etiam obſeruatu dignum putat, in *libello iſto, & ſingulis ſeptem conciliis, numquam nominari vnumquempiam epiſcoporum ſeu papam, qui praefuerit concilio, ſed* τὸ ἡγεμονικὸν *vbique cum pluribus communicari epiſcopis primariis, ſeu patriarchis, vt Romano, Conſtantinopolitano, Antiocheno &c. immo & cum aliis, vt Theſſalonicenſi, Epheſino, Nyſſeno &c. Conſtanter enim de vnaquaque ſynodo ſcribi:* ἡγοῦντο δὲ ταύτης *non autem* ἡγεῖτο, *praeerant, non: praeerat &c.* Quae quam ob cauſſam moneantur, quilibet facile perſpicit. Videtur autem iſta, de qua loquimur, ſynopſis, eadem fere eſſe, quam STEPH. LE MOYNE exhibet *varior. ſacror. tomo I. p. 81. ſeqq.* certe in plurimis conueniunt; niſi quod poſterior haecce fuſior ſubinde ſit locupletiorque. Sed cumprimis commemorari hic meretur Συνοδικὸν, περιέχον ἐν ἐπιτομῇ ἁπάσας ἀπὸ τῶν ἁγίων ἀποστόλων γεγονυίας ὀρθοδόξους καὶ αἱρετικὰς συνόδους, μέχρι τῆς ὀγδόης, τῆς ἐπὶ τῇ τοῦ Φωτίου καὶ τοῦ πάπα Ἰωάννου ἑνώσει· *libellus ſynodicus, omnes ſynodos, tam orthodoxas, quam haereticas, breui compendio continens, quae ab apoſtolorum inde tempore, vsque ad octauam, ſuper vnione Photii & Ioannis papae inſtitutam, ſunt celebratae.* Videtur auctor huius ſynodici ſaeculo nono vixiſſe, cum vsque ad ſynodum octauam ſuper vnione inter Photium & Ioannem pontificem an. 879 habitam, progreſſus ſit. Latine huncce libellum vertit ediditque IO. PAPPVS, Argentoratenſis quondam theologus celeberrimus, Argentorati 1601. 4. Recuſus equidem idem eſt in GVIL. VOELLI & HENR. IVSTELLI *biblioth. iuris canon. vet. tom. II. p. 1166. ſeqq.* itemque *tomo V. conciliorum* IO. HARDVINI; rectiſſime tamen fecit vir doctiſſimus IOAN. ALB. FABRICIVS, dum eum integrum graece & latine *bibliothecae* ſuae *graecae* inſeruit, *vol. XI.* ſiue *libro VI. cap. III. p. 185. ſeqq.* Saeculo decimo quarto NILVS, metropolita Rhodius, floruit, cuius exſtat διήγησις συνοπτικὴ περὶ τῶν ἁγίων καὶ οἰκουμενικῶν συνόδων, *enarratio ſynoptica de ſanctis & oecumenicis ſynodis*, edita primum graece & latine a CHR. IVSTELLO ad calcem *nomocanonis* PHOTII, Pariſiis 1615. recuſa deinceps in GVIL. VOELLI & HENR. IVSTELLI *biblioth. iuris canon. vet. tomo II. p. 1155. ſeqq.* De reliquis eiusdem generis, ſed minoris momenti, ſcriptis, etiam ineditis PHOTII, Tyriorum epiſcopi, & MICH. PSELLI, legendus, quem ſaepe iam laudauimus, IO. ALB. FABRICIVS, *l. c. p. 160. ſeqq.*

Ad

Digitized by Google

Ad recentiores vt progrediamur, indicandi primum paucis ſunt, qui acta conciliorum, in vnum collecta, euulgarunt. Hos inter primum locum tenet IAC. MERLINVS, doctor theologus, & eccleſiae Pariſienſis poenitentiarius, qui Pariſiis an. 1524 duos conciliorum tomos edidit, Coloniae 1530 & iterum Pariſiis 1535 recudendos. Sequutus eſt PETR. CRABBE, Mechlinenſis, ordinis Franciſcani, qui itidem duos conciliorum tomos Coloniae an. 1538 luci publicae expoſuit; prioribus quidem longe locupletiores, quos tamen variis ipſemet acceſſionibus in noua, quae an. 1551 Coloniae prodiit, editione, auxit. Vtriusque & MERLINI & CRABBII diligentiam vincere voluit LAVR. SVRIVS, Carthuſianus, dum quatuor conciliorum volumina, Coloniae an. 1567 in lucem prodire iuſſit, in quibus & plurima ad fidem codicum manuſcriptorum emendauit, & noua etiam quaedam addidit. Non optima vero eumdem vbique vſum fide, nonnulli monuerunt. Quae Venetiis an. 1585 ex officina DOMIN. NICOLINI prodiit, conciliorum collectio, priores itidem quibusdam acceſſionibus vincit. Et eousque quidem ſaeculo decimo ſexto peruentum. Sequenti autem decimo ſeptimo longe maiori induſtria viri doctiſſimi id egerunt, vt pleniores adcuratioresque conciliorum collectiones darent. Primus inter eos SEVER. BINIVS fuit, canonicus Colonienſis, qui duas nobis reliquit conciliorum collectiones, quarum prior an. 1606 lucem adſpexit, mereque latina eſt, & quatuor conſtat tomis, tertio in duo volumina diuiſo; poſterior anno 1618 prodiit, & graeca inſuper eſt, multisque acceſſionibus auctior, ſingulis tomis in duo vel tria volumina diſtributis. Scholia & adnotationes, quas addidit, eum maximam partem ex CAES. BARONII *annalibus* depromſiſſe, viris doctis obſeruatum eſt; ad cuius exemplum etiam, vt curiae romanae placerent, quae ſcriberet, eum operam dediſſe. Ob malam hinc fidem, tum ab aliis, tum & a GVIL. BEVEREGIO reprehenditur, in *notis ad ſynodicum, p. 170. 172.* alibique. Priusquam autem poſterior editio prodiret, anno ſcilicet 1608 & ſequenti; auctoritate Pauli V, pontificis, concilia oecumenica, ſeu generalia, graece & latine, Romae, ex typographia Vaticana, edita ſunt; plurimaque ita SEVER. BINIO ſubminiſtrata, quae poſteriori ſuae conciliorum editioni inſereret. Docet hoc IO. ANDR. SCHMIDIVS, qui & STEPH. BALVZII de Romana iſta conciliorum editione verba refert; in *Sagittarianae introduct. in hiſtoriam eccleſiaſticam tomo II. ſupplement. ſect. II. cap. I. §. VII. VIII. p. 714.* Poſterior editio Biniana repetita fuit Pariſiis an. 1638. toto opere in nouem tomos, quorum ſeptimus duo conſtituit volumina, diſtributo. Omnes autem iſtas, quas hactenus commemorauimus, conciliorum collectiones magnitudine & ſplendore vincit *regia* illa, ſiue quae auſpiciis ARMANDI PLESSAEI RICHELII, cardinalis, Pariſiis an. 1644 ex typographia regia, tomis 37, in conſpectum orbis eruditi emiſſa fuit. Plurima in ea ex antiquis codicibus emendata, multa quoque, quae in aliis non exſtant, vt IAC. SIRMONDI *concilia gallicana*, HOR. IVSTINIANI *concilium Florentinum*, aliaque, addita: non tamen tam ob acceſſiones iſtas tanto voluminum numero ptiores editiones excedit, quam quia in ea imprimenda auguſtioris & maioris formae typi adhibiti fuerunt. Ab erroribus quoque SEV. BINII eam neutiquam plane fuiſſe repurgatam, viris doctis obſeruatum eſt; gallicanae autem libertatis defenſoribus id maxime diſplicuit, quod quaedam in reges, regiamque poteſtatem, iniuria in ea occurrant. Quae quoniam & PHIL. LABBEO perſpecta erant; mirum non eſt, quod de noua quadam conciliorum collectione con-

conſilium iniuerit; quam cum, morte praepeditus, perficere non poſſet, ſpartam hanc GABR. COSSARTIO, eiusdem ſocietatis Ieſu theologo, reliquit, cuius etiam opera ſtudioque XVII tandem tomis anno 1672 Pariſiis in lucem prodiit. Duo ex ſeptemdecim hiſce tomis ad conciliorum adparatum pertinent; ſiquidem alter praefationes priorum editionum, nec non ſynopſin conciliorum, indices varios, & tabulas geographicas; alter varios ſcriptores, qui de conciliis & eorum auctoritate egerunt, complectitur. Viginti autem licet tomis haec collectio minor ſit, quam regia illa antea memorata; longe tamen eſt locupletior, pluraque monumenta continet. Nihil amplius deſiderari poſſe, exiſtimare quis potuiſſet, niſi STEPH. BALVZIVS exſtitiſſet, vir iſtarum rerum, ſi quis alius, longe peritiſſimus. Hic enim, in vltimis iſtis collectionibus conciliorum multa adhuc omiſſa, multa negligentius, quam par erat, tractata, deprehendit. Quibus incommodis vt obuiam iret, ipſemet manum operi admouit, *nouamque conciliorum collectionem,* ſeu potius reliquarum collectionum, ſpeciatim PHIL. LABBEI *ſupplementum*, concinnare coepit, cuius tomus primus, ab anno Chriſti 125 vsque ad ſaeculi ſexti medium pertingens, Pariſiis anno 1683. in fol. lucem adſpexit, denuo edendus ibidem an. 1707. Quo minus autem vlterius pergeret, mors viri doctiſſimi praematura obſtitit. Sed eadem quoque fata PETR. ALLIXIVM impediuerunt, quo minus ſpem, conciliorum generalium corpus, notis & diſſertationibus illuſtrandum, edendi, quam fecerat, implere potuerit. Conſtare hanc collectionem quinque voluminibus, vt in *actis erudítor. Lipſ.* an. 1693. *p. 96.* refertur, at vt CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, in *introd. ad hiſtoriam theolog. litterar. lib. IV. p. 219.* auctor eſt, viginti, voluit. Agmen denique claudat IO. HARDVINVS, cuius & alias haud ignotum in orbe litterato nomen eſt, cuiusue diligentiae nouiſſimam illam, quae Pariſiis an. 1715, duodecim voluminibus (ſeu vndecim quidem tomis, at quinto in duo volumina diuiſo) in fol. publicae luci expoſita eſt, conciliorum collectionem debemus. Paucioribus autem licet conſtet voluminibus, quam Labbeana, multo magis regia; habet nihiloſecius quaedam, quae in aliis collectionibus fruſtra quaeras; cumque multa etiam in ea ſingulari ſtudio ſint emendata, multa notis, prorſus ad rem facientibus, illuſtrata; eam laude ſua non defraudandam, quilibet iudicabit. Sed id quoque non ſine ratione multis placet, quod de imminuendo potius, quam augendo voluminum numero, fuerit ſollicitus; ne eiusmodi opera tandem in molem immenſam excreſcerent; quem in finem & minutior, quam in Labbeana collectione, typorum character adhibitus, & multa, interque ea tum BINII, tum LABBEI notae, quae ſcilicet ad acta conciliorum non pertinere credidit, omiſſa ſunt. Sed aegre ferunt nonnulli, talia quoque omiſſa, quae omitti non debebant; neceſſitatemque adeo viris eruditis, qui in hoc litterarum genere verſari cupiunt, impoſitam, Labbeanam editionem cum hacce coniungendi. Nec eam HARDVINVM vbique adhibuiſſe fidem, eumque demonſtrare candorem, queruntur alii, qui a viro ab omni partium ſtudio alieno exſpectari poterat. Quod *conſtitutionem vnigenitus* addiderit, & in dedicatione ad Ludouicum XIV Galliae regem in gratiae Auguſtinianae defenſores omnem furorem effuderit, Ianſenii diſcipulis & ſectatoribus placere non potuit. Doctorum etiam quorumdam Sorbonnicorum, praeſertim LVD. ELL. DV PIN cenſurae cum opus hoc ſubiectum eſſet; hic varia atro notanda lapillo in eo inuenit, eaque parlamento Pariſienſi exhibuit, cuius decreto etiam venditio eius tantiſper pro-

prohibita, donec ea iterum concederetur. Libellum accuſatorium LVD. ELL. DV PIN contra hancce HARDVINI collectionem, vna cum decreto parlamenti, exhibet CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, in *introd. in hiſtoriam theolog. litterar. lib. IV. p. 220. ſeqq.* quibus & conſpectum nouae huius conciliorum editionis ſubiecit *pag. 229. ſeqq.* ex quo plenius, quid in hocce opere HARDVINVS praeſtiterit, cognoſcere licet. Ingenue etiam, quid in iſta HARDVINI collectione deſiderandum ſit, indicat SALMONIVS, in *tractatu de ſtudio conciliorum & eorum collectionibus*, ſupra nobis iam laudato, ex quo ea repetuntur, *dans le iournal des ſçauans &c. menſe Iulio 1725. p. 4. ſeqq.* Praeter generales haſce collectiones, ſpeciales etiam exſtant conciliorum in Gallia, Hiſpania, Italia &c. habitorum; de quibus vt agamus, nec inſtituti noſtri permittit ratio, nec neceſſe eſt, cum adcuratam illarum notitiam *locis* ſaepe *citatis* ſuppeditent viri doctiſſimi diligentiſſimique IO. ANDR. SCHMIDIVS, & IO. ALB. FABRICIVS. Id tamen praetermittere nequeo, conciliorum aliorumque monumentorum eccleſiaſticorum Germaniae noſtrae nouam collectionem parare celeberrimum academiae Tubingenſis theologum CHRIST. MATTH. PFAFFIVM, huiusque operis iam edidiſſe delineationem quamdam, quam integram *bibliothecae* ſuae *graecae* inſeruit IO. ALB. FABRICIVS, *volum. XI.* ſiue *lib. VI. cap. II. p. 129. ſeqq.*

Vt eo felicius autem in notitia conciliorum comparanda progrediamur; iuuabit praecipuos quosdam, maximeque memorabiles ex iis obſeruare, qui hiſtoriam aut ſynopſes conciliorum concinnarunt. Omnes enim enumerare neceſſe non eſt, quod & ab aliis iam factum eſt. Ex romanenſibus itaque commemorandus eſt IO. CABASSVTIVS, Aquiſextienſis, congregationis oratorii presbyter, cuius *notitia eccleſiaſtica hiſtoriarum, conciliorum, & canonum inuicem collatorum, veterumque iuxta ac recentiorum eccleſiae rituum, ab ipſis eccleſiae chriſtianae incunabulis ad noſtra vsque tempora, ſecundum cuiusque ſaeculi ſeriem adcurate digeſta* Lugduni primum an. 1680 in fol. edita, deinde ibidem an. 1685 & 1690 recuſa eſt. Iam antea breuiorem quamdam *notitiam conciliorum ſanctae eccleſiae* euulgauerat; iubente autem HIER. GRIMALDI, cardinali, & Aquarumſextiarum archiepiſcopo, ad maius hocce opus concinnandum animum adiecit. Ita vero procedit, vt in quolibet ſaeculo hiſtoricam eccleſiae ſynopſin praemittat, tum concilia ipſa enarret, & denique diſſertationes ſubiungat, in quibus, quae aliquid difficultatis habere videntur, diſcutit, aut varia etiam antiquitatis eccleſiaſticae capita, illuſtrat. Sententiarum in eccleſia romana receptarum eum tenacem eſſe, vel inde liquet, quod, canones apoſtolorum a Clemente Romano in vnum congeſtos, contendit, *ſaec. I. p. 9.* FRANCISCVS LONGVS A CORIOLANO *ſummam* edidit *conciliorum omnium, quae a ſancto Petro vsque ad Gregorium XV celebrata ſunt*, additis in loca praecipua & difficillima adnotationibus, ſubiuncta quoque adpendice omnium conciliorum Galliae; Antwerpiae 1623, & Pariſiis 1639, item 1645. fol. In *praeludiis*, vt vocat, ſeu prolegomenis, multa generatim de conciliis diſputat, interque alia, ſolius pontificis eſſe, conuocare concilia, itemque concilium non eſſe ſupra papam, euincere adnititur. Conferendus IO. FABRICIVS, theologus Helmſtadienſis, *biblioth. Fabric. part. II. p. 331.* qui & hac occaſione praecipuas conciliorum collectiones ſummatim indicat, & nonnulla quoque ad CORIOLANI *ſummam* notat. PHIL. LABBEI *ſynopſis hiſtorica conciliorum*, & tomo primo conciliorum ab eo & GABR. COSSARTIO collectorum inſerta eſt, & ſeorſim quoque prodiit Pariſiis 1661. 4. CHRIST. LVPI, Iprenſis, ordinis eremit.

Auguſtini, & theologiae in academia Louanienſi profeſſoris, *ſynodorum generalium ac prouincialium decreta & canones*, *ſcholiis ac notis*, *ac hiſtorica actorum diſſertatione illuſtrati*, in quinque partes ſeu volumina diſtributi, partim Louanii, partim Bruxellis 1665 *ſeqq.* lucem adſpexerunt. EMAN. SCHELSTRATENI *antiquitas illuſtrata circa concilia generalia & prouincialia*, *decreta & geſta pontificum*, *& praecipua totius hiſtoriae eccleſiaſticae capita*, Antwerpiae prodiit, 1678. 4. Sunt porro huius loci LVD. THOMASSINI *diſſertationes*, *commentarii*, *notae*, *in concilia tum generalia*, *tum particularia*; quarum tamen *diſſertationum* primus ſolum tomus proſtat, Pariſiis 1668. 4. viginti conſtans diſſertationibus, quarum prima eſt in *ſynodos ſub Victore papa de obſeruatione paſchatis*, *Romanam*, *Lugdunenſem*, *Palaeſtinam &c.* circa annum Chriſti 197; vltima autem in *ſynodum ſextam oecumenicam*, *ſeu Conſtantinopolitanam tertiam*, *anno Chriſti 680 & 81.* Cumprimis autem hic laudandus EDM. RICHERIVS, doctor & ſocius Sorbonnicus, vir eruditus non minus, quam ingenuus & cordatus, idemque monarchiae papalis ſtrenuus impugnator, ob *hiſtoriam conciliorum generalium*, quae, in *quatuor libros diſtributa*, poſt auctoris obitum Coloniae anno 1683. 8. prodiit. Defenſionem nimirum quamdam, atque copioſiorem deductionem, haec hiſtoria illorum continet, quae in libello de *eccleſiaſtica & politica poteſtate* ſcripſerat; concilium eſſe ſupra papam; eccleſiam canone, non abſoluta poteſtate, regi oportere; atque politicos principes, tamquam iuris diuini, naturalis & canonici vindices & exſequutores, auctoritate gladii in omnes ciues, ambitu & finibus reipublicae contentos, pollere; hocque iure & titulo Conſtantinum magnum, atque alios imperatores chriſtianos, velut communes epiſcopos, & exterioris diſciplinae adſertores, octo prima concilia vniuerſalia, pro iuris diuini, naturalis, & canonici vindiciis indixiſſe & congregaſſe. Quibus, & aliis eiusdem generis adſertis, vt monarchiae papalis defenſores vehementer offendit; ita plurima incommoda atque pericula ideo ſubire neceſſe habuit. In *hiſtoria* itaque iſta *conciliorum generalium* id agit, vt euincat, eccleſiae regimen non pure monarchicum, ſed ariſtocratico temperatum eſſe; concilium Nicaenum, Sardicenſe, Antiochenum, Conſtantinopolitanum primum, ceteraque, de quibus ordine agit, non a romanis epiſcopis, ſed ab ipſis imperatoribus conuocata eſſe, qui etiam iisdem cum iuriſdictione praefuerint, ea direxerint, & confirmauerint, & quae alia ſunt eiusdem generis longe plurima. Accedat denique hiſce BARTH. CARANZA & MIRANDA, cuius *ſumma conciliorum* quanta cum adprobatione in eccleſia romana accepta ſit, toties repetitae editiones teſtantur. Et placere vel hoc nomine poteſt, quod breuiter & ſuccincte plurima, quae ſcire iuuat, complectatur; modo integra, nec truncata aut interpolata, conciliorum decreta referret. Cum FRANCISCI SYLVII additionibus Duaci 1639, & deinceps ſaepius euulgata eſt; FRANCISCVS autem IANSSENS ELINGA eamdem recognouit, & ſi inſcriptioni credendum, ab *innumeris ſubſtantialibus mendis primae ſuae formae reſtituit & auxit*; qua ratione tum alias, tum & Coloniae an. 1701. 8. typis exſcripta eſt. Legendus de CARANZA, eiusque fatis, NIC. ANTONIVS, *biblioth. hiſp. non. tom. I. p. 147. ſeqq.*

Licet autem romanenſes plures grauioresque cauſſas habeant, cur in hoc ſtudiorum genere ingenii vires periclitentur, & de patribus potius aut conciliis, quam de ſcriptura ſacra ſint ſolliciti; non tamen defuerunt tum ex noſtratibus, tum ex reformatis, qui conciliorum hiſtoriam egregiis

giis ingenii monumentis illuſtrarent, aut eorum darent ſynopſes. Atque ad noſtrates quidem quod attinet, vt praecipuos ſolum, pro inſtituti ratione, commemorem, nihil nunc de IOACH. CAMERARII *enumeratione oecumenicarum ſynodorum, indicatis temporibus atque praecipuis illarum negotiis &c.* nihil de SALOM. GESNERI *libris quatuor de conciliis*, quorum iam antea facta eſt mentio; nihil de IO. FORSTERI *tractatu de conciliis praecipue quatuor oecumenicis, cum breui hypotypoſi colloquiorum inter Lutheranos & anti-Lutheranos habitorum*; nihil denique de IOACH. HILDEBRANDI *hiſtoria poſthuma conciliorum oecumenicorum a nato Chriſto vsque ad annum 1645*, ſimilibusque ſcriptis, dicam; maiori, quam reliqui, adparatu eiusmodi opus adgreſſus eſt IO. LVD. RVELIVS, qui tamen morte praematura abreptus, illud IO. LVD. HARTMANNO perficiendum, & ad finem perducendum reliquit. Inſcribitur: *concilia illuſtrata per eccleſiaſticae hiſtoriae, ex veterum factis, adprobatis codicibus, antiquis monumentis, & raris manuſcriptis deductae diegeticam dilucidationem &c.* & quatuor abſoluitur tomis, prodiitque Noribergae an. 1675. 4. In *diſſertatione praeliminari* IO. LVDOV. HARTMANNVS de collectionibus conciliorum, & ſcriptoribus hiſtoriae eccleſiaſticae, verba facit; & operis iſtius vtilitatem ac neceſſitatem demonſtrat. Non tantum autem veterum conciliorum, ſed colloquiorum etiam, poſt reformationem eccleſiae inſtitutorum, notitia hic ſuppeditatur, quorum vltimum eſt Caſſellanum, an. 1661 habitum. Nec hiſtoria ſolum conciliorum recenſetur, & eorum decreta ac canones exhibentur, ſed variae ſubinde immiſcentur diſſertationes, quibus antiquitatis & hiſtoriae eccleſiaſticae capita, notatu digna, vberiori luce perfunduntur. IO. LVD. RVELIVS *tractatum* quoque *hiſtorico-chronologicum de quatuor conciliis oecumenicis* Coloniae Brandenb. 1667, & cum acceſſionibus quibusdam Altdorffii 1669, edidit. Sed, miſſis reliquis, duumuiros iſtos hic iterum prodire iubeo, qui vt de reliquis hiſtoriae eccleſiaſticae, & litterariae partibus, ita cumprimis de hacce praeclare meriti ſunt, IOAN. ANDR. SCHMIDIVM, & IO. ALB. FABRICIVM; quorum ille omnia concilia ordine alphabetico enarrat, indicatis auctoribus, qui de ſingulis ex inſtituto egerunt; *Sagittar. introduct. in hiſtoriam eccleſiaſticam tomo II. ſect. II. cap. IV. p. 781. ſeqq.* hic autem vel hoc nomine hoc loco commendandus, quod *notitiam conciliorum chronologicam*, collatis editionibus regia, LABBEI, BALVZII, & HARDVINI, magno ſtudio concinnatam, exhibet; *biblioth. graec. volum. XI.* ſiue *lib. VI. cap. IV. p. 337.* Inter reformatae denique eccleſiae doctores omnium inſtar eſſe poteſt GVIL. CAVE, in cuius *hiſtoriae litterariae ſcriptorum eccleſiaſticorum parte altera* etiam concilia omnia ſecundum ſaeculorum ordinem, exquiſito ſtudio recenſentur. De ipſo autem hocce opere iam alibi ex inſtituto nobis dictum. Inter opera quoque IO. PRIDEAVX, iunctim edita, exſtat *ſynopſis conciliorum, p. 707. ſeqq.* editionis Tigurinae, quae an. 1672. 4. prodiit. Ceteri ab aliis laudantur.

Progredimur ad tertium, eumque, intuitu eccleſiae romanae, praecipuum iuris canonici fontem, *decreta pontificum*. Doctorum equidem eccleſiae atque epiſcoporum eſt, ſi conſulantur de rebus dubiis, reſpondere, aliosque adeo erudire, ſaltem ſententiam ſuam exponere. Nec alio loco primorum eccleſiae romanae epiſcoporum reſponſa, aut epiſtolae de rebus ad religionem & ſtatum eccleſiae ſpectantibus, haberi poterant. Sed, cum ſucceſſu temporis ex eccleſia reſpublica quaedam, ex epiſcopis, praeſertim romanis, ſummi imperantes fierent; reſponſa quoque iſta, ſeu con-

conſilia, vel inſtitutiones, in decreta atque leges mutatae ſunt. Hoc vero qua ratione factum ſit, & quibus gradibus auctoritas pontificum romanorum eousque creuerit, vt facultatem νομοθετικὴν ſibi vindicauerint; in antecedentibus luculenter, ni fallor, demonſtrauimus. Nunc illud ſolum addendum, inter reliqua plurimum eo etiam contuliſſe prouocationes, ſeu adpellationes, quas vocant, ad pontifices romanos. Per eas enim vt ſuperioritas quaedam illis in reliquos epiſcopos & iudices omnes concedebatur; ita mirum non eſt, auide eas arreptas, ſummoque ſtudio ſedi romanae vindicatas, adſertasque fuiſſe. Nonnulli equidem, antiquiſſimis etiam temporibus vſitatum fuiſſe, vt ad epiſcopos romanos prouocaretur, contendunt; immo ab ipſo Petro apoſtolo, vt totum imperium papale, ita & ius accipiendi prouocationes, repetere non dubitant; quibus tamen alii, & quidem cordatiores ex ipſis romanenſibus, repugnant; quippe qui negant, a iudiciis quibuslibet ſynodorum ad romanum pontificem fuiſſe prouocatum. Hanc ſententiam tuetur PETR. DE MARCA, de *concordia ſacerdotii & imperii lib. VI. cap. XIV. p. m. 860. ſeqq.* diſerte negans, adpellationes ad romanum pontificem olim & ex veteri iure in vſu fuiſſe; idemque & IOAN. LAVNOIVS fecit, theologus ille Pariſienſis eruditiſſimus, *epiſtolar. part. II. ep. III. p. 110. ſeqq.* alibique. Sed hoſce refellere adgreſſus eſt IO. DAVIDIVS, iuris, quod hac in re pontifices ſibi vindicant, acerrimus adſertor, auctor quippe libri gallice editi, de *iudiciis epiſcoporum canonicis*; quem rurſus anonymus quidam, in libro de *antiquis & maioribus epiſcoporum cauſſis*, confutauit. In eorum, qui, in veteri eccleſia adpellationes ad romanum pontificem, nec vſitatas, nec probatas fuiſſe, contendunt, ſententiam etiam conceſſit PASCH. QVESNELLVS, in *diſſertationibus*, quas *Leonis magni operibus* a ſe editis ſubiecit, praeſertim *diſſert. VII. VIII. IX. X.* in quibus de cauſſa Eutychis, Flauiani epiſcopi Conſtantinopolitani, Domni epiſcopi Antiocheni, & Theodoreti, copioſiſſime agit, quorum exemplis ſecus ſentientes probare volunt, eo tempore ad epiſcopos romanos prouocatum fuiſſe. Hiſce LVD. ELL. DV PIN addit IO. GERBASIVM, *qui Dauidium*, inquit, *adgreditur, licet a ſententia Petri de Marca circa praeſentis temporis diſciplinam diſſentiat; de antiqua eccleſiae diſciplina, diſſertat. II. praeloqu. p. 97.* Conferendus de GERBASIO hocce PETR. ZORNIVS, in *tractatu de libertatibus eccleſiae gallicanae antiquae & hodiernae &c. cap. II. §. III.* Nemo autem maiori animi impetu cauſſam romanorum pontificum in hocce capite egit, quam CHRIST. LVPVS, Iprenſis, theologiae doctor, & in academia Louanienſi profeſſor publicus, in *diuino ac immobili ſancti Petri, apoſtolorum principis, circa omnium ſub caelo fidelium ad romanam eius cathedram adpellationes, aduerſum profanas hodie vocum nouitates, aſſerto priuilegio*; Moguntiae an. 1681. 4. edito. Quinque opus hocce abſoluitur diſſertationibus, quarum prima de eccleſiae gallicanae, ſecunda de africanae, tertia de Eutychetis, quarta de Floriani, quinta denique de Theodoreti ad ſedem romanam prouocationibus, tractat. At ex inſtituto calamum aduerſus eum ſtrinxit LVD. ELL. DV PIN, de *antiqua eccleſiae diſciplina, diſſertat. II. p. 95. ſeqq.* vbi *p. 97.* de eo ita pronuntiat: *Vir certe bonus, vt fertur, & meliori cauſſa dignus. In eius tamen opere animi aequitatem & modeſtiam requiro. Nam ſi quaeſtionem iſtam ſine felle & amice tractaſſet, quis eum reprehenderet? quis incuſaret? At tantis probris viros inſignes & catholicos adficit, tot in eos maledicta congerit, vt dignum mihi videatur opus eius in perpetuum abſcondi, quod ſucco loliginis vbique imbutum eſt. Inſcri-*

bit

bit illud: aduerſus prophanas vocum nouitates, aduerſus quoſdam temporum nouatores. Petrum de Marca, archiepiſcopum, Queſnellium oratorii presbyterum, Gerbaſium, doctorem ſorbonicum, & Garnerium Ieſuitam, nouatorum nomine deſignans, & eos indignis modis vbique proſcindens, ac haereticis ſemper adiungens. Nec praetermittenda hic eſt MARCI ANT. CAPPELLI de *adpellationibus eccleſiae africanae ad romanam ſedem diſſertatio*, cuius editionem tertiam *ad bibliothecae Albanae exemplar, ab auctore ipſo maiori ex parte immutatum, correctum, auctum*, dedit IOAN. BONTONIVS, qui & de CAPPELLI huius *vita & ſcriptis diatribam* praemiſit, Romae 1722. 8. Fuit CAPPELLVS iſte initio ex illorum numero, qui Venetorum cauſſam contra Paullum v pontificem agebant, & ad imminuendam pontificum poteſtatem omnes ingenii conferebant vires; deinceps autem mutata ſententia, ſtudio poteſtatem auctoritatemque eorum extollendi omnes fere ſuperauit. Documento eſſe poteſt diſſertatio de *abſoluta omnium rerum ſacrarum immunitate a poteſtate principum laicorum ex lege naturae, Moiſis & Chriſti.* Eiusdem generis & alia ſcripſit, interque ea, diſſertationem iſtam, antea memoratam, de *adpellationibus eccleſiae africanae ad ſedem romanam*, MARC. ANTONIO DE DOMINIS oppoſitam. In prima editione, quae Pariſiis an. 1622 prodiit, documenta varia, ad cauſſam Zoſimi pontificis cum epiſcopis africanis ſpectantia, pro ſuppoſititiis venditauerat; ſed rectiora deinceps edoctus mentem mutauit, prout ex tertia hac editione conſpicere licet. Ad rem ipſam quod attinet, qui negant, in veteri eccleſia ad ſedem romanam prouocatum fuiſſe, longe grauioribus certioribusque nituntur rationibus, quam, qui illud adfirmant. Veteri eccleſiae eiusmodi prouocationes ignotas fuiſſe, vel ex *canone quinto* concilii Nicaeni conſtat, quocum & ſubſequentium conciliorum decreta conſentiunt. Vrgent equidem magnopere, qui ſecus ſentiunt, *canonem tertium, quartum & quintum* concilii Sardicenſis; quippe in quibus maximum cauſſae ſuae praeſidium inueniſſe ſibi videntur. Sed plurima hic habent, quae regerant, qui, adpellationes iſtas veteri eccleſiae ignotas fuiſſe, autumant. Nonnulli ipſam concilii huius auctoritatem ſollicitant, illudque oecumenicum fuiſſe, negant; quod licet auctor *praefationis hiſtoricae*, in Romana conciliorum editione, *ſynodo Sardicenſi* praemiſſae, variis argumentis euincere voluerit, ea tamen ſolide refutauit EDM. RICHERIVS, in *hiſtor. concilior. general. lib. I. cap. III. p. 93. ſeqq.* & *p. 101. ſeqq.* PETRVS DE MARCA, conuocatione quidem, non autem celebritate & exitu, concilium hoc oecumenicum fuiſſe, contendit; *de concordia ſacerdot. & imperii, lib. VII. cap. III. §. V. p. m. 100.* quam eius ſententiam, ſed non adeo magni momenti rationibus, impugnat NAT. ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. noui teſtam. ſaec. IV. diſſert. XXVII. artic. III. p. 329. ſeqq.* Disquiritur vlterius, an canones Sardicenſes ab vniuerſa eccleſia fuerint recepti; Negant hoc EDM. RICHERIVS atque PETRVS DE MARCA, ſed diuerſa ratione. Ille enim, non eiusmodi fuiſſe iſtos canones, exiſtimat, qui ſemper valere debuerint, ſed quibus ſolum pro iſtius temporis ratione eccleſiae rebus fuerit proſpectum, vel, vt auctori loqui placuit, eos eſſe *purum putum priuilegium, non abſolutum, ſed prouiſorium; hiſtor. concil. general. lib. I. cap. III. p. 93.* Hic autem fatetur, eos tandem in ſynodo Trullana receptos, *ſed cum modificatione quadam, tum vt oſtenderet auctoritatem, quae ſummo pontifici tributa erat, in his canonibus a concilio Sardicenſi profectam, non autem a Nicaeno, tum etiam, vt oſtenderet, eam reſtringi ad ſolum occidentem; de concord. ſacerdot. & imper. lib. VII.*

VII. cap. V. §. XI. p. m. 1016. Sed refellere hic PETRVM DE MARCA iterum adnititur NAT. ALEXANDER, atque euincere, iam ante concilii Trullani tempora canones hoſce ab eccleſia receptos fuiſſe; *hiſt. eccleſ. noui teſtam. ſaec. IV. diſſertat. XXVII. artic. IV. p. 331.* Pari ratione & CHRIST. LVPVS, vt lectori perſuadeat, vbique & omni tempore, hoſce canones receptos fuiſſe, omnem mouet lapidem; in *diuino ac immobili ſancti Petri circa adpellationes adſerto priuilegio, diſſert. I. cap. XXXII. p. 327.* alibique. Atque ita de auctoritate tum concilii, tum canonum Sardicenſium, diſputatum. Non magis de ſenſu iſtorum canonum inter viros doctos conuenit. PETRVS DE MARCA, concilium hocce romano pontifici tantum ius, decernendi reuiſionem, conceſſiſſe, auctor eſt; reuiſionem autem multum differre ab adpellatione; errandi occaſionem inde enatam, quod ſynodus Sardicenſis improprie vtatur verbo *adpellandi* & *pronocandi;* praeterea nouam eſſe hanc inſtitutionem, ex OSIO Cordubenſi, qui ſynodo praeſidebat, probat; *l. c. lib. VII. cap. III. §. VI. VIII. p. 1000.* At vtramque hanc adſertionem impugnat acerrime CHRIST. LVPVS, *l. c. diſſertat. I. p. 121. ſeqq. diſſert. II. p. 638.* alibique; itemque NAT. ALEXANDER, qui inter adpellationum iſtarum propugnatores haud vltimum locum tenet; *l. c. diſſertat. XXVIII. p. 334. ſeqq.* Alterum enim quod ibi euincendum ſibi ſumit, eſt: ius adpellationum ad ſedem romanam a ſynodo Sardicenſi non eſſe inſtitutum, ſed confirmatum; alterum, ſynodum Sardicenſem non ſolum ius concedendi reuiſionem, ſed poteſtatem iudicandi adpellationes ab epiſcopis depoſitis factas ad romanam ſedem, romano pontifici adſeruiſſe & confirmaſſe. Sed PETRI DE MARCA ſententiam, qua vtrumque hocce caput, ſtrenue & erudite contra CHRIST. LVPVM defendit LVD. ELL. DV PIN, de *antiqua eccleſiae diſciplina, diſſertat. II. cap. I. §. III. p. 109. ſeqq.* Et ſane, irritos vanosque eſſe illorum conatus, qui ius recipiendi prouocationes, quod romani pontifices ſibi vindicant, ex veteri eccleſia repetere conantur, vel inde conſtat, quod, vt alios taceam, cum epiſcopi romani eiusmodi quid tentarent, cumprimis epiſcopi africani acriter illis reſtiterint. Non ſemel enim *transmarinas adpellationes* eos diſerte reieciſſe atque damnaſſe, conſtat. Praeter auctores, hactenus laudatos, qui contra adpellationes iſtas diſputant, hac de re legendus MELCH. LEYDECKERVS, in *diſſertat. de libertate eccleſiae africanae, & transmarinis adpellationibus;* quae in *adpendice*, eiusdem *hiſtoriae eccleſiae africanae illuſtratae* ſubiecta, ſecunda eſt, *p. 506. ſeqq.* Cumprimis obſeruatu memoratuque dignum, quam infeliciter Zoſimus pontifex transmarinas iſtas adpellationes ſtabilire, Africaeque epiſcopos ſub iugum mittere, tentauerit. Apiarii enim presbyteri, ab epiſcopo ſuo paullo ſeuerius caſtigati, qui Romam ſe receperat, cauſſam cum in ſe ſuſcepiſſet; epiſcopi africani aegerrime ferebant, damnatos epiſcopali ſententia ad transmarina iudicia refugere, Zoſimumque hoc ſibi ius vſurpare, vt de africanis negotiis ceu iudex ſententiam pronuntiaret. Dum ergo legati Zoſimi hac de re cum patribus africanis, Carthagine congregatis, agebant; ius illud transmarinarum adpellationum pontifici romano vindicaturi, proferebant canonem Sardicenſem, eumque pro Nicaeno venditabant. Quod ſi per errorem factum eſſet, vt nonnulli exiſtimant, dum omnes in codice eccleſiae romanae comprehenſi canones Nicaeni vocabantur, eo quod hi primo in eo poſiti eſſent loco; excuſationem quodammodo promereretur; ſin data opera ad fallendos epiſcopos africanos legati Zoſimi canones Sardicenſes pro Nicaenis venditarunt;

quod

quod aliis veroſimilius videtur; fraudulentia fuit atque nequitia plane deteſtanda. Nec imponi hac ratione ſibi paſſi ſunt patres africani; quin potius, cum iſtum canonem, quem legati romani proferebant, in ſuo canonum Nicaenorum codice non inuenirent; decernebant, Conſtantinopoli atque Alexandria genuinum Nicaenorum canonum exemplum repetendum eſſe, vt cum ſuo, quod CAECILIANVS ex Nicaena ſynodo in Africam attulerat, conferretur. Quod cum etiam, fruſtra renitente FAVSTINO, legato romano, metuenteque haud dubie, ne fraus hac ratione detegeretur, factum eſſet; cumque patres africani ab ATTICO Conſtantinopolitano, & CYRILLO Alexandrino epiſcopo, τὰ ἀληθέστατα καὶ πιστότατα *veriſſima & fideliſſima* canonum Nicaenorum exempla accepiſſent; fraus iſta legatorum romanorum omnibus patefacta eſt, & non tantum decreta contra Apiarium confirmata, ſed & adpellationes transmarinae denuo reiectae ſunt atque damnatae. Varia, quae huc ſpectant, monumenta legi poſſunt in *codice canonum eccleſiae africanae*, qui in GVIL. VOELLI & HENR. IVSTELLI *bibliotheca iuris canon. vet.* exſtat, *tom. I. p. 400. ſeqq.* Condiſcere ex hocce exemplo valde memorabili licet, africanae eccleſiae epiſcopos non tantum conſtanter adpellationes transmarinas reieciſſe; ſed & canones iſtos Sardicenſes, quos adpellationum iſtarum defenſores tantopere iactitant, iis prorſus ignotos fuiſſe. Zoſimi autem exemplum nos condocet, quantopere iam eo tempore romani epiſcopi laborauerint, vt eiusmodi prouocationes ad ſe pertraherent; quod deinceps & alii eiusdem vrbis praeſules magno imitati ſunt ſtudio. Quid Leo magnus, quid Gregorius magnus hac in re egerint, & quam ſollicite iſtas adpellationes promouerint, ſummatim, ſed adcurate, docet LVD. ELL. DV PIN, de *antiqua eccleſiae diſciplina, diſſert. II. cap. I. §. IV. p. 131. ſeqq.*

Semper tamen adhuc repugnabant tum Gallicanae tum africanae eccleſiae epiſcopi; donec tandem ſaeculo nono pſeudo-ISIDORVS ille decretales veterum epiſcoporum romanorum epiſtolas orbi obtruderet, quibus prouocationes ad ſedem romanam mirifice ſtabiliebantur, confirmabanturque. Eamque ob cauſſam & Nicolaus I, pontifex, omnem mouebat lapidem, vt collectio iſta pſeudo-ISIDORI vbique reciperetur; vti ſupra iam obſeruauimus; quemadmodum & Hadrianus II, Nicolai ſucceſſor, earumdem epiſtolarum decretalium auctoritate vſus eſt; repugnantibus adhuc Galliae epiſcopis, cumprimis HINCMARO, qui in epiſtola nomine Caroli calui regis ſcripta, nouam fictis illis decretalibus inductam diſciplinam acriter impugnauit. Creſcenti tamen in dies potentiae & tyrannidi pontificum, nec gallicani nec alii epiſcopi diutius reſiſtere potuerunt, adeo vt tandem Gregorius VII in *dictatibus* ſuis hoc etiam praeceperit: *vt nemo audeat condemnare apoſtolicam ſedem adpellantem.* Conferendus PETR. DE MARCA, de *concord. ſacerd. & imper. lib. VI. cap. XIV. §. VIII. & XI. pag. 865. ſeqq.* add. LVD. ELL. DV PIN, de *antiqua eccleſiae diſciplina, diſſert. II. cap. I. §. IV. p. 134. ſeqq.* Quemadmodum itaque adpellationes iſtae ad ſedem romanam plurimis pontificum decretis occaſionem dederunt; ita ſimul effecerunt, vt pontificum iſtorum pronuntiata, conſpirantibus & aliis cauſſis, ſupra commemoratis, vim legum acciperent. Et hodie quoque, qui ſupremam pontificis romani poteſtatem admittunt, non poſſunt non decreta eius pro legibus agnoſcere; quamuis non eadem vbique hoc fiat ratione. In Gallia namque decreta & bullae pontificum, niſi conſenſus regis, & adprobatio ſupremae curiae Pariſienſis, acceſſerit, non recipiuntur. Apud proteſtantes autem, dum iugum romanorum pontificum excuſſerunt, decreta eorum vim nul-

lam, nullamque habere auctoritatem, vt moneamus, neceſſe non eſt. DIONYSIVM exiguum primum fuiſſe, qui in collectione ſua canonibus conciliorum, decreta pontificum addidit, ſupra iam obſeruauimus; cuius deinceps exemplum alios, cumprimis GRATIANVM, imitatos conſtat; de quibus, vti & decretalibus pſeudo-ISIDORI, cum iam abunde dictum ſit, ea repetere non iuuat. Illud ſolum addendum, quorumdam pontificum, vt Leonis magni, Gregorii I, aliorumque epiſtolas ſeorſim, aut inter reliqua cuiusque opera, editas eſſe; quas diligenter more ſuo recenſet IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. XI.* ſiue *lib. VI. cap. I. p. 21. ſeqq. Epiſtolas romanorum pontificum, & quae ad eos ſcriptae ſunt, a ſancto Clemente I. vsque ad Innocentium III.* edere coepit PETRVS COVSTANT, prodiitque tomus I, Pariſiis anno 1721. fol. in quo quae continentur, idem FABRICIVS recenſet, *l. c. p. 760. ſqq.* Auctor autem licet vitam cum morte iam commutauerit; ſpes tamen ſupereſt, reliquos duos tomos luci publicae expoſitum iri. Nec ſilentio hic praetermittenda *bullaria*, ſeu *bullarum*, vel conſtitutionum, a bullis ſeu ſigillis ita dictarum, collectiones. Quae quidem *bullaria* ex *regeſtis* pontificum confecta eſſe, viris doctis obſeruatum eſt. *Regeſtum* vero dicebatur liber iſte, in quo ſuas deſcribere ſolebat decretales quilibet pontifex. Singuli enim ſua habebant regeſta, in quibus integrae ſcribebantur decretales, quae in collectionibus plerumque erant truncatae, in principio, in medio, in fine. Legendus de iis GERH. VAN MASTRICHT, in *hiſtor. iuris eccleſ. num. CCCXCV. ſeqq. p. 425. ſeqq.* Varia autem eiusmodi cum exſtent bullaria; praecipue tamen memoratu dignum LAERTII CHERVBINI, iure conſulti Romani, *bullarium magnum*, a Leone magno, qui ſaeculo quinto ſedi romanae praefuit, vsque ad Paulum V, Romae 1618 tribus voluminibus in fol. Continuatum fuit ab ANGELO MARIA CHERVBINO, monacho Caſinenſi, vsque ad Vrbanum VIII, Romae 1638, quatuor voluminibus in fol. & cum Innocentii X conſtitutionibus Lugduni 1655. Acceſſit tomus V & VI, continuationem continens ad Clementem X per ANGELVM A LANTVSCA & IO. PAVL. A ROMA, Romae 1672. *Summam bullarii* dedit STEPH. QVARANTA, in qua pontificum conſtitutiones, poſt libros iuris canonici euulgatos, vsque ad Paulum V exhibet, Venetiis 1609. Continuauit eam, & additionibus illuſtrauit, PROSPER DE AVGVSTINO Lugduni 1621. De reliquis conſulendus IO. ALB. FABRICIVS, *l. c. p. 23. 24.*

Cum quidam canonum collectores decretis pontificum, canonibus conciliorum, & ſententiis patrum, etiam leges ciuiles adiunxerint; quaeri poſſet, annon etiam conſtitutiones principum inter fontes & principia iuris canonici ex mente romanenſium referendae ſint? In eccleſia orientali eos, qui *nomocanones* concinnarunt, canonibus conciliorum, leges ciuiles imperatorum addidiſſe, conſtat, & ſupra ad §. *III.* obſeruatum eſt. In occidentali eccleſia RHEGINONEM primum fuiſſe, qui canonibus conciliorum, & decretis pontificum, ſententias patrum ac leges codicis Theodoſiani adiunxerit, ad §. *V.* docuimus. IVONEM deinde Carnutenſem, ad exemplum nomocanonum eccleſiae orientalis, leges ciuiles romanas collectioni ſuae inſeruiſſe, ibidem diximus; quod & GRATIANVM feciſſe, conſtat. Atque colligere inde licet, olim poſitum fuiſſe extra controuerſiam, ſummos imperantes, vtpote iure circa ſacra gaudentes, leges quoque eccleſiaſticas ferre poſſe; quod poſtea romanenſes, omni poteſtate circa ſacra ſummos imperantes ſpoliare cupientes, concedere noluerunt. LEON. ALLATIVM, hominem graecum quidem, ſed romanae curiae addictiſſimum, inſtitutum illorum, qui nomocanones ediderunt, valde improbaſſe, ſummisque imperan-

rantibus omnem, de rebus eccleſiaſticis leges ferendi, facultatem denegaſſe, ex eius de *eccleſiae oriental. & occidental. perpetua conſenſione lib. I. cap. XV. p. 221. 227.* ſupra ad *§. III.* demonſtrauimus. Eamdem & omnium, qui romani pontificis ſummam poteſtatem ſerio defendunt, eſſe ſententiam, dubitari nequit. *Indignantur hodierni canoniſtae,* inquit CASP. ZIEGLERVS, *& acerbe perſtringunt Iuſtinianum imperatorem, quod de rebus ſacris & eccleſiaſticis leges ferre auſus fuerit* ; cumque illis & NIC. ALEMANNVM, in *notis ad Procopium, p. 71. & 110.* facere, monet; in *notis* ad FRANC. DE ROYE *inſtitut. iuris canon. lib. I. tit. V. p. 68.* Ipſe FRANC. DE ROYE equidem quaerit: *cur imperiales conſtitutiones cum canonibus exſcriptae ſint?* & ex SEB. BRANTII *praefatione ad panormiam Iuonis Carnutenſis*, reſpondet: *quia ſancti patres de ſpiritualibus plus, quam de temporalibus diſſeruerant, idcirco ex libris digeſtorum, codicis, conſtitutionibus authenticorum, leges iuris conſultorum & imperatorum (Iuonem Carnutenſem) interpoſuiſſe.* Sed rectius reſpondet ZIEGLERVS: *potior ratio videtur iſta, quod fortior exiſtat adſertio canonica, quae iure ciuili & conſtitutionibus imperatorum ſuffulta eſt.* Ex mente proteſtantium vero cum conſtitutiones ſummorum imperantium omnino inter principia & fontes iuris eccleſiaſtici referendae ſint; plura de iis in ſequentibus dicemus.

Denique & *ius non ſcriptum*, ſeu *conſuetudo*, & *obſeruantia eccleſiaſtica*, (quamquam, qui paullo adcuratius philoſophantur, diſcrimen inter *conſuetudinem* & *obſeruantiam eccleſiaſticam* conſtituant) ad leges eccleſiaſticas a iuris canonici doctoribus referri ſolet. Et ſane conſuetudinis obſeruantiaeque in rebus eccleſiaſticis magnam vim eſſe, magnamque auctoritatem, negari nequit. Ex antiquae eccleſiae moribus & inſtitutis omne fere ius canonicum fluxiſſe, res ipſa docet, & ſupra quoque obſeruatum eſt. *Omne fere ius eccleſiaſticum,* inquit FRANC. BOSQVETVS, *mos primum induxit, conſtitutio confirmauit;* ad *Innocentii III. epiſt. CXXXVI.* add. CASP. ZIEGLERVS, ad *Franc. de Roye inſtitut. iuris canon. lib. I. tit. VI. p. 72.* Nimirum in ſumma iſta chriſtianorum ſimplicitate, vbi id praecipue agebatur, vt quilibet fidem ſuam per charitatem demonſtraret, ſuper ritibus & inſtitutis, quae pro re nata πρὸς οἰκοδομὴν introducebantur nullae temere oriebantur lites, aut concertationes; adeoque iure ſcripto non erat opus. Quo magis autem eccleſiae corruptio inualeſcebat; eo facilius variae de eiusmodi rebus excitabantur contentiones, quibus aliter, quam conſtitutionibus ſcriptis atque canonibus, obuiam iri non poterat; vt tamen in rebus plurimis, canonibus non definitis, obſeruantiae adhuc locus concederetur. Nec hodie ea in minimis ponenda; modo reuera obſeruantia eccleſiaſtica ſit, nec quidquam, quod verbo diuino, aut ſaluti eccleſiae contrarium ſit, contineat. Pro lege equidem proprie ſic dicta obſeruantia eccleſiaſtica reputari nequit; quoniam tamen de conſenſu & voluntate illorum, qui inito pacto quodam tacito aut expreſſo aliquid introduxerunt, aut omnino illorum, qui leges eccleſiaſticas introducere potuerunt, teſtatur; hactenus pro iure non ſcripto haberi poteſt. Quanti iam olim obſeruantia eccleſiaſtica fuerit ponderis, ex *canone VI* concilii Nicaeni liquet: *Antiqui mores ſeruentur (τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω) per Aegyptum, Lybiam & pentapolin, vt Alexandrinus epiſcopus omnium horum habeat poteſtatem &c.* De cuius quidem canonis ſenſu quam acriter viri docti inter ſe digladientur, conſtat, & alibi dicetur. Nunc autem obſeruaſſe ſufficit, quod patres Nicaeni, ad *antiquos mores* prouocando, indicent, non temere ab obſeruantia eccleſiaſtica diſcedendum eſſe. Reli-

qua de conſuetudine & obſeruantia eccleſiaſtica dabit IVSTVS HENN. BOEHMERVS, in *iure eccleſiaſtico proteſtantium &c. lib. I. tit. IV. p. 201. ſeqq.*

§. IX. Inter fontes principiaque iuris eccleſiaſtici, ex mente ſententiaque proteſtantium, ſcriptura ſacra primum praecipuumque tenet locum; cui in quibusdam ipſa rectae rationis ſcita merito adiunguntur. Hiſce pariter ac illi, ſi principum ſiue ſummorum imperantium conſtitutiones, ſiue leges eccleſiaſticae innitantur, quae adeo itidem principiis adnumerandae ſunt, tum demum eccleſiae & reipublicae recte conſulitur commodis. *

* Non alios ex mente proteſtantium, quam quos deſignauimus, iuris eccleſiaſtici eſſe fontes ac principia, cum poſitum ſit extra controuerſiam; multis hic verborum ambagibus opus non eſt. Nimirum ſcriptura ſacra primum hic merito tenet locum; dum & de eccleſiae, & de chriſtianae religionis natura & indole nos erudit, & rectas animo formare notiones docet. De eccleſia quidem, hoc nomine proprie & adcurate loquendo tantum venire coetum hominum credentium, & vera fide cum Chriſto, ceu capite coniunctorum; adeoque veram proprieque ſic dictam eccleſiam eſſe inuiſibilem; vnde ſequitur eccleſiam non eſſe ſtatum aliquem, ſiue rempublicam independentem; eccleſias autem particulares inſtar collegiorum eſſe concipiendas, quae poteſtati ſummorum imperantium ſint ſubiecta; verbi diuini miniſtros diſpenſatores eſſe myſteriorum Dei, *I. Cor. IV. 4.* adeoque doctorum, non imperantium loco habendos; hinc & non aliud illorum officium eſſe, quam docere verbum Dei, & recte adminiſtrare ſacramenta; & licet quoque illis vſus clauis ligantis & ſoluentis, ſeu poteſtas remittendi & retinendi peccata, ſit concreditus, nulla tamen eos ideo gaudere iuriſdictione, nullo imperio, nulla poteſtate homines cogendi; excommunicationem etiam tantum conſiſtere in declaratione, aliquem pro membro eccleſiae haberi non poſſe, eamque adeo ab indole poenae ciuilis plane eſſe remotam; omnes omnino homines, adeoque & ſacri ordinis viros in republica quadam viuentes, poteſtati ſummorum imperantium eſſe ſubiectos; *Rom. XIII. 1.* & quae reliqua ſunt eiusdem generis, fuſius a me expoſita, *inſtitution. theolog. dogmat. lib. V. cap. III. & IV.* Ad religionem autem, & quidem chriſtianam, quod attinet, eadem ſcriptura ſacra docet, ſummam eius conſiſtere in *fide*, *quae eſt per charitatem efficax*, *Gal. V. 6.* eamque idcirco ita eſſe comparatam, vt nemo ad eam cogi queat aut debeat; licet itaque omni ſtudio id agendum ſit, vt errantes ad veritatis cognitionem perducantur, ſine omni tamen hoc fieri debere violentia, iisque ſubſidiis, quae indoli & naturae religionis chriſtianae ſint conuenientia; vnicam regulam & normam fidei pariter ac omnium noſtrarum actionum eſſe ſcripturam ſacram, in qua quae ſancita ſint dogmata, & inſtituta, ea ſincere & ſerio eſſe amplectenda, nec vlla ratione ab iis diſcedi poſſe; in iis autem, quae in ſcriptura ſacra definita non ſunt, & determinata, eccleſiae ſalutem, mutuamque charitatem ſupremam eſſe regulam; in ritibus denique & caerimoniis curandum, vt ſecundum Pauli monitum omnia fiant εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν *I. Corinth. XIV. 40.* Hiſce fundamentis ac principiis, ſi cuncta ſuperſtruantur, rite non tantum procedent, ſed errores grauiſſimi iuris canonici facili negotio euitabuntur.

Rectae rationis ſcita, vti hiſce, quae ſcriptura ſacra docet, non repugnant; ita nec

Digitized by Google

nec negligenda ſunt, cum de principiis iuris eccleſiaſtici ſermo inſtituitur. Summa autem illorum huc redit: poteſtati ſummorum imperantium omnia in republica eſſe ſubiecta; ſacrorum & religionis curam eo minus iis eſſe negligendam, quo facilius inde reipublicae tranquillitas turbari poteſt; etſi quae credere, quaeue non credere homines debeant, iis praeſcribere nequeant, ſacrorum tamen directionem iis denegari non poſſe; ſtatum independentem ſeu rempublicam in republica, admitti non poſſe, idque cum ſumma, qua imperantes gaudent poteſtate, e diametro pugnare; in ſacrorum directione ad ſalutem & tranquillitatem reipublicae ita reſpiciendum, vt ipſi tamen religioni non noceatur; religionem in ſe & ex ſolo lumine rationis ſpectatam, nullam admittere coactionem; hoc tamen non obſtare, quo minus qui religionis obtentu rempublicam pacemque turbare adnituntur, compeſcantur coërceanturue; iura collegialia eccleſiae in republica denegari non poſſe; & quae reliqua ſunt eiusdem generis.

Quemadmodum ex hactenus dictis ſponte ſua fluit, ſummos imperantes leges de rebus ad religionem & eccleſiam ſpectantibus condere poſſe; ita etiam variae eiusmodi leges & conſtitutiones ab iis profectae ſunt, quae adeo tertium iuris eccleſiaſtici ex mente ſententiaque proteſtantium fontem conſtituunt. Recte vero ſummis imperantibus in rebus eccleſiaſticis facultatem νομοθετικὴν tribui, non tantum ipſa ſummi imperii quemuis condocere poteſt ratio, ſed exempla primorum chriſtianorum imperatorum teſtantur. Ipſe Conſtantinus magnus, etſi ceteroquin epiſcopis, ſacriue ordinis viris, plus, quam decet, indulſerit; iure tamen ſuo circa ſacra, vt in aliis, ita hac quoque in re, vſus eſt. Non tantum enim de fide, de haereſibus, de epiſcopis, de eccleſiis, ſimilibusque, leges tulit; ſed canonibus eccleſiaſticis, & conciliorum decretis, vim legum addidit; vt ex *epiſtolis* eius apud SOCRATEM, SOZOMENVM, THEODORETVM, & ex *conſtitutionibus* in vtroque codice liquet. Exemplum Conſtantini ſequuti ſunt eius ſucceſſores, praeſertim Theodoſius magnus; vt ex codice, qui ab eo nomen habet, patet, cuius totus *liber XVI* exhibet conſtitutiones ad res & perſonas eccleſiaſticas ſpectantes. Cumprimis vero adhuc commemorandus ipſemet Iuſtinianus imperator, cuius *nouellae conſtitutiones*, poſt annum 535 editae, in fide catholica adſerenda, haereſibus profligandis, ſchismatibus tollendis, litibus dirimendis, ſimilibusque iuris eccleſiaſtici verſantur argumentis. Dignae cumprimis ſunt, ad quas attendatur, *nouella VI & CXXIII.* de epiſcopis, clericis & monachis, horumque requiſitis, officio, coërcitione; *nouella XXII* & *CXIX.* de nuptiis & diuortiis; *nouella CXXXIII.* de monaſteriis tam virorum quam feminarum &c. Plura de hiſce, aliisque imperatoribus, ſuppeditabit FRIDER. SPANHEMIVS, in *hiſtor. eccleſiaſt. noui teſtam. ſaec. IV. p. 881. ſaec. V. p. 1039. ſaec. VI. p. 1135.* Immo Carolum magnum adhuc, eiusque filium ac ſucceſſorem Ludouicum pium, cum aliis ſummi imperii circa ſacra partibus, facultatem, leges eccleſiaſticas ferendi, exercuiſſe, *capitularia* illorum abunde teſtantur. Hoc nomine autem leges tum ciuiles, tum eccleſiaſticae veniebant. Duplex *capitulorum regiorum* genus fuiſſe, alia regia ſimpliciter, hoc eſt, in conſilio principis inuenta, & ſtatuta, alia ſynodalia, regia ſane, ſed in ſynodis facta, & quidem vt plurimum de rebus eccleſiaſticis, STEPH. BALVZIVS docet, ad *Reginon. de diſciplin. eccleſiaſt. pag. 542.* Vtriusque generis leges cum Carolus magnus ac Ludouicus pius imperatores condidiſſent; eas hinc inde diſperſas, anno 827 collegit ANSEGISVS Lobienſis abbas. Statuta nimirum eccleſiaſtica Caroli magni

gni libris duobus, totidemque leges eius ciuiles ſeu ſaeculares, complexus eſt; ſimilique ratione Ludouici pii capitula exhibuit. Cum vero non tantum plurima Caroli magni & Ludouici pii capitula, ſed & Pipini ac Carolomanni leges, prorſus praetermiſiſſet; BENED. LEVITA, Moguntinenſis, haſce anno 845 in vnum congeſſit, atque ANSEGISI libris ſubiunxit. Ceterum cum & ANSEGISVS, & BENEDICT. LEVITA, ſuaſu & inſtinctu AVTHARII, ſiue OTGARII, archiepiſcopi Moguntini, hancce operam ſuſceperint; vt ex monumentis fide dignis conſtat; recte inde colligit HERM. CONRINGIVS, falli magnopere ANTON. POSSEVINVM, quando iuſſu Meldenſis ſynodi ab ANSEGISO quatuor libellos exaratos, & quae deerant, a BENEDICTO iis addita, tradit; de *origine iuris german. cap. XV. pag. 72.* De BENEDICTI porro huius LEVITAE collectione iſta idem CONRINGIVS hunc in modum pronuntiat: *Notandum vero, non Caroli tantum, & Ludouici decreta, ſed & alia haud pauca a Benedicto tumultuaria opera eſſe congeſta. Namque libri primi initio habet Zachariae papae epiſtolam, & canones duorum conciliorum tempore Carolomanni Pipini fratris per ſanctum Bonifacium habitorum. Secundo libro recitat multa ex lege Moſaica ceremoniali, quae obligandi tamen vi omni nunc deſtituuntur. Paſſim inſerit multa petita ex tum nuper natis paparum epiſtolis; nominibus tamen paparum diſſimulatis. Id ille a ſeſe factum profitetur, in calce libri ſeptimi, vt vitaret faſtidium legentium; videtur autem in eo potius vſus arte quadam veteratoria; haud ignarus fraudis tum commiſſae a ſeſe & aliis Moguntinis in fingendis illis epiſtolis.* Nimirum ſuffragatur CONRINGIVS DAVIDI BLONDELLO, hunc ipſum BENEDICT. LEVITAM, ſub ISIDORI mercatoris nomine latitantem, decretales epiſtolas veterum pontificum confinxiſſe, ſuſpicandi; in *pſeudo-Iſidoro, prolegom. p. 28. ſeqq. Qui ita vero in his ſe geſſit,* ita pergit CONRINGIVS, *qualem mereatur fidem in collectione capitulorum regiorum, nemo non videt.* Cum vero in vtriusque & ANSEGISI & BENED. LEVITAE collectione nondum omnia Ludouici pii imperatoris capitula comprehenſa eſſent; exſtitit, qui illis quatuor opuſcula, inſcripta: *additiones capitulorum Ludouici pii imperatoris*, ſubiungeret; quarum additionum auctor incertus eſt, quamuis CAES. BARONIVS eas itidem BENED. LEVITAE tribuere videatur, quod & IAC. SIRMONDVS facit, *notis ad capitularia pag. 752.* repugnante STEPH. BALVZIO, *praefat. ad capitularia*, §. *XLVIII.* Variae exſtant *capitularium* iſtorum editiones; quas inter eminet ea, quam STEPH. BALVZIVS dedit, Pariſiis 1677. fol. in qua non tantum ANSEGISI & BENEDICTI collectiones cum manuſcriptis collatae, adeoque a prioribus editionibus ſubinde diſcrepantes, ſed & aliorum Franciae regum capitula, itemque MARCVLFI monachi, aliorumque formulae veteres, antea ſeorſim cum notis ab HIERON. BIGNONIO editae, eiusdemque generis plura monumenta, exhibentur. Recenſet hocce opus BALVZII, &, quae in eo continentur, ſigillatim indicat, IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. volum. XI.* ſiue *lib. VI. cap. IV. pag. 493. ſeqq.* qui & eiusdem voluminis *cap. I. p. 85.* de reliquis *capitularium* editionibus agit. Praeter HERM. CONRINGIVM, *l. c.* plura de capitularibus regum Franciorum dabit PAVL. HACHENBERGIVS, in *Germania media*, *diſſertat. III. §. V. pag. 65. ſeqq.* itemque GERH. VAN MASTRICHT, in *hiſtoria iuris eccleſiaſtici, num. CXCII. ſeqq. p. 206. ſeqq.*

Cum ſequenti aetate romani pontifices per ſummam tyrannidem omne ius circa ſacra ad ſe raperent; facultatem quoque, leges eccleſiaſticas condendi, & concilio-

ciliorum canonibus vim legum tribuendi, ſibi ſolis vindicabant. Quod quidem iugum quo pacto Ludouicus bauarus imperator excutere auſus, & qua ratione deinde, imminuta magis magisque pontificum poteſtate, ad ius hocce circa ſacra ſummis imperantibus poſtliminio reſtituendum via munita ſit, alibi exponitur. Tandem vero per eccleſiae reformationem, a beato LVTHERO ſuſceptam, optima imperantibus oblata fuit occaſio, iura ſua, priſtinamque poteſtatem recuperandi; etſi non omnes eadem vti voluerint. Veſtigia tamen quaedam iuris circa ſacra, ſpeciatim poteſtatis, leges eccleſiaſticas ferendi, qua & principes Germaniae gauiſi ſint ante eccleſiae reformationem, hinc inde occurrere, demonſtrat IO. GEORG. REINHARDVS, in *meditationibus de iure principum Germaniae, cumprimis Saxoniae, circa ſacra, ante tempora reformationis exercito, cap. II. §. XI. XII. p. 111. ſeqq.* Cum autem poſt eccleſiae emendationem ſummi imperantes atque principes proteſtantium, facultate leges eccleſiaſticas ferendi ſe gaudere, tum praecipue demonſtrauerit, cum *ordinationes eccleſiaſticas* condere coeperunt; de his nonnulla monenda erunt, vt cuncta eo rectius intelligi queant. Nimirum, quae in *ordinationibus eccleſiaſticis* (quae & alias *agenda*, interdum & *liturgiae*, voce latius accepta, vocari ſolent) continentur, ad duo cumprimis capita referri poſſunt; ritus ſcilicet circa ſacram coenam, baptiſmum, aliosque actus & negotia ſacra obſeruandos; tum ad poteſtatem, iura, officia, conſtitutiones, functionesque miniſtrorum verbi diuini, ceteraque, ad quae voluntas & directio quaedam ſuperiorum ſeu imperantium vel maxime accedere debet. Quae poſterioris generis ſunt, prout iure diuino definita non ſunt, canonibus conciliorum, legibusque eccleſiaſticis ſummorum imperantium determinari praecipue ſolent, & determinata quoque olim ſunt, iis, quae ad ritus & caerimonias ſpectant, ſubinde arbitrio epiſcoporum, aut aliorum quoque doctorum relictis. Hinc *liturgiae* variae, *miſſalia*, *lectionaria*, *breuiaria*, aliique libri eccleſiaſtici, orientalis pariter ac occidentalis eccleſiae; de quibus deinceps quaedam ex inſtituto dicemus. Cum ergo eccleſiae emendatio a beato LVTHERO, eiusque paraſtatis, ſuſciperetur; ritus romanae eccleſiae, qui retineri ſine ſuperſtitione, ſaluaque doctrinae puritate, poterant, retinebantur; qui autem retineri non poterant, abrogabantur, aliique in illorum ſubſtituebantur locum. Idque eo magis neceſſarium erat, quod inanium, ſuperfluarum, immo & ſuperſtitioſarum caerimoniarum in eccleſia romana nec finis nec modus eſſet. Hoc ergo ſibi datum crediderunt primi eccleſiae noſtrae doctores, vt libellos componerent, in quibus ritus ſimplices, ad pietatem ducentes, rebusque ipſis conuenientes, praeſcriberent. Sic ipſe LVTHERVS edidit *das Tauff-Büchlein*, ſiue *librum baptiſmalem*, ex latino ſermone in germanicum translatum an. 1523, cui ipſe alium ſubiecit, omiſſis caerimoniis ſuperfluis; item *ordinem diuini cultus in eccleſia*; porro alium, de *inſtituendis miniſtris eccleſiae*; cumprimis & *formulam miſſae & communionis*; quam ſollicite ab omnibus ponderandam, CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS pronuntiat, ſiquidem multa ex liturgia antiqua megalander retinuerit; in *disquiſit. de liturgiis, miſſalibus &c. cap. III. p. 66.* In vſum autem licet eccleſiae Wittebergenſis haecce *formula miſſae* concinnata ſit, alibi tamen etiam fuit recepta. LVTHERI exemplum alii quoque imitati ſunt; exſtantque varii eiusmodi libelli; vt VITI DIETERICI *Agenden-Büchlein fur die Pfarrherrn auff dem Lande*; qui libellus itidem a variis eccleſiis receptus fuit; DAV. CHYTRAEI *der fürnehmſten Hauptſtücke chriſtlicher Lehre nützlich vnd kurze*

Er-

Erklaerung, ſamt einer chriſtlichen Kirchen-agenda; & alii eiusdem generis, laudati IO. ANDR. SCHMIDIO, in *diſſertat. de agendis ſiue ordinationibus eccleſiaſticis*, *p. 30*. Poſtquam vero ipſimet principes, ordinesque imperii proteſtantes, religionis & eccleſiae, vti par erat, curam ſuſceperunt; & praeter ritus ac caerimonias, alia quoque ad ius eccleſiaſticum ſpectantia, ſancienda erant; ipſimet in ſuis prouinciis ac territoriis leges circa ſacra ferre, ordinationesque condere eccleſiaſticas, ſuarum duxerunt eſſe partium. Neque dubitandum, quin hocce iure gaudeant; vtpote quod ex iure circa ſacra fluit; quemadmodum hoc citra controuerſiam pars eſt ſummi imperii, ſiue vti in Germania loqui moris eſt, ſuperioritatis territorialis. Eodem porro iure non vt epiſcopi, vt viris quibusdam doctis videtur, ſed vt principes ſeu imperantes vtuntur; cum epiſcoporum, ſecundum mandatum diuinum, non ſit imperare, aut leges ferre, ſed docere & adminiſtrare ſacramenta; ea vero poteſtas, quam romana eccleſia epiſcopis tribuit, reuera ius illud circa ſacra ſit, quod iniquiſſimis auſibus ab iis vſurpatum, poſtliminio ſibi iterum vindicarunt principes proteſtantium. Neque exiſtimandum, ac ſi principes & imperantes proteſtantium, per transactionem Paſſauienſem, & quae hanc excepit, pacem religioſam, hanc circa ſacra, adeoque & leges eccleſiaſticas ferendi, poteſtatem acceperint; quippe quae a ſummo imperio ſeu ſuperioritate territoriali ſeparari nequit; ſed reſtituta ſolum iis fuit, ſimulque impedimenta, quae eius exercitium ſufflaminare poterant, remota. Qua ratione idem ius in *inſtrumento pacis Weſtphalicae* iis fuit confirmatum, *artic. V. §. XVI.* vnde ſimul, quinam ſpeciatim eodem in imperio noſtro gaudeant? intelligere licet. Recte quidem faciunt principes & magiſtratus, ſi theologorum etiam, quorum in eiusmodi rebus perſpecta eſt peritia & prudentia, praeſertim in iis, quae ad ritus & caerimonias ſpectant, vtantur conſilio; quemadmodum & ab iis factum, qui primum ordinationes eiusmodi in noſtra eccleſia promulgarunt. IOANNIS enim BVGENHAGII, ANT. CORVINI, VRB. RHEGII, MART. CHEMNITII, IAC. ANDREAE, aliorumque, operam eo tempore ſaepiſſime in conſcribendis ordinationibus eccleſiaſticis adhibitam, conſtat. Ipſa tamen poteſtas, eiusmodi ordinationes condendi, efficiendique, vt vim legum habeant, manet penes imperantes, rerumque dominos. Vnde & conſequitur, omnes, qui illorum imperio ſubiecti ſunt, vt reliquis eorum legibus, ita & ordinationibus eccleſiaſticis (ſi modo nihil, quod verbo diuino repugnet, contineant) obligari, neminemque ſine peccato eas migrare aut iis reſiſtere poſſe. Aequitas autem etiam atque charitas poſtulat, vt quae ad ordinem, ſine quo eccleſia conſiſtere nequit, cuſtodiendum ſpectant, diligenter obſeruemus, eaque adeo agamus, quibus, nos vera eccleſiae membra eſſe, demonſtremus. Legenda, quae recte & diligenter hac de re monet ERN. SAL. CYPRIANVS, in *dem kurzen Bericht von Kirchen-Ordnungen, ſo wohl aus heiliger Schrifft, als denen Geſchichten der erſten vnd reineſten Kirchen, wohlmeynend erſtattet*, §. *II. p. 3. ſeqq.* Plura de ordinationibus eccleſiaſticis dabit IOAN. ANDR. SCHMIDIVS, in *diſſertat. hiſtorico-theologica de agendis ſiue ordinationibus eccleſiaſticis*, Helmſtadii 1718. 4. cui ſubiunctus eſt *adparatus agendorum eccleſiaſticorum antiquiorum & recentiorum, quae hodie in Chriſtiani Iulii Bokelmanni, eccleſiaſtae Cellenſis, bibliotheca conſpiciuntur.* Singulari namque ſtudio, magnoque ſumtu CHRIST. IVL. BOKELMANNVS, eccleſiaſtes Cellenſis, ordinationes eccleſiaſticas principum, aliorumque imperantium in Germania, ex ſaeculo XVI, XVII & initio XVIII, quarum haud exiguus eſt

eſt numerus, conquiſiuit; & velut bibliothecam quamdam *agendorum eccleſiaſticorum* inſtruxit; cuius adeo indicem, quibusdam adhuc *ordinationibus eccleſiaſticis* auctum, diſſertationi ſuae ſubnectere, SCHMIDIVS operae duxit eſſe pretium. Sed eumdem quoque *adparatum Bokelmannianum*, ſeu eius potius indicem, *diſſertationi* ſuae *theologicae de obligatione ordinationum eccleſiaſticarum* ſubiunxit IOAN. KAHLERVS, theologus Rintelienſis, Rintelii 1721. 4. Vtrobique addita eſt *adpendix agendorum*, *quae adhuc deſiderantur*. Numerus omnium agendorum typis exſcriptorum, prout in *adparatu* KAHLERI *diſſertationi* ſubiuncto, exhibetur, exſurgit vsque ad 260. Nonnullas ordinationes eccleſiaſticas ex eodem *adparatu Bokelmanniano* etiam recenſet IVST. HENNING. BOEHMERVS, in *iure eccleſiaſtico proteſtantium &c. lib. I. tit. II. §. XCII. p. 158. ſeqq.* De agendis ſeu ordinationibus eccleſiaſticis Suecorum, Danorum, Anglorum, aliorumque, nonnulla collegit CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *diſquiſit. de liturgiis, miſſalibus, agendis & libris eccleſiaſticis, eccleſiae orientalis & occidentalis*, eiusdem *inſtitutionib. hiſtor. eccleſiaſticae* ſubiuncta, *cap. III. p. 67. ſeqq.*

§. X. Atque ex hiſce etiam principiis diiudicandum, quibus limitibus tum ſummorum imperantium, tum epiſcoporum, ſeu verbi diuini miniſtrorum, in rebus ad ſacra & religionem ſpectantibus, ſit circumſcribenda poteſtas. Ea namque res maximum in iurisprudentia eccleſiaſtica trahit momentum. Iuuabit quoque obſeruare, diuerſa poteſtatis huius, tum imperantium ſummorum, tum epiſcoporum, miniſtrorumque verbi diuini intuitu, pro diuerſo eccleſiae chriſtianae ſtatu, fuiſſe fata.

* Cum integrum, eumque haud exiguae molis, librum haec tractatio poſtulet; nos inſtituti noſtri memores, per ſumma rerum eundo capita, praecipua ſolum momenta, praecipuosque indicabimus auctores. Atque hi quidem in duas abeunt claſſes, dum alii pro imperio, alii pro ſacerdotio pugnant; quamquam vtrique diuerſa hoc faciant ratione. Quidam ex illis, qui poſterius faciunt, ad ipſos prouocare ſolent gentiles, apud quos ius, ſeu poteſtas circa ſacra penes ſacerdotes, non autem penes magiſtratum fuerit, quamquam non negent, apud eosdem inueniri, quae pro contraria ſententia vrgeri queant; videatur IO. ABRAH. KROMAYERVS, in *commentat. theologica de poteſtate eccleſiaſtica, quam vocant, externa &c. prolegom. cap. II. §. X. p. 18. 19.* Parum vero tandem noſtra refert, quo pacto iſta res apud gentiles ſeſe habuerit; cum non tantum a recta rationis ductu ſaepe diſceſſerint, ſed apud chriſtianos quoque eorum exemplum non adeo magni ſit ponderis. Lectu interim dignae ſunt IO. ANDR. BOSII noſtri *exercitationes duae*, altera *de pontifice maximo Romae veteris*, altera *de pontificatu maximo imperatorum romanorum, praecipue chriſtianorum*; quae cum *introductione* eius *in notitiam ſcriptorum eccleſiaſticorum*, aliisque opuſculis, cura & ſtudio IO. GEO. WALCHII recuſae ſunt, Ienae 1723. 8. Nimirum cum magna apud veteres Romanos pontificum maximorum eſſet poteſtas, auctoritasque; facile primi imperatores perſpexerunt, imperium ſibi non conſtare, niſi pontificatus, adeoque ſuprema circa ſacra poteſtas, cum eo coniuncta eſſet; recteque adeo rebus ſuis conſuluerunt, tum ipſi pontifices quoque maximi & eſſe & vocari voluerunt. Horum exemplum etiam primos imperatores chri-

chriſtianos, ſaltem ad Gratianum vsque, ſequutos magno conſenſu viri docti tradunt, idque contra IAC. GOTHOFREDVM, in diuerſa hic abeuntem, erudite probat BOSIVS, *l. c. exercit. II. cap. III. p. 359. ſeqq.* Sacerdotium, prout in gente iſraelitica ſe habuit, hic itidem in cenſum non venit. Cum enim forma reipublicae iſraeliticae theocratica eſſet; eccleſiae quoque qua externa non poterat non longe alia eſſe gubernatio, quam deinceps eſſe debebat, cum non tantum theocratia iſta ceſſaret, ſed gentiles etiam ad eccleſiae ſocietatem admittendi eſſent; vti ſupra iam ad §. *III.* obſeruauimus. In primitiua eccleſia chriſtiana inter ſacerdotium & imperium nulla potuit eſſe contentio; cum nec Chriſtus, nec apoſtoli poteſtatem, quae imperantibus propria eſt, ſibi vindicarent. Et licet Chriſtus non tantum ſacerdos, & propheta, ſed & rex eſſet; *regnum* tamen *ſuum de hocce mundo non eſſe*, diſerte teſtatus eſt; *Ioan. XVIII. 36.* Apoſtolis etiam atque diſcipulis ſuis ſerio iniunxit, ne imperantium partes ſibi arrogarent; *Luc. XXII. 25.* quemadmodum & ipſimet apoſtoli pro *ſeruis* tantum *Chriſti & diſpenſatoribus myſteriorum diuinorum* reputari voluerunt, *I. Cor. IV. 1.* Sequenti tempore, cum hinc inde chriſtiani in varias ſocietates, ſeu eccleſias particulares coaleſcerent, quae tamen communionis vinculum inter ſe, quantum fieri poterat, conſeruare ſtudebant; non poterant non, qui iis praeerant, epiſcopi & presbyteri, quae ad ordinem & diſciplinam ſpectabant, adminiſtrare; dum ſummi imperantes, vtpote a ſacris chriſtianorum alieni, earum rerum nullam gerebant curam, quin potius exſtinctos & exſtirpatos omnes chriſtianos cupiebant. Hac ipſa tamen etiam de cauſſa contingebat, vt nulla inter imperium & ſacerdotium eſſet contentio. Per creſcentem tamen in dies tribus primis poſt Chriſtum natum ſaeculis epiſcoporum poteſtatem, eccleſiaeque ad ſpeciem reipublicae conformationem, de qua fuſe ſupra diximus, fundamenta contentionum iſtarum deinceps exortarum poſita ſunt. Enimuero licet Conſtantinus magnus, aliique imperatores chriſtiani, non omni circa ſacra poteſtate ſe abdicauerint, ſed ea ſe gaudere, illius, vt in aliis, ita & legibus eccleſiaſticis ferendis, exercitio, demonſtrauerint, vt ad §. *praecedentem* docuimus; plus tamen, quam decet, epiſcopis indulgendo, effecerunt, vt tandem iurisdictionem quamdam ac imperium, ſpeciatim eam partem, quae circa ſacra verſatur, ſibi vindicarent. Qua ratione hoc contigerit, alibi exponitur ſuſius; cuncta interim adcurate & diligenter ediſſerit CASP. ZIEGLERVS, de *epiſcopis lib. III. cap. III. §. XXXIX. p. 853. ſeqq.* Quemadmodum vero ſubordinatione illa inter epiſcopos introducta, dum archiepiſcopi eminebant ſuper epiſcopos, & ſuper illos iterum patriarchae, aucta non tantum quorumdam eſt poteſtas, ſed & ambitio creuit; ita cum romani ferre parem non poſſent, omnes tandem abſorbere, &, monarchia quadam ſtabilita, imperio ſuo ſubmittere, conati ſunt; immo tandem in occidentali eccleſia, licet non ſine acri quorumdam repugnantia, ſubmiſerunt. Dum ergo quidam libertate omni alios priuare adnitebantur, alii contra libertatem ſuam defendebant, ac tuebantur; varium ac multiplex hinc ortum eſt pugnae genus. Romani pontifices & epiſcopos & imperantes ſummos ſub iugum mittere, ſecum conſtituerant; vtrique iterum ſe opponebant pontificibus. Rurſus imperantes, qui contra pontifices pugnabant, nondum ideo liberi erant a iugo epiſcoporum. Nouum hinc inter imperantes & epiſcopos, ſeu alios ſacri ordinis viros, qui ſimile quid tentabant, certamen. Quod diſcrimen probe obſeruandum, ſi ſcriptores, qui pro libertate eccleſiae, itemque pro iuribus ſum-

ſummorum imperantium ſcripſerunt, rite diſcernere atque diiudicare velis.

Dum epiſcopi pro ſua & eccleſiae libertate contra pontifices pugnabant, imperatorum equidem & regum ex inſtituto non defendebant iura; tyrannidem tamen vniuerſalem pontificum romanorum vtcumque ſufflaminando vel imminuendo efficiebant, vt ad omnes, ipſos quoque reges ac imperatores, commodum aliquod inde redundaret. In veteri eccleſia cumprimis hoc nomine laudandi epiſcopi africani, qui ſtrenue eccleſiae ſuae libertatem contra iniquos pontificum auſus defenderunt. Legenda MELCH. LEYDECKERI *diſſertatio de libertate eccleſiae africanae, & transmarinis adpellationibus*, quae in *adpendice*, *hiſtoriae* eius *eccleſiae africanae illuſtratae* ſubnexa, ſecunda eſt, *p. 506. ſeqq.* Non minus & orientalis eccleſia, cumprimis patriarchae Conſtantinopolitani, acriter ſe ambitioni pontificum oppoſuerunt, & pro libertate ſua pugnarunt fortiter; contentionibus iſtis tandem in magnum illud ſchiſma, quod hodie adhuc durat, abeuntibus; de quo cum alibi dicendum ſit, nihil nunc addimus. Galliae epiſcopos diu admodum reluctatos, priusquam iugum papale ſubirent; vel ex iis, quae ad §. *praecedentem* de prouocationibus ad ſedem romanam diſputauimus, liquet. Nec tamen ita prorſus pontifices opprimere Galliam potuerunt, quin ſubinde quidam libertatis gallicanae vindices exſiſterent, qui eccleſiae pariter ac regni iura, praeſertim prout ea quodammodo coniuncta ſunt, defenderent. *Sanctio* illa *pragmatica*, cuius fata EDM. RICHERIVS exponit, in *hiſtoria concilior. general. lib. IV. part. I. cap. I.* & reſponſum, quod Philippus pulcher Bonifacio VIII dedit: *ſciat tua maxima fatuitas, in temporalibus nos alicui non ſubeſſe &c.* documento ſunt, regibus Galliae animum non defuiſſe, iura ſua adſerendi. Conferendus IO. HENR. HEIDEGGERVS, in *hiſtoria papatus, per. V. §. CXX.* Quousque in Germania pontificum tyrannis, in imperatorum pariter ac epiſcoporum iuribus opprimendis, progreſſa ſit, omnium luculentiſſime tempore Henrici IV imperatoris patuit. Et licet iam antea etiam fuerint, qui iugum iſtud papale aegre ferrent; ea tamen aetate tam aperta pontificum crudelitas & impudentia quorumdam animos commouit, vt maiori ſtudio iura imperatorum defendere inciperent; quod a pluribus adhuc deinceps factum, cum Ludouicus bauarus magno animo iniquiſſimis auſibus pontificum ſeſe opponeret; vnde & nec ſequenti aetate defuerunt, qui in eodem argumento ingenii vires periclitarentur. Atque huc illi iſtorum ſaeculorum ſcriptores pertinent, quos SIMON SCHARDIVS, atque MELCH. GOLDASTVS iunctim ediderunt. Et illius quidem ſiue SIM. SCHARDII *ſyntagma tractatuum, de imperiali iuriſdictione, auctoritate & praeeminentia ac poteſtate eccleſiaſtica, deque iuribus regni & imperii*, anno 1566 Baſileae editum, poſtea an. 1609 & 18 Argentorati recuſum eſt. Huius autem, ſiue MELCH. GOLDASTI opus, quod *de monarchia ſacri romani imperii* inſcribitur, & in quo exhibentur *tractatus de iuriſdictione imperiali, ſeu regia, & pontificia, ſeu ſacerdotali; deque poteſtate imperatoris ac papae, cum diſtinctione vtriusque regiminis politici & eccleſiaſtici, ex ſingulari mandato aut permiſſu imperatorum romanorum & graecorum, nec non regum Germaniae, Galliae, Italiae, Hungariae, Angliae, Bohemiae &c. a catholicis doctoribus conſcripti ac editi, & nunc iterum ex tenebris producti, recenſiti ac oppoſiti tractatibus eorum, qui vtramque poteſtatem in ſpiritualibus & temporalibus aut adulatorie, aut imperite confundunt*; tribus conſtat tomis, quorum primus Hanouiae an. 1612, alter & tertius Francofurti 1613 & 14 lucem adſpexerunt publicam. In editione, quae Fran-

coſurti 1621 ſequuta eſt, ordo immutatus eſt, vt *tertium tomum* volumen primum, *primum* ſecundum, & *ſecundum* tertium exhibeat. Quid in vtraque collectione tum SIM. SCHARDII, tum MELCH. GOLDASTI contineatur, recenſet CASP. SAGITTARIVS, in *introduct. ad hiſtor. eccleſiaſt. cap. XXVII. p. 725. ſeqq.* Idem, ad GOLDASTI collectionem quod attinet, facit CHRIST. THOMASIVS, ita, vt tum de ſingulis auctoribus ſuam ἐπίκρισιν addat, tum quid generatim de hocce GOLDASTI labore ſentiendum ſit, pronuntiet; in *hiſtoria contentionis inter imperium & ſacerdotium, cap. IX. §. XCI. p. 84. ſeqq. cap. XI. §. CLII. ſeqq. p. 207. ſeqq.* Nimirum non omnes imperatorum cauſſam ea, qua par erat ratione, egiſſe, mirum non eſt; cum eo tempore bonarum litterarum lux, quae deinceps orbem illuſtrauit, ſolidioraque principia, quibus ſummorum imperantium iura in tuto collocari poſſunt, ſubminiſtrauit, nondum exorta eſſet; multi etiam, quantumuis iniquitatem pontificum romanorum viderent, praeiudicatas tamen opiniones de ſumma eius poteſtate nondum exuere potuerint; hinc & imperatores ita defendere voluerint, ne offenderent prorſus pontifices. Accedebat, quod licet, tandem nonnulli iura imperatorum contra pontifices tuerentur; eadem tamen ab ipſorum epiſcoporum oppreſſionibus vindicare vix cuiquam in mentem veniret. Epiſcopi autem dum vna cum imperatoribus ſe opponebant pontificibus; non tam imperatorum, quam ſuam cauſſam agebant.

Per emendationem eccleſiae, a beato MARTINO LVTHERO ſuſceptam, optima occaſio, iura ſua recuperandi, ſummis imperantibus rerumque dominis offerebatur; qua tamen non omnes vſi ſunt; omnium minime illi, qui a romanae eccleſiae diſcedere ſacris ſibi religioni duxerunt; quamquam & horum longe melior, quam antea, in quam plurimis facta ſit conditio. Cum enim pontifices artes ſuas omnium oculis expoſitas viderent; cautiores facti, tam aperte, vt olim, ſummis imperantibus inſultare, ſuumque in eos exercere imperium, auſi non ſunt; quemadmodum rurſus imperantes bruta pontificum extimeſcendi fulmina non adeo magnas ſibi eſſe cauſſas perſpexerunt. Vti vero nihiloſecius pontificibus ſemper conſtitutum fuit, imperium ſuum retinere, & augere, aut amiſſum recuperare; ita nec defuerunt, qui cauſſam eorum agerent, ſummamque illorum in reges ac principes qua temporalia quoque poteſtatem adſererent. Hoc ROB. BELLARMINVS, CAES. BARONIVS, IAC. GRETSERVS, aliique, ex Ieſuitarum praecipue ordine, ſibi datum crediderunt. Cui ſententiae cum GVIL. BARCLAIVS librum oppoſuiſſet, de *poteſtate papae, an & quatenus in reges & principes ſaeculares ius & imperium habeat?* aduerſarium expertus eſt ROB. BELLARMINVM, cardinalem, in tractatu: de *ſummi pontificis in rebus temporalibus poteſtate, aduerſus Guilielmum Barclaium;* BARCLAII rurſus partes in ſe defendendas ſuſcipiente IOANNE, epiſcopo Roffenſi, in *libris duobus de poteſtate papae in rebus temporalibus, ſiue in regibus deponendis, vſurpata aduerſus Robertum cardinalem Bellarminum, in quibus reſpondetur auctoribus, ſcripturis, rationibus, exemplis, contra Guilielmum Barclaium allatis, nec non ſex, vel verius quinque exemplis, quibus morte praeuentus non reſponderat Guilielmus Barclaius;* Londini 1614. Detecta iam antea an. 1605 in Anglia conſpiratio pulueraria aliis quoque eiusdem generis ſcriptis occaſionem dederat; cumque Iacobus rex *iuramentum fidelitatis* a ſibi ſubiectis exigeret, quo profiterentur, Iacobum legitimum regem eſſe, nec pontifici fas eſſe reges imperio priuare, aut illis ſubiectos ab obſequio liberos pronuntiare; Paulus v pontifex romanae eccleſiae in Anglia addictis, vt eiusmodi iure iurando fidem ſuam

am obſtringerent, permittere noluit. Eam ob cauſſam ipſemet rex Iacobus *apologiam pro iuramento fidelitatis* ſcripſit; quam cum ROB. BELLARMINVS & NICOL. COEFFETEAV, ſiue COEFFETELLVS, adlatraſſent; occaſio hinc data fuit PETR. MOLINAEO, edendi librum de *monarchia temporali pontificis romani, quo imperatoris, regum & principum iura aduerſus vſurpationes papae defenduntur, & docetur, quibus artibus papa ab humili ſtatu ad tantae potentiae culmen adſcenderit;* Londini 1614. Atque eiusdem generis ſcriptis quoque aliis vt ſubinde inter proteſtantes & romanenſes pugnatum fuit; ita adhuc obſeruandum, cum & inter ipſos romanae eccleſiae addictos, non vna omnium de poteſtate, quam pontifices in iura imperantium ſibi tribuunt, eſſet ſententia; non ſemel in ipſa quoque iſta eccleſia concertationes quaſdam hac ſuper re exortas eſſe. Exemplum praebent notiſſima illa de libertate eccleſiae gallicanae certamina, impugnantibus eam aliis, aliis propugnantibus, defendentibusque. Quae quidem eccleſiae gallicanae libertas, nonnulla ad regnum quoque regesque ſpectantia complectitur. Praecipua namque eius capita ſunt: *papa non eſt infallibilis, nec eccleſiae canones poteſt tollere, vel mutare; concilium vniuerſale eſt ſupra papam, nec papa quidquam in rebus fidei ſine adprobatione concilii atque eccleſiae valide decernere poteſt; immo a papa ad concilium vniuerſale prouocare licet; papa non poteſt deponere reges, atque eorum ſubditos a iuramento fidelitatis abſoluere: papa non eſt caput eccleſiae, ſed tantum primus & ſupremus epiſcopus: controuerſiae eccleſiae gallicanae in eadem debent per duodecim prouinciales epiſcopos decidi, non autem per curiam romanam; libri rituales eccleſiae romanae non ſunt obtrudendi eccleſiae gallicanae, quae libere propriis ritualibus vtitur; papae non competit ius epiſcopatus & alia officia ſacra conferendi, ſed tantum principibus, quibus ius epiſcopos eligendi merito debetur: annatae ſunt iniquae, nec amplius tolerandae; in rebus matrimonialibus ſuſcipienda eſt etiam poteſtas ciuilis.* Haud exiguus eſt ſcriptorum numerus, qui iſtam eccleſiae gallicanae libertatem aut defenderunt, aut impugnarunt; quos diligenter recenſet, qui & capita iſta praecipua huius libertatis iam memorata exhibet, PETR. ZORNIVS, in *tractatu de libertatibus eccleſiae gallicanae, antiquae & hodiernae, in quo agitur tum de capitibus libertatum eccleſiae illius, tum de ſcriptoribus gallis antiquis & recentiſſimis, qui vel libertates eccleſiae ſuae defenderunt, vel oppugnarunt, commemoratis paſſim praecipuis curiae & facultatis Pariſienſis decretis huc ſpectantibus &c.* Roſtochii, ſine anni mentione, 4. Praecipui ex libertatis eccleſiae gallicanae defenſoribus ſunt: NAT. ALEXANDER, ANT. ARNALDVS, STEPH. BALVZIVS, IO. GERBASIVS, cuius ſupra quoq; iam facta mentio, GABR. GERBERON, IO. LAVNOIVS, IO. MABILLONIVS, LVD. MAIMBVRGIVS, PETR. DE MARCA, CAR. MOLINAEVS, LVD. ELL. DV PIN, PETR. PVTEANVS, PASCH. QVESNELLVS, EDM. RICHERIVS. Inter impugnatores libertatis eccleſiae gallicanae eminent NIC. COEFFETEAV, ſiue COEFFETELLVS, ANDR. DV VAL, PHIL. LABBEVS, IO. MORINVS, IACOB. PERRONIVS, cardinalis, IAC. SIRMONDVS, COELESTINVS marchio de SFONDRATI. De quibusdam ſpeciatim quaedam monere, operae pretium fuerit.

Nimirum ad NAT. ALEXANDRVM quod attinet; romano pontifici poteſtatem in temporalia regum principumque ſummo imperio gaudentium, recte tribui, diſerte negat. Fatetur, fuiſſe plurimos tum ex doctoribus ſcholaſticis, tum ex iuris peritis, qui poteſtatem pontificis eo vsque prouexerint; ſed ſubiungit; horum omnium auctoritatem, non poſſe euertere ipſam

 veri-

Digitized by Google

veritatem; *hiſtor. eccleſ. ſaec. XVI. diſſert. V. p. 438.* Diſplicuit haec ALEXANDRI ſententia tum aliis, tum maxime FRANCISCO D' ENGHIEN, Dominicani itidem ordinis homini, qui libellum, *auctoritas ſedis apoſtolicae in reges*, ſiue *auctoritas ſedis apoſtolicae, pro Gregorio VII. papa, vindicata*, inſcriptum, illi oppoſuit; in cuius praefatione eum vocat *Dominicanae familiae filium degenerem, pontificiae laeſae maieſtatis reum*; tribuitque illi, quod *ab auito cultu degenerans in ſanctam apoſtolicam ſedem, eiusque praeſulem calamum ſtrinxerit*, & quae alia ſunt eiusdem generis. Nec mitius erga ALEXANDRVM ſe gerunt, qui librum FRANCISCI D' ENGHIEN adprobarunt, IO. ANTONIVS D' AVBERMONT, & FRANC. IANSSENS ELINGA, quorum ille inter alia ita pronuntiat; *a maiorum veſtigiis deuio fratri, ac in contraria ſtudia infeliciter abrepto, veritatis facem praeluxiſſe, vt in viam redeat, fraternae pariter ac religioſae diſciplinae character eſt.* Sed *apologetica diſſertatione*, ſtilo ſatis acri conſcripta, cauſſam ſuam egit ALEXANDER, quae inter *ſaeculi decimi quinti & decimi ſexti* diſſertationes ſexta eſt, *p. 445. ſeqq.* Porro pontificem infra concilium vniuerſale eſſe, eiusque adeo decretis obſtringi, operoſe oſtendit in *diſſert. de auctoritate & ſenſu decretorum, ſeſſionum quartae & quintae ſynodi Conſtantienſis, concilii generalis auctoritatem ſpectantium*, quae inter *diſſertationes ſaeculi decimi quinti & decimi ſexti*, quarta eſt, *p. 365. ſeqq.* Diſputat ibidem contra EMMAN. SCHELSTRATENVM, qui *acta Conſtantienſis concilii ad expoſitionem decretorum eius ſeſſionum quartae & quintae facientia, nunc primum ex codicibus manuſcriptis in lucem eruta, ac diſſertatione illuſtrata*, Antwerpiae 1683. 4. edidit. Cum namque anno praecedenti 1682 clerus gallicanus ex ſeſſione quarta & quinta concilii iſtius Conſtantienſis, auctoritatem conciliorum generalium pontificis romani decretis anteferendam, probaſſet; SCHELSTRATENVS contra, vt pontificum ſupra concilia auctoritatem vindicaret, haud ſpernendam illorum eſſe ſententiam, contendit, qui decreta iſta Conſtantienſia indubitatae auctoritatis eſſe negant, aut ea iuſto valore ac robore deſtitui, adſerunt. Reſpondit SCHELSTRATENO LVDOV. MAIMBVRGIVS in *tractatu hiſtorico de inſtitutione & praerogatiuis eccleſiae romanae eiusque epiſcoporum*; cui SCHELSTRATENVS mox *tractatum de ſenſu & auctoritate decretorum Conſtantienſium ſeſſ. IV. & V. circa poteſtatem eccleſiaſticam editorum, cum actis & geſtis ad illa ſpectantibus, & ex manuſcriptis italicis, germanicis & gallicis in lucem erutis*, oppoſuit, Romae 1686. 4. Sed iſti conatus SCHELSTRATENI, vti nec alios, ita nec NAT. ALEXANDRVM impediuerunt, quo minus in ſua perſiſterent ſententia. Et hicce quidem in eo quoque ſe libertatis eccleſiae gallicae defenſorem demonſtrat, quod cenſuram facultatis Pariſienſis, in illam IOANNIS DE MONTESONO propoſitionem: *ſolius ſedis apoſtolicae eſt declarare, damnare & reprobare; & eorum, quae tangunt fidem, ad ſolum ſummum pontificem pertinet examinatio & deciſio*, calculo ſuo adprobat atque defendit; *hiſtor. eccleſ. ſaec. XIII. & XIV. diſſert. XII. p. 526. ſeqq.* itemque, quod *ius regaliae* Galliae regibus adſerit, quamquam ne pontificem offenderet, *ſe non dogmatice, ſed hiſtorice, & aliorum ſententias, rationes, reſponſa, duntaxat referendo*, hoc argumentum tractare, videri velit; *ſaec. XIII. & XIV. diſſertat. VIII. p. 424. ſeqq.* Verum idem hicce ALEXANDER non ſemper ſibi conſtat. Alibi enim pontificum romanorum quouis modo captat beneuolentiam, & velut immemor ſui ipſius talia propugnat, quae cum libertate eccleſiae gallicanae conſiſtere nequeunt. Quae de canonibus concilii

lii Sardicenſis, quibus pontificiae maieſtatis propugnatores ius prouocandi ad ſedem romanam defendere ſolent, eius ſit ſententia, iam ad §. *praecedentem* expoſuimus. IO. LAVNOIVS, theologus Pariſienſis, ſed vir cordatus, in libro *de veneranda romanae eccleſiae traditione circa ſimoniam*, annatas, velut exſecrandum ſimoniae genus perſtrinxerat; at harum defenſionem in ſe ſuſcepit ALEXANDER, *hiſt. eccleſ. ſaec. XV. & XVI. diſſertat. IX. p. 562. ſeqq.* Cumprimis vero animum iniquiſſimum prodit, dum, quae improbat, pontificum in Galliae reges, eorumdem in imperatores germanicos, ad eorum iura conculcanda, laudat facinora; quod praeter alia in eo recte reprehendit ELIAS VEIELIVS, in *diſſert. iſagogica in ſelecta hiſt. eccleſ. capita, art. VIII. §. IV. p. 268. ſeqq.*

Inter reliquos, qui pro libertate eccleſiae gallicanae, ſimulque adeo pro iure regum pugnarunt, eminet PETRVS DE MARCA, archiepiſcopus Pariſienſis, cuius *diſſertationum de concordia ſacerdotii & imperii, ſeu de libertatibus eccleſiae gallicanae libri octo*, multorum teruntur manibus, magnamque conſequuti ſunt celebritatem. Ediderat PETR. PVTEANVS opus de *libertatibus eccleſiae gallicae*, quod cum motus quosdam excitaſſet, OPTATVS GALLVS (quo ſub nomine presbyter quidam Pariſienſis, cui nomen HERSENS, latitat vti PETR. BAELIVS auctor eſt, *diction. hiſt. & crit. voc. Marca p. 2028.*) *de ſchiſmate cauendo* librum edidit, in quo ſententiam, quam nonnulli ob PVTEANI librum animo conceperant, RICHELIVM cardinalem id agere, vt patriarchatum in regno Galliae erigeret, haud obſcure confirmabat, immo addebat, magnum virum in partes tractum promiſſis ingentibus, qui ſcripto defenderet, quae pro ea cauſſa cardinalis facturus erat, PETRVM DE MARCA hiſce verbis deſignans. Inuidiam itaque, quae inde in ſe redundare poterat, declinaturus RICHELIVS, nomine regis per archiepiſcopum Burdegalenſem PETRO DE MARCA imperat, vt aduerſus hunc libellum ſcribat, *ſed ea methodo, ne libertates eccleſiae gallicanae quas per latus non occulte petebat Optatus, aliquam paterentur iniuriam; quin immo id ſedulo ageret, vt omnes intelligerent, libertates illas nihil detrahere de reuerentia, quae debetur romanae ſedi, quam prae cunctis ſemper nationibus Galli conſtantiſſime retinuerunt.* Ita & occaſionem, & ſcopum huius operis exponit STEPH. BALVZIVS, in *vita Petri de Marca*, eidem praemiſſa, *§. VIII. p. 9.* Intelligitur inde, vtrique, & RICHELIO cardinali, & PETRO DE MARCA conſtitutum fuiſſe, eccleſiae, regnique gallicani libertatem, ita tueri, ne offenderent nimis pontificem. Et ad RICHELIVM quidem quod attinet, etſi a quibusdam inter libertatis eccleſiae gallicanae defenſores referatur; eum tamen ſerio id non egiſſe, conſtat. Myſterium omne adcurate detegit, & exponit IO. FRICKIVS, theologus Vlmenſis clariſſimus, quem hac de re audire iuuabit. *Is*, inquit, de cardinali hocce verba faciens, *vti ſane in opprimendo Richerii dogmate totus fuit; ipſe nimirum aduerſiſſimus ariſtocratico regimini, quod doctor ille Sorbonicus vnice commendabat; ita tamen alia rurſus manu haud ſegniter gallicanae eccleſiae libertates promouiſſe, videri voluit. Nimirum, cum non ferret, ob Ludouici XIII regis ſui cum Sueciae rege magno Guſtauo, & corona ſuecica fedus, cuius ipſe ſummus & ſuaſor & auctor fuerat, indignis modis Romae ſe lacerari, maxima nimirum inuidiae parte in Richelium cardinalem vndique, vt probe nouerat, redundante; cohibendam minis & conatibus animoſis cenſuit aulam pontificiam, ne ad fulmina, procul iam oſtenſa, perueniretur. Hinc modo de conciliatione proteſtantium cum Romano-catholicis audita aliquorum conſilia; & ſi pontifex abnueret, minae clam*

clam ſparſae, poſſe fortaſſis etiam abſque papa gubernari gallicanam eccleſiam, ſub patriarcha ſcilicet, ſeruatis ritibus priſtinis paſcendam; modo quaeſiti ſtudioſe viri docti, qui de libertatibus eccleſiae gallicanae ſcriberent, abſque metu, etiamſi aegerrime laturum ſcriptionem talem Romanum pontificem facile praeuidebat. Nam ad id ipſum ſuſceperat iſta omnia, multo cum aſtu & adparatu cardinalis, vt Romanam duritiem, quam prae ſe papa ſaepiuſcule ferebat, vlciſceretur; haud quaquam (quod aliquibus viſum praeter rem eſt) ac ſi in animum induxiſſet vmquam, deſerere ſacra fidei Romanae; in *inclementia Clementis examinata, diſſertat. I. cap. II. §. II. p. 30.* Quantumuis autem PETRVS DE MARCA magna cautione vſus eſſet, ne romanam curiam irritaſſe videretur; multa hinc etiam ad pontificum auctoritatem ſtabiliendam inſeruiſſet; indignationem tamen eius euitare non potuit. *Offendit tamen*, inquit STEPH. BALVZIVS, *(quis crederet?) hic liber romana ingenia, nullam aliam ob cauſſam, vt Marca exiſtimabat, quam quod in fronte operis admoneret, heic agi de libertatibus eccleſiae gallicanae. Vnde Romanis (quorum aures teneritudine quadam plus trahuntur) promtum fuit ſibi perſuadere, illum libertati eccleſiaſticae aduerſari, qui de libertatibus eccleſiae gallicanae (proh nefas!) agebat ex profeſſo; l. c. p. 12.* Immo, cum deinceps PETRVS DE MARCA epiſcopus Conſoranenſis a rege nominatus eſſet; plurimae illi Romae obiectae ſunt difficultates, ob illud ipſum *de concordia ſacerdotii & imperii* opus, quo minus confirmationem pontificis impetrare poſſet. Fuſe iſta omnia enarrat BALVZIVS *l. c.* qui & FRANC. ALBICIVM, poſtea cardinalem, dixiſſe, memorat, *Marcam eſſe manifeſte haereticum, nullumque vmquam haereticorum fuiſſe magis iniquum aduerſus eccleſiam; porro, ſummum pontificem numquam conſenſurum, vt ille fiat epiſcopus; nam ſi id faceret, idem eſſet, ac ſi lupum mitteret in ouile; l. c.* Nec voti fuit PETRVS DE MARCA compos fieri potuit, donec Barcinone anno 1646 libellum edidiſſet, *quo editionis librorum de concordia ſacerdotii & imperii conſilium exponit, opus apoſtolicae ſedis cenſurae ſubmittit, & reges canonum cuſtodes, non vero auctores eſſe docet.* Ita enim libellus iſte inſcribitur, teſte BALVZIO, *l. c.* Atque ita tandem epiſcopatum iſtum obtinuit; non tamen plane adquieſcentibus romanae curiae addictis, variaque tentantibus, vt priorem plane retractaſſe ſententiam videretur. Et licet PETRVS DE MARCA, cum controuerſia de duplici eccleſiae capite Petro & Paulo exorta eſſet, iuſſu pontificis, qui fidem eius explorare volebat, diſſertationem *de ſingulari primatu Petri* an. 1647 ſcripſiſſet, aliaque ad captandam romanae curiae beneuolentiam egiſſet; non tamen ad labem, quam ſemel contraxerat, eluendam, hoc ſufficere videbatur. Legenda, quae STEPH. BALVZIVS narrat *l. c. §. XV. XVI. p. 15. 16. & §. XXV. ſeqq. p. 24. ſeqq.* Haec vero omnia qui paullo adcuratius conſiderauerit, intelliget, PETRO DE MARCA, viro cetera doctiſſimo, & candorem & conſtantiam in libertate & regni & eccleſiae gallicanae defendenda defuiſſe; quod & de pleriſque, qui eamdem cauſſam egerunt, eſt obſeruandum. Ipſum illud interim *de concordia ſacerdotii & imperii* opus, vt multiplici eruditione refertum, ita lectu dignum, praeſertim ſi quis recte a perperam dictis diſcernere valeat. Prima in Germania editio, poſt tertiam gallicanam prodiit Lipſiae 1708. fol.

Maiori ſinceritate & conſtantia regni eccleſiaeque gallicanae libertatem defendit EDM. RICHERIVS, doctor Sorbonnicus; quamquam & ſuo docuerit exemplo, quantis qui hoc faciunt, ſeſe exponant periculis. Tota veluti vita eius nihil aliud, quam continuum certamen fuit contra romanae

manae curiae addictos, qui id vnice agebant, vt regni eccleſiaeque gallicanae iura opprimerent; vti illi teſtantur, qui eam deſcripſerunt, quod & ADR. BAILLETVS fecit, ſi modo is auctor eſt, *vitae Edmundi Richerii, doctoris Sorbonici*, quae lingua galllicana Leodii 1714. 8. prodiit, & cuius ſummam IO. CLERICVS exhibet, *biblioth. ancien. & modern. tom. XII. part. I. artic. p. 1. ſeqq.* Recenſentur quoque fata RICHERII in *hiſtoria cenſurae aduerſus Andream Santarellum latae;* itemque in CLAVD. BARTH. MORISOTI *epiſtola ad Curetum*, an. 1633 ſcripta. Primum turbarum initium inde repetendum, quod RICHERIVS IO. CHARLIER. GERSONEM, qui olim itidem libertatem eccleſiae gallicanae propugnauerat, a calumniis & obtrectationibus ROBERTI BELLARMINI cardinalis defendere auſus eſſet. Prodiit iſta *apologia pro Ioan. Gerſonio, pro ſuprema eccleſiae & concilii generalis auctoritate, atque independentia regiae auctoritatis ab alio, quam a ſolo Deo, aduerſus ſcholae Pariſienſis & eiusdem doctoris chriſtianiſſimi obtrectatores*, Lugduni Batauorum 1676. 4. atque recenſetur a IO. CLERICO, *biblioth. anc. & mod. tom XIII. part. II. artic. VI. p. 345. ſeqq.* Accedebat deinde immane illud Henrici IV Galliae regis parricidium, oſtendebatque luculenter, quid regibus a pontificibus & eorum adſeclis exſpectandum eſſet. Cumque renouandum eſſet iuſſu parlamenti Pariſienſis Sorbonnae decretum contra eos, qui docent, tyrannos licite occidi poſſe; RICHERIVS non tantum, inſtitutum hoc ſaluberrimum pro viribus promouere conabatur; ſed & cum IAC. PERRONIVS cardinalis in ſollemni oratione, nomine totius cleri habita, iura & ſceptra imperantium romani pontificis legibus ſubieciſſet, immo ſententiam aduerſam, ceu infamem & haereticam traducere non dubitaſſet; RICHERIVS dogmatibus eiusmodi ſaluti & regni & eccleſiae gallicanae noxiis ſtrenue ſeſe oppoſuit; editoque *de eccleſiaſtica & politica poteſtate* libello (de quo deinceps) monarchiam papalem impugnauit, ipſumque PERRONIVM cardinalem haud obſcure perſtrinxit. Hinc cardinalem iſtum acerrimum infenſiſſimumque expertus eſt hoſtem; qui & turpiſſimus erat pontificis adulator, & libertatis eccleſiae gallicanae oppreſſor. Accedebant praeter alios IAC. SIRMONDVS & PETR. COTTONVS Ieſuitae, cumprimis autem ANDR. DVVAL, doctor Sorbonnicus, qui quidquid poterat, ad perdendum RICHERIVM contulit. Tanta autem iſtorum hominum erat malitia, vt RICHERII aegrotantis manum arriperent, & ita libello ſubſcribere cogerent, in quo ſententia eius damnabatur; ne quid de eo dicam, quod per ſatellites a duce Eſpernonio immiſſos, e collegio cardinalis Monachi abreptus & carceri intruſus, aegre amicorum & academiae Pariſienſis interceſſione ad ſenatum, libertati ſuae reſtitutus ſit; nec de eo, quod in aedes P. IOSEPHI Capucini ad prandium, & amica colloquia doloſe inuitatus, & poſtmodum praeſente notario apoſtolico ad ſcribendam libelli ſui *de eccleſiaſtica & politica poteſtate* retractationem ſtrictis pugionibus adductus ſit. Conſtans nihilominus vsque ad mortem in ſententia ſua permanſit RICHERIVS, neue poſt mortem aduerſarii aliud quid illi adfingere poſſent, teſtamento ſuo, an. 1613 primum condito, deinceps ſingulis annis recognito, tandemque concluſo & obſignato, proſpexit. Idemque cum ſcripta quaedam poſt mortem eius edita teſtentur; commenta fabulasque narrant, qui eum ſententiam libere & ſerio retractaſſe, nobis perſuadere adnituntur. Varia EDM. RICHERIVS ſcripſit, ad eumdem ſcopum collineantia, inter quae eminet libellus *de eccleſiaſtica & politica poteſtate*; quo & vel maxime pontificiae monarchiae patronos offendit,

offendit, poſtquam ſe eius auctorem profeſſus erat. Initio namque ſine ipſius nomine prodierat. Non tantum enim ANDREAS DV VALLIVS, antea nobis memoratus, aliique eumdem ſibi refutandum ſumſerunt; verum IAC. PERRONIVS cardinalis, omnem mouit lapidem, vt in ſynodis quibusdam damnaretur. Ab Innocentio etiam XI pontifice in indicem librorum prohibitorum relatus eſt hiſce verbis: *Edmundi Richerii opera; cuius eſt etiam liber anonymus prohibitus, & qui denuo prohibetur, inſcriptus: de eccleſiaſtica & politica poteſtate liber vnus &c.* Prodiit hicce liber tum alias, tum & Coloniae (ſi inſcriptioni fides habenda) anno 1701. 4. Addita in hac editione eſt ipſius auctoris *defenſio libelli de eccleſiaſtica & politica poteſtate, in quinque libros diuiſa*, quae tum primum lucem adſpexit. Vtrumque librum recenſet IO. CLERICVS, *biblioth. anc. & mod. tom. XII. artic. II. & III. p. 91. & 125. ſeqq.* Excerpta etiam ex vtroque exhibet CHRIST. THOMASIVS, in *hiſtoria contention. inter imper. & ſacerdot. adpend. ad cap. I. §. IX. p. 316. ſeqq.* qui & *§. XVI. p. 339.* obſeruat, etſi EDM. RICHERIVS ac MARC. ANT. DE DOMINIS in eo conuenerint, quod vterque monarchiam romani pontificis impugnauerit; in eo tamen diſcrimen inter illos interceſſiſſe, quod hic ſingulis epiſcopis plenam poteſtatem eccleſiaſticam tribuerit, ille vero ariſtocraticum eccleſiae regimen omnibus epiſcopis commune, monarchia tamen papali temperatum, defenderit. De RICHERII *hiſtoria conciliorum generalium* ſupra iam diximus, eamque itidem ad defenſionem libelli *de eccleſiaſtica & politica poteſtate* ſpectare, monuimus. Hiſce denique addendae eiusdem *vindiciae doctrinae maiorum ſcholae Pariſienſis, ſeu conſtans & perpetua ſcholae Pariſienſis doctrina, de auctoritate & infallibilitate eccleſiae in rebus fidei ac morum, contra defenſores monarchiae vniuerſalis, & abſolutae curiae romanae;* Coloniae 1683. 4. quarum ſummam legere licet in *actis erudítor. Lipſ. 1684. p. 103. ſeqq.*

Similia iam ante RICHERIVM fata expertus eſt CAROL. MOLINAEVS, iureconſultus ſuo tempore longe celeberrimus, idemque regiae poteſtatis ſtrenuus defenſor. Hic cum fraudes impias pontificum, vimque ab iis poteſtate regum toties illatam, ferre non poſſet; in commentario ad edictum Henrici II regis *ad paruas datas*, vti vocatur, Lugduni 1552 primum edito, mox Baſileae recuſo, arcana romanae curiae & ſincere detexit, &, ea tum ſaniori antiquitati, tum Galliae libertati, aduerſari, demonſtrauit; immo etſi non ignoraret, in quanta ſe coniiceret pericula, an. 1562 *conſultationem aduerſus concilium Tridentinum* edidit, in qua concilium hocce Galliae, vtpote libertatibus eius aduerſum, vitiisque plurimis laborans, minime admittendum, probabat; quae tamen carcerem, aliaque incommoda grauiſſima illi attraxit. Defenſores autem nactus eſt in hacce cauſſa MICH. HOSPITALIVM, regni cancellarium, ARN. FERRERIVM, Galliae in ſynodo Tridentina legatum, INSVLANVM & FABRVM PIBRACIVM, collegas ſuos, aliosque. Legenda, quae IO. FRICKIVS obſeruat, in *inclementia Clementis examinata, diſſert. I. cap. II. §. VI. p. 22.* Inter eos, qui libertatem regni & eccleſiae gallicanae impugnarunt, vel maxime commemorandus eſt *anonymus* quidam *Leodienſis*, in *tractatu de libertatibus eccleſiae gallicanae*, in quo ſubinde ſpeciatim contra PETR. DE MARCA diſputat; cuiusue excerpta exhibet CHRIST. THOMASIVS, in *hiſtoria contention. inter imper. & ſacerdot. adpend. cap. I. §. VII. pag. 307. ſeqq.* Ad rem ipſam quod attinet, eos quidem, qui libertatem regni & eccleſiae gallicanae impugnant, cauſſam defendere peſſimam, nemo dubitauerit. Meliorem qui-

quidem tuentur, qui pro altera ſtant parte; praeterquam vero, quod plerumque nec candide, nec conſtanter, hoc faciant, vt antea iam obſeruauimus; ne irae & indignationi ſatellitum pontificis romani ſe exponant; nihil efficere poſſunt tam diu, quamdiu praecipua diſſentientium fundamenta, eccleſiam eſſe rempublicam, ordinisque ſacri viris, cumprimis epiſcopis, recte imperium aliquod tribui, & quae alia ſunt eiusdem generis, non labefactant; quod tamen ab iis, qui eccleſiae romanae ſacra amplectuntur, fruſtra exſpectaueris. Diuerſa interim controuerſiae huius in ipſa Gallia fuere fata, prout regibus, eorumque miniſtris viſum fuit, pontificum romanorum aut captare, aut negligere fauorem. Hoc enim ſi contingat, maior libertas conceditur illis, qui pro regni & eccleſiae gallicanae iuribus pugnant; qua non gaudent, qui hoc facere volunt, ſi priori modo res ſe habeat. Mirantur vero merito viri docti, reges Galliae, eorumque miniſtros interdum tam parum, quid e re ſua ſit, perpendere, vt iurium ſuorum defenſores acerba quaeuis & atrocia pati cogant, quos fouere potius, praemiisque adficere debebant. Quae diximus, ex ipſius ſanctionis pragmaticae variis comprobari poſſunt fatis, quae EDM. RICHERIVM in *hiſtor. concilior. general. lib. IV. part. I. cap. I.* deſcripſiſſe, antea obſeruauimus. Cumprimis autem addenda, quae de fatis libertatis eccleſiae gallicanae erudite & eleganter diſſerit IO. FRICKIVS, theologus Vlmenſis, non ſemel nobis laudatus, in *inclementia Clementis examinata*, *diſſert. I. cap. II. p. 18. ſeqq.* Dum enim in iſta *diſſertatione cauſſas conſtitutionis Clementinae* exponit, *cap. II. de libertate eccleſiae gallicanae* ex inſtituto verba facit, & quo pacto recentiori aetate libertas illa regni & eccleſiae gallicanae mirum in modum labefactata ſit, oſtendit. Nonnulla etiam, quae huc ſpectant, ipſemet attigi in *diſſert. de concordia religionis chriſtianae, ſtatusque ciuilis, c. IV. §. XIV. p. 154. ſeqq.*

Non tantum in Gallia, ſed & in Italia, praeſertim inter Venetos & Paulum V pontificem, de limitibus ſacerdotii & imperii acriter diſputatum fuit. Legem condiderant Veneti, qua eccleſiaſticis interdicebatur, ne quid ſoli, & immobilium bonorum poſſent acquirere; deinde alteram, ne quis vllam religioſam domum, ſine ſpeciali ſenatus conceſſione, fundandi poteſtatem ſibi ſumeret. Accedebat, quod Veneti abbatem quemdam, atque canonicum, enormium ſcelerum reum, carceribus mancipauerant. Contigerant iſta, viuente adhuc Clemente VIII pontifice, qui & prudenter ea diſſimulauerat. Paulus autem V multum ferocior, amplumque imperium quaerens, nec vllam occaſionem, auctoritatem ſibi comparandi, praetermiſſurus, negabat, ſe permiſſurum, vt eccleſiaſtici a magiſtratu ſaeculari iudicarentur; leges quoque iſtas, vtpote conciliis & conſtitutionibus imperialibus aduerſas, nullo gaudere robore, decreuit. Quid porro inter Venetos ac pontificem hac in re actum ſit, & qua ratione pontifex non ſine dedecore inferior ex hoc certamine diſceſſerit, exponere huius loci non eſt. Id ſolum monemus, durante hacce lite, varia vtrimque edita fuiſſe ſcripta, ad cauſſam hancce, ſeu limites ſacerdotii & imperii ſpectantia. Pro Venetis pugnarunt IO. MARSILIVS, NIC. CRASSVS, ANTON. QVIRINVS, aliique. Et ANTON. quidem QVIRINVS ſenator, populare ſcriptum a ſupremo decemuirorum conſilio, poſtquam a ſex theologis, totidemque iure conſultis, adprobatum fuit, ſubſcriptum, non ſine bile ceteroquin compoſitum, euulgauit, quo & legum controuerſarum promulgationem nouam defendit, nihilque, quod non iuſtum honeſtumque ſit, a ſenatu factum, contendit. Anonymi quoque cuiusdam eodem

tempore lucem adſpexit ſcriptum, doctorum quorumdam virorum, cumprimis F. PAVLI Veneti, ſiue PAVLI SARPII, cuius *hiſtoriam concilii Tridentini* nemo ignorat, teſtimoniis munitum. Nimirum PAVLVS hicce SARPIVS, ex Seruitarum ordine, reipublicae Venetae theologus, iudicium ſuum *conſiderationum* nomine ſubiecit, in quo tanta prudentia, tantoque ingenii acumine Venetos contra pontificem defendit, vt omnibus dubiam palmam reddiderit. Alius praeterea anonymus, qui ipſe PAVL. SARPIVS eſſe creditur, eamdem cauſſam peculiari libro egit; quemadmodum & praefationis, duobus IOAN. CHARLIERII GERSONIS opuſculis, eodem collineantibus, atque tum recuſis, praemiſſae, auctor idem PAVL. SARPIVS eſſe adſeritur. Atque huncce anonymum, itemque GERSONIS opuſcula, adgreſſus eſt ROB. BELLARMINVS, cardinalis, qui principem inter eos, qui pro pontifice pugnabant, tenebat locum; ſimul tamen & EDM. RICHERIO occaſionem praebuit, GERSONIS defenſionem in ſe ſuſcipiendi, vt antea iam obſeruauimus. Reſpondit BELLARMINO, erroresque innumeros ei ob oculos poſuit, IO. MARSILIVS, Neapolitanus, ex ordine ſeraphico, & exempla, quibus cardinalis probare voluit, eos, qui pontificibus, eorumque ambitioni ſe oppoſuerunt, miſere periiſſe, exploſit. PAVLI vero SARPII *conſiderationes* antea memoratas, ad quas BELLARMINVS nihil regeſſerat, peculiari libro ad partes vocauit IO. ANT. BOVIVS, Nouarienſis, quem longo rurſus, & ἀκρίβειαν auctoris demonſtrante ſcripto confutauit F. FVLGENTIVS Brixianus, ex Seruitarum ordine. Sequebantur deinde duorum cardinalium ASCANII COLVMNAE & CAES. BARONII vota, quibus cenſuras pontificis non ſolum laudabant, ſed etiam pontificem, vt exſequutioni ſtrenue inſiſteret, adhortabantur. Sed vtrique iterum IO. MARSILIVS reſpondit, antea nobis iam laudatus. Plura de hiſce omnibus dabit IO. HENR. HEIDEGGERVS, in *hiſtoria papatus, per. VII. §. CCXX. p. 322. ſeqq.* Legendi & de certaminis huius hiſtoria IAC. AVG. THVANVS, *hiſtor. lib. CXXXVII.* toto, atque M. ANT. DE DOMINIS *de rep. eccleſ. lib. V. cap. IX. §. XLII. p. 420. ſeqq.* Praecipuum inter eos, qui eo tempore Venetorum cauſſam agebant, locum cum PAVLVS ille SARPIVS teneat; varia is, vti ex dictis liquet, compoſuit ſcripta, quibus cumprimis adhuc addendum, quod ante paucos annos demum ex tenebris in lucem emerſit, & italice pariter ac gallice Hagae comitum anno 1720. 12. prodiit. Gallice inſcribitur: *les droits des ſouverains defendus contre les excommunications & les interdits des papes, ou examen & refutation des droits d'excommunier les ſouverains, que les papes ſe ſont iniuſtement attribuéz &c.* Primum illud, certe ex primis fuit, quae eo tempore in iſta cauſſa fuere compoſita, idque auctor manuſcriptum inquiſitoribus ſtatus reipublicae Venetae exhibuit; hinc vero, cum ab aliis deſcriberetur, poſt tantum temporis interuallum, exemplum aliquod in manus eius incidit, qui orbis eruditi illud exponere oculis operae duxit eſſe pretium. Conſtitutum autem auctori in hocce libro eſt, erigere & confirmare inquiſitorum ſtatus reipublicae Venetae animos, ne excommunicationis papalis fulmine commoueantur, quin potius vt ſpernant illud, ac alto ſupercilio contemnant; ſcrupulosque conſcientiae, ſi qui forte orirentur, illis eximere. Hinc italica inſcriptio ita ſe habet; *conſolatione della mente, nella tranquillita di conſcienza cauſata dal bon modo di viuere nella Citta de Venetia, nel preteſo Interdetto di Paolo quinto.* Summam eius exhibet IO. CLERICVS, *biblioth. anc. & mod. tom. XIV. part. II. artic. II. pag. 306. ſeqq.* Qui idem hocce ſcriptum recenſuit *dans le iournal des ſçavans menſe Nouembr. p. 490.*

p. 490. ſeqq. dubitat, an illud recte PAVLO SARPIO tribuatur?

Dum ſuperiori ſaeculo in Gallia, magnis animorum motibus, magnoque ſtrepitu de libertate eccleſiae gallicanae diſputabatur; ex noſtratibus IO. SCHILTERVS, iure conſultus longe clariſſimus, ſuarum duxit eſſe partium, Germaniae quoque eccleſiarum libertatem omnium oculis exponere, quod & fecit editis de *libertate eccleſiarum Germaniae libris ſeptem*, qui cum eiusdem auctoris *de prudentia iuris chriſtianorum libro*, itemque *diſſertatione de fatis eccleſiarum ſancto Ioanni reuelatis*, Ienae prodierunt anno 1683. De fatis nimirum libertatis eccleſiarum Germaniae, a prima illarum origine, vsque ad eccleſiae reformationem, ordine per ſex integros libros diſſerit, ea quidem ratione, vt ſubinde hiſtoriae eccleſiaſticae Germaniae lucem egregiam adfundat; libro vero tandem ſeptimo de *inſtaurata libertate eccleſiarum Germaniae per reformationem* verba facit. Occaſionem hinc & initia reformationis iſtius exponit, deque concordia imperatoris & ordinum circa reformationem perficiendam agit; itemque de ſperata reformatione vniuerſali, eiusdemque impedimentis. Nimirum, etſi imperator & ordines romanae eccleſiae ſacris addicti, quae LVTHERVS & euangelici docebant, non adprobabant; tyrannidem tamen pontificis, varioſque abuſus, in eccleſia romana regnantes, aegre ferebant, & hactenus eccleſiae quamdam optabant emendationem; quam tamen ipſimet rurſus impediebant, dum veritati doctrinae euangelicae ſe opponebant. Dum reliqua SCHILTERVS perſequitur, de induciis religioſis, de concordia eccleſiarum Germaniae tentata, de concilio Tridentino, de conſtitutione interimiſtica, de concilio Tridentino per pacem religioſam diſturbato, de eiusdem concilii exitu & auctoritate; porro de impedimentis reformationis vlterioris, de libertate eccleſiarum Germaniae denuo impugnata, & per pacem Osnabrugenſem iterum reſtituta, copioſe & luculenter diſſerit. Cuncta vero qui paullo adcuratius conſiderauerit, facile perſpiciet, auctorem libertatem eccleſiarum Germaniae intuitu pontificum romanorum conſiderare, prout hi eam ſubinde opprimere tentarunt, & prout rurſus ab imperatoribus ordinibusque imperii contra eosdem adſerta eſt & vindicata, maxime a proteſtantibus, poſtquam iugo iſtorum praeſulum colla ſua prorſus ſubduxerunt. Et hactenus cum gallicanae eccleſiae defenſoribus in eo, quod caput cauſſae eſt, conſentit, nec vlterius progreditur. Nondum autem iſta ad iura imperantium plene vindicanda ſufficere, maiorisque adhuc libertatis ſpem, eccleſiae emendationem attuliſſe, ex dicendis patebit. Enimuero per iſtam eccleſiae emendationem ſummis imperantibus auctoritatem poteſtatemque, quae illis debetur, redditam, certe occaſionem, eam recuperandi, ſuppeditatam, ſecuritati eorum non vna ratione proſpectum, & beneficia adeo haud exigua in eos collata, nemo, qui cuncta recte ponderauerit, negare poterit. Demonſtrauit hoc ex inſtituto BALTH. BEBELIVS, in *diſſertat. de beneficiis magiſtratui politico beati Lutheri miniſterio exhibitis*. Spectat huc etiam HECTORIS GOTTFR. MASII, theologi quondam Haffnienſis longe celeberrimi, *intereſſe principum circa religionem euangelicam*, qui tamen quaedam adſperſit, quae non omnibus placuere, notumque ſatis, quaenam hinc ortae ſint controuerſiae. Conferenda, quae dixi in *diſſertat. de concordia religionis chriſtianae ſtatusque ciuilis*, *cap. V. §. III. p. 172. ſeqq.* Quodſi etiam principia iſta iuris eccleſiaſtici, quae ex mente ſententiaque proteſtantium ad *§. praeced.* conſtituimus, quaeue ſecundum rectae rationis ductum conſtituenda ſunt, rite obſeruentur; nulla de limitibus imperii atque ſacer-

cerdotii poteſt eſſe contentio. Regum principumque eſt imperare, hinc & qua externa eccleſiam dirigere, modo non ipſimet iure ſuo ſe abdicent; miniſtrorum verbi diuini atque epiſcoporum eſt, docere, erudire populum, adminiſtrare ſacramenta, claue ſoluente & ligante recte vti.

Haec licet in aprico poſita ſint; ſubinde tamen tum inter reformatos, tum inter noſtrae eccleſiae addictos, de hiſce limitibus lites quaedam ſunt exortae. Et ad reformatos quidem quod attinet, ſpectat huc controuerſia, quae Heidelbergae excitata eſt, cum THOM. ERASTVS, medicus, a quo, qui eamdem ſententiam defendunt, Eraſtiani dicti ſunt, cum aliis quibuſdam diſciplinam eccleſiaſticam, atque excommunicationem, reiiceret atque impugnaret. Rem omnem IO. HENR. HEIDEGGERVS hunc in modum enarrat: *Quam* (diſciplinam eccleſiaſticam) *poſt Brunnerum eccleſiaſten Heidelbergenſem, Thomas Eraſtus, Heidelbergenſis ibidem medicus, conſentientibus Chriſtophoro Probo, cancellario archi-palatino, & Adamo Neuſero, paſtore ad D. Petri, qui poſt ad Arianos & Turcas ipſos defecit, aduerſus Oleuianum, inſtitutionem diſciplinae ad exemplar Geneuenſis, vrgentem, vehementer impugnauit. Cenſebant enim illi, eccleſiae nullum regimen, nullam ſententiae dictionem, nullum forum, nullam poteſtatem verbum Dei per cenſuras, excommunicationem imprimis, adplicandi a Chriſto datam eſſe; poteſtatem clauium in ſolo verbi praeconio conſiſtere; & eccleſiam magiſtratui chriſtiano ſubiectam, omnem quam vſurpat diſciplinae auctoritatem ex mera magiſtratus delegatione vſurpare, cum omnis politia externa, omne regimen, & omnis coetuum minorum poteſtas, in republica a ſumma maieſtate deriuari, & in eamdem refundi debeat. Proin etiam magiſtratuum faſces cenſuris eccleſiae obnoxios eſſe, iidem pernegant, & a ſententiis eccleſiaſticis, ad magiſtratuum tribunalia, vtpote quibus vltimum & ſupremum rerum omnium in republica iudicium conueniat, prouocationem permittunt;* in *corpore theologiae chriſt. loc. XXVII. ſect. I. §. XCIII. p. 606.* conf. & *§. CXXX. p. 626.* Hiſce ERASTI hypotheſibus licet THEOD. BEZA aliique ſe oppoſuerint, quod & IO. HENR. HEIDEGGERVS *l. c.* facit; ita tamen comparatae ſunt, vt non videam, quo pacto conuelli queant, quin ſimul ius ſummorum imperantium circa ſacra labefactetur. Regimen enim eccleſiae, iuriſdictio, facultas coactiua, poteſtas puniendi, & quae eiuſdem ſunt generis, vti citra controuerſiam ſummum imperium arguunt; ita eccleſiae nullo modo tribui poſſunt, niſi eam in rempublicam commutare, & ita rempublicam in republica ſtatuere, imperantesque ſummos magna imperii parte ſpoliare velis. Eccleſiam vniuerſalem nullo modo vt rempublicam concipiendam, particularesque inſtar collegiorum a ſummo imperante dependentium ſeſe habere, ſaepe iam monuimus. Ad excommunicationem quod attinet, ſi vt poena quaedam ciuilis ſpectetur, eccleſiae itidem tribui nequit; quemadmodum rurſus rectum legitimumque clauis ligantis & ſoluentis vſum verbi diuini miniſtris denegare non licet. Plura de ERASTO & Eraſtianis dabit CHRIST. THOMASIVS, in *notis ad Huberum de iure ciuit. lib. V. p. 166. ſeqq.* & in *hiſtoria contention. inter imper. & ſacerdot. adpend. cap. I. §. XIX. p. 344.* item IO. GEORG. PERTSCHIVS, *im Recht des Kirchenbannes &c. cap. XI. §. III. pag. 337. ſeqq.* Iis, quae de ERASTO & Eraſtianis dixerat, IO. HENR. HEIDEGGERVS porro quaedam ſubiungit, quae itidem ad eiuſdem controuerſiae hiſtoriam ſpectant: *Quorum* (Eraſtianorum) *ſententiam in Anglia gliſcentibus presbyterianos inter & independentes controuerſiis, quidam Colemannus Londinenſis paſtor incruſtauit, qui politicorum inſtinctu & va-*

Digitized by Google

& vana prurigine motus, in concione Londini parlamenta coram habita, regimen eccleſiae magiſtratui obtulit, cui ſe G. Gilleſpius, miniſter Edimburgenſis & celeberrimus Samuel Rheterfoordius, doctiſſimis diſſertationibus, quibus omnem Eraſtiani commenti iniquitatem aperuerunt illi, oppugnatum iuerunt; l. c. §. XCIII. p. 606. In ſequentibus hiſtoriam huius controuerſiae ita porro pertexit: *Quorum* (pſeudo-politicorum) *anteſignanus Thomas Eraſtus cum complicibus ſuis eccleſiae poteſtatem omnem abdicauit, & politico magiſtratui ſubiecit. Ei in Anglia Colemanniani, in Belgio Grotius & remonſtrantes, quos peculiari libro Vtenbogardus defendit, magiſtratui architectonicam in eccleſiam poteſtatem adſerens, ſecundas fecerunt. Sed remonſtrantes, qui, quamdiu magiſtratum ſibi fauentem & propitium experti ſunt, mire poteſtatis eius periſtromata dilatarunt; conuerſa fortuna, velificationem ſinuare coeperunt. Nam Epiſcopius diſputatione de iure magiſtratus circa ſacra, anno 1618 edita, diſcrimine inter eccleſias templares ſeu publicas & priuatas, ſeu publico-priuatas, quae in propriis aedificiis ſegreges a templaribus coetus celebrat, muſſitato potius quam conſtituto, in illas magiſtratum iure diuino omne pleniſſima, in has nulla omnino pollere, obſcurius paullo inſinuauit; ſed mox detecto arcano omni, remonſtrantes tum in confeſſione, cap. 25. tum in eiusdem apologia cap. 24. 25. muſſitarunt. Poſt pugnam cum remonſtrantibus pugnatam duo reformati theologi editis ſuper hac controuerſia ſcriptis, pomum ἔριδος in medium proiecerunt; vnus, auctor breuis reſponſionis ad ſolutiones datas &c. cui Petrus Cabeliauius reſpondit; alter Vedelius vulgato de epiſcopatu Conſtantini magni libro, quem Reuius, Triglandius, & Apollonius refutarunt. Qui eos ſequuti praelium inſtaurare conati ſunt, Ludouicus Molinaeus, paraeneſi ad aedificatores imperii in imperio, edita, & Lambertus Veltbuyſius, qui eccleſiam ſpolium dominantium ſcrip[s]it, ab anonymo, qui Ioannes Broun Scoto-Britannus eſt, aliiſque, ad partes vocatus eſt, actum egerunt, & operam luſerunt; l. c. §. CXXX. pag. 626.* Haec ideo recitare viſum fuit, quoniam hiſtoriam iſtius controuerſiae in eccleſia reformata velut in compendio exhibent. Iuuat tamen nonnulla illuſtrationis cauſſa addere. Et primo quidem ad Anglos quod attinet, quaenam epiſcoporum apud eos ſit auctoritas atque poteſtas, neminem fugit. Proxime namque ad epiſcoporum eccleſiae romanae accedit poteſtatem, ſi non prorſus eadem eſt; immo certo modo maior, dum epiſcopi Angliae imperio pontificis non ſunt obnoxii. Eam itaque ſummi imperii partem, quae ius circa ſacra complectitur, in Anglia penes epiſcopos eſſe, dubio caret. Licet autem presbyteriani epiſcopalibus acriter ſe oppoſuerint, & praeter alia epiſcopale eccleſiae regimen vehementer impugnauerint; vt alibi copioſius exponimus; non tamen ideo exiſtimandum, ac ſi poteſtati imperantium multo latiores conſtituerint limites, quam epiſcopales. Conſentiebant enim vtrique in eo, ius circa ſacra non ad imperantes ſpectare, ſed ad eccleſiam; de eo ſolum diſceptabant, num hocce ius in eccleſia per epiſcopos, an per presbyteria adminiſtrari debeat. Cum vero deinceps independentes exorirentur, hi demum magiſtratui ſummam in rebus eccleſiaſticis poteſtatem tribuebant; adeoque ab vtriſque, tum epiſcopalibus, tum presbyterianis in hocce capite diſſentiebant. Immo dicebant aperte, *presbyteriale regimen reipſa, mutato tantum nomine & pompa, epiſcopalem poteſtatem ac tyrannidem ſibi in eccleſias arrogare;* teſte GEO. HORNIO, *hiſtor. eccleſ. period. III. artic. III. §. XLI. p. m. 428.* Atque ex horum independentium numero COLEMANNVS ille fuit, paſtor Londinenſis, cuius antea facta eſt mentio. Horum etiam partes tuendas ſuſce-

ſuſcepit LVDOV. MOLINAEVS, PETRI MOLINAEI filius, edito libro, quem inſcripſit: *paraeneſis ad aedificatores imperii in imperio; in qua defenduntur iura magiſtratus aduerſus Moyſen Amyraldum, & vindices ceteros poteſtatis eccleſiaſticae presbyterianae*, Londini 1656. 4. De hocce MOLINAEI libro MELCH. LEYDECKERVS ita pronuntiat: *Notus eſt liber Lud. Molinaei, paraeneſis &c. praeſertim contra Amyraldum edita & Dallaeum, anno 1656, vbi damnata hierarchia epiſcopali, & regimine ſimul presbyteriali, tradita tandem omnia politico principi vides, independentium conſiliis. Itaque Thomam Eraſtum ad caelum extollit, cum Grotio. Liber T. Cromwellio dedicatus eſt, eoque intelligas, quod independentiſmi finis politica ſit eccleſiae gubernatio: hic exitus. Quam voluiſſem D. I. Owenum, Lud. Molinaeo non conſenſiſſe, implicitum iisdem conſiliis, data ad eum epiſtola, quae operi praefixa eſt! Erat Molinaei in academia Oxonienſi collega. Ibi ſcripſit eruditiſſimum tractatum de iuſtitia Dei vindicatiua, Th. Cromwellio dedicatum;* ad *Georg. Hornii hiſtor. eccleſ. l. c. p. 429.* Et alibi: *Beza Eraſtum refutauit libro de excommunicatione. Patri degener filius, Lud. Molinaeus paraeneſi ad aedificatores imperii in imperio, hunc Eraſtum defendit, & celebrauit ſummis laudibus, vt magnum theologum, tum philoſophum, & operum naturae & artis ſagaciſſimum indagatorem, cui cum Grotio plus fidei tribuendum ſit, in hoc articulo, quam theologis, qui ſcilicet animum non imbuerunt cognitione omnium diſciplinarum & ſcientiarum, & nihil non in ſuam rem diſputarunt; quin & celeberrimum Voëtium inſectatus eſt impudenter, vt papam Vltraiectinum; qui tamen Cromwellii adulator erat mercenarius, politicum papam introducebat, & Hobbeſianiſmo vires addebat; l. c.* ad *§. LVIII. p. 497.* Nimirum cum GISB. VOETIVS, in *politica* ſua *eccleſiaſtica*, receptam eccleſiae reformatae ſententiam, a principiis Eraſtianis multum diſſidentem, defendiſſet; MOLINAEVS ſub LVDIOMAEI COLVINI nomine, an. 1668 Londini librum edidit, inſcriptum: *papa Vltraiectinus, ſeu myſterium iniquitatis reductum a clariſſimo viro Gisberto Voëtio, in opere politiae eccleſiaſticae.* Hoc ſupra iam obſeruauimus; cumque aliis ſcriptis eodem ſpectantibus occaſio hinc data fuerit, ea a CHRIST. THOMASIO, *hiſtoria content. inter imp. & ſacerdot. adpend. cap. I. §. XLVII. p. 423. ſeqq.* recenſeri, ibidem iam monuimus; add. IOAN. GEO. PERTSCHIVS, in *dem Recht des Kirchenbannes cap. XI. §. V. pag. 343. ſeqq.* Inter eos, qui recentiori aetate in Anglia iura epiſcopalia a magiſtratu independentia adſeruerunt, eminet HENR. DODWELLVS, qui tum alibi, tum in *paraeneſi ad exteros de nupero ſchiſmate anglicano &c.* Londini 1704. 8. hoc ex inſtituto agit. De libro: *iura eccleſiae chriſtianae defenſa contra presbyteros romanos & omnes eos, qui poteſtatem independentem ſibi tribuunt &c.* inſcripto, cuius pars I anglice anno 1706 prodiit, maximasque in Anglia turbas dedit, & ſcriptis ei oppoſitis, conferendus IO. CLERICVS, *biblioth. choiſ. tom. X. art. V. p. 305. ſeqq.* item *tom. XX. part. II. art. XIV. p. 396. ſeqq.* & *tom. XXI. part. I. artic. I. ſeqq. p. 1. ſeqq.* Ad remonſtrantium atque contra-remonſtrantium ſuper hocce capite controuerſias quod attinet; notum ſatis eſt, cum primum orirentur, a remonſtrantium partibus ſtetiſſe, quos penes eo tempore ſumma rerum in Belgio foederato erat poteſtas. Ad horum itaque auctoritatem ſe recipiebant remonſtrantes, cum viderent, diſputationibus, deliberationibus, conuentibus, ſe parum ad ſummam rei proficere, ſcripſitque IO. VYTENBOGARDVS anno 1610 lingua belgica librum, de *officio & auctoritate ſupremi chriſtiani magiſtratus in rebus eccleſiaſticis;* quem tamen RVARDVS ACRONIVS, ex ipſis VYTENBO-

BOGARDI ſcriptis refellere conatus eſt. Interea ordines Hollandiae & Friſiae occidentalis anno 1614 edictum promulgarunt, quo vtrique parti iniungebatur, vt controuerſias modeſte tractarent, paci ſtuderent, ſeque inuicem in mutua charitate tolerarent. Quod cum aegre ferrent contra-remonſtrantes IO. BOGERMANNVS & SIBR. LVBBERTVS, publicis ſcriptis illud impugnarunt, euincereque voluerunt, magiſtratus non eſſe, in eiusmodi rebus eccleſiaſticis leges praeſcribere. Tum vero HVGO GROTIVS librum prorſus egregium *pietas ordinum Hollandiae* inſcriptum, edidit, in quo ſummorum imperantium in rebus eccleſiaſticis poteſtatem vindicauit; quemue deinceps *apologetico* defendit; qui & in libro poſthumo, de *imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra*, a IO. CHRIST. BECMANNO operi eius de *iure belli & pacis* ſubiuncto, idem argumentum pertractauit. Conferendus HENR. LVD. BENTHEMIVS, in *dem hollaendiſchen Kirchen- und Schulen-Staat part. I. cap. XVIII. §. XII. p. 638.* VYTENBOGARDO ſe etiam oppoſuit ANT. WALAEVS, in libro de *auctoritate magiſtratus in rebus eccleſiaſticis*; quem GERH. IO. VOSSIVS refutauit, in *epiſtola*, quae exſtat in *praeſtantium & doctorum virorum epiſtolis eccleſiaſticis & theologicis, p. m. 467. ſeqq.* vti hunc rurſus GISB. VOETIVS *polit. eccleſiaſt. part. III. lib. IV. tract. I. cap. XII. p. 806. ſeqq.* Nouas deinde turbas dedit NIC. VEDELII diſſertatio, an. 1638 Dauentriae habita, de *magiſtratu, contra Bellarminum de laicis*, quam deinceps an. 1642 inſcriptam: de *epiſcopatu Conſtantini magni, ſeu de poteſtate magiſtratuum reformatorum diſſertatio repetita cum reſponſione ad interrogata quaedam*, cum praefatione ANDR. RIVETI & IO. MACCOVII recudi curauit; Leouardiae 1642. 12. Ei namque & IAC. REVIVS & GVIL. APOLLONIVS ſe oppoſuerunt; de quibus vti & reliquis eo ſpectantibus ſcriptis cum CHRIST. THOMASIVS fuſe agat, in *hiſtor. content. inter imper. & ſacerdot. adpend. cap. I. §. XXV. p. 349. ſeqq.* nihil amplius addimus.

Quae noſtrae eccleſiae de limitibus ſacerdotii & imperii ſit ſententia, nemini obſcurum eſſe poteſt. Epiſcopis certe non alia, quam quae doctorum eſt, poteſtas, in *Auguſtana confeſſione* tribuitur: *ſic autem ſentiunt* (eccleſiae noſtrae) *poteſtatem clauium, ſeu poteſtatem epiſcoporum, iuxta euangelium poteſtatem eſſe, ſeu mandatum Dei, praedicandi euangelii, remittendi & retinendi peccata, & adminiſtrandi ſacramenta; abuſ. VII. p. 37.* Latius haec ibi ediſſerunt pii confeſſores, ſedulo inculcantes, non eſſe commiſcendas, poteſtatem eccleſiaſticam & ciuilem. Idque repetunt & pluribus etiam confirmant, tum in *apolog. Auguſtanae confeſſionis artic. XIV. p. 294. ſeqq.* tum in *articulis Smalcaldicis p. 351. ſeqq.* Conferenda, quae dixi in *diſſertat. de orig. & poteſtate epiſcoporum contra Henricum Dodwellum, §. XLII.* Atque haec principiis quoque iſtis iuris eccleſiaſtici, quae ſcriptura ſacra atque recta ratio ſuppeditant, quaeue ſupra indicauimus, plane ſunt conſentanea. Auditae nihiloſecius ſunt querelae, tum theologorum de imperantibus, quod plus quam decebat, in rebus eccleſiaſticis, ſibi vindicent, tum rurſus politicorum ac iure conſultorum de theologis, verbique diuini miniſtris, quod ea, quae in rebus eccleſiaſticis imperantium ſunt propria, ſibi tribuant. In publica tamen certamina, quantum mihi conſtat, ea res non erupit; donec recentiori aetate quidam ex iure conſultorum ordine iura imperantium in regimine eccleſiae tueri, ſuarum duxerunt eſſe partium; quos inter praecipuum locum tenet CHRIST. THOMASIVS, qui ipſemet ſcripta ſua eo ſpectantia, controuerſiasque, quae ipſi cum aliis hancce ob cauſſam interceſſerunt, commemorat, in *hiſtoria content. inter im-*

per. & ſacerdot. adpend. cap. I. §. LV. p. 451. ſeqq. Cumprimis noſtra aetate agitata eſt quaeſtio, num principes ſeu imperantes, ſumma circa ſacra poteſtate gaudeant vt imperantes ſeu principes, an vero vt epiſcopi; Cum enim vſu receptum ſit, principes etiam *epiſcopos*, & ius, quod circa ſacra verſatur, *ius epiſcopale* vocare; nonnulli in eam ingreſſi ſunt ſententiam, ius illud circa ſacra, ſi primam originem ſpectes, penes eccleſiam eſſe, a qua illud in ſummos imperantes ſit translatum, qui adeo eodem non vt principes, ſeu imperantes, ſed vt epiſcopi gaudeant. Sed error inde enatus, quod vera & genuina vocis *epiſcopus* ſignificatio in eccleſia romana prorſus ſit immutata. Cum namque ſecundum ſcripturam ſacram epiſcopi nihil aliud ſint, quam paſtores, atque diſpenſatores myſteriorum Dei, quorum eſt, paſcere gregem, hoc eſt, docere & erudire populum, ac ſacramenta rite adminiſtrare; in romana tandem eccleſia epiſcopi adpellati ſunt, qui regimen eccleſiae, adeoque ius circa ſacra, quod imperantium proprium eſt, ſibi vindicarunt; hinc & ius illud, quod circa ſacra verſatur, *ius epiſcopale* vocari coepit. Iſtudque ius circa ſacra cum principes proteſtantes circa initium reformationis eccleſiae poſtliminio ſibi iterum adſererent; mos tamen loquendi receptus hinc inde permanſit, vt illud *ius epiſcopale*, & ipſi imperantes *epiſcopi* dicerentur. Perperam quidem; ſiquidem hac ratione vera notio vocis illius, ex ſcriptura ſacra, non ex vſu eccleſiae romanae, haurienda, peruertitur; & in errorem etiam iſtum plurimi inducuntur, ac ſi ius circa ſacra rerum dominis, non vt imperantibus, ſed vt epiſcopis conueniat. Enimuero cum ius illud citra controuerſiam pars ſit ſummi imperii; non poteſt ab eo ſeparari; multo minus epiſcopis tribui, quorum munus eſt non imperare, ſed docere. Eccleſia quoque in ſe ſpectata cum nullum habeat imperium; illud imperantibus, ſeu rerum dominis dare non potuit. Errare namque eos, qui eccleſiam vniuerſalem vt rempublicam quamdam concipiunt, ſupra iam docuimus; quemadmodum & id inculcauimus, eccleſias particulares inſtar collegiorum ſe habere, quae directioni ſummorum imperantium ſunt obnoxia. Et ita iuribus ſummorum imperantium proſpicitur, vt eccleſiae nihil inde adimatur, nec religioni vllum creetur periculum. Quemadmodum enim poteſtas illa ſummorum imperantium ad externa ſolum ſpectat, eaque a ſcriptura ſacra non determinata; ita circa ea, quae ex ſcripturae ſacrae praeſcripto credenda aut agenda ſunt, nihil iuris hominibus, quicumque demum ſint, relictum eſt; &, ſi imperantes aliquid, quod hiſce contrarium ſit, conſtituere audeant, Deo magis, quam illis obediendum eſſe, nouimus. Praeterea, cum eccleſia quaeuis particularis inſtar collegii ſeu ſocietatis particularis, ſed dependentis, concipiatur; iuribus quoque eas gaudere collegialibus, inde conſequitur; quae cum aliis eiusmodi ſocietatibus concedantur, eccleſiis ea denegare, iniquum foret. Inter eos vero, qui in contrariam iuerunt ſententiam, & imperantes vt epiſcopos, non autem vt imperantes, iure circa ſacra gaudere, adſeruerunt, eminet IO. ABRAH. KROMAYERVS, cuius *commentatio theologica de poteſtate eccleſiaſtica, quam vocant, externa, penes quem radicaliter ſit, & quibus partibus contineatur, hiſtorice, dogmatice, polemice & practice inſtituta, & edita in gratiam omnium, qui dogma hoc magnum & arduum cognoſcere plenius, & controuerſias, de eo, quae hodie denuo agitantur, rectius diiudicare cupiunt &c.* Gothae 1721 lucem adſpexit, & prorſus huc comparata eſt. Adpendicem quoque ſubiecit, in qua ſcripta quaedam recentiora, idem argumentum attingentia, ALBERTI ſcilicet RIPERI librum, inſcriptum: *Moſes*

deus

deus Aaronis, *ſiue poteſtas atque officium principum in ſacris ex ſola ſcriptura canonica veritatis ſtudio demonſtratum*, Dauentriae 1717. 8. IOAN. CHRIST. SEITZII commentationem: *Chriſti Kirche kein Welt-Reich, vnd weltlicher Herrſchafft weder faehig noch vnterworffen &c.* oppoſitamque libello RIPERI, an. 1718. 8. ſine loci mentione; IO. GEORG. REINHARDI *meditationes de iure principum Germaniae, cumprimis Saxoniae circa ſacra, ante tempora reformationis exercito &c.* Halae Magdeburgicae 1717. 4. & denique anonymi *Vnterſuchung des wahren Grundes, aus welchem die hoechſte Gewalt eines Fürſten über die Kirche herzuleiten iſt*; ibidem 1719. 8. ſub examen vocat. Quo iure in hiſce omnibus auctor aliquid reprehendat, inquirere huius loci non eſt; cumque non ſint vnius generis, nec laudare omnes, nec improbare nobis integrum eſt; rationibus autem, quibus vir iſte doctiſſimus ſuam propugnare ſententiam conatur, abunde a me ſatisfactum puto, in *inſtitutionib. theolog. dogm. lib. V. cap. IV.* ad *§. XXVI. p. 1750. ſeqq.* Atque ita praecipua huius controuerſiae fata, praecipuosque enarrauimus auctores. Horum plures addere potuiſſem, niſi iam alii eosdem recenſuiſſent. Id ſolum adhuc monendum, locum quoque hic ſibi vindicare, qui de excommunicatione ſcripſerunt; ſiquidem imperium illud, quod pontifex atque epiſcopi ſibi arrogarunt, ſe per excommunicationem maxime exſerere ſolet, immo & per eam praecipuum incrementum accepit, vti ſupra iam obſeruauimus. Conferendi itaque, qui de origine, fatis, vſu & abuſu excommunicationis ſcripſerunt; quos inter, ſi recentiores ſpectes, eminent SAM. BASN. FLOTTEMANVILLAEVS, in *annalibus politico-eccleſiaſticis tom. II. diſſertat. III. p. 480. ſeqq.* THEOD. CRVGERVS in *ſchediaſmate hiſtorico, exhibente ſelectas obſeruationes, quae faciunt ad illuſtrandam hiſtoriam cenſurae eccleſiaſticae, ab origine eccleſiae vsque ad noſtra tempora, ordine chronologico, in eccleſia praeſertim pontificia expoſitas, & aliquot diſſertationibus academicis in alma Leucorea ventilatas*; Witebergae 1719. 4. IO. FECHTIVS, in *tractatione theologica de excommunicatione eccleſiaſtica, eiusque indole & aequitate, Godofredo Arnoldo oppoſita*, Roſtochii 1712. 4. qui receptam eccleſiae noſtrae ſententiam tuetur; IO. GEORG. PERTSCHIVS, in *dem Recht der Beicht-Stühle vnd des Kirchenbannes*, Halae Magdeburg. 1721. 4. qui recentiorum iure conſultorum placitis inſiſtit. Conferenda &, quae CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS de excommunicatione diſſerit in *libro de originibus iuris eccleſiaſtici, cap. I. artic. II. p. 10. ſeqq.* alibique; de origine excommunicationis & ipſemet quaedam dixi in *exercit. poſter. de ritibus eccleſiae lat. iudaicis §. IV.* in *parergis hiſtorico-theologicis p. 121. ſeqq.*

§. XI. Obſeruaſſe etiam proderit, quaenam ipſius, quam vocant, hierarchiae eccleſiaſticae, ſeu diſcriminis, quod inter verbi diuini miniſtros intercedit, ſit ratio; cumprimis quodnam eccleſia vetus, ſpeciatim apoſtolica, hac in re nobis reliquerit exemplum; quam longe inde diſceſſerit eccleſia romana; quousque iterum cum eo conueniant eccleſiae proteſtantium.*

* Diſcrimen aliquod in eccleſia inter docentes & auditores ordinis cauſſa admittendum eſſe, illorum iterum certas conſtitui poſſe claſſes, poſitum apud omnes eſt extra controuerſiam. Nec tamen hoc diſcrimen vltra, quam par eſt, extendendum,

vt docentibus plus, & auditoribus minus, quam decet, tribuatur. De docentibus, eorumque diuerſis ordinibus vſurpari ſolet vox *hierarchia;* minus profecto commode; ſiquidem imperium aliquod circa res ſacras denotat; quo tamen non verbi diuini miniſtros, ſed ſummos tantum imperantes gaudere, conſtat, & antea docuimus. Hinc & cum in concilio Tridentino anathematis fulmen in eos vibraretur, qui dicturi eſſent, *in eccleſia catholica non eſſe hierarchiam, diuina ordinatione inſtitutam, quae conſtet ex epiſcopis, & presbyteris, & miniſtris,* fuerunt, quibus vox *hierarchia* admodum diſplicuit, quiue *hierodiaconiam*, vel *hierodulism* potius dicendam, exiſtimarunt; vti ex PETRI SVAVIS POLANI *hiſtoria concil. Trident. lib. VIII. p. 1277.* iam obſeruatum in *inſtitut. theolog. dogmat. lib. V. cap. IV.* ad §. *I. p. 1705.* Hiſtoriam hierarchiae, ſeu regiminis eccleſiaſtici prae reliquis fuſe & adcurate tradit IAC. BASNAGIVS, *dans l' hiſtoire de l' Egliſe tomo I. part. I.* per integrum *librum primum p. 1. ſeqq.* Generatim quoque de hierarchia eccleſiaſtica praecipiunt ex noſtratibus IOACH. HILDEBRANDVS in *tractatu de hierarchia eccleſiaſtica*, Helmſtadii an. 1702. 4. ex romanae eccleſiae addictis DION. PETAVIVS, *libris quinque de hierarchia eccleſiaſtica*, qui *dogmatum* eius *theologicorum* tomo IV exſtant. MARCVS quoque ANTONIVS DE DOMINIS, quae huius loci ſunt, in notiſſimo *de republica eccleſiaſtica* opere attingit. Nobis hoc tantum relictum eſt, vt praecipua momenta paucis delibemus. Primum itaque hic occurrit diſtinctio inter *clericos* & *laicos*; hierarchiae iſtius, quam nonnulli defendunt, praecipuum velut fundamentum conſtituens. Vti enim ſacri ordinis viris regimen aliquod atque imperium ſacrum tribuunt; quod & vox *hierarchia*, vti diximus, indicat; ita non poſſunt non reliquos veluti ciuium atque ſubiectorum loco habere; clericisque adeo inſignem quamdam ἐξοχὴν ac praerogatiuam concedere, ac ſi ii ſoli ſint veluti *ſors* & *heredi-tas*, populusque Dei peculiaris atque electus. Sed haec quidem ratione ſi diſtinctio iſta capiatur; falluntur maximopere, qui eam, ſiue qua voces, ſiue qua rem ipſam ſpectatam, in ſcriptura ſacra inuenire, aut ab ipſis apoſtolis ſe repetere originem poſſe, ſibi perſuadent. At perſuadet tamen ſibi poſt CAES. BARONIVM, aliosque, PETR. DE MARCA, in *diſſertatione de discrimine clericorum & laicorum*, quae inter diſſertationes, operi eius *de concordia ſacerdotii & imperii* ſubnexas, *nona* eſt, *p. m. 286. ſeqq.* perperam prorſus, vti ex iis patet, quae contra BARONIVM diſputat beatus CHRIST. KORTHOLTVS noſter, in *diſquiſitionibus anti-Baronianis*, *diſquiſit. V.* §. *IV. p. 151.* Conſentiunt in eo plerique, diſcriminis huius originem ab eccleſia iudaica repetendam eſſe: idque dum & IOSEPH. BINGHAMVS adſerit, ad teſtimonium CLEMENTIS Romani prouocat, quod in *priori* eius *ad Corinthios epiſtola num. XL.* exſtat; *origin.* ſiue *antiquitat. eccleſiaſt. lib. I. cap. V.* vbi diſtinctionem hancce contra NIC. RIGALTIVM, CLAVD. SALMASIVM, atque IO. SELDENVM defendere conatur. At ex CLEMENTIS verbis id quidem conficitur, in eccleſia iudaica hocce inter clericos & laicos diſcrimen obtinuiſſe, quod & poſitum eſt extra controuerſiam; apud chriſtianos id iam ea aetate in vſu fuiſſe, nec CLEMENS dicit, nec iſto eius effato comprobari poteſt. Exemplo enim ſolum eccleſiae iudaicae oſtendere voluit, ordinem certum in eccleſia quoque chriſtiana obſeruandum eſſe. Hoc a me iam indicatum in *praefatione* BINGHAMI *originibus* praemiſſa. Interim fatendum, diſtinctionem iſtam ſatis antiquam eſſe, quippe cuius iam TERTVLLIANVS meminit, *exhortat. ad caſtitat. cap. VII.* quamquam &

IOSEPH.

IOSEPH. BINGHAMVS, *l. c.* ad CLEMENTEM Alexandrinum prouocet. Neque id negauerim, eos, qui primum iſta diſtinctione vſi ſunt, ab eccleſia iudaica eam accepiſſe; etſi neutiquam eo ſenſu ad chriſtianos eam tranſtulerint, vt ſacri ordinis viris, ſingularem iſtam ἐξοχὴν ac praerogatiuam, quam populi iudaici ſacerdotes habebant, tribuerent. Sequenti itaque demum aetate abuſus huius diſcriminis grauiſſimus acceſſit, auideque ab illis arreptus eſt, qui clericorum, epiſcoporum maxime, promouere imperium, eosque velut ſupra humanam ſortem poſitos euehere, laicos autem opprimere, omnique auctoritate in rebus praeſertim eccleſiaſticis, ſpoliare, ſuarum ducebant eſſe partium. Et ita quidem ſpectata haec diſtinctio merito reiicitur; vti contra, ſi ea nihil aliud, quam diuerſus docentium & auditorum ordo innuitur, iure meritoque retinetur. Pro ea in priori ſenſu accepta non poſſunt non omnes illi pugnare, qui epiſcopis imperium aliquod, ſiue regimen eccleſiaſticum tribuunt; quod, praeter romanenſes, hierarchicos ſeu epiſcopales in Anglia facere, conſtat; eoque comparata eſt HENR. DODWELLI diſſertatio, *de voce cleri ſacri ordinis propria*, quae inter *Cyprianicas* eius prima eſt. Conferenda, quae de hacce diſtinctione diſſerit CHR. MATTH. PFAFFIVS, de *originibus iuris eccleſiaſt. cap. III. artic. II. p. 114. ſeqq.* Addenda, quae de voce *clericus* diligenter collegit THOM. CRENIVS, in *notis* ad IO. VORSTII *exercitat. de ſedibus epiſcopalib. faſce I. exercitation. philologico-hiſtoricar. p. 79.* Hiſtoriam controuerſiae de iure ſacerdotali laicorum, inter NIC. RIGALTIVM & GABR. ALBASPINAEVM primum exortae, deinde & inter alios viros doctrina praeſtantes agitatae, enarraui in *inſtitut. theolog. dogmat. lib. V. cap. I.* ad §. *XIII. p. 1486. ſeqq.*

Iam ad ipſam, quam vocant, hierarchiam quod attinet, quae tempore apoſtolorum officiorum eccleſiaſticorum fuerit ratio, ex *Epheſ. IV. 11.* & *I. Cor. XII. 28. ſeqq.* conſtat. Intelligitur inde, ordinarium in eccleſia munus tantum eſſe τῶν διδασκάλων, qui & *paſtores, presbyteri* ac *epiſcopi* vocantur. De extraordinariis enim apoſtolorum, prophetarum, euangeliſtarum, nunc ſermo non eſt. In neutro loco *diaconorum* fit mentio, niſi in poſteriori, ſeu *I. Cor. XII. 29.* κυβερνήσεις huc referre velis. Hac namque voce adminiſtrationem & diſpenſationem rerum temporalium, vt pauperum haberetur ratio, ſignificari, recte nonnulli contendunt; quemadmodum ἀντιλήψεις de eorum opera capiunt, qui aegrotis ſuccurrunt. Diaconorum nimirum fuiſſe, vt pauperum curam gererent, notum eſt; nec dubium, quin aliquando aegrotis, aliorum auxilio deſtitutis, fuerint opitulati. Licet autem diaconi ex conſilio apoſtolorum in eccleſia Hieroſolymitana ſint conſtituti, *act. VI. 2. ſeqq.* nullibi tamen legitur, eos mandaſſe, vt in aliis eccleſiis conſtituerentur; etſi non dubitandum, quin hinc inde aliae eccleſiae exemplum Hieroſolymitanae ſint imitatae, vnde mos iſte, diaconos conſtituendi, vbique tandem inualuit; ſimulque ſucceſſu temporis diaconorum officium diuerſum eſſe coepit ab illorum munere, qui primum in eccleſia Hieroſolymitana fuerunt. Presbyteros vero in ſingulis eccleſiis ab apoſtolis conſtitutos, dubio caret, & vel ex *actor. XIV. 23.* liquet; a quibus epiſcopos diuerſos, aut iis ſuperiores fuiſſe, a romanenſibus pariter ac hierarchicis ſeu epiſcopalibus in Anglia fruſtra adſeritur. Fuſius haec omnia ediſſerui in *diſſertat. de orig. & poteſtate epiſcopor. contra Henr. Dodwellum* §. *X. ſeqq.* & in *inſtitut. theolog. dogmat. lib. V. cap. IV.* ad §. *XVII. p. 1734.* Cum autem ſtatim poſt apoſtolorum tempora diſcrimen inter epiſcopos & presbyteros, repugnantibus tamen nonnullis, introduceretur, vt in

in *inſtitut. theolog. dogm. l. c. p. 1735. ſeqq* pluribus expoſui; orti hinc ſunt ordines iſti, in primitiua eccleſia pariter ac ſequentibus ſaeculis recepti, *epiſcoporum* ſcilicet, *presbyterorum* & *diaconorum*. De *diaconis & diaconiſſis veteris eccleſiae* exſtat *liber commentarius* CASP. ZIEGLERI, Wittebergae 1678 editus, isque lectu digniſſimus. De *presbyteris* autem & *presbyteriſſis* librum ſingularem luci expoſuit MATTHIAS ZIMMERMANNVS, vir in antiquitate eccleſiaſtica haud perfunctorie verſatus, Annebergae 1681. 4. Non diu autem admodum in iſta ſimplicitate eccleſia chriſtiana perſtitit; ſiquidem non tantum ordines quidam minores introducti ſunt, ſed & inter ipſos epiſcopos diſcrimen aliquod atque ſubordinatio ſucceſſit. Et ad minores quidem ordines quod attinet, exorti in eccleſia ſunt *ſubdiaconi* (qui tamen a romanenſibus maioribus ordinibus adhuc adnumerantur) *lectores*, *acoluthi*, *exorciſtae*, & *oſtiarii*, quibus adhuc *cantores* addi ſolent. De quorum antiquitate ex eo iudicandum, quod ſupra iam obſeruauimus, in concilio Laodiceno *can. XXI.* & *XXIV.* praeter presbyteros & diaconos, commemorari *ſubdiaconos*, *lectores*, *pſalmiſtas* ſeu *cantores*, *exorciſtas* & *oſtiarios*. Et quamuis de anno, quo concilium hocce celebratum ſit, viri docti inter ſe diſputent; in eo tamen eos conſentire, ad ſaeculum quartum illud referendum eſſe, ibidem docuimus. Licet itaque de origine iſtorum ordinum nihil certi adfirmari queat, fatente IO. BAPT. COTELERIO ad *conſtit. apoſtolic. lib. II. cap. XXV.* hoc tamen inde conſtat, eos ſaeculo quarto iam receptos fuiſſe. In ipſis *conſtitutionibus apoſtolicis l. c.* lectorum, itemque cantorum, & oſtiariorum fit mentio. Quae generatim de hiſce minoribus ordinibus obſeruatu digna ſunt, apud IO. ANDREAM QVENSTEDIVM legi poſſunt, in *antiquitatib. biblic. & eccleſiaſticis cap. II. num. VIII. p. 121. ſeqq.* De *lectoribus* ſpeciatim peculiari diſſertatione agit IOAN. ANDR. SCHMIDIVS, itemque WILH. ERNEST. TENZELIVS, in *diſſertat. de ritu lectionum ſacrarum*; de *cantoribus* itidem SCHMIDIVS peculiari diſſertatione. *Exorciſtarum* autem quaenam in veteri eccleſia fuerit ratio atque origo, ipſemet expoſui in *inſtitut. theolog. dogmat. lib. V. cap. I.* ad *§. IX. p. 1471. ſeqq.* Plura tum de hiſce, tum de reliquis dabunt ſcriptores antiquitatum eccleſiaſticarum, quos alibi laudabimus. A minoribus hiſce ordinibus vt ad maiores iterum aſcendamus; de epiſcopis porro obſeruandum, eorum quatuor introductos ordines, vnum eorum, qui vni vrbi vel parochiae praeeſſent, quiue *κατ' ἐξοχὴν* epiſcopi dicebantur; alterum *metropolitanorum*, qui vni prouinciae; tertium *αὐτοκεφάλων* archiepiſcoporum, ſiue *primatum exarchorum*, qui aliquot prouinciis eſſent praepoſiti; & quartum denique *patriarcharum*, qui plurium dioeceſeon praeſulatum tenerent. Ita HENRIC. NORISIVS, in *diſſertat. de ſynodo quinta p. 76.* & ex eo IOAN. ALB. FABRICIVS, *bibliograph. antiquar. cap. XIII. §. XV. p. 453.* Ciuili prouinciarum diſtinctioni eo tempore receptae hancce hierarchiae eccleſiaſticae oeconomiam quodammodo reſpondere, viris doctis dudum obſeruatum eſt. Legenda, quae hac de re copioſe & diligenter diſſerit CASP ZIEGLERVS, de *epiſcopis eorumque iuribus, lib. I. cap. IV. p. 50. ſeqq.* vbi & recte oſtendit, non alio fundamento, quam conſuetudine, hanc diſtinctionem niti; itemque LVDOV. ELL. DV PIN, *de antiqua eccleſiae diſciplina, diſſertat. I.* qua ex inſtituto *de forma & diſtributione eccleſiarum, praeſertim quarto eccleſiae ſaeculo, deque patriarchis & metropolitis, illorumque iure ac praerogatiuis*, agit. Addenda & GEBH. THEOD. MEIERI *politia eccleſiae primitiuae ad politiam ciuilem formata*, Helmſtadii 1676.

Digitized by Google

1676. 4. Factum hac ratione, vt eccleſia ſpeciem ac indolem reipublicae acciperet, quilibet facile perſpicit; indeque porro imperium illud epiſcopale in papalem tyrannidem degenerans, maximum incrementum accepiſſe, ſupra iam monuimus. Ex doctoribus enim eccleſiae imperantes rerumque domini facti, vt multa alia, quae ambitio ſuadebat, eccleſiae parum ſalutaria ſuſcipiebant; ita tandem patriarchae de primatu inter ſe contendebant, donec romanus caput ſupra omnes extolleret, reliquosque ſibi ſubiicere adniteretur. Atque de pontificibus iſtis romanis, qui hodie in hierarchia eccleſiaſtica, ſaltem ex mente romanenſium, primum locum tenent, nunc etiam primum dicendum eſſet; ſed praecipuos, qui illorum vitas deſcripſerunt, pariter ac illos, qui arcana imperii, quod moliti ſunt, detexerunt, ad §. *ſequentem* indicabimus. Auctores autem, qui aut pro primatu romani pontificis, aut contra eumdem ſcripſerunt, quiue maxime huius loci ſunt, recenſent CASP. SAGITTARIVS, in *introd. in hiſtor. eccleſiaſt. cap. XXVII. p. 713. ſeqq.* & IOAN. ANDR. SCHMIDIVS, in *Sagittarianae introduct. in hiſtor. eccleſiaſt. tom. II.* ad *cap. XXVII. p. 634. ſeqq.* Ad eos, qui pro pontificis primatu calamum ſtrinxerunt, quod attinet, commemorandum cumprimis vaſtum illud opus, quod IO. THOMAS DE ROCABERTI, archiepiſcopus Valentinus, & Hiſpanorum inquiſitor generalis, dedit, inſcriptum: *bibliotheca maxima pontificia, in qua auctores melioris notae, qui hactenus pro ſancta Romana ſede, tum theologice, tum canonice ſcripſerunt, fere omnes continentur*, Romae 1695, 96, 98 & 99. tom. XXI. fol. Codices namque fere omnes, qui pro tuendo romani pontificis primatu conſcripti ſunt, auctor magno ſtudio collegit, collectosque in hac *bibliotheca*, ſuis ſumtibus impreſſa, exhiberi curauit. Ipſa, quae in hocce opere continentur, ſcripta indicantur in *actis eruditor. Lipſ. anno 1708. p. 385. ſeqq.* Nec tamen eſt, quod tantae molis opus terrorem nobis incutiat. Praeterquam enim, quod aliud, ſi non maioris, certe eiusdem molis, illi opponi facili negotio poſſit, ſi quis omnes, qui contra primatum pontificis ſcripſerunt, in vnum corpus redigere vellet; vel vnius CLAVDII SALMASII tractatus de *primatu papae*, etſi eius tantum *pars prima* cum *adparatu* & acceſſionibus quibusdam prodiit, pluris aeſtimandus eſt, quam ingens illa *bibliotheca pontificia* IO. THOMAE DE ROCABERTI. Pontifici, ceu hierarchiae eccleſiaſticae in eccleſia romana capiti, ſtatim iungimus cardinales, per ipſius pontificiae auctoritatis poteſtatisque incrementum ad tantum dignitatis faſtigium euectos; in quorum originem ipſemet olim inquiſiui, in *ſchediaſmate de origine cardinalitiae dignitatis*, Ienae 1692. 12. Conferre autem iuuabit, quae PETR. IOSEPH. CANTELIVS, in *metropolitanarum vrbium hiſtoria ciuili & eccleſiaſtica, part. II. diſſertat. V. p. 322. ſeqq.* ex inſtituto de cardinalibus diſſerit. De origine enim eorum, itemque de cardinalibus presbyteris, diaconis, epiſcopis, deque horum ſedibus; porro de varia tituli vel diaconiae &c. permutandae ratione, deque cardinalium numero, inſignibus, & dignitate ibi verba facit. De electione romani pontificis, in qua cardinalium praecipua ἀξία conſpicitur, idem CANTELIVS *diſſertatione* praecedenti *quarta* agit, *p. 298. ſeqq.* de qua & IO. FRIDER. MAYERI exſtat *liber commentarius*, Holmiae & Hamburgi 1690. 4. editus. De patriarchis, quorum initio tres fuere, Romanus, Alexandrinus & Antiochenus, quibus deinde Hieroſolymitanus, & tandem Conſtantinopolitanus acceſſit, erudite & adcurate diſſerit IO. VORSTIVS in *exercitat. de ſedibus epiſcopalibus, §. L. ſeqq.* quae exſtat in *faſce primo exercitation. philologico-hiſtoricar.* a THOMA CRENIO

CRENIO editarum, *p. 134. ſeqq.* Lectu etiam digna, quae de patriarchis IAC. BASNAGIVS habet *dans l' hiſtoire de l' Egliſe tom. I. part. I. lib. I. cap. IX. p. 41. ſeqq.* qui & *lib. II. ſeqq.* ſingularum eccleſiarum patriarchalium hiſtoriam fuſe exhibet. Iungendus hiſce ex romanenſibus LVDOV. ELL. DV PIN, in *diſſertatione* ſupra iam laudata, *de forma & diſtributione eccleſiarum, praeſertim quarto eccleſiae ſaeculo, vbi de patriarchis & metropolitis, illorumque iure ac praerogatiuis agitur,* quae inter *diſſertationes* eius *de antiqua eccleſiae diſciplina* prima eſt. Nec praetermittenda EDVARDI BREREWOODI *veteris eccleſiae gubernatio patriarchalis ad certas quaeſtiones reſponſione declarata,* quae cum IAC. VSSERII *opuſculis de origine epiſcoporum & metropolitanorum, & de Aſia proconſulari,* Londini 1687 & Bremae 1701. 8. prodiit. Recte autem BREREWOODVS demonſtrat, quinque iſtis antea memoratis patriarchis, multo minus vni Romano, totam eccleſiam neutiquam ſubiectam fuiſſe, cum tempore concilii Nicaeni, & deinceps, hinc inde extiterint eccleſiae, in quas patriarchis iſtis nihil iuris fuerit. De *primatibus*, eorumque a metropolitanis diſtinctione, legi itidem meretur IO. VORSTII *de ſedibus epiſcopalibus exercitatio*, iam laudata, *§. XLII.* & *ſeqq. p. 121. ſeqq.* & quae ad *h. l.* copioſe congeſſit THOM. CRENIVS. Idem VORSTIVS & *§. XXXVIII. ſeqq. p. 113.* quae metropolitanorum in veteri eccleſia fuerit ratio, exponit; quod & IAC. BASNAGIVS, *l. c. cap. VIII.* facit. IAC. VSSERII *opuſcula*, in quibus & de *metropolitanorum origine* diſſerit, iam laudauimus. PETRI quoque IOSEPHI CANTELII *metropolitanarum vrbium hiſtoriam ciuilem & eccleſiaſticam*, Pariſiis an. 1685, antea commemorauimus. Tribus ea abſoluitur partibus, quarum prima prolegomena quaedam continet, in qua diſſertatio prima huius praecipue loci eſt, in qua de vocibus, *papa, patriarcha, exarchus,* ſiue *primas, archiepiſcopus* & *epiſcopus*, agit; in ſecunda autem de *ſede romana*, & in tertia de *vrbibus regni Neapolitani, Siciliae ac Sardiniae, metropolitanis*, verba facit. An & quodnam inter metropolitanum ac archiepiſcopum diſcrimen intercedat; diſquirit IO. ANDR. QVENSTEDIVS, in *antiquitatib. biblic. & eccleſiaſt. cap. II. num. VI. §. III. p. 112.*

Supereſt, vt de epiſcopis, generatim ſpectatis, aliquid addamus. Variae autem cum de iis extent virorum doctorum commentationes; primum tamen praecipuumque inter eas locum promeretur CASP. ZIEGLERI de *epiſcopis, eorumque iuribus, priuilegiis & viuendi ratione liber commentarius ex variis veteris eccleſiae monumentis atque ſcriptis collectus*, Norimbergae 1686. 4. Ex romanenſium, quae huc ſpectant, ſcriptis, AVG. BARBOSAE de *officio & poteſtate epiſcopi*, Lugduni 1650. in fol. maxime celebrari ſolet. An iure diuino epiſcopi ſint ſuperiores presbyteris, ſaepe diſputatum; magnumque in hierarchia eccleſiaſtica haecce quaeſtio momentum trahit. Ipſum HIERONYMVM pro epiſcoporum ac presbyterorum aequalitate pugnaſſe, notum eſt, patetque ex *epiſtola* eius ad *Euangelum* ſeu *CI. tom. IV. oper. part. II. p. 802. 803.* edit. IO. MARTIANAEI. Vnde & a quibuſdam romanenſium haereſeos illi nota inuſta eſt, quod ſpeciatim a MICH. MEDINA, Aëriani erroris eum adcuſante, factum, ex ROB. BELLARMINO diſcimus, *lib. I. de clericis c. XV.* Et ipſi quoque Aëriani, etſi hoc nomine inter haereticos referantur, quod inaequalitatem epiſcoporum ac presbyterorum impugnarunt; teſtibus tamen potius veritatis adnumerandi erant. Legenda IOACH. HILDEBRANDI *diſcuſſio haereſeon Aerii, quas proteſtantibus pontificii impingunt.* Romanenſes ſuperioritatem epiſcoporum acerrime

Digitized by Google

rime defendere, mirum non eſt, cum hierarchiae apud eos receptae hoc ſuadeat ratio; idque adeo DIONYSIVS PETAVIVS, libris de *hierarchia eccleſiaſtica* ſupra laudatis; IO. MORINVS, de *ſacris ordinationibus part. III. exercit. III.* NAT. ALEXANDER, *hiſtor. eccleſ. ſaec. IV. diſſertat. XLIV. p. 536. ſeqq.* vbi ex inſtituto contra DAV. BLONDELLVM diſputat, aliique faciunt; diſſentiente tamen, cum paucis quibusdam aliis eidem eccleſiae addictis, & in diuerſa abeunte MARCO ANT. DE DOMINIS, de *republ. eccleſiaſt. lib. V. cap. XII.* In Anglia eos, qui hierarchici, ſeu epiſcopales vocantur, eamdem hic cum romanenſibus fouere ſententiam, & epiſcopos iure diuino presbyteris ſuperiores eſſe, contendere, notum eſt. Nec quemquam fugit, qua ratione factum ſit, vt in eccleſiae anglicanae emendatione, epiſcopatus eiusmodi, cum aliis quibusdam ritibus & caerimoniis, in romana eccleſia receptis, retineretur; quod &, qui hiſtoriam eccleſiaſticam Angliae ſcripſerunt. pluribus exponunt. Acerrimae hinc cum orirentur contentiones, ſcriptis quam plurimis vtrimque diſputatum fuit, aliis epiſcoporum, prout a presbyteris diſtinguuntur, iisque ſunt ſuperiores, iure quoque circa ſacra, & regimine eccleſiae, aliisque praerogatiuis gaudent, diuinam originem propugnantibus, impugnantibus aliis. Inter priores eminent IAC. VSSERIVS, in *opuſculo de origine epiſcoporum & metropolitanorum*, antea iam laudato; HENR. HAMMONDVS, in *diſſertationibus quatuor, quibus epiſcopatus iura ex ſacris ſcripturis & primaeua antiquitate adſtruuntur, contra ſententiam D. Blondelli & aliorum*, Londini 1651. 4. eiusdem *vindiciae ab exceptionibus miniſtrorum Londinenſium*, in libro inſcripto: *ius diuinum miniſterii euangelici*, anglice Londini 1654. 4. THOM. BILSONVS, epiſcopus Winthonienſis, de *perpetua eccleſiae Chriſti gubernatione*, Londini 1611. 4. HERB. THORNDICIVS, in *originibus eccleſiaſticis, ſeu de iure & poteſtate eccleſiae chriſtianae*, Londini 1674. fol. SAM. PARKERVS, in *relatione de regimine chriſtianae eccleſiae ſaeculis ſex prioribus, Salmaſio, Dallaeo, & imprimis Blondello oppoſita*, anglice, Londini 1683. 8. GVIL. CAVE, in *diſſertat. de regimine veteris eccleſ.* anglice, Londini 1683. 8. HENR. DODWELLVS, in *paraeneſi ad exteros, tam reformatos, quam pontificios, de nupero ſchiſmate anglicano, qua iura epiſcoporum vetera &c. omnibus adſerenda commendantur*; Londini 1704. 8. in qua cauſſam hancce ita egit, vt paradoxa varia admiſceret; HENR. WOTTON, in *diſſertationibus duabus, altera de diuinitus inſtituto clero, altera de vnitate eccleſiae*, quas CLEMENTIS Romani *epiſtolis duabus*, Cantabrigiae an. 1718 a ſe editis, praemiſit; quibus addendi porro IO. PEARSONIVS, in *vindiciis epiſtolar. Ignatii part. II. cap. XIII.* GVIL. BEVEREGIVS, in *codice canonum illuſtrato, lib. II. cap. XI.* IO. PRIDEAVX, in *faſciculo controuerſiarum*, qui in *operibus* eius *theologicis* exſtat *c. IV. ſect. III. quaeſt. II. p. 639. ſeqq.* IOSEPH. BINGHAMVS, in *origin. ſiue antiquitatib. eccleſ. lib. II. cap. I. p. 53. ſeqq.* aliique. Inter eos contra, qui iſtam epiſcoporum ἐξοχὴν impugnarunt, eminent DAV. BLONDELLVS, in *apologia pro ſententia Hieronymi de epiſcopis & presbyteris*; CLAVD. SALMASIVS, ſub WAL. MESSALINI nomine latitans, in *tractatu de epiſcopis & presbyteris*; LVDOV. CAPPELLVS, in *theſibus theologicis de epiſcoporum & presbyterorum diſcrimine*; SAM. MARESIVS, in *examine quaeſtionis de epiſcoporum origine contra Ioan. Prideaux*, Groeningae 1557. 4. DAVID. CLARCKSONVS, in *tractatibus hiſtoricis de ſtatu primitiuo epiſcopatus, & de liturgiis*, qui ex lingua anglicana in gallicanam translati, Roterodami 1716. 8. prodierunt. HENR. DOD-

WELLI paradoxa ipſemet profligaui, in *diſſertatione de origine & poteſtate epiſcoporum* eidem oppoſita, in *ſyntagmate diſſertationum theologicarum p. 181. ſeqq.* Noſtrae eccleſiae theologorum eo redit ſententia, iure diuino inter eos, qui eccleſiae praeſunt, intuitu dignitatis, nullum intercedere diſcrimen, adeoque hactenus presbyteros ac epiſcopos aequales eſſe; nihil tamen obſtare, quo minus iure humano inaequalitas quaedam introducatur, & vni ex verbi diuini miniſtris inſpectio in reliquos committatur, ſimulque ἐξοχὴ quaedam tribuatur. Nec improbamus, quod in veteri eccleſia hoc factum ſit; etſi abuſum, qui deinceps acceſſit, dum epiſcopi tyrannicam quamdam dominationem ſibi vindicarunt, maximopere deteſtamur. Neque obiici nobis poteſt, quod epiſcopatus in eccleſia noſtra plane abrogatus ſit, quod HENR. DODWELLVS aliique nobis exprobrant; cum res ipſa doceat, eum ſolum ad iuſtos ſuos limites, veramque & genuinam indolem, quam in veteri eccleſia habuit, fuiſſe reuocatum. Non tantum enim eam poteſtatem, qua in eccleſia apoſtolica presbyteri gauiſi ſunt, verbi diuini miniſtris relinquimus; ſed quibusdam etiam ἐξοχὴ quaedam ac inſpectio in reliquos tribuitur, qui *ſuperintendentium*, aut *praepoſitorum*, aut *inſpectorum* nomine veniunt; quamquam & alicubi *epiſcopi* adpellitentur. *Superintendentes* autem recte dici, qui alias epiſcopi vocantur, ex HIERONYMO pariter ac AVGVSTINO iam obſeruaui, *inſtitut. theolog. dogm. lib. V. cap. IX.* ad §. *XVII. p. 1738.* Conferendus hic porro CASP. ZIEGLERI *ſuperintendens ad normam conſtitutionum eccleſiaſticarum in electoratu Saxoniae deſcriptus*, cuius altera editio Wittebergae 1712. 4. prodiit.

§. XII. Quemadmodum ius canonicum ad poteſtatem iſtam, quam romani praeſules ſibi in vniuerſum orbem chriſtianum vindicabant, ſtabiliendam & promouendam vnice comparatum fuit; ita arcana iſta dominationis paſſim in eo obſeruare licet; quae vt eo rectius deprehendantur, & hiſtoriam pontificum perſpectam habere decet, & eos conſulere iuuat, qui in arcanis iſtis detegendis, atque in lucem proferendis, ſtudium omne ac diligentiam collocarunt. *

Inter praecipua pontificiae dominationis fulcra atque praeſidia ius canonicum referendum eſſe, inter omnes conuenit. Nullum itaque etiam eſt dubium, quin plurima illius arcana in iure canonico occurrant; quae qui perſpiciunt, in intimos eius penetrare receſſus cenſendi ſunt merito; quamquam & cautione quadam hic opus ſit, ne ibi quoque eiusmodi arcana quaeramus, vbi nulla inueniuntur, neue ea, quae veritati ſunt conſentanea, hinc & adprobanda, ſtatim pro arcanis dominationis pontificiae venditemus. Interim id poſitum extra dubium, neminem recte hac in re verſari poſſe, aut in quibusdam ſenſum iuris canonici adſequi, niſi vitam, mores, resque geſtas pontificum cognitas atque perſpectas habeat. Cui inſtituto licet tota hiſtoria eccleſiaſtica inſeruiat; nunc tamen ſolum praecipuos quosdam ex iis, qui hiſtoriam pontificum condiderunt, vel ad eius illuſtrationem aliquid contulerunt, indicabimus. Ex veteribus hic primum occurrit DAMASVS, qui ſaeculo quarto, Valentiniani & Valentis temporibus, floruit, ipſeque romanae eccleſiae epiſcopus fuit. Sub huius enim nomine *pontificale*, ſiue liber *de geſtis ſummorum*

Digitized by Google

morum pontificum habetur; quem tamen perperam illi tribui, hodie omnes conſentiunt. Veroſimile potius, ex variis romanorum pontificum catalogis, diuerſo tempore concinnatis, auctis, interpolatis, *pontificale* hocce exortum eſſe; quod cum deinde ANASTASIVS bibliothecarius recenſuiſſet; factum eſt, vt ſub eius nomine circumferretur, vt deinceps dicemus. De hiſce *catalogis pontificum*, indeque enato *pontificali*, paſſim viri docti agunt; cumprimis IO. CIAMPINVS, in *examine libri pontificalis ſeu vitarum romanorum pontificum, quae ſub nomine Anaſtaſii bibliothecarii circumferuntur*, Romae 1688. itemque EMMAN. SCHELSTRATENVS, in *diſſertatione de antiquis romanorum pontificum catalogis, ex quibus liber pontificalis concinnatus fuit, & de libri pontificalis auctore & praeſtantia*, quae in *tomo primo* eiusdem *antiquitatis eccleſiae illuſtratae, tertia eſt*. Quae CIAMPINVS, cumprimis SCHELSTRATENVS, & LVC. HOLSTENIVS, hac de re dixerant, ſummatim exhibet, ſimul vero illuſtrat, FRANC. BLANCHINVS, Veronenſis, in ampla iſta & erudita praefatione, quam ſplendidiſſimae illi editioni ANASTASII, cuius tomus primus ſub auſpiciis Clementis XI pontificis Romae 1718, ſecundus autem ſub auſpiciis Innocentii XIII, ibidem anno 1723. fol. prodiit, praemiſit. Decem quoque eiusmodi catalogos pontificum romanorum hactenus ineditos, ex bibliotheca regia, Colbertina, & Thuanea deſcriptos, *tomo primo criticae* ſuae *anti-Baronianae* praemiſit ANTON. PAGI, vt ex iis *pontificale* emendari poſſet, *p. 49. ſeqq.* Sed & IO. GEORG. ECCARDVS *corpori* ſuo *hiſtoriae medii aeui*, Lipſiae 1723 duobus tomis in fol. edito, quosdam eiusmodi catalogos, ſimiliaque monumenta, ad hiſtoriam pontificum ſpectantia, inſeruit. Namque *tomo I. num. IV. p. 25. ſeqq.* exſtat *vetus catalogus pontificum romanorum*, qui a Petro ad Liberium vsque progreditur, eoque viuo ſcriptus videtur; eodem *tomo num. XVI. p. 1189.* exhibetur RICOBALDI Ferrarienſis *hiſtoria pontificum romanorum vsque ad Clementem IV*; ibidem *num. XXI. p. 1461.* THEOD. DE NIEM *vitae pontificum romanorum a Nicolao IV vsque ad Vrbanum V, & inde ab anonymo vsque ad annum 1418 continuatae, additis imperatorum geſtis*; porro *tomo II. num. XI. p. 1630.* exſtat *catalogus pontificum romanorum non diu poſt annum 1048 confectus*; *num. XII. p. 1642.* AMALRICI AVGERII DE BITERRIS *actus pontificum romanorum vsque ad Ioannem XXII. ſiue annum 1321*; *num. XIV. p. 1846. propheticae ſatyricae in papas aliquot ſaeculi XIII & XIV*. De omnibus hiſce legenda, quae ECCARDVS in praefationibus, vtrique tomo praemiſſis, pluribus diſſerit. Ex dictis iam patet, quo loco *hiſtoria de vitis romanorum pontificum*, quae ſub ANASTASII, abbatis romani, romanaeque eccleſiae presbyteri & bibliothecarii, nomine circumfertur, habenda, & quousque illi tribuenda ſit fides. In iſta vero hiſtoria vita Nicolai I vltimo loco comparet; & licet etiam vitae Hadriani II & Stephani VI a quibusdam addantur; eas tamen rectius GVILIELMO, romanae itidem eccleſiae bibliothecario, tribui, alii contendunt. Editiones *hiſtoriae* huius alii recenſent; recentiſſimae iſtius ſplendidiſſimaeque, quae ſub auſpiciis Clementis XI pontificis, Romae 1718. opera & ſtudio FRANC. BLANCHINI lucem adſpexit, antea iam mentionem fecimus; in qua quid editor praeſtiterit, ipſa inſcriptio nos condocet, quae ita ſe habet: *vitae romanorum pontificum, a beato Petro apoſtolo, ad Nicolaum I perductae, cura Anaſtaſii, ſanctae romanae eccleſiae bibliothecarii, adiectis vitis Hadriani II & Stephani VI auctore Guilielmo bibliothecario, editae primum Moguntiae typis Albini an. 1602. ex bibliotheca Marci Velſeri, Auguſtanae R. P. II.*

Digitized by Google

viri, deinde Pariſiis a Carolo Annibale Fabrotto, iure conſulto, typis regiis 1647 cum variis lectionibus exceptis, tum ex codicibus manuſcriptis bibliothecae Vaticanae, tum ex conciliorum tomis Crabbei, & Binii, tum ex annalibus eccleſiaſticis cardinalis Baronii, nec non ex aliis codicibus manuſcriptis Germaniae & Galliae, praeſertim Freherianis II, regio, Mazarino, & Thuanis II; nunc tertium prodeunt, cum auctario variantium lectionum, iam pridem deſcriptarum, ex vetuſtiſſimis exemplaribus, & catalogis manuſcriptis Vaticanis II, Florentinis II, Caſſinenſi, regio, Farneſiano, bibliothecae caeſareae Vindobonenſis, reginae Sueciae, & Colbertinae, per Lucam Holſtenium & Emanuelem a Schelſtrate, bibliothecae Vaticanae praefectos; additis etiam pluribus collectis ex veteri codice manuſcripto Cauenſi a Franciſco Penia, antea non editis, &c. Atque hinc, quid in *primo tomo* contineatur, intelligitur, ipſe ſcilicet ANASTASII textus, cum variantibus lectionibus, & ſcholiis quibusdam. In *ſecundo tomo*, quem an. 1723 prodiiſſe antea diximus, primo continentur FRANC. BLANCHINI *prolegomena*, ſatis ampla, in quibus catalogi quidam antiquiſſimi pontificum romanorum; tum & EMMAN. SCHELSTRATENI *diſſertatio de antiquis romanorum pontificum catalogis, ex quibus liber pontificalis concinnatus fuit &c.* porro ipſius BLANCHINI *diſſertatio de antiquis romanorum pontificum catalogis, eorumque comparatione & delectu inſtituendo &c.* & alia eiusdem generis exhibentur; deinde autem in altera *tomi* huius *ſecundi* parte notae & obſeruationes variorum, ad Anaſtaſium, lectorum ſubiiciuntur oculis.

Miſſis autem reliquis medii aeui ſcriptoribus, vtpote obſcurioribus, & quos alii etiam recenſent, ſtatim ad BAPTISTAM, aut potius BARTH. DE SACCHIS, a natali ſolo, ſeu agri Cremonenſis vico, PLATINAM dictum, me confero, qui ſaeculo decimo quinto floruit, natus quippe anno 1421. Vitam, fata & ſcripta eius, prae reliquis diligenter recenſet FRANC. ARISIVS, in *Cremona litterata*, (quae Parmae 1702. fol. prodiit) *tomo I. p. 311. ſeqq.* qui & *pag. 323.* docet, non BAPTISTAM, vt nonnulli volunt, ſed BARTHOLOMAEVM, aut potius RADVLPHVM BARTHOLOMAEVM, eum adpellandum eſſe. Praeter alia vero ingenii monumenta PLATINA *hiſtoriam* reliquit *de vitis pontificum romanorum, a domino noſtro Ieſu Chriſto vsque ad Paulum II.* quae ſaepius typis exſcripta fuit. Editiones eius varias, verſiones italicas, epitomaſtas, & continuatores recenſet, quem iam laudauimus FRANC. ARISIVS, *l. c. p. 317.* Mihi ad manus eſt ea editio, quae Coloniae an. 1600. 4. prodiit, in qua praeter ONVPHRII PANVINII *adnotationes*, conſpicitur quoque *ſupplementum pontificum* per eumdem ONVPHRIVM *vsque ad Pium V, & deinde per* ANT. CICARELLAM *porro ad Clementem VIII.* De ſupplemento ONVPHRII PANVINII obſeruatu digna, quae MART. HANCKIVS monet, *de romanarum rerum ſcriptoribus, lib. II. part. II. c. LIX.* Praeter PANVINIVM & IO. ANT. PETRAMELLARIVS, Bononienſis, continuationem PLATINAE dedit, *a Paulo IV vsque ad Clementem VIII.* Bononiae 1599. De PLATINA autem ipſo, eiusque *hiſtoria pontificum*, diuerſa exſtant doctorum virorum iudicia. FRANC. ARISIO ſi credimus, fuit PLATINA non tantum *vir vndiquaque doctiſſimus, ſiue philoſophum, ſiue hiſtoricum, ſiue oratorem ageret, ſiue poëtam*, ſed & *in omnibus vir grauis & procul a mendacio; l. c. pag. 311. 312.* Sed ad poſterius quod attinet, non omnes ſibi conſentientes habet; quamquam in eo fere conueniant, quod & res ipſa docet, eum naeuos & vitia pontificum non diſſimulaſſe, ſed interdum ſatis ingenue deſcripſiſſe. MATTHI-

THIAS FLACIVS illyricus de eo ita pronuntiat: *Etſi Platina turpiter & impudenter papis adulatus ſit; tamen nimia ipſorum turpitudine ac malitia coactus aliquando etiam ſubindicat babyloniae meretricis nefanda ſcelera. In Marcellino queritur, paparum ſcelera eo excreuiſſe, vt vix apud Deum miſericordiae locum reliquerint: auaritiam, ſuperbiam, neglectum doctrinae, & religionis ſimulationem. Mores etiam profanis deteſtandos, propalam eſſe, vt inde laudem quaerere videantur. In pontificibus poſt milleſimum annum, ſubinde repetit omnem pietatem & ſanctitatem a papis ad caeſares migraſſe*; in *catalogo teſtium veritatis*, *p. m. 816.* editionis, quae an. 1672 Francofurti, opera & ſtudio IO. CVNR. DIETERICI prodiit. De ALB. KRANTZIO, ROB. BARNS, IO. BALAEO, ceteriſque, qui itidem pontificum hiſtoriam ſcripſerunt, legendi CASP. SAGITTARIVS, in *introduct. in hiſt. eccleſiaſt. cap. XXV. p. 650. ſqq.* & IO. ANDR. SCHMIDIVS, in *ſupplementis* ad *h. l. p. 612. ſeqq.* Plures etiam ſcriptores, qui de pontificibus romanis ſcripſerunt, ſuppeditabit LVDOV. IAC. A S. CAROLO, in *bibliotheca pontificia*, Lugduni an. 1643 excuſa, & quidem *parte ſecunda*, in qua *ſcriptores, qui pontificum romanorum vitas, laudes & praecellentiam atque auctoritatem poſteritati commendarunt*, memorat. De prima operis huius parte dictum ſupra *lib. prior. cap. IV.* ad *§. XX. p. 206.* Hactenus autem commemoratis auctoribus, qui vitas pontificum deſcripſerunt, addendus cumprimis, qui & nouiſſimus eſt, FRANC. PAGI, cuius quippe *breuiarium hiſtorico-chronologico criticum, illuſtriora pontificum romanorum geſta, conciliorum generalium acta, nec non complura cum ſacrorum rituum, tum antiquae eccleſiae diſciplinae capita complectens*, tribusque conſtans tomis, in 4. Antwerpiae 1717 & 18 lucem adſpexit publicam. Incipit ab ipſo ſeruatore noſtro Ieſu Chriſto, progrediturque vsque ad obitum Benedicti XI ſeu annum 1304; ſique chronologiam, adcuratamque ipſorum factorum enarrationem ſpectes, reliquis omnibus in hoc genere praeferendus eſt. Interdum & ſatis ingenuus eſt, quantum ab homine romanae eccleſiae ſacris addicto, exſpectari poteſt. De GVIL. BVRII *notitia breui romanorum pontificum &c.* Paduae an. 1724. 12. edita, videantur *die deutſche acta eruditorum, part. CVIII. num. V. p. 878. ſeqq.*

Licet autem iſti, qui ad hiſtoriam pontificum romanorum nobis viam aperiunt, hic ignorari non debeant; propius tamen ad noſtrum inſtitutum accedunt, qui ipſa dominationis pontificiae arcana pandunt. Faciunt hoc equidem quodammodo nonnulli ex iis, qui contra primatum pontificis diſputant; aut iura regum ac imperatorum contra iniquiſſimos pontificum auſus vindicant; quorum praecipuos ad *§. praecedentem* indicauimus; ſed nunc de illis nobis ſermo eſt, qui hoc data opera atque ex inſtituto agunt. Atque primum inter hoſce praecipuumque locum tenet PHIL. MORNAEVS, Pleſſiaci dominus; cuius quippe notum ſatis eſt *myſterium iniquitatis, ſiue hiſtoria papatus, quibus gradibus ad id faſtigii eniſus ſit, quamque acriter omni tempore vbique a piis interceſſum; adſeruntur etiam iura imperatorum, regum & principum chriſtianorum, aduerſus Bellarminum & Baronium cardinales*, Salmurii 1611, Geneuae 1612, alibique. Hiſtoriam & fata huius libri refert MAGNVS CRVSIVS, in *ſingularibus Pleſſiacis, ſiue memorabilibus de vita & meritis, fatis, controuerſiis & morte Philippi Mornaei de Pleſſis, maximam partem ex ipſis Mornaei ſcriptis, praecipue vero eius memoriis, atque epiſtolis ſtudioſe collectis &c.* quae cum praefatione viri doctiſſimi HENR. MVHLII Hamburgi 1704. 8. lucem adſpexerunt; *p. 178. ſeqq.* Obſeruat ibi CRVSIVS, eodem

dem tempore, quo in conuentu Salmurienſi praeſes fuerit, opus illud iam antea elaboratum, ab omnibus concilii iſtius paſtoribus adprobatum, latineque a ſe translatum, typis MORNAEVM imprimi, atque in vulgus edi curaſſe. Varios porro iſtum librum excitaſſe animorum motus, docet, tum propter argumentum, quod tractabat, tum propter auctoris exiſtimationem haud vulgarem, tum etiam maxime ob binas picturas huic editioni (nam in altera & ſequentibus editionibus, vt idem monet, non comparent) ſubiunctas, quarum altera ſedem pontificiam, figura turris babylonicae depictam, altera imaginem romani pontificis aeri inciſam, & ad viuum expreſſam exhibebat, adſcriptis ſuperbis titulis, quibus ſe ab adulatoribus adpellari patiebatur, tamquam *vice-Deum*, *chriſtianae reipublicae monarcham inuictiſſimum*, *& pontificiae omnipotentiae conſeruatorem acerrimum:* ita vt ſimul ex PAVLO V. VICE-DEO numerum antichriſti apocalypticum colligeret. De cenſura ordinis theologici Pariſienſis in huncce librum, lectu digna, quae idem vir clariſſimus adfert *p. 183.* qui & *p. 290. ſeqq.* de variis eius editionibus diligenter diſſerit. Primam namque, eamque rariſſimam, quae Salmurii 1611 gallice in fol. prodiit, reliquis omnibus varias ob cauſſas, quas ipſe exponit, praeferendam eſſe, docet; hinc reliquas tum gallicanas, tum latinas recenſet. Non vnum autem MORNAEVS ob librum huncce nactus eſt aduerſarium. In Gallia eum adgreſſus eſt PELLETIERIVS, & BRAYEVS, vt tamen praefationes primae editionis tantum arroderent; vterque interim exceptus ab ANDR. RIVETO, in *defenſione myſterii Pleſſaeani contra Pelleterium & du Bray.* Hinc ipſum opus impugnauit NIC. COEFFETEAV ſiue COEFFETELLVS, in *reſponſo ad librum, inſcriptum: myſterium iniquitatis &c.* gallice Pariſiis 1614. 8. edito; cui itidem obuiam iuit ANDR. RIVETVS, in *adnimaduerſionibus & conſiderationibus ſuper reſponſum Coeffetelli &c.* gallice ſcriptis, euulgatisque 1615 & 17. Sed & LEONH. COQVAEVS in hocce campo comparuit, publicae expoſito luci *anti-Mornaeo*, *ſeu apologia pro ſummis pontificibus, & confutatione eius hiſtoriae papatus*, Pariſiis 1613 & Mediolani 1619 2 volum. in fol. qui & tomo decimoquinto *bibliothecae maximae pontificiae* IO. THOM. DE ROCABERTI inſertus eſt; cui & *antidota fidei orthodoxae contra progreſſus ſeu oppoſitiones hiſtoriae papatus Philippi Mornaei* adiunxit. Acceſſit etiam ad hancce pugnam CASP. SCIOPPIVS, binas libri Mornaeani praefationes perſtringens, in *alexipharmaco regio*, *Philippi Mornaei hiſtoriae papatus oppoſito*, Moguntiae 1612. 4. Ipſum vero myſterium explodere voluit IAC. GRETSERVS in *myſta Salmurienſi*, *ſiue examine myſterii Pleſſaeani*, Ingolſtadii 1614. 4. quem tamen rurſus repulit ANDR. RIVETVS, in *hiſtoria rerum maxime notabilium, quae in eccleſia poſt apoſtolorum miſſionem vsque ad noſtra tempora contigerunt*, *cum defenſione deductionis myſterii iniquitatis factae per Philippum Mornaeum, contra accuſationes Coeffetelli & Gretſeri*, Salmurii 1620. 4. Quae denique CORN. IANSENIVS aduerſus MORNAEI *myſterium iniquitatis*, a RIVETO defenſum, regeſſit, diſcutienda ſibi ſumſit GISB. VOETIVS, in *deſperata cauſſa papatus, lib. III. ſect. II. cap. X. p. 675.* Haec ex CRVSIO repetere placuit, quoniam is adcurate & diligenter in hiſce recenſendis verſatur. Poſt MORNAEVM hic commemorandus eſt IOAN. HENR. HEIDEGGERVS, in *hiſtoria papatus nouiſſimo hiſtoriae Lutheraniſmi fabro κατὰ βλαῶν repoſita*, *qua eccleſiae romanae ſeptem periodis diſtinctae, origo & progreſſus ad noſtra vsque tempora pertexitur;* adiuncta eſt FRANC. GVICCIARDINI, patricii Florentini *hiſtoria papatus*, *ex auto-*

tographo Florentino reſtituta, Amſtelodami 1684. & deinde 98. 4. LVDOV. MAIMBVRGIVM, ceu auctorem *hiſtoriae Lutheraniſmi ac Caluiniſmi*, occaſionem huic operi dediſſe, vel ex inſcriptione intelligitur. Nec enim rectius illi obuiam iri poſſe, HEIDEGGERVS cenſuit, quam ſi *hiſtoriam* rurſus *papatus* conderet; quod & felici prorſus ſucceſſu praeſtitit; ſiquidem ea, quam dedit, & ob rerum ſelectum, & ob ordinem, & ob perſpicuitatem omnibus, a partium ſtudio alienis, magno eſt in pretio. Exſtat & eiusdem *myſterium Babylonis magnae*, Amſtelodami 1687 editum. HEIDEGGERVM merito excipit SAM. PVFENDORFIVS, qui, initio ſub BASIL. HYPERETAE nomine latitans, edidit *hiſtoricam & politicam deſcriptionem monarchiae ſpiritualis ſedis Romanae (hiſtoriſche vnd politiſche Beſchreibung der geiſtlichen monarchie des Stuhls zu Rom,)* Hamburgi 1679. 12. ſubiunctam deinceps eiusdem *introductioni in hiſtoriam praecipuorum regnorum & rerum publicarum*; rurſus vero ſeorſim cum adnotationibus CHRIST. THOMASII excuſam, Halae Magdeburgicae 1714. 8. Id namque in hocce libro PVFENDORFIVS agit, vt ſtructuram ſpiritualis iſtius monarchiae, eiusdemque fulcra & arcana, incrementa porro & decrementa, & tum horum, tum illorum cauſſas, adcurate delineet. Optant ſolum viri docti, vt auctores, ex quibus iſta omnia vlterius confirmari poſſent, addidiſſet. Veſtigiis PVFENDORFII quodammodo inſiſtit, ſed vt plenius, copioſiusque cuncta ediſſerat, THEODOS. GIBELINVS, in *caeſareo-papia romana*, *worinne die politiſche Geheimniſſe des Roemiſchen Stuhls, durch welche derſelbe eine Ober-Herrſchafft über die Chriſtenheit einzuführen getrachtet, vnd ſich bisher in ſeiner Hoheit erhalten hat, vorgeſtellet werden.* Cum primum liber iſte 1684 ſub nomine iſto ficto lucem adſpexiſſet, modo ESAIAE PVFENDORFIO, modo VITO LVDOV. SECKENDORFIO, modo aliis tributus fuit. Patuit tandem, verum eius auctorem eſſe MATTH. GOEBELIVM, ſub cuius nomine etiam tertia editio, ob ea, quae ipſe auctor confirmationis & illuſtrationis cauſſa addiderat, illi inſerta, prioribus duabus multum copioſior, locupletiorque, prodiit Lipſiae anno 1720. 4. cum erudita praefatione GOTTFR. CHRIST. HOFFMANNI, in qua de *fundamento querelarum, quae olim & noſtra aetate contra ſedem romanam auditae, ſcriptoribusque eo pertinentibus*, differit. Nec praetermittendus hic eſt ERN. SAL. CYPRIANVS, ob librum: *überzeugende Belehrung vom Vrſprung und Wachsthum des Pabſtthums, nebſt einer Schutz-Schrifft vor die Reformation, aus authentiquen Vhrkunden abgefaſſet*, inſcriptum editumque Gothae 1719. 8. Selectiſſimis enim, probatiſſimisque documentis cuncta ſunt ſuperſtructa; cumprimis autem legendum *c. XVII. p. 312. ſeqq.* vbi de *origine papatus* verba facit. Ex hiſce itaque, & ſi qui forte ſunt alii eiusdem generis ſcriptores, qui artes reconditas, quibus ex tenuiſſimis initiis ad tantam molem imperium papale ſurrexit, probe perſpexerit, ei haud difficile fuerit, in iure canonico veſtigia iſtorum arcanorum inuenire & detegere; eoque ipſo non tantum felicius in ſenſum plurimorum in eo dictorum penetrabit, ſed & quam ſolida aut leuia, quousque aut admittenda aut reiicienda ſint, eo promtius diiudicabit. Quam viam cum recentiori aetate iure conſulti quidam ingreſſi ſint; omnium tamen induſtriam ſuperauit, qui & omnes huc ingenii vires intendit, CHRISTIANVS THOMASIVS, tum in aliis ſcriptis, tum maxime in *adnotationibus* in IO. PAVLI LANCELOTTI *inſtitutiones iuris canonici*, quas cum hiſce & CASP. ZIEGLERI *adnotationibus* Halae Magdeburgicae 1715 prodiiſſe, ſupra iam diximus.

§. XIII.

§. XIII. De iuriſprudentiae eccleſiaſticae, ex mente proteſtantium ſpectatae, ſi recte tractetur, vtilitate & praeſtantia nemo temere dubitauerit. De iure canonico aliter proteſtantes, romanae eccleſiae addictos aliter ſentire, res ipſa itidem docet. Nulla autem, aut exigua eius apud proteſtantes cum ſit auctoritas; non omni tamen ideo apud eos deſtituitur vſu. Praeterquam enim, quod in foris adhuc quodammodo obtineat; & ad indolem papatus eo rectius introſpiciendam plurimum confert; & antiquitatis eccleſiaſticae ſtudio inſeruit, cumprimis varia, eaque interdum egregia veritatis teſtimonia, contra eccleſiae romanae errores nobis ſuppeditat. *

* Iuris cultoribus iuriſprudentiae eccleſiaſticae notitiam neceſſariam eſſe, vel ipſum *iuris prudentiae* nomen indicat. Immo ad iureconſultos eius tractationem praecipua quadam ratione ſpectare, licet theologi quoque ea carere nequeant, ſupra iam ad §. *I.* euicimus. Ab vtrisque tamen opera nauanda, vt recta via incedant, & principiis legitimis adcurate inſiſtant. Qualia autem iſta ſint ex mente proteſtantium, fuſe ſupra ad §. *IX.* explicauimus. Errores quosdam in iuriſprudentia eccleſiaſtica proteſtantium ex iure canonico remanſiſſe, itidem ſupra ad §. *VII.* docuimus; vbi & eos laudauimus, qui in iis eliminandis, & iuriſprudentia eccleſiaſtica a reliquiis papatus repurganda, ſtudium operamque ſuam collocarunt. Caute tamen hic atque circumſpecte incedendum, ne ea, quae ex ſcriptura ſacra, aut puriori antiquitate eccleſiaſtica originem trahunt, ſtatim inter reliquias papatus referamus. Conſulere ergo iuuabit IOAN. HERM. ABELSWICH *commentationem de reliquiis papatus eccleſiae Lutheranae temere adfictis*, Hamburgi 1721. 8. editam, praeſertim *cap. IV. ſeqq. p. 75. ſeqq.* Licet enim omnia viri huius doctiſſimi adſerta mea non fecerim; multa tamen recte & erudite eum monere, negari nequit, quae iis vſui eſſe poſſunt, qui mediam tenere viam cupiunt, ne promiſcue omnia, quae ex iure canonico fluxerunt, aut remanſerunt, adprobent, nec tamen omnia, quae quibusdam diſplicent, ſtatim pro reliquiis papatus reputent.

Ad ipſum vero ius canonicum quod attinet, romanae eccleſiae addictos, tum iure conſultos, tum theologos, eius notitia carere non poſſe, nemo dubitabit, qui ſecum expenderit, quanta adhuc hodie iſtius in hacce eccleſia ſit auctoritas. Immo quam ſancta, quamue inuiolabilis eſſe debeat, vel ex ipſo iure canonico patet; ſiquidem *decreti parte II. cauſſa XXV. quaeſt. I. c. violatores*, ſequentia leguntur: *violatores canonum voluntarii grauiter a ſanctis patribus iudicantur; & a ſancto ſpiritu (inſtinctu cuius ac dono dictati ſunt) damnantur; quoniam blaſphemare ſpiritum ſanctum non incongrue videntur, qui contra eosdem ſacros canones, non neceſſitate compulſi, ſed libenter, vt praemiſſum eſt, aliquid, aut proterui agunt, aut loqui praeſumunt, aut facere volentibus ſponte conſentiunt. Talis enim praeſumtio manifeſte vnum genus eſt blaſphemantium ſpiritum ſanctum; quia, vt iam praelibatum eſt, contra eum agit, cuius nutu & gratia ſancti canones editi ſunt.* Huic ergo effato ſi credimus, canones eccleſiaſtici non minus diuinitus inſpirati erunt, quam ſcriptura ſacra, nec minor illis, quam huic, debebitur

tur reuerentia ac veneratio; immo videntur omnino peccati in ſpiritum ſanctum rei agi, qui canonibus iſtis aduerſantur. Mirum itaque non eſt, inter romanenſes hanc olim exortam controuerſiam: *vtra ſcientiarum epiſcopo ſit vtilior, iuris canonici an theologiae*; ad quam HOSTIENSIS, & PANORMITANVS reſpondent: *vbi haeretici graſſantur, vtiliorem eſſe theologiam, vbi non, ius canonicum.* THOMAS autem DE VIO CAIETANVS cardinalis hunc in modum iſtam quaeſtionem expedire conſultum duxit; *Dicunt quidam, priſcis quidem epiſcopis magis theologiam conueniſſe, cuius gladio contra haereticos procedere illis opus eſſet, hodie contra iuriſperitiam magis congruere, quia plures accidant quaeſtiones, ad ius quam fidem ſpectantes; ſed longe aberrant, tum quia epiſcopi non minus hodie, quam olim praedicare tenentur, quia non minus quam tunc in conſecratione praedicandi officium imponitur. Praedicationis autem materia non ius eſt, ſed ſacra ſcriptura, vera & propria theologi ſcientia, ad quam ſpectat docere fidem & bonos mores, quae dominus ſeruanda mandauit*; in *ſecundam ſecundae quaeſt. CLXXXV. artic. III.* Recitat haec CAIETANI verba CLAVD. ESPENCAEVS, ſimulque dolet, de hacce quaeſtione in eccleſia romana diſputari. *Et nos ergo*, inquit, *(proh dolor!) ex pacificis in litigioſos degenerauimus, eaque eſt hodierna ſacerdotiorum praxis, vt quaeri ſerio ſoleat, theologusne an canoniſta ad epiſcopum aptior? hinc ſane, quam illinc multo plures.* Interim ipſemet fatetur, iuris canonici notitiam epiſcopo neceſſariam eſſe. *Equidem prudentem*, inquit, *Paulo epiſcopum non bibliorum tantum, ſed & canonum & iurium omnium legumque peritia, adeoque negotiorum ſaecularium ſolertia cum Gratiano intelligere non recuſo. Placet Coeleſtinus ſcribens: nulli ſacerdotum licitam canonum ignorantiam &c. digreſſionum in prior. ad Timoth. lib. II. cap. IX.* in quo ex inſtituto diſputat: *theologusne an iuris conſultus ad clerum aptior; p. m. 286. ſeqq.* Vnde ſatis, vt puto, patet, in eccleſia romana plus, quam decet, iuri canonico tribui.

Quaenam iuris canonici in noſtra eccleſia fuerint fata, fuſe expoſitum ſupra eſt ad §. *VII.* vbi & oſtenſum, quod nondum illud ſit abrogatum, ſed in foris adhuc ſcholiſque proteſtantium retineatur. Immo nec abrogandum, ſed potius emendandum, quidam ex iure conſultis, vt IOAN. SCHILTERVS, *praefat.* ad *inſtitut. iuris canonici*, aliique exiſtimant, quorum rationes refellit, longeque rectius rebus noſtris conſuli, ſi prorſus abrogaretur, contendit cum aliis GOTTL. GERH. TITIVS, in *der Probe des deutſchen geiſtlichen Rechts lib. I. cap. II. §. LXIII. ſeqq. p. 52. ſeqq.* Videtur autem abrogatio iuris canonici in foris ſcholiſque proteſtantium ex illorum numero eſſe, quae optanda magis, quam ſperanda ſunt. Quamdiu itaque vſus eius aliquis remanet, tamdiu etiam notitia eius, ſaltem iuris cultoribus, eſt neceſſaria. Nec theologi ea, tum ob hancce, tum & ob alias cauſſas carebunt, quin potius varia iuris canonici lectio illis adferre poteſt commoda. Plurima in eo occurrere antiquitatis eccleſiaſticae veſtigia, & documenta, conſtat inter omnes. Naturam indolemque papatus nullibi fere luculentius & apertius, quam in iure canonico conſpici, & res ipſa docet, & beatus quoque LVTHERVS noſter oſtendit, cum ſe ob combuſtum publice ius canonicum defenderet; qua de re ſupra itidem ad §. *VII.* dictum. Cumprimis vero ſingularia & egregia prorſus veritatis teſtimonia, quae romanenſibus recte opponimus, in eo deprehenduntur. Plurima enim, quae erroribus romanae eccleſiae e diametro repugnant, GRATIANVS compilationi ſuae inſeruit, partim, quod eo tempore nondum

dum ita obſcurata in eccleſia romana veritas eſſet, ac oppreſſa, vt poſtea factum; partim quod per imprudentiam & praecipitantiam non ſemper ſatis perpenderet, quae ad ſcopum ſuum facerent, aut eidem aduerſarentur, aut quo pacto quae congerebat, inter ſe cohaererent; vti iam ſupra monuimus. Atque hiſce veritatis teſtimoniis ſubinde theologi noſtri vſi ſunt, eaque in rem ſuam verterunt; cumprimis MATTHIAS FLACIVS illyricus, in *catalogo teſtium veritatis*, & beatus IO. GERHARDVS noſter, in aureo *confeſſionis catholicae* opere. Fuerunt deinde, qui ex inſtituto oſtenderent, quantum teſtimonia iſta veritatis ex iure canonico collecta praeſidium cauſſae euangelicae adferrent, quantaque adeo inde ad theologum redundent commoda. Huc namque comparatum eſt SAM. STRYKII, iure conſulti quondam longe celeberrimi, *praeſidium religionis euangelicae ex iure canonico*, Francofurti & Lipſiae an. 1722 poſt viri optimi obitum, editum. Porro & IOAN. HENR. FEVSTKINGII, theologi quondam clariſſimi, exſtat diſſertatio, *de praeſidiis veritatis euangelicae in iure canonico occurrentibus.* Cumprimis autem diligenter hac in cauſſa verſatus eſt IOAN. CHRIST. PFAFFIVS, theologus Tubingenſis, de eccleſia noſtra praeclare meritus, cuius *dogmata proteſtantium, ex iure canonico & conciliis deducta*, cum filii eius, theologi itidem Tubingenſis longe doctiſſimi, CHR. MATTH. PFAFFII praefatione, *de auctoribus, qui teſtes veritatis in eccleſia romana data opera recenſuere*, denuo edita, Tubingae 1722. 4. Ex reformatae denique eccleſiae doctoribus his addendus IOAN. HENR. OTTO, ob *nucleum ex iure canonico*, ſubiunctum eiusdem *nouo iuri papali oppoſito iuri veteri diuino*, Tiguri 1681, in quo per certa capita, ſecundum litterarum ſeriem diſpoſita, recte in iure canonico dicta, & veritati, quam eccleſiae proteſtantium profitentur, conſentanea, exhibentur.

ADPENDIX
CAPITIS QVINTI
DE
LIBRIS ECCLESIASTICIS.

VOcem *eccleſiaſtici*, cum de ſcriptoribus ſcriptisue vſurpatur, non vna ratione accipi, fuſe & erudite docet IO. ANDR. BOSIVS noſter, in *introd. in notitiam ſcriptor. eccleſiaſt. cap. I. §. XI. ſeqq.* Nobis autem hic eiusmodi libros denotat, qui de rebus ad eccleſiae regimen & diſciplinam ſpectantibus, cumprimis de ritibus & caerimoniis, quibus cultus Dei externus peragi ſolet, praecipiunt. Licet enim vero ſpeciatim, qui de ritibus & caerimoniis agunt, hoc nomine veniant; interdum tamen eodem ſimul & ipſi canones eccleſiaſtici, eorumque collectiones (in quibus tamen itidem ſubinde multa de ritibus & caerimoniis continentur) adeoque quae ad eccleſiae regimen & diſciplinam pertinent, comprehenduntur; quo pacto & *agenda*, vt vocari ſolent, ſeu *ordinationes eccleſiaſticae*, in quibus non tantum de ritibus, ſed aliis quoque rebus ad eccleſiae regimen ſpectantibus, exponitur, &

& de quibus iam ſupra dictum, haud vltimum hic ſibi vindicant locum. Eos vero etiam libros, qui tantum de ritibus ac caerimoniis agunt, in cenſum venire, cum de iurisprudentia eccleſiaſtica ſermo eſt, vel inde patet, quod rituum ac caerimoniarum conſtitutio ad externum eccleſiae regimen, ſeu ius circa ſacra referendum ſit; quod ſummis imperantibus proprium eſſe, manifeſtum eſt; licet negari nequeat, olim eiusmodi libros a priuatae ſortis hominibus ſubinde compoſitos, receptos tamen in eccleſia, ſi forte ſingularis quaedam illorum eſſet auctoritas. Si quis autem adhuc ambigat, an de ritibus ac caerimoniis eccleſiaſticis, deque libris, qui de iis exponunt, ſollicita ſit iurisprudentia eccleſiaſtica; is IVST. HENN. BOEHMERI adeat *diſſertationem praeliminarem de iure liturgiarum eccleſiaſtico*, praemiſſam eiusdem *tomo tertio iuris eccleſiaſtici proteſtantium &c.*

Sunt vero & aliae cauſſae, ob quas librorum eiusmodi eccleſiaſticorum notitia theologiae cultoribus commendanda venit. Fontem enim non tantum omnis antiquitatis eccleſiaſticae longe vberrimum nobis ſuppeditant, ſed, quod maioris adhuc momenti eſt, mentem ſententiamque veteris eccleſiae de grauiſſimis doctrinae ſacrae capitibus, de quibus tam vehementer hodie diſputatur, luculenter pandunt. Facile namque hactenus conceſſerim, quod EVSEB. RENAVDOTIVS, de liturgiis, quae inter libros eccleſiaſticos hic maxime in cenſum veniunt, pronuntiat, eas *inter reliqua eccleſiaſtica monumenta maximam obtinere auctoritatem (quippe) quae totius quodammodo eccleſiae vocem & teſtimonium exhibent, quia vbique cognitae & probatae ſunt, & in illis non epiſcoporum modo, ſed plebis etiam ſuffragia continentur*; in *diſſert. de liturgiarum orientalium origine & auctoritate, cap. VII. tom. I. collection. liturgiar. oriental. p. 49. 50.* Nimirum, admitti hoc poteſt, ſi de liturgiis genuinis, & ab integris iam olim eccleſiis adprobatis, nec corruptis aut interpolatis, intelligatur. Ex eiusmodi autem liturgiis ſi demonſtretur, romanenſes a veteris eccleſiae doctrina ac ſententia diſceſſiſſe; proprio tum iugulantur gladio, argumentoque premuntur, quod vim magnam ponduſque grauiſſimum habet. Specimen huius rei dedit F. P. DE LA BARRE, in libello: *doctrina proteſtantium de libertate legendi ſcripturam ſacram; de cultu diuino in lingua vernacula; de inuocatione ſanctorum; deque ſacra euchariſtia, confirmata ex miſſali romano, & per conſiderationes ſuper vnoquoque capite*, inſcripto, galliceque edito Geneuae 1720. 8. Ex ipſo namque miſſali romano errores romanae eccleſiae in hiſce capitibus refutari poſſe, oſtendit; quamquam in doctrina de ſacra euchariſtia, ſuae, hoc eſt, reformatae eccleſiae ſententiae faueat, multa etiam, quae adhuc addi poſſint, aliis reliquerit. DAN. SEVER. SCVLTETVM, Hamburgenſem, ob varia ingenii monumenta haud ignotum, librum *de erroribus eccleſiae romanae, ex libris eorum eccleſiaſticis demonſtratis*, edere voluiſſe, memorat NIC. PETR. SIBBERN in *ſchediaſmate de libris Latinorum eccleſiaſticis, p. 15.* An vero is lucem adſpexerit? mihi non conſtat. Luculentiſſime, quantum momentum in dogmatibus theologicis liturgiae trahant, patuit in controuerſia iſta de *perpetuitate fidei* in doctrina de ſacra euchariſtia, inter IOAN. CLAVDIVM, & PETR. NICOLIVM orta, ab ANTONIO ARNALDO, aliisque continuata; omnem quippe hinc romanenſibus, illinc reformatis mouentibus lapidem, illis etiam ad artes varias ſeſe recipientibus, vt ex liturgiis, orientalium eccleſiarum cum ſua ſententia conſenſum demonſtrarent; noſtratibus rurſus in iisdem liturgiis ſuae doctrinae praeſidium quaerentibus. Legenda IO. GVILIANI

IANI *diſſertatio de liturgiis orientalibus, in doctrina de ſacra eucharistia antiquae veritati euangelicae contra nouos pontificiorum & Caluino-reformatorum errores ſuffragantibus*; Wittebergae 1724. 4.

Ad rem ipſam vt accedamus, non defuerunt viri docti, qui de libris eccleſiaſticis tum Graecorum, tum Latinorum commentati ſunt. Et inter eos quidem, qui Graecorum libros eccleſiaſticos recenſuerunt, primum praecipuumque locum tenet LEO ALLATIVS, cuius *duae* exſtant *de libris eccleſiaſticis Graecorum diſſertationes*, quarum vna ad GABR. NAVDAEVM, *diuinorum officiorum potiores vſitatioresque libri percenſentur*; altera ad IO. AVBERTVM *triodium, pentecoſtarium & paracletice examinantur*; quas ad editionem Cramoiſianam Pariſiis 1644 *additis notis, ſupplemento & indice, atque elencho alphabetico melodorum graecorum*, recuſas, *libro quinto bibliothecae* ſuae *graecae* ſubiecit IO. ALB. FABRICIVS. Cum vero, fatente ipſomet ALLATIO, ingens eiusmodi librorum apud Graecos ſit multitudo; mirum non eſt, quod aliis viris doctis ſpicilegium aliquod inſtituere licuerit; cuiusmodi illud eſt, quod GVIL. CAVE exhibet in *diſſertatione de libris & officiis eccleſiaſticis Graecorum*, quae inter *tres* iſtas *diſſertationes, hiſtoriae* eius *litterariae ſcriptorum eccleſiaſticorum* adnexas, ſecunda eſt. Latinae eccleſiae librorum eccleſiaſticorum notitiam ſuppeditare adgreſſus eſt NICOL. PETR. SIBBERN, in *ſchediaſmate de libris Latinorum eccleſiaſticis, in quo praecipui latinae eccleſiae veteris & modernae romanae libri liturgici ordine alphabetico enumerantur*, Wittebergae 1706. 8. In *praefatione* etiam libros quosdam eccleſiaſticos Graecorum, a LEONE ALLATIO praetermiſſos, enumerat. Vtriusque denique eccleſiae, tum orientalis, tum occidentalis, libros eccleſiaſticos recenſet vir eruditiſſimus CHRISTOPH. MATTHAEVS PFAFFIVS, in *diſquiſitione de liturgiis, miſſalibus, agendis & libris eccleſiaſticis, eccleſiae orientalis & occidentalis, veteris & modernae*, adiecta eiusdem *inſtitutionibus hiſtoriae eccleſiaſticae*, Tubingae 1721. 8. editis. Immo & *cap. III.* de *liturgiis, agendis, librisque proteſtantium*, verba facit. Hosce qui ſequutus fuerit duces; haud difficulter notitiam eiusmodi librorum eccleſiaſticorum minime contemnendam ſibi comparare poterit. Nobis id ſolum relictum eſt, vt de praecipuis, maximeque obſeruatu dignis, quaedam moneamus.

Quae ſub apoſtolorum, virorumque apoſtolicorum, Petri, Iacobi, Matthaei, Marci, aliorumque nomine circumferuntur, liturgiae, nos non morabuntur; cum, eas perperam viris hiſce ſanctis tribui, rationibus adeo euidentibus euictum ſit, vt doctiſſimi etiam romanenſium id hodie fateantur. Legendi prae reliquis NICOL. LE NOVRRY, in *adparatu ad bibliothecam maximam patrum, tom. I. diſſertat. II. p. 19. ſeqq.* NAT. ALEXANDER, *hiſtor. eccleſiaſt. noui teſtam. ſaec. I. cap. XII. art. III. p. 39. ſeqq.* LVD. ELL. DV PIN, *nou. biblioth. ſcriptor. eccleſ. tom. I. p. 8. 9.* Eidem ſententiae ſubſcribit IO. BONA, cardinalis, niſi quod Iacobi liturgiam excipiat, quippe quam genuinam eſſe, contendit; *rerum liturgicar. lib. I. cap. VIII. p. 89. ſeqq.* Sed hanc quoque ſpuriam eſſe, nec Iacobi recte ſibi vindicare nomen, tum alii, tum vero cumprimis NICOL. LE NOVRRY, *l. c.* luculenter demonſtrarunt. Rationes, quibus euincitur, haſce liturgias iſtis auctoribus tribuendas non eſſe, in compendio legere licet apud ANDR. RIVETVM, in *critico ſacro lib. I. cap. III.* cui iungendus ROB. COCVS, in *cenſura ſcriptor. quorumdam &c. p. 12.* Ex noſtratibus cumprimis conſulendus THOMAS ITTIGIVS, in *diſſertat. de pſeudepigraphis Chriſti, Mariae, & apoſtolorum cap. XIII. p. 222.*

p. 222. ſeqq. & in *ſelectis capitibus hiſtor. eccleſ. ſaeculi I. cap. I. §. V. IX. XI. XV.* Multo minus adhuc pro genuina habenda *liturgia ſeruatoris noſtri*, quam aethiopica lingua ſcriptam IOAN. MICH. WANSLEBIVS, ordinis Dominicani monachus, in Europam attulit, & ad calcem *opuſculorum aethiopicorum* IOBI LVDOLPHI, Londini 1661 impreſſorum, ipſo inconſulto adiunxit, multis inſuper vitiis in latina verſione contaminatam, vt ipſe LVDOLPHVS conqueritur; *commentar. ad hiſtor. aethiopic. p. 341.* vbi eamdem aethiopice & latine emendatius recuſam, exhibet; qui & *p. 346.* docet, eam domini noſtri dici, non quod ipſe fuerit auctor, ſed quod ſpeciatim in ipſius honorem fuerit deſtinata, eademque ratione intelligendum, quando aliae liturgiae apoſtolis, aut viris apoſtolicis tribuuntur. Idem de hacce liturgia etiam obſeruauit IO. ALB. FABRICIVS, in *cod. apocrypho noui teſtam. part. I. p. 314.* qui & *part. III.* ipſam liturgiam Iacobi, graece & latine, itemque e ſyriaco ab EVSEB. RENAVDOTIO verſam; Petri, graece & latine, alteramque verſam e ſyriaco, & tertiam; Ioannis e ſyriaco verſam; Matthaei, qua aethiopes vtuntur; Marci graece & latine, itemque aliam verſam e ſyriaco; duodecim denique apoſtolorum, itidem e ſyriaco verſam, recudi curauit. Cum vero, ſi concedatur, liturgias iſtas, de quibus loquimur, auctoribus, quorum oſtentant nomina, tribui non poſſe, praeſidium, quod inde romanenſes petunt, corruat; EVSEB. RENAVDOTIVS, vir eruditus, ſed impotentis animi, & ambitionis oeſtro percitus, & tantum non lymphatus, alia ratione cauſſae illorum conſulere voluit. Fatetur, ad argumenta, quibus ANDR. RIVETVS, GVIL. CAVE, aliique proteſtantium liturgias iſtas impugnauerant, a ſuae eccleſiae hominibus nihil ſolidi reſponſum eſſe. *Sed,* inquit, *vt verum fateamur, iuſtam triumphi materiam eccleſiae aduerſariis homines noſtri praebuerunt, cum bonam cauſſam rationibus & auctoritatibus parum idoneis defendere adgreſſi ſunt. Plerique enim, etiam quos aetas illa ferebat doctiſſimos, ita ſunt in cauſſa verſati, vt ex decretalibus epiſtolis primorum pontificum, ex Dionyſii libris, & aliis non minus contemnendis, Iacobi liturgiam confirmare conarentur; voces* ὁμοούσιος *&* Θεοτόκος *contenderent ante Nicaena tempora fuiſſe vſurpatas; & quid non hoc in genere peccauit Allatius? Eccleſiam ita propugnare, prodere eſt.* Rectiora itaque ſolidioraque traditurus, largitur, liturgiam, quae Iacobo tribuitur, ab eo non confectam, ſed nomen eius ideo praeferre, quod in eccleſia Hieroſolymitana, ab apoſtolo iſto fundata, iam ab antiquiſſimis temporibus recepta eſſet. *Iacobi,* inquit, *titulum accepit Hieroſolymitana liturgia, quod in ea eccleſia ab apoſtolo fundata celebraretur.* Sic & eam, quae Marci eſſe creditur, Alexandrinam eſſe contendit, *quae a Coptis conſeruata fuerit, & a Marco illius eccleſiae fundatore titulum nacta apud Graecos, quem apud Coptitas non habeat, cum Cyrillo tribuatur.* Petri vero liturgiam prorſus reiicit, vtpote nec antiquorum auctoritate, nec vſu eccleſiarum confirmatam; ex codice etiam, de cuius antiquitate non conſtet, deſcriptam. *Eſt igitur,* inquit, *opus Graeci alicuius, qui, quod multi orientales fecerunt, vt ſe ſinceros & perfectos catholicos demonſtrarent, liturgicos codices ſcripſerunt, in quibus veteres ſuas formas ſacramentorum romanis accommodauere, temere prorſus & imperite; cum eccleſia romana antiquitus & etiam nunc, orientalibus ſuos ritus relinquat.* Haec RENAVDOTIVS in *diſſertat. de liturgiar. orientalium origine & auctoritate, tomo I. collectionis liturgiar. oriental.* praemiſſa, *cap. IV. p. 24. ſeqq.* Quae ſi vel maxime ita comparata eſſent; nullam tamen ideo cauſſam habet, RIVETO, aut aliis proteſtan-

ſtantium, tantopere inſultandi. Eſto, fuerint liturgiae iſtae iam olim in eccleſiis iſtis receptae; ſint propter antiquitatem venerandae; ſufficit nobis, quod ab ipſis apoſtolis, aut viris apoſtolicis non fuerint profectae. Hoc ipſo enim maximam profecto dignitatis & auctoritatis ſuae partem amittunt. Poſſent & alia adhuc moneri, quae deinceps adferemus.

Ad BASILII potius atque CHRYSOSTOMI liturgias progredimur, quarum apud Graecos vſus receptus, maximaque ſemper fuit auctoritas. *Apud Graecos*, inquit LEO ALLATIVS, *primus omnium Baſilius, quod hiſtoriis traditum ſit, prolixiorem Iacobi miſſam breuioribus finibus concluſit, quam poſtmodum licet decurtatam, Chryſoſtomus nimis prolixam exiſtimans, obtruncatis, quae ſibi videbantur, breuiorem, ad commodiorem populi vſum effecit. Neque vllus vmquam apud Graecos dubitauit, Baſilium & Chryſoſtomum, miſſas, quae nunc in orientali eccleſia celebrantur, conſcripſiſſe.* Id cum PROCLI, vel quisquis auctor eſt tractatus, qui ſub eius nomine circumfertur, aliorumque teſtimoniis comprobaſſet, ita pergit: *Et eas, quae nunc, tum in dicto libro, tum in euchologio, tum alibi ſub tantorum ſanctorum nomine digeruntur miſſae, eorum eſſe, nullus, quod ipſe ſciam, dubitauit, praeter vnum Caſaubonum. exercitat. 14. num. 8. in Baronium &c. de libris eccleſiaſticis Graecorum diſſertat. I. p. 12. 13.* Dubitarunt tamen, praeter CASAVBONVM, & alii, liique doctiſſimi viri; immo has liturgias BASILII & CHRYSOSTOMI, etſi ſub illorum nominibus circumferantur, eſſe, negarunt. Alii, licet non inficientur, BASILIVM liturgiam concinnaſſe; eas tamen, quae ſub nomine eius hodie exſtant, ſcilicet tum graecam illam, tum eam, quam ex ſyriaco tranſtulit, ediditque ANDR. MASIVS, tum denique, quam ex arabico vertit VICT. SCIALAGH, Maronita, ex monte Libano, adeo corruptas & interpolatas eſſe, fatentur, vt quidnam in iis BASILIO tribuendum ſit, certo cognoſcere nequeamus. Ita ex ipſis romanenſibus LVD. ELL. DV PIN, in *bibliotheca ſcriptor. eccleſiaſt. tom. II. p. 182.* Idque fuſius confirmat CASIM. OVDINVS, in *commentar. de ſcriptor. eccleſiaſt. tom. I. ſaec. IV. p. 573. ſeqq.* Idem de CHRYSOSTOMI liturgia cenſendum, de qua idem OVDINVS legendus *l. c. p. 722.* De eadem IO. HALESII, theologi anglicani quondam longe celeberrimi, ἐπίκρισιν, certe partem eius ex laceris illius ſchedis collectam, at lectu dignam, *hiſtoriae* ſuae *litterar. ſcriptor. eccleſiaſticor.* inſeruit GVIL. CAVE, *parte II. p. 58.* De hacce HALESII ἐπικρίσει legendus etiam IO. LAVRENT. MOSHEMIVS in *vita Haleſii*, quam epiſtolis eius, a ſe editis, praemiſit, *p. 142.* EVSEB. RENAVDOTIVS, non neceſſe eſſe, exiſtimat, vt de auctoribus iſtarum liturgiarum diſceptemus; cum ſufficiat, quod illa, quae BASILIO & CHRYSOSTOMO vulgo adſcribitur, in eccleſia Conſtantinopolitana fuerit recepta. *Inter eos*, inquit, *qui prudentius & adcuratius de illis iudicarunt, cardinalis Perronius fuit, dum coniectando adſequutus eſt, eam (liturgiam) quae Iacobi dicitur, fuiſſe Hieroſolymitanae eccleſiae propriam; quae Marci, Alexandrinae; Baſilii & Chryſoſtomi eccleſiarum patriarchatus Conſtantinopolitani. Ea ratione fraudis omnis ſuſpicio prorſus euaneſcit, & fruſtra ſunt impugnatorum eccleſiaſticae diſciplinae, calumnioſae diuinationes, nec illis incommodis laborat haec ſententia, quae in aliis maxima ſunt. Ita non erit litigandum, quis huius vel illius liturgiae auctor fuerit, a quo litteris conſignata ſit; an ea, quae ſaeculis auctorum, quibus adſcribuntur, conueniant, repraeſentet; an mutationes aliquot paſſa ſit. Conſtet modo, talem liturgiam continere formam euchariſtiae con-*

conſecrandae, quae a multis ſaeculis vſurpata in inſignibus eccleſiis fuerit; ſalua eſt eius dignitas & auctoritas. Vſus enim illarum eccleſiarum, qui hucusque viget, vt certus eſt, adeo vt ne probabilibus quidem coniecturis vocari in controuerſiam poſſit, ita eſt antiquiſſimus &c. de *liturgiar. oriental. origine & auctoritate, cap. V. p. 31. 32.* Ita quidem vir ille doctus vnico veluti ſaltu ſe omnes ſuperaturum exiſtimauit difficultates. Verum, cum fieri queat, vt formulae, ab integris eccleſiis receptae, ſucceſſu temporis mutationem quamdam ſubeant; valde dubito, an hac ratione multum ad rei ſummam ſit profecturus. Editiones liturgiarum BASILII & CHRYSOSTOMI recenſet IO. ALB. FABRICIVS, in *notis* ad LEON. ALLATII *diſſertat. I. p. 10.*

De reliquis Graecorum, vt GREGORII theologi, & CYRILLI Alexandrini, aliorumque, itemque de orientalium, prout a Graecis diſtinguuntur, liturgiis, copioſe & erudite diſſerit CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, *diſſertat. citat. cap. I. §. III. & IV. p. 9. ſeqq.* vt nihil temere, quod addi queat, inueniatur. De orientalibus quoque liturgiis idem recte pronuntiat, eas, quae aliquid auctoritatis habent, a Graecis vel translatas eſſe, vel lucem accipere, a quibus inſuper haud raro abeant, cum mirum in modum ſint interpolatae. Cum autem noſtra aetate EVS. RENAVDOTIVS ob orientalium liturgiarum collectionem magnam conſequutus ſit celebritatem, ſimulque omnes, qui in hocce genere aliquid conati ſunt, magno ſupercilio contemnat; operae me facturum pretium, puto, ſi paullo adcuratius, quid praeſtiterit, conſiderauero. Duobus ſcilicet tomis *liturgiarum* eius *orientalium collectio* conſtat, Pariſiis 1716. 4. editis. In priori poſt praefationem & diſſertationes tres, *de liturgiarum orientalium origine & auctoritate; de Coptitarum Alexandrinorum liturgiis; & de lingua Coptica*, ſequentes conſpiciuntur liturgiae: *I) Coptitarum ex Coptico conuerſae*, ſcilicet *liturgia ſancti Baſilii, liturgia ſancti Gregorii, liturgia ſancti Cyrilli; orationes* denique *& benedictiones ad conſecrationem omnium altaris inſtrumentorum; II) liturgiae graecae Alexandrinae*, ſcilicet *ſancti Baſilii Alexandrina, ex codice graeco-arabico; ſancti patris Gregorii;* & denique *diuina liturgia, ſeu miſſa ſancti apoſtoli & euangeliſtae Marci, diſcipuli ſancti Petri; III) ritus ordinationis Alexandrini Iacobitarum patriarchae; IV) liturgia communis, ſiue canon vniuerſalis Aethiopum;* ne quid nunc de praefationibus, hiſce liturgiis praemiſſis, deque notis & obſeruationibus, quibus eas illuſtrauit, dicam. In poſteriori tomo poſt diſſertationem, *de ſyriacis Melchitarum & Iacobitarum liturgiis*, comparent: *I) ordo communis liturgiae ſecundum ritum Syrorum Iacobitarum; alius ordo generalis liturgiae; liturgia ſancti Iacobi apoſtoli fratris domini; liturgia minor ſancti Iacobi fratris domini ordinata per Gregorium catholicum orientis, inter montes Armeniae magnae anno Graecorum 1903, Ieſu Chriſti 1591; liturgia ſancti Xyſti papae romani; liturgia ſancti Petri, principis apoſtolorum; liturgia Petri ſecunda; liturgia ſancti Ioannis euangeliſtae; liturgia duodecim apoſtolorum ſanctorum, quam ordinauit Lucas euangeliſta, magni Pauli diſcipulus; liturgia Marci, praedicatoris & euangeliſtae; liturgia ſancti Clementis Romani; liturgia ſancti Dionyſii, Athenarum epiſcopi; liturgia ſancti Ignatii; liturgia ſancti Iulii papae romani; liturgia ſancti Euſtathii, patriarchae Antiocheni; liturgia ſancti Ioannis Chryſoſtomi; liturgia ſancti Ioannis, quae in miſſali chaldaico Chryſoſtomo tribuitur; liturgia ſancti Marutae catholici ſiue metropolitae Tagritenſis; liturgia ſancti Cyrilli; liturgia Dioſcori patriarchae Alexandrini; liturgia Philoxeni, epiſcopi Mabugen-*

gen-

Digitized by Google

genſis, ſeu Hieropolitani; liturgia Philoxeni Hieropolitani ſecunda; liturgia Seueri Antiocheni, quae in aliis codicibus Timothei Alexandrini dicitur; liturgia Iacobi, cognomento Bordayaei, ſeu, vt Graeci pronuntiant, Baradati; liturgia Matthaei paſtoris; liturgia ſancti Iacobi, epiſcopi Botnanenſis & Serugenſis Syrorum doctoris, qui Tabelita etiam vocatur; liturgia beati Iacobi interpretis epiſcopi Edeſſeni; liturgia Thomae Heracleenſis; liturgia Moſis bar-Cepha; liturgia Philoxeni epiſcopi Bagdadenſis; liturgia doctorum ſanctorum a Ioanne magno patriarcha ordinata; liturgia Ioannis Baſorenſis; liturgia Michaelis patriarchae Antiocheni; liturgia Dionyſii epiſcopi Amid, qui & Barſalibi; liturgia Gregorii catholici orientis, qui Abulfaragius & bar-Hebri dictus eſt; liturgia ſancti Ioannis patriarchae, qui ſcriba & acoemetus dictus eſt; liturgia ſancti Dioſcori epiſcopi inſulae Cardou, ſiue Gordyaeorum; liturgia Ioannis patriarchae Antiocheni, qui prius vocatus eſt Ioannes filius Maadni; liturgia Ignatii, patriarchae Antiocheni, qui etiam dictus eſt Ioſeph filius Vahib; liturgia Baſilii, ex verſione Andreae Maſii: II) poſt diſſertationem *de Neſtorianorum liturgiis* ſequuntur ipſae liturgiae Neſtorianorum; nimirum, *liturgia apoſtolorum ſanctorum, ſeu ordo ſacramentorum; liturgia beatorum apoſtolorum, compoſita a ſancto Adaeo, & ſancto Mari orientalium doctoribus; liturgia Theodori interpretis; liturgia Neſtorii, quae celebratur quinquies in anno, ſcilicet in epiphania, in vigilia ſancti Ioannis baptiſtae, in vigilia doctorum graecorum, feria quarta hebdomadae ſupplicationis Niniues, & in paſchate.* Omnibus hiſce liturgiis more ſuo notas ſubiecit. Nos autem paullo fuſius iſta enarrare voluimus, inde vt intelligeretur, quae in hacce collectione continentur, liturgias aut ſpurias eſſe, ac ſuppoſititias, vt omnes iſtae ſunt, quae apoſtolorum virorumque apoſtolicorum nomina oſtentant, aut recentiores, aut obſcurorum denique hominum, quorum in eiusmodi rebus nulla eſt auctoritas. Praeterea cum verſiones ſolum iſtarum liturgiarum, graecis quibusdam exceptis, dederit RENAVDOTIVS; incertum dubiumque eſt, an earum vbique recte expreſſerit ſenſum; immo an non interdum data opera corruperit. Fidem enim & candorem in eo iure deſiderari poſſe, vel ex eo viri docti colligunt, quod vnice illi conſtitutum fuerit, conſenſum eccleſiarum orientalium cum romana, tum in aliis, tum maxime in doctrina de ſacra euchariſtia, oſtendere. Mirum itaque non eſt, quod orientalibus chriſtianis longe alia tribuat dogmata, quam quae reuera habent; quod & obſeruauit, exemplisque demonſtrauit, vir longe eruditiſſimus MATVRIN. VEYSSIERIVS LA CROZE, cui hoc nomine paſſim vapulat, in *hiſtoria chriſtianiſmi Indorum*, gallice ſcripta, editaque Hagae Comitum 1724. 8. Atque hic quidem cum inter alia obſeruaſſet, chriſtianos orientales, ſub Neſtorianorum nomine notos, & ab aliis eccleſiis poſt ſaeculum quintum ſeparatos, patriarchae, cui cum pontifice romano nihil plane commercii eſt, ſubiectos, non alia quam proteſtantes, admittere ſacramenta, transſubſtantiationem & praeſentiam realem (vti viro doctiſſimo videtur) diſerte negare, cultum imaginum abominari, ignorare purgatorium, omnesque fere traditiones eccleſiae romanae, quas proteſtantes reiiciunt; atque haec omnia ex actis ſynodi Diamperenſis, libris eorum eccleſiaſticis, teſtimoniisque hiſtoricorum fide dignis, euidentiſſima eſſe, ac extra omnem dubitationem poſita; cum, inquam, haec obſeruaſſet, argumentum ſolidiſſimum contra antiquitatem iſtorum dogmatum inde depromi poſſe, adfirmat; porroque concludit, *audaciam eſſe mentisque ad veritatem diſſimulandam obſirmationem, quae excuſationem non admittat, (vne hardieſſe & vne preuention inexcuſable)* quod

quod RENAVDOTIVS nihiloſecius ſibi aliiſque perſuadere velit, Neſtorianos eamdem cum romana eccleſia de euchariſtia fouere ſententiam; *l.c. lib. IV. p.341.* Sed de libris liturgicis Graecorum, orientaliumque haec ſufficiant. De voce *liturgia* hoc ſolum addere liceat, ea plerumque ritus, qui in ſacrae coenae adminiſtratione adhiberi ſolent, denotari, & ita quoque eam accipiendam, cum de liturgiis Graecorum, orientaliumque hucusque loquuti ſumus; quo ſenſu & IO. BONAM cardinalem, *rerum liturgicarum libros duos* conſcripſiſſe, conſtat. Interdum vero & generatim pro quibusuis ritibus eccleſiaſticis, aut libris, in quibus eiusmodi ritus deſcribuntur, ſumitur; quam ſignificationem ſequutus eſt IO. FRIDERICI, in *liturgia veteri & noua, ſiue collatione rituum liturgicorum eccleſiae chriſtianae priſcae & hodiernae*, Ienae 1704. 4. excuſa. Inter reliquos libros eccleſiaſticos Graecorum cumprimis obſeruatu memoratuque digna ſunt δίπτυχα, ſiue tabulae, quibus epiſcoporum, & aliorum, ſanctitate & meritis in eccleſiam illuſtrium, nomina conſignabantur; ſed auctores, qui de iis egerunt, iam indicauit IO. ALB. FABRICIVS, in *indice*, LEONIS ALLATII *diſſertationibus de libris eccleſiaſticis Graecorum* ſubiecto *pag. 243.* quibus nonnullos addidit CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, *l. c. cap. I. §. IV. p.22.*

Inter latinae eccleſiae libros eccleſiaſticos eminet *ordo romanus*, ſaeculo octauo, vt videtur, ſcriptus, indeque dictus, quod ordinem ſacrorum in romana eccleſia vſitatum copioſe pertractet. Auctor incertus eſt, etſi, a clerico romanae eccleſiae non infimae notae eum conditum, a vero non abhorreat. Exſtat inter *ſcriptores de diuinis officiis*, a MELCH. HITTORPIO Pariſiis 1610 euulgatos; itemque in *bibliothecis patrum* paſſim, ſubinde quoque ab aliis, editus. Non minus tamen obſeruandus *liber ſacramentorum* GREGORII I, ſiue magni, pontificis romani, tum inter alia liturgica, tum & ſeorſim cum notis eruditiſſimis HVG. MENARDI, Pariſiis an. 1642. 4. euulgatus, & cum iisdem notis *operum* eius, quae ſtudio & labore monachorum ordinis ſancti Benedicti Pariſiis 1705 prodierunt, *tomo tertio* inſertus. Rectius eum *librum ſacramentorum*, quam *ſacramentarium*, vt vulgo fieri ſolet, vocari, HVGO MENARDVS, *nota II. p.274.* docet, additque: *aptiſſime autem hoc opus liber ſacramentorum dicitur, quia in eo officia miſſarum liturgica, recte diſpoſita continentur; quae ſancti patres olim ſacramenta adpellarunt.* Quod ſi ita ſe habet, vti lubentiſſime concedo; quaeri porro poſſet, cur itaque in multitudinis numero, *ſacramentorum liber* dicatur? Reſpondent editores operum GREGORII monachi Benedictini: *Solum euchariſtiae ſacramentum plurali numero in ſingulis fere miſſis deſignatur, tum propter duplicem panis & vini materiam, tum propter corpus & ſanginem Chriſti, quae continet.* Ergo ſub vtraque ſpecie olim ſacra euchariſtia adminiſtrata fuit. Recte enim inde colligitur, rationem huius ſacramenti ſibi non conſtare, niſi panis & vinum, corpus & ſanguis Chriſti adſint; ſiquidem eam ob cauſſam multitudinis de eo vſurpatur numerus. Aliunde equidem ſatis conſtat, in veteri eccleſia ſub vtraque ſpecie euchariſtiam ſemper adminiſtratam fuiſſe. Hocce tamen non negligendum putaui veritatis teſtimonium. Ceterum cum initio miſſa Gregoriana tantum in romana eccleſia recepta eſſet; deinceps tamen pontifices operam dederunt, vt alibi quoque reciperetur; cum illorum intereſſet, vt omnes eccleſiae ad ritus romanos ſe componerent. Sequuntur hinc, qui medio aeuo de *officiis eccleſiaſticis* ſcripſerunt, vt circa initium ſaeculi ſeptimi ISIDORVS, Hiſpalenſis epiſcopus; BEDA cognomine *venerabilis* ineunte ſaeculo octauo; & eodem ſaeculo ad finem vergente ALB. ALCVINVS, Anglus,

BEDAE *venerabilis* diſcipulus; ſaeculi noni anno trigeſimo AMAL. FORTVNATVS, epiſcopus Treuirenſis, qui *libros IV de officiis eccleſiaſticis* Ludouico pio imperatori inſcriptos emiſit; quemadmodum & circa medium eiusdem ſaeculi WALAFRIDVS, a vitio oculorum STRABO ſeu STRABVS, dictus, Augiae abbas, *de officiis diuinis, ſiue de exordiis & incrementis rerum eccleſiaſticarum* librum compoſuit; ſaeculo porro duodecimo RVPERTVS, Tuitienſis abbas, *libros XII de diuinis officiis per anni curriculum*, CVNONI epiſcopo Ratisponenſi dedicatos, condidit; in quo ſcribendi genere non diu eum anteceſſit auctor *micrologi de eccleſiaſticis obſeruationibus ſeu de miſſa rite celebranda*, quem nonnulli ideo *Micrologum* vocant; quo ſub nomine quis latitet, non conſtat. Atque hi praecipui ſunt, qui de *officiis diuinis* commentati ſunt; quae quidem ſcripta itidem inter libros eccleſiaſticos referri ſolent. De reliquis conferendus NIC. PETR. SIBBERN, in *ſchediaſmate citato p. 110. ſeqq.*

Miſſalium, ſeu liturgiarum, hoc eſt librorum, in quibus ratio celebrandi ſacram euchariſtiam deſcribitur, haud exiguus in eccleſia latina eſt numerus, nec minor varietas. Hanc tamen ita explicare, aut excuſare adnititur IO. MABILLONIVS, vt contendat, quaedam omnibus liturgiis communia eſſe, vt lectiones ſacrarum ſcripturarum initio liturgiae, pſalmorum, aliorumque canticorum recitationem; oblationem panis & vini aqua miſti; conſecrationem vtriusque verbis Chriſti domini cum benedictione ac ſigno crucis a ſacerdote facto; orationem dominicam & ſacram communionem cum gratiarum actione; at deſignationem certarum ex ſcriptura lectionum; pſalmorum, aliarumque precum numerum & definitionem, miniſtrorum ritus praeter eos, qui ſunt ex inſtitutione diuina, haec vero omnia pro locis ac temporibus varia exſtitiſſe; *de liturgia gallicana lib. I. cap. II. p. 5.* Idem porro docet, in occidente, ſeu apud Latinos, quatuor minimum ſolemnes liturgias, easque inter ſeſe diuerſas, celebrari, *romanam*, *Ambroſianam* ſeu *Mediolanenſem*, *gallicanam*, & *hiſpanicam*, quam ſequuti ſint apud Hiſpanos chriſtiani Arabibus permiſti, ob id *Mozarabum* adpellatam; quibus adhuc addi poſſit *africana* & *hibernica*. Romanae vlterius triplicem velut ordinem, ſiue ſtatum conſiderari poſſe, obſeruat; vnum primigenium, ab eccleſiae naſcentis exordio ad Gelaſium vsque receptum; alterum Gelaſianum, qui Gelaſium papam, eius nominis primum, auctorem ſeu amplificatorem habeat; tertium Gregorianum, a Gregorio magno dictum, qui Gelaſianum ordinem correxerit; *l. c. p. 6.* Haec ideo ex MABILLONIO commemorare placuit, quoniam praecipua miſſalia eccleſiae latinae ita ordine ſatis concinno omnium animis offeruntur. At nonnulla ex iis pauca quaedam obſeruabimus. A romanis vt incipiamus, qualis primigenius ille ordo fuerit, non conſtare, ipſemet MABILLONIVS fatetur. Gelaſianum diu deſideratum fuiſſe, ait, donec tandem a IOS. MARIA TOMMASI e tenebris erueretur. Sed eam, quam TOMMASI edidit, miſſam, Gelaſiana longe recentiorem eſſe, oſtendit IAC. BASNAGE, *dans l'hiſtoire de l'Egliſe tom. II. lib. XVI.* idemque, ſed ob rationem BASNAGIO non memoratam, videtur CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIO, in *diſſertat. cit. cap. II. §. IV. p. 30.* De miſſa Gregoriana antea iam diximus, cum de *libro ſacramentorum* GREGORII magni verba faceremus. De miſſa Ambroſiana, itemque hiſpanica ſiue Mozarabum, legendus IO. BONA, cardinalis, *rerum liturgic. lib. I. cap. XI. & XII. p. 118. ſeqq.* Africanae liturgiae hinc inde ſolum reliquiae quaedam apud patres maxime africanos inueniuntur, praeſertim apud TERTVLLIANVM, in cuius *apologetici capite XXXIX.* miſſam, qualis tunc in Africa agebatur,

tur, deſcribi, idem BONA cardinalis pronuntiat, *l.c. lib.I. cap.III. p.35.* Supereſt itaque ſolum gallicana, de qua, quin quaedam moneam, intermittere nequeo. Id in confeſſo eſt, eccleſiam gallicanam proprios ſuos initio in miſſae celebratione habuiſſe ritus, donec tempore Caroli magni *ordo romanus* introduceretur, ſiue *id effecerint romani pontifices,* inquit IO. MABILLONIVS, *qui alias omnes eccleſias ad vnum cum romana concentum, quantum in eis fuit, adducere curarunt, ſiue ad eos demerendos id voluerit Carolus; de miſſa gallicana lib.I. cap.III. p.17.* Longe autem veroſimilius, inſtinctu romanorum pontificum hoc factum, qui omni conatu hoc agebant, vt, romanae eccleſiae ritus aliis obtrudendo, ad imperium iſtud, quod moliebantur, vniuerſale, viam ſibi munirent. Miſſam vero iſtam antiquam, in Gallia receptam, priusquam *ordo romanus* ibi introduceretur, in codice quodam manuſcripto ſibi inueniſſe viſus eſt MATTH. FLACIVS illyricus, qui & eamdem an. 1557 Argentinae edidit, ſequenti ratione inſcriptam: *miſſa latina, quae olim ante romanam circa ſeptingenteſimum domini annum in vſu fuit; bona fide ex vetuſto authenticoque codice deſcripta; item quaedam de vetuſtatibus miſſae ſcitu valde digna; adiuncta eſt Beati Rhenani praefatio in miſſam Chryſoſtomi a Leone Tuſco anno domini 1670 verſam.* In dedicatione ad OTTONEM HENRICVM, electorem Palatinum, FLACIVS oſtendit, condiſci ex hacce miſſa poſſe, placita quaedam atque ritus deinceps in eccleſia romana inualuiſſe, qui eo tempore nondum fuerint recepti. Quaenam ea ſint, quae ex hacce miſſa contra romanenſes colligi poſſe, putauit, ſummatim indicat BVRC. GOTTH. STRVVIVS, *bibliothec. antiqu.* ad *annum 1706. pag. 273. ſeqq.* Id vero cum intelligerent romanenſes; ad miſſam hancce remouendam, oculisque hominum ſubducendam, omnia conuerterunt conſilia, adeo vt Philippus ſecundus, Hiſpaniarum rex, inſtinctu ducis Albani, eius lectionem interdiceret; Sixtus vero V pontifex eam in claſſem librorum prohibitorum referret. Ita IO. MABILLONIVS, qui porro addit, Lutheranos aperte tandem, miſſam illyricianam catholicis ſuffragari, ſibique aduerſari, intelligentes, illam ſupprimere modis omnibus ſtuduiſſe; catholicos contra ex hac palinodia proficientes, ipſammet adcuratius legiſſe, laudaſſe, comprobaſſe, & ad adſerenda euchariſtiae, confeſſionis, & ſuffragiorum pro mortuis dogmata adhibuiſſe; inprimis quidem GVIL. PEYRATVM (DV PEYRAT) in *libro ſecundo de hiſtoria capellae regum Franciae cap. XIII.* & qui eum ſecutus ſit CAROL. COINTIVM, in *annalibus eccleſiaſticis Francorum* ad *annum 601,* vbi miſſam illyricianam a Lutheranis ſuppreſſam recudi curauerit; de *miſſa gallicana lib. I. cap. III. §. V. p. 18.* Eadem de fatis miſſae huius Flacianae nobis narrant IO. BONA cardinalis, *rerum liturgic. lib. I. cap. XII. §. II. pag. 142. ſeqq.* qui & operi ſuo eamdem ſubiecit; itemque PAVLVS COLOMESIVS, in *bibliotheca ſelecta, pag. 12. ſeqq.* vel ex editione IO. ALB. FABRICII, inter opera eius *pag. 398. ſeqq.* Hi omnes vero caeco impetu ſequuntur GVIL. PEYRATVM, qui primus eiusmodi quid de Lutheranis, quod miſſam iſtam ſupprimere ſtuduerint, adſeruit; in *hiſtoria capellae regum Franciae lib. II. c. XIII.* Sed infirmo lubricoque fundamento iſtam PEYRATI narrationem niti, fuſe & adcurate oſtendit PETR. BAELIVS, in *diction. hiſtor. crit. voc. Illyricus p. 1637. ſeqq.* Nimirum ſuppreſſam a Lutheranis hanc miſſam, PEYRATVS inde colligit, quoniam admodum rara ſit; atque hoc rurſus inde probat, quod nec IAC. PAMELIVS, nec GEORG. CASSANDER, in libris ſuis liturgicis, miſſae Flacianae vllam faciant mentionem. Verum, etſi CASSANDER nullam

nullam eius mentionem facit, inde tamen non ſequitur, illam ei plane ignotam fuiſſe. Notam enim omnino fuiſſe, contra IO. BONAM cardinalem, qui a PEYRATO haud dubie ſeductus, idem adſeruerat, probat PAVL. COLOMESIVS, *l. c.* Sed alio adhuc argumento, quam quo COLOMESIVS vſus erat, idem euincit PETR. BAELIVS *l. c.* Omni etiam robore haec concludendi deſtituitur ratio: liber aliquis rarus eſt, ergo eſt ſuppreſſus. Sunt & alia FLACII ſcripta ſatis rara, quae tamen ſuppreſſa eſſe, nemo dixerit. Accedit, quod ſi cuncta recte expendamus, Lutherani nullam adeo praegnantem habuerint cauſſam, miſſam hancce ſupprimendi. Quae enim FLACIVS ex ea deduxerat, deduci omnino poſſunt. Nec ideo FLACIVS negauit, aut noſtri negant, occurrere in ea quaedam, quae erroribus romanae eccleſiae fauere videntur. Namque & iam ea aetate, qua miſſam hancce conditam credidit FLACIVS, variis iisque haud leuibus erroribus eccleſiam contaminatam fuiſſe, nemo eſt, qui ignoret; licet plures deinde grauioresque acceſſerint. Cum etiam hocce miſſae iſtius praeſidio cauſſa noſtra facile careat; perinde nobis eſſe poteſt, quid tandem de ea ſtatuatur. GVILIELMVS equidem PEYRATVS & CAROL. COINTIVS, FLACIO in eo ſuffragati ſunt, quod haecce miſſa omnino vetus illa gallicana ſit, quae ante romanam receptam ibi obtinuerit; ſed vtrumque refellit IO. BONA cardinalis, & cum HVGONE MENARDO, non tantum duobus aut tribus ſaeculis poſteriorem, ſed ipſam miſſam romanam eſſe, diuerſis orationibus interpolatam, contendit; *rerum liturgic. lib. I. cap. XII. §. III. p. 145.* IO. autem MABILLONIVS, miſſam hancce particularem fuiſſe, arbitratur, ad vſum monaſterii ſancti Petri Hornbacenſis in dioeceſi Metenſi, concinnatam; *de liturgia gallicana, lib. I. cap. III. §. IV. p. 17.* Quae omnia meris innituntur coniecturis. Ceterum cum iſti, qui miſſam Flacianam pro veteri gallicana agnoſcere noluerunt, aliam quaererent, quae olim in Gallia recepta fuiſſet; IO. BONA cardinalis, gallicani ritus veſtigia in antiquis ſcriptoribus inueſtigando, coniecturas & exempla veteris miſſae gallicanae protulit; *rerum liturgic. lib. I. cap. XII. §. V. p. 150. ſeqq.* Duo autem miſſalia, quae BONA cardinalis laudauerat, & ex quibus ſpecimina quaedam attulerat, integra deinceps addito tertio edidit IOSEPHVS MARIA TOMMASI, Romae 1680, eaque ad veterem gallicanum ordinem pertinere, demonſtrauit. Tandem & ipſe IO. MABILLONIVS, opus illud non ſemel nobis iam laudatum, ſeu de *liturgia gallicana libros tres*, luci publicae expoſuit, *in quibus veteris miſſae, quae ante annos mille apud Gallos in vſu erat, forma ritusque eruuntur ex antiquis monumentis, lectionario gallicano, hactenus inedito, & tribus miſſalibus Thomaſianis, quae integra referuntur;* Pariſiis 1685. 4. Sed recte de hiſce omnibus mihi pronuntiaſſe videtur CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, veterem liturgiam gallicanam, quae vbique obtinuerit, fruſtra quaeri; cum reuera nulla fuerit; ſiquidem diuerſas ſinguli epiſcopi ſingulaque monaſteria habuerint; & ſi vel maxime quaedam vbique recepta exſtiterit, nullum eius exſtare poſſe amplius exemplum; cum magnam multi in liturgiis interpolandis mutandisque ſibi ſumſerint libertatem; *l. c. cap. III. §. V. pag. 33.* vbi & alia, quae hactenus dictis addi poſſunt, ſuppeditat. Praeter miſſalia Latini & alios libros eccleſiaſticos habent, vt *breuiaria, antiphonaria, hymnaria*, ne quid de *litaniis, martyrologiis*, ſimilibusque dicam; de quibus NIC. PETRI SIBBERN *ſchediaſma* antea laudatum conferre iuuabit. De *agendis*, ſeu *ordinationibus eccleſiaſticis*, in noſtra eccleſia receptis, ſuo iam loco, quae maxime obſeruatu digna ſunt, commemorauimus.

(o)

MAG...
VITTOR... BIBLIOTECA ... IN ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

16. J. 8.

Digitized by Google